












THESAVRVS
IVRIS ECCLESIASTICI
POTISSIMVM GERMANICI
SIVE
DISSERTATIONES
SELECTAE
IN IVS ECCLESIASTICVM
QVAS
IVXTA SERIEM INSTITVTIONVM EIVSDEM IVRIS
A SE EDITARVM
IN ORDINEM DIGESSIT,
ILLVSTRAVIT ANIMADVERSIONIBVS NOVIS,
ADAVXIT LVCVBRATIONIBVS PROPRIIS

ANTONIVS SCHMIDT
U. J. D. ATQVE IN ELECTORALI ET ANTIQVISSIMA UNIV.
HEIDELBERGENSI SS. CAN. PROF. P. ET O.

TOMVS III.
AD PARTEM SECVNDAM INSTITVTIONVM SVARVM.






SVMPTIBVS TOBIAE GOEBHARDT
PROSTAT
HEIDELBERGAE, BAMBERGAE ET WIRCEBVRGI.
M D C C L X X I V.

CONSPECTUS

Dissertationum Tomo hoc contentarum, quarum singulis animadversiones novae subnexae sunt.

IX. Ip-



I. GE-



I.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER U. J. D. SS. Can.
in Univ. Trevir. Prof. P. O. &c. &c.

DISSERTATIO PRIMA

DE

TRANSLATIONE EPISCOPI

AD TIT. VII. LIB. I. DECRETAL.

Treviris 1763.



§. I.

Rubrica, *Notio verbi*, *Oppositum*, *Analoga.*



I. *Quatuor* hujus tituli *capitula* de ſolis *Epiſcoporum* translationibus agunt; ideo in vulgatis pleriſque ponitur Rubrica: *de translatione Epiſcopi;* licet alii codices, & commentarii varient. *

* Unus de codicibus MStis in Bibliotheca S. Simeonis hujatis habet: *de translatione Epiſcoporum.* Duo alii MSti in eadem rubris literis ponunt ſimpliciter: *de translatione;* alteri tamen eorum inelegans manus junior Sæculi XV. mi-

nutis apicibus nigris juxta fcripfit: *Pontificum.* Ibidem codex impreffus an. 1473. plane caret rubrica, collocans poftremo loco hæc 4. capitula fub titulo *de electione.* Alii habent, *de translatione Epifcopi, vel electi,* rectius, *vel confirmati.* GOFFREDUS in Summa: *de translatione Praelatorum,* ad modum rubricæ: *de poftulatione Praelatorum.*

II. Illis nempe Compilationum temporibus *translationis* verbum jam *folis* fere *Epifcopis* adhibebatur; *inferiores* Prælati, & Clerici accipiebant *tranfeundi,* vel fuas Ecclefias deferendi, *licentiam,* fecus, quam *olim;* * licet adhuc Sæc. XII. circa an. 1186. occurrat hoc quoque verbum *transferendi* in *cap. 5. de rer. permut.* de perfonis minoribus.

* Concil. Nicæn. I. can. 15. *De civitate ad civitatem non Epifcopus, non Presbyter, non Diaconus,* TRANSFERATUR: ita legitur in codice canonum *Dionysii* exigui; licet *Gratianus* in *can.* 19. VII. *q.* 1. ponat: *tranfeat.* Concil. Chalcedon. can. 10. *de Clerico* fic loquitur: *Si vero jam quis* TRANSLATUS *eft de alia in aliam Ecclefiam;* & refert *Gratianus* in *can.* 3. XXI. *q.* 2. Poftea vero *inferioribus* Epifcopo *Prælatis,* accommodabatur verbum fimplicis *licentiæ tranfmigrandi, tranfeundi, vel deferendi monafterium,* ut in *cap.* 7. *de confuet.* Facit huc Canon Africanus Concilii Carthagin. IV. an. 398. *Inferioris gradus Sacerdotes, vel alii Clerici,* conceffione Epifcoporum, *poffunt ad alias Ecclefias* MIGRARE. *Gratian.* can. 37. in fin. VII. q. 1.

III. *Paffivo* autem verbo ufi funt Ss. Canones, ut effet potius μετάθεσις, *tranfpofitio,* quam μετάβασις, *proprii motus tranfitio,* de Epifcopatu ad Epifcopatum *

* Quam deberet in translationis negotio Epifcopus *paffive fe habere,* mutationem non quærendo, antiquifsimæ regulæ noftræ diferte exprimunt: *canon,* qui dicitur *Apoftolorum,* 14tus ait: *licet* COGATUR *a plurimis, nifi forte quis eum rationabili caufa* COMPELLAT, *& hoc* NON A SEMETIPSO PERTENTET, *fed multorum Epifcoporum judicio, & maxima fupplicatione perficiat.* Synodus *Alexandrina* an. 340. huc applicat illud Apoftoli: *alligatus es uxori,* NOLI QUÆRERE *folutionem.* Prefse fcripfit circa an. 581. *Pelagius* II. Papa epift. 2. *Aliud eft* MUTARE, *aliud* MUTARI: *aliud eft* SPONTE TRANSIRE, *aliud* COACTE, *aut* NECESSITATE *venire: unde non ifti* MUTANT *civitates, fed* MUTANTUR; *quia non* SPONTE, *fed* COACTE, *hoc agunt.* Gratian. in *can.* 35. VII. *q.* 1.

IV. *Paffio* igitur cum fit *pro parte Epifcopi,* qui transfertur; *actio* vero majoris authoritatis *pro parte ejus,* qui transfert, recte fic definitur *Translatio: eft decretum fuperioris ecclefiaftici,* * *abfolvens Epifcopum a vinculo fuæ ecclefiæ, eundemque alteri præficiens.* **

* Non 1.) *Plebis,* cujus acceptas literas pro excufatione tranfmigrationis fervire non debere, *Sardicenfe* an. 347. decrevit *can.* 2. Confentit *Antiochenum* II. can. 21. in verbis: *nec vi coactus a populis.* Non etiam 2.) *Principis mundani,* faltem *folius;* licet olim Imperatorum, ac Regum in translationibus

nibus sæpe intervenerit studium, atque consensus, &, propter *jus nominandi* ad Episcopatus, quod plurimi Reges habent, hodieque intervenire debeat. Vide exempla apud *Thomassin.* de vet. & nov. discipl. eccles. *Tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 62. *& seq.* Verumtamen Imperatores, aliique potentes Principes, interdum *ex spiritu mundi* translationibus, *ipsos non attinentibus*, indebite faverunt, atque ipsos adeo Romanos Pontifices in sua demum vota pertraxerunt: illustrem casum dedit *Otto* Frisingensis *Lib.* 2. *de Gest. Friderici* I. *cap.* 6. 8. 10., ubi, discordante electione *Magdeburgensi*, Imperator suggessit translationem *Guicmanni*, Cicensis in Saxonia Episcopi, quam, licet a plurimis Germaniæ Præsulibus, etiam a nostro *Hillino*, aulica curialitate comprobatam: *Eugenius* Papa III. acri epistola reprobavit; *Anastasius* IV. autem, cedens *Friderico*, ratihabuit, & *Guicmanno*, cum Regiis nunciis Romam accedenti, pallium dedit; subjungit Otto: *non sine quorundam scandalo, qui, ne unquam id fieret, immobiliter id fixum Romanos tenere, a proprio ipsorum ore audiverant*: sequelam complacentiæ hujus politicæ addit istam: *Ex hinc non solum in sæcularibus, sed & in ecclesiasticis negotiis disponendis authoritas Principis plurimum crevit.*

** Sumitur ex *cap.* 4. *de postulat. prælator.* in fin., ubi translationis formula: *Eundem Archiepiscopum a vinculo, quo tenebatur Colocensi ecclesiæ, absolventes, ad Metropolim Strigoniensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi.* Confer. *cap.* 40. *de elect. prop. fin.* Eandem formulam tradit *Rigantius*, Author recens, *ad Reg.* 2. *Cancell.* §. 3. *num.* 28.

V. Oppositum *translationis* est *transitus proprio judicio præsumptus*, quem toties condemnarunt Ss. Canones; * *cum Episcopus suæ alligatus Ecclesiæ liberum non habeat sine canonica permissione volatum.* Cap. 5. de postulat.

* Concilium *Calcedonense* can. 5. *De his, qui transmigrant de civitate in civitatem, Episcopis, aut Clericis, placuit, ut canones, qui de hac re a Sanctis Patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.* Arianis hoc valde erat familiare, ut occupando nobiliores sedes eo citius propagarent hæresim suam. Offendit valde Sæc. IV. Ecclesiam Catholicam temeritas *Eusebii*, hominis *Ario* contra S. *Athanasium* addictissimi, qui primum a *Beryto* se transtulit *Nicomediam*, ab hac *Constantinopolim*: primam translationem jam ante *Nicænum* I. damnaverat *Alexander* Episcopus Alexandrinus in Encyclica apud *Athanasium* Tom. 1. nov. edit. pag. 379; utramque *Alexandrina* Synodus an. 340. *Ibid. pag.* 129. Huc pertinet in vectiva *Julii* I. Papæ ad Eusebianos epist. 1. an. 342. apud *Coustant.* Epp. RR. PP. pag 363. *Non solum enim Ariani admissi, sed & a loco in locum Episcopi* SESE TRANSFERRE *meditati sunt. Si igitur vere parem, eundemque existimatis Episcoporum honorem, neque ex magnitudine civitatum, uti scribitis, Episcoporum dignitatem metimini, oportuit eum, cui parva civitas concredita fuerat, in illa manere, nec contempta illa, quæ sibi credita erat, ad aliam, sibi non commissam, transire, ita, ut eam, quæ sibi a* DEO *tradita est, despiceret, inanem vero hominum gloriam exoptaret.* Confer epist. 5. *Damasi* ad Paulinum, & aliam ad Acholium, *ibid. pag* 378., *&* 538., nec non *pag* 697. epistolam *Siricii* ad Gallos Episcopos. *Pelagius* II. Papa, relatus a Gratiano in *can.* 35.

VII. q. I., vocat ejusmodi transitum *causam præsumptionis, avaritiæ, aut damnationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis.*

VI. Neque ad *speciem hujus* damnati *transitus*, neque *ad speciem translationis*, pertinent *exempla Apostolorum*, qui fundatas a se ecclesias aliquamdiu rexerunt, postteaque, *obedituri Apostolatus sui partibus*, inde in alias orbis regiones, ad propagandum Evangelium, discesserunt; quia nec a Christo, nec ab Ecclesia, *uni certo loco* ad dies vitæ alligati erant. *

* Suppostitius *canon* 34. VII. *q.* I. parum apposite adduxit exemplum *S. Petri* Apostoli, quasi hic Antiochia Romam *translatus* fuisset; quis enim eum alligaverat *Antiochenæ* cathedræ, quis transtulit ad Romanam, eidemque ecclesiæ connubio junxit stabili? Non est *translatus*, sed *transivit*: imo, nec Romanæ se *perpetuo* desponsavit: hinc *Coustant* lib. cit. pag. 3. §. 9. scribit, potuisse viventibus adhuc Apostolis, *Petro & Paulo*, in Romano Episcopatu, surrogatos esse alios Episcopos, *Linum* nempe, & *Cletum*, eo quod Apostoli, prædicandi Evangelii gratia, in alias urbes, regionesque profectionem susciperent, carere autem Episcopo Roma non posset; siquidem *Paulus* in Hispaniam pervenit, *Petrus* vero Pontum, ac Bithyniam sæpe peragravit. In hac sententia stetit *Rufinus*, Author Sæc. IV., *Præfat. in libros recognition.*, ubi ad communem difficultatem, *cur* S. CLEMENTI *a* S. PETRO *fuerit docendi Cathedra tradita, & tamen* S. LINUS *cum* CLETO, quem ANACLETUM *Rufinus* vocat, *in urbe Roma ante* S. CLEMENTEM *fuerint Episcopi*, sic respondet: *cujus rei hanc esse accepimus rationem, quod* LINUS, *&* ANACLETUS *fuerint quidem* ANTE CLEMENTEM *Episcopi in urbe Roma, sed* SUPERSTITE PETRO, *videlicet, ut illi* EPISCOPATUS *curam gererent, ipse* APOSTOLATUS *impleret officium, &* HOC MODO *utrumque verum videbitur, ut & illi* ANTE CLEMENTEM *numerentur* EPISCOPI, *&* CLEMENS *tamen* POST *obitum* PETRI *docendi susceperit sedem.* Ab hoc non multum abludit S. *Irenæus* lib. 3. cap. 3. advers. hæres. *Fundantes igitur, & instruentes beati Apostoli Ecclesiam* (Romanam) LINO EPISCOPATUM ADMINISTRANDÆ ECCLESIÆ *tradiderunt*. Idem clarius explicavit Sæculo XIV. *Nicephorus* Eccles. hist. lib. 2. cap. 36., ubi, postquam prius summatim dixerat, quod S. Petrus *sub Neronis Imperio* (*Lactantius libr. de mortib. persecutor. cap.* 2. ait: *cumque* JAM *Nero imperaret, Petrus Romam advenit*) Romam venerit propter *Simonem* magum, Christum prædicaverit, *atque Romanorum Ecclesiæ claves primum quidem* LINO, *deinde* ANACLETO (quem a *Cleto* non esse diversum, verius est) *& post hos tertio, ad mortem vadens, sapientissimo* CLEMENTI *commiserit*, post hæc, inquam, in summa præmissa, recenset, ubi S. Petrus qui denuo Roma discessit, & illuc, teste *Origene*, iterum *circa finem vitæ* venit) *medio tempore* constitutus fuerit; nempe, eum *post primum iter Romanum*, una cum *Simone*, tanquam prodigiorum effectorem, *Roma a Nerone pulsum, Hierosolymam* rursum, & *orientales civitates* petiisse, orbem miraculis illustrasse, & ecclesias ubique constituisse; *Neronis vero extremis temporibus* iterum *Romam*, cum ibi quoque *Paulus* esset, *secundo* pervenisse, & cum isto eodem die ejusdem anni martyrium subiisse. In hoc systemate non invenitur casus alligationis, proinde nec translationis, S. *Petri.*

VII. Nec

VII. Nec magis in casu *transitus*, vel *translationis*, versari existimabitur, qui *dubio jure* in loci alicujus Episcopum ordinatus, prohibetur ab accessu ad suam Ecclesiam, alioque interim ad eandem ordinato, aliam consequitur cathedram; *pro certo* enim dici nequit ille *extitisse alterius loci Episcopus*. *

* Contigit hoc S. *Gregorio* Nazianzeno, qui & *Theologus*: finibus inter *Cappadociam* primam, atque *secundam* nondum regulatis, S. *Basilius*, Cæsareæ Episcopus, ordinaverat S. *Gregorium* pro *Sasimorum* oppido ignobili *novum* Episcopum; cum magna esset inter *Basilium*, & *Anthimum*, Episcopum *Tyanensem*, qua Metropolitam Cappadociæ secundæ, controversia, cujusnam esset locus ille; ita se opposuit *Anthimus*, ut *Gregorio* nunquam licuerit invisere suam prætensam sponsam; cessit *Gregorius*, nec locum suæ primæ Cappadociæ vindicavit *Basilius*; imo credunt, alium ab *Anthimo* illic ordinatum esse Episcopum: sic nulla amplius mentio de Gregorio *Sasimorum* Episcopo: postea Patri suo, *Gregorio seniori*, Nazianzeno Episcopo, adlegebatur *purus Coadjutor*, protestans, se post obitum patris ibi non mansurum: mittebatur deinde *Constantinopolim*, ibidemque invitus creabatur Episcopus, desiderante *Theodosio* Imp., consentiente Clero, & *Meletio*. Tunc enim vero ab æmulis Ægyptiis Episcopis cepit ei objici, non tam, quod esset aliquando ordinatus *Sasimorum* Episcopus, quam, *quod, cum paternum antea Episcopatum, & Nazianzenam Ecclesiam administrarit, ad Constantinopolitanam tum sedem evectus esset*, ut scribit *Nicephorus* lib. 12. cap. 11. Propter hoc velut *translatus* etiam usque Romam diffamabatur; sed hæc criminatio fuit improba, licet sanctus Vir, amore solitudinis, ultro cesserit. Vide *Coustant* pag. 538. Non deerant tamen aliqui, jam ante promotionem *Gregorii* consilium hoc reprehendentes, quasi habens *speciem translationis*; sed intercessit *Meletius*, hac in parte *Canone de Episcoporum translatione*, quem nonnulli objecerant, *postposito*, ut scribit loc. cit. pag. 10. *Nicephorus*, dans rationem: *optime quippe divinus pater eorum virorum mentem, & consilium, qui illum promulgaverant, tenebat; Synodus namque illa, ut occasionem ambitus in Ecclesiis præcideret, canonem eum proposuerat, quod multa tum ex competitorum ambitiosa prensatione provenissent mala; quod si ambitus abesset, nihil prorsus extare impedimenti censuit, ut modo vita, aut doctrina multis aliis præstantior, aut simul utraque hæc constarent, aut communis denique & publica cum magna commoditate utilitas per translationem in exspectatinone esset.*

VIII. In eadem excusatione *a vitio transitus* sunt Patriarchæ, Metropolitæ, & Episcopi *titulares*, ordinati ad continuandam seriem Sedium, sub jugo infidelium consistentium, si fiant actuales alibi Episcopi. *

* Sunt hi Episcopi illis omnino æquiparandi, quos suæ civitates non receperunt ab initio, veluti quondam *Meletius*, a Sebastenis repulsam passus, Berœæ privatam vitam agens, postea factus est Antiochenus Episcopus: in tales non cadet illud *Damasi* Papæ ad *Acholium*, & alios Macedoniæ Episcopos an. 380. *Illud præterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia in aliam transduci, & deserere*

rere plebem sibi commissam, & ad alium populum per ambitionem transire: tunc enim contentiones oriuntur, tunc schismata graviora occipiunt; cum & illi, qui amiserint sacerdotem, sine dolore animi esse non possint, & illi, qui alterius civitatis acceperint Episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligant fore, sub alieno se agere sacerdote. Coustant libr. cit. pag. 538. Quæ enim desertio, quæ contentio, quod schisma, quis luctus, quæ invidia, dum hoc sæculo *Fridericus Carolus* ex S. R. I. Comitibus de Schönborn, titularis *Arcadianopoleos*, factus est *Bambergensis* Episcopus? Aut, dum Eminentissimus Dominus noster *Joannes Philippus* ex *Patracensi* titulari, qualis post confirmationem coadjutoriæ creabatur, & ordinabatur, thronum *Trevirensem* conscendit, sine quavis translativa bulla? Tales non sunt constituti *actu* in matrimonio spirituali, sed *potentia* solum; nam *Tridentinum* Sess. 14. cap. 2. de reform. vocat eos *Clero carentes, & populo Christiano*; quis carens uxore dicetur uxoratus? Vide dicta mea ad *tit. de postulat. Prælat.* inter quæstiones. Interim, teste *Riganiio* in Reg. 1. Cancellar. §. 7. num. 78., consueverunt summi Pontifices Episcopum Titularem, provisum de *secunda* Ecclesia, *etiam in partibus infidelium existente*, absolvere a vinculo, quo priori tenebatur Ecclesiæ.

IX. Non est *translatio*, vel *transitus*, illa species, quæ olim singulari nomine dicebatur *incardinatio*; dum nempe Episcopus, per hostilitatem, vel plebis seditionem, sua sede pulsus alteri præficitur civitati; quia *incardinato ejusmodi* deerat in secunda Ecclesia *perpetuitas*; nam, cessante hostilitate, vel seditione, expulsus tenebatur reverti ad priorem sedem. *

* Pulcher textus in *can.* 42. VII. *q.* 1., ubi S. *Gregorius* M. *Joannem* civitatis *Lissitanæ*, ab hostibus captæ, Episcopum, constituit *Cardinalem Sacerdotem* in *Scyllatina*, quæ tunc pastore vacabat, ea tamen lege, ut, *si civitatem illam ab hostibus liberam effici, &, Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, ad eam, in qua prius erat ordinatus, Ecclesiam reverteretur; sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premeretur, in hac, in qua a Gregorio* INCARDINATUS *est, debeat Ecclesia permanere.* Confer. *can.* 5. *dist.* 71. *can.* 5. & 6. XXI. *q.* 1. Vide *Florentis* opera juridica Tom. 1. pag. 227. Debent tamen *expulsionem* exspectare Episcopi, nec meticulose impingere in *can.* 46. & 47. VII. q. 1.; qui propter qualescunque persecutiones nolunt mox deseri gregem.

X Et hoc magis a *translatione* distat *simplex commendatio alienæ Ecclesiæ* juxta propriam *ad tempus*, quo vacat, vel quo impotentem habet Episcopum; est enim pura administratio *ad interim*, sine alligatione.*

* Vide *can.* 3. *XXI. q.* 1. In Africanis canonibus talis Episcopus vocatur *Intercessor*, aut *Interventor*, can. 22. VII. q. 2., alibi Episcopus *visitator*, & *ministerium visitationis*, quale committitur quoque vicino Episcopo, quando civitas propter cædes suorum Episcoporum privatur *honore cathedræ*, & vice parochiæ constituitur, ut in casu *can.* 25. *XXV. q.* 2. Dicitur etiam *administrator*, quo postremo titulo Sæc. XIV. usus est *Cuno* Trevirensis in nummis

mis suis: *Cuno Archiepiscopus Trevirensis, administrator Coloniensis.* Prodrom. Hist. dipl. Trevir. tom. 1. pag. 642.. fig. 24. 25. P. *Hartzheim* in Hist. rei num. Colon. tab. 5. fig. 4. & 5. Clariss. *Joachim* in Grosso-theca Colon. tab. 7. fig. 71. alium *Cunonis* nummum exhibet, in quo titulum gerit *Vicarii Ecclesiæ Coloniensis*; ibidemque ex antiquo Chronico Colon. fol. 268. recenset varias titulaturas *Cunonis* respectu Sedis Coloniensis; videlicet an. 1367. *Coadjutoris* pro *Engelberto* III., dein *Administratoris*, postea *Vicarii* pro Papa Urbano V., reditus Colonienses suæ Cameræ applicante: Verba Chronici sunt: do voir Pays Urbanus tzo, ind verwandelde eme den Namen Administrator off yen Upffrichter, ind gaff eme die Kyrche van Coellen in Commendam, dat iß in Bevell, ind wart genoempt eyn Commendatoir, off verwarer des Stiffts van Coellen. Darnai behielte der Payß dat Buschdom van Coellen tzo Nutz in Urber der Cammeren van Rome, ind verwandelde eme den Commendatoir, und machte yn eynen gemeynen Vicarium van synen wegen des Stiffts van Coellen, so, dat der Payß den Nutz des Buschdoms eme ind synre Cammer behalden woulde. Daiena verwandelde der Payß eme den Namen des Vicarien, und machte Busschoff Cuno wederomb eyn Administrator, dat iß ein Verwarer des Stiffts van Coellen. Vide Gesta Trevirorum in Tomo 2. Prodromi pag. 844.

XI. Licet vero *Leo* IV. circa an. 850. statuerit, ut, qui *plures ecclesias* retinet, unam quidem *titulatam*, aliam vero *sub commendatione* retinere debeat, *can.* 3. *XXI. q.* 1.; tamen invaluit *spiritualis polygamia*, per quam unus duos, tres, quatuor Episcopatus tenet, unius, sicut alterius, ex æquo vir: * hanc speciem differre a *translatione*, simul & *Commenda*, palam est.

* In nostra Germania *pluralitas Episcopatuum* frequentissima est; non ita enim pridem Serenifs. Bavariæ Dux *Clemens Augustus* simul tenuit *Coloniensem*, *Monasteriensem*, *Paderbornensem*, *Osnabrugensem*, *Hildesiensem*; Eminentiss. ejus frater, Cardinalis *Theodorus*, *Leodiensem*, *Ratisbonensem*, *Frisingensem*, nec recusasset *Coloniensem*, si vota obtinere potuisset. Talia excusantur propter statum Germaniæ inde a sic dicto tempore reformationis, atque ut illustrium filii condignam aulam servare possint. Duo *Archiepiscopatus* in Germania vix conjungentur eidem viro, quia *Magdeburgensis*, quem Sæc. XVI. Cardinalis *Albertus* una cum *Moguntino*, & administratione *Halberstadiensi*, tenuit, est sæcularisatus, *Salisburgensis* a cœteris nimium disjungitur; duo vero Electoratus Archiepiscopales eidem non conceduntur personæ: hinc in istis opus est *translatione*, qualis anno 1729. fiebat de Serenissimo *Trevirensi* Francisco Ludovico, Palatino Neoburgico, ad S. Sedem *Moguntinam*, cui fuerat datus Coadjutor cum successione. Transferri quoque ad hanc an. 1371., & jam prius an. 1368. ad *Coloniensem*, sub lege dimittendæ ecclesiæ *Trevirensis* postulatus, potuisset *Cuno* Trevirensis; sed acceptare recusavit, & cum Trevirensibus remanere usque ad mortem promisit. *Gesta Trevirorum in Tom. 2. Prodromi pag.* 844. Laudem meretur *Cuno*, quam *Constantinus* M. dedit *Eusebio* Cæsariensi, nolenti ad ecclesiam *Antiochenam* transferri: *rectissime fecit prudentia tua, quæ & mandata Dei, atque Apostolicam, & Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Episco-*

Episcopatum Ecclesiæ Antiochensis repudians, & in eo potius permanere desiderans, quem DEI MANDATO *ab initio suscepisset.* Euseb. de vit. Constantin. M. lib. 3. cap. 61.

XII. *Translatio* non est, cum Episcopus *renunciavit* suæ Ecclesiæ, aut canonice ab ea depositus; *postea* vero ex licentia SS. Canonum, * vel de benignitate Apostolica, *resurgit*, id est, denuo *alium episcopatum* consequitur; quia non est *unitas motus passivi* a termino *a quo* ad terminum *ad quem*, ex intentione moventis, nec est *mutatio*, sed *nova creatio.* **

* Quibus in casibus Episcopus, qui renunciavit, reascendere possit ad regimen episcopale, fusius traditur in *cap.* II. *de renunciat.*

** Hinc *Conradus* a Ravensburg, qui ab *Hildesiensi* ecclesia temere transiverat ad *Herbipolensem*, nec monitus resipuit, ideoque exemplariter correptus ab *Innoc.* III. fuit, licet demum ei daretur *Herbipolensis cathedra*, dici tamen nequit *translatus*; quia utraque *privatus* extitit, & modo, peracta pœnitentia, *Herbipolensi*, hactenus vacanti, humiliatum gratiose præfecit Innocentius. De quo casu plura inferius, & suo tempore.

XIII. *Postulationis*, de Episcopo factæ, *admissio* non differt *in concreto* (abstractam rationem non curo) *a translatione*; nam una eademque formula perficitur. *

* Cap. 40. de elect. in fin. *Tu vice nostra postulationem admittas, ac ipsum Archiepiscopum absolvas a vinculo, quo Heracliensi ecclesiæ tenetur, concedendo ipsum Constantinopolitanæ Ecclesiæ in pastorem.* Confer *cap.* 4 *de postul. in fin.*, quod vide supra num. III. in not. 2.

XIV. *Sedium mutatio*, quanquam pari passu, *quantum ad negotii arduitatem*, ambulet cum *mutatione Episcoporum*, uti vocat spurius *canon 34. VII. q. 1.* translationem; proprie tamen tunc contingit, si *cathedra ipsa* cum suo Episcopo *de una civitate in aliam ejusdem Diœcesis* translocetur. *

* Ita DD. communiter intelligunt distincta verba cap. I. h. t. *translationes Episcoporum, ac sedium mutationes*, ad quod posterius verbum Glossa signavit can. *Temporis qualitas* 44. VII. q. I., ubi S. Gregor. M. *Temporis qualitas admonet, Episcoporum sedes, antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, ejusdem diœcesis loca transponere, quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare.* Plura exempla lege apud *Florentem* Tom. I. pag. m. 236., & seq. Unum quoque recentius in *lib.* 13. *cap.* 7. §. 16. de Synod. Diœc. *Benedicti* XIV. ubi refert, qualiter ipse an. 1754. ad instantiam Regis Lusitaniæ cathedram ab insula S. *Thomæ* ad insulam *Principis* in Africa, ejusque castrum S. *Antonii*, prius a Rege *civitatis* nomine donatum, propter insalubritatem aëris ea lege transtulerit, ut Episcopi se nominarent *utriusque insulæ* Episcopos. A *mutatione sedis* longe distat *mutatio ordinariæ residentiæ*, quam quidem Episcopus deberet facere in civitate eadem, ubi stat cathedra ejus, *can.* 20. 21. *VII. q.* I;

atta-

attamen de privilegio, vel approbata consuetudine, vel propter rationes politicas suadentes, interdum dignoscitur esse extra civitatem cathedralem; uti *Trevirensis* olim maximam anni partem in Palatiolo, vulgariter Pfalzel, infra Treviros, aut Wittliaci, resedit, hodie Confluentiæ; *Coloniensis* Bonnæ, *Spirensis* Bruxaliæ, olim in Tabernis Rhenanis, Rheinzabern, *Constantiensis* Merseburgi, *Basileensis* Brundruti, *Argentinensis* olim in Tabernis Alsatiæ: interregni magni, aliisque malignis temporibus, ante, & citra, complures civitates, quæ se fecerant immediatas, aut esse tales voluere, ita insultare ceperunt Episcopis suis, ut hi in iisdem ordinarie residere non possent. Quam horrenda Sæc. XI. *Colonienses* in Electum *Annonem* II. commiserint, ex *Lamberto* Schaffnaburgensi, & aliis late describit *Apologia* des Erz-Stifts Cölln *pag.* 22. *& seqq.* Qualia currente Sæculo *Spirenses* præsumpserint contra Episcopum *Henricum Hartardum a Rollingen*, acta publica docent.

QUÆSTIO.

Ad num. 12. §. I.

An indultum *transeundi* a minore ecclesia ad majorem operetur *liberum transitum*, quin opus sit *translatione*, cum casus indulti aderit, nempe vocatio?

℟. Omissis opinionibus, quas videas apud *Hostiensem*, *Zabarellam*, *Panormitanum*, ipsamque *Glossam* in *cap.* 4. *h. t.* ad verba: *videatur, & postulatio* titubantem, tale indultum operatur liberum transitum, supposita vocationis examinatione, & approbatione, facta per eum, ad quem pertinet; ne verbum *transire* sit absque effectu, ipsumque indultum fiat captiosum, & inutile: tali igitur indultario Papa censeretur dedisse clavim, ut claustrum vinculi ipsemet aperire, atque abire possit.

Nec dicas 1. Hunc indultarium Episcopum debere tamen *postulari*: ergo & *transferri*; nam *concesso* primo, *nego* secundum: *postulari* debet; quia adhuc est actu alligatus: *transferri* non debet; quia licet ei *transire*; & si nova licentia Papæ requireretur, ad quid serviisset prima? *Ais*, ad simpliciter consentiendum postulationi: *Replico*, per hoc non exhauriri verbum *transire*, quod significat *pedes* de loco ad locum movere, non *solum affectum*, per quem anima movetur. *Petis*, a quo igitur admittetur hoc casu postulatio? ℟. *Jure Decretalium*, quo episcoporum constitutio nondum fuit reservata, ab immediato *postulantis ecclesiæ* superiore, e. g. a Metropolitano, non præcise a Papa; quia hic dedit indultario, supposita vocationis rectitudine, potestatem expediendi se ipsum a vinculo: hinc d. *cap.* 4. *in fin.* declarat quidem, per clausulam indulti: *dummodo nihil canonicis obviet institutis*, non solum videri *postulationis* examinationem, sed *personæ* etiam *reservari*; sed *impersonaliter* loquitur, nec dicit, reservari *sanctæ Sedi*; quod firmant mox sequentia verba, pari *impersonalitate* concepta: *antequam* PER EUM *postulatio examinata fuisset*, CUI FUERAT FACIENDA, *nulla ratione debuerat* TRANSISSE. An ergo talis indultarius erit similis *illegitimo*, a Papa ad capessendum Episcopatum prius dispensato? Non, quia ejusmodi indultarius *postulabitur*, ille vero *eligetur*; sed omnis postulatio dirigi debet ad Pa-

Papam! *distinguo*, si nemo impedimentum tollere possit, quam Papa, secus, si alius: hic autem *licentia transeundi* eventualis qualificavit indultarium, ut ipsemet impedimentum possit tollere, postquam Ordinarius ecclesiæ postulantis dixit, vocationem esse canonicam, & personam dignam.

Nec dicas 2. Innocentius III. in *cap.* 3. *h. t.* loquitur de *Conrado*, qui se ab *Hildesiensi* ad *Herbipolensem* transtulerat, tanquam ejusmodi Prælato, cui *translatio*, per Papam facienda, fuisset necessaria, & tamen habuit *indultum transeundi* a *Cælestino* III.; nam Innoc. III. tunc temporis nihil adhuc sciverat de isto indulto, quod *Conradus*, agens adhuc sub *Henrico* VI. Imp. Cancellarium, cumque eodem propter coronationem profectus an. 1191. Romam, a *Cælestino* impetrasse dicitur, & *modo in fine causæ* inter suas excutiones coram Papa produxit. Quanquam illud indultum non esset clarum, ut verbis expressis diceret, *Conradum transire posse*; sonuit enim *referente cap.* 4. sic, *quodsi ad majorem forsitan vocaretur dignitatem, eam sibi liceret* ASSUMERE, quod verbum Germani exprimunt annehmen, *acceptare*; cumque talia indulta, utpote ambitiosa, sint strictæ interpretationis, verbum *assumere* non debuit exponi pro *transire*: quia tamen *ad excusandum crimen* adhibebatur hæc indulgentia, non disputavit in *cap.* 4. Innocentius *super intellectu hujus verbi*, sed *super eo*, quod *Conradus* ad *parem*, non ad *majorem* dignitatem transiverit, nec præmitti curaverit canonicam inquisitionem postulationis, personæque postulatæ: *licet* FORSITAN ALIQUIBUS *videatur, ut* INDULGENTIÆ *occasione* IPSIUS *ad dignitatem possit transire* MAIOREM; *ad* PAREM *tamen ipsi transire non licuit.* Sed quid de virtute talis indulti disceptamus hodie multum? Nemo illud petit, nemo accipit sub hac forma: Episcopi, transferri cupientes, procurant sibi *Brevia eligibilitatis*, seque electos, aut etiam postulatos, a Papa transferri rogant.

§. II.

Translationis effectus.

I. *Translatus* desinit esse Episcopus *ecclesiæ a qua*; proinde nullum in ea regiminis actum ex eo tempore amplius exercebit: * econtra Capitulum majus, velut *sede vacante*, administrationem suscipit.

* Concil. Chalcedon. can. 10. in 2. part. relata a Gratiano in can. 3. XXI. q. 2. *Siquis jam translatus est ab alia ecclesia in aliam, nihil habeat commune cum priore ecclesia, sive sub hac ecclesia constitutis martyriis, sive in ptochiis, sive in xenodochiis, aut eorum negotiis.* Innovavit hunc canonem an. 816. Concilium *Aquisgranense* cap. 50. *Concil. German. edit. nov. tom.* 1. *pag.* 472. Secundum hoc recte *Gratianus* in §. *Ecce* post *can.* 41. *VII. q.* 1. docuit, quod, qui *translato* succedit, non *viventi*, sed *defuncto quodammodo* Episcopo probetur substitui; quocirca proverbialiter dicitur translatus priori ecclesiæ *civiliter mortuus* esse.

II. *Ecquando* autem desinit? An *ad solam* translationem *verbalem*, aut *bullarem*? An vero *post adeptam solummodo Episcopatus secundi* pacificam, & fructiferam

feram *possessionem?* Res olim dubia die 12. Decembris an. 1624. a S. Congregatione Cardinalium sic decisa est: *

* „Sacra Congregatio illustriss. Cardinalium, negotiis Episcoporum præposita, „*S D. N. approbante*, censuit, Ecclesiam, a qua *volens* transfertur, seu, „quam dimittit Episcopus, *vacare ab eo tempore, quo* idem Episcopus *ab il-* „*lius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ, etiam ante expeditionem* „*literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ ecclesiæ*, & postea-„quam hujusmodi absolutionis notitiam *Episcopus habuerit*, etiam *ex te-* „*stimonio, seu documento Secretarii sacri Collegii*, illico *teneri eum abstinere* „*exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum*, tanquam *sede* „*vacante;* & ita *posse* & *debere Capitulum statim ea jurisdictione uti*, ac *Vicarium*, „juxta Tridentini, Concilii præscriptum, *eligere sedemque vacantem publicare.* „Apud *Barbosam* in Collectan. ad cap. 1. h. t. num. 5. Dicitur autem hic expresse: VOLENS *transfertur;* nam *translationi non consentiens* potest retinere suam ecclesiam; nisi in casibus, ubi quoque locus est *translationi alicujus inviti*, sive *obedientiali*, sive *punitoriæ*. Exemplum approbatum retentæ per integrum annum *Florentinæ* ecclesiæ vide infra in Consilio 101. *Panormitani* num. 7. Item retinere poterit aliquamdiu ecclesiam Episcopus, qui alteri Episcopo *Coadjutor datus est cum jure succedendi;* cum enim nihilominus in casu vacantis ecclesiæ secundæ vel juri succedendi ex Coadjutoria renunciare, & in prima Ecclesia remanere possit, vel translationem, quæ Coadjutoriæ non inest, petere; deliberandi tempus ei dabitur, & necessaria præstandi: ita an. 1729. Archiepiscopus Elector Trevirensis, *Franciscus Ludovicus*, jam anno 1710. Coadjutor Moguntinus electus, post obitum Coadjuti *Lotharii Francisci*, qui 30. Jan. contigit, adhuc uno mense Trevirensem Archiepiscopatum administrare perrexit, donec initio Martii eundem dimitteret. *Hist. diplom. Trevir. Tom.* 3. *pag.* 941. *not. a.* Hæc declaratio proposita est 5. Martii in Capitulo Trevirensi, facta aliquot diebus ante solemniter Confluentiæ coram DD. Deputatis Capitularibus ad Computus Provinciales, statim, atque Cursor, Romam *pro bulla translationis* ablegatus, inde redux advenerat.

III Cum vero sic *jure tantum* vacet Ecclesia a qua, non *facto*, *& jure simul*, si translationis verbalis, vel bullaris conscius administrare eandem usque ad possessionem *secundæ* Ecclesiæ acceptam de facto pergeret; ideo in hoc casu observandum esset *cap.* 28. *de præbend. in* 6. *

* Nempe Capitulum Cathedrale posset quidem statim *ad novam electionem procedere;* sed electus non posset *mitti in possessionem*, nisi ad judicium sanctæ Sedis *vocato translato*, ad effectum evacuandi possessionem; cum possent subesse probabiles causæ, remanendi tantisper in administratione sub fiducia approbationis Apostolicæ: ita *Rabanus* ab Helmsstatt an. 1430. contra *Jacobum a Sirck, & Ulricum a Manderscheid*, in discordia electos, a *Martino V.* Papa *translative* provisus de Ecclesia *Trevirensi*, per obitum beatæ memoriæ *Ottonis* Comitis a Zygenhain vacante, mansit in Ecclesia *Spirensi;* quia sine bello contra *Manderscheidianos*, qui Archiepiscopatum occupaverant, & sine interdicto generali totius Patriæ, pervenire ante an. 1435. ad thronum *Trevirensem* non potuit. Præpropere tunc *Martinus* V. providerat

Spirensi Ecclesiæ de quodam *Adolpho ab Alemannia*, qui mox sub Eugenio IV. acriter institit Romæ, ut *Rabanus* translatus relaxare cogeretur *Spirensem* Ecclesiam; sed nihil obtinuit, *Rabano* utramque Ecclesiam usque ad an. 1439., pacifice retinente, quo primum *Trevirensem*, postea quoque *Spirensem*, senex privatam vitam acturus, erga pensiones resignavit, &, teste *Lehmanno* in Chron. Spir. p. 834., eod. an. 14. Nov. decessit. Consilium juris ea tempestate stiterat pro *Adolpho* prædicto contra *Rabanum* celebris Canonista, *Abbas Panormitanus*, inter impressa ejus Consilia ordine 101mum, quod, quia ad historiam *Trevirensem* pertinet, *effectumque translationis* adeo illustravit, ut passim allegetur, quamvis forte a paucissimis allegantibus perlectum, infra subjungam, una cum mea desuper meditatione.

IV. Translationis de se plene factæ *conscius* non solum amittit *jus*, *& titulum* in priore Ecclesia; sed, juxta principia Italica, multarumque aliarum terrarum, *obedientiæ* præsertim, *ipsam quoque perdit possessionem*, tam *civilem*, quam *naturalem*; ita, ut ante captam possessionem secundæ Ecclesiæ *nullum specialem Episcopatum possideat*. *

* Rigantius Commentar. ad *Reg.* 2. *Cancell.* §. 3. *num.* 76. post *Hostiensem*, & alios. Cujus rei ratio hæc est, quia qui *volens* absolutus est a vinculo *prioris* Ecclesiæ, & volenti secundæ Ecclesiæ copulatus, is per rerum naturam nequit amplius habere *animum possidendi primam ecclesiam*, *tanquam adhuc suam*, secus, quam *alius ille*, quem Papa vult transferre *invitum*.

V. Priusquam vero translatio, Romæ in Consistorio facta, *innotescat* translato, manere apud eum *plena possessio* potest prioris ecclesiæ; quia animum habere non impeditur istum: *pergam possidere meam ecclesiam*, *donec intelligam*, *me esse translatum*. *

* Nam *sola voluntas translativa* Domini Papæ, translato verbaliter *nondum intimata*, tam parum aufert ei possessionem *prioris*, quam det possessionem *secundæ* ecclesiæ: *quod aufert Papa* gratiam *petenti*, factam *ignoranti* translato, *vinculum* est, non *possessio*, imo plus dico, *nequidem jus*, & *titulum* peragendi *omnia* Diœcesana *ante innotescentiæ tempus aufert*; jus enim istud *aliunde* sustinetur, quam a *vinculo*, sicut a simili jus administrandi *ante contractum Episcopatus vinculum*, quod *canon ipse*, non *homo*, dedit Electis in concordia, remotis a Curia Romana, per *cap.* 44. *de elect.*; sicut quoque administrat Capitulum *Sede vacante*, & possessionem jurium episcopalium continuat *absque vinculo*; ita idipsum poterit absque vinculo Episcopus verbaliter Romæ translatus; Et hoc præprimis *in principiis Romanæ Curiæ* optimo talo subsistit; cum hæc potestatem Episcoporum illam, quæ *jurisdictionis* vocatur, & a potestate *ordinis* contradistinguitur, aspiciat, reputetque, *velut demandatam Episcopis a Papa*; ejusmodi quippe potestatis genus per revocationem, *non intimatam mandatario*, non exspirat.

VI. Hinc nullatenus assentior Curialistis illis, qui docent, *ignorantem* quoque *translatum*, si modo supplicaverit pro translatione, eo ipso, quod Romæ per-

peracta sit translatio, *perdere a tempore absolutionis jura & possessionem primæ Ecclesiæ*, ita, *ut non dicatur absolute possessor*, *sed* tantum *secundum quid*, nempe *ad effectum exercendi ea*, *quæ sunt necessitatis*, *& ad legem jurisdictionis pertinent*; & hac consideratione eum solummodo habere Episcopatus a quo *retentionem*. *

* Repugnat hæc doctrina supradictæ num. 2. Cardinalium declarationi, etiam postea 20. Martii 1625. per *Breve* speciale *Urbani* VIII. roboratæ; quippe quæ translato relinquit *simpliciter*, & sine quavis exceptione, *exercitium* ORDINARIÆ *jurisdictionis* usque ad notitiam translationis: *ordinaria* autem *jurisdictio* non solum sub, & in se complectitur sic in specie dictam *legem jurisdictionis*, sed etiam *legem diœcesanam*, nec solum ea, quæ sunt præcise *jurisdictionis*, sed etiam illa, quæ sunt *ordinis*, neque etiam solum ea, quæ sunt *necessitatis*, sed etiam, *quæ moram paterentur*. In summa: *post notitiam modo* abstinere debet translatus *ab eo*, *quod alias exercuit*; alias exercuit *omne id*, *ac totum*, quod *Officium*, *& Potestas Ordinarii* complectitur: ergo *ab hoc omni*, *& toto* post notitiam modo debet abstinere. Ex quo concludo, quod *intra tempus translationis*, *& tempus notitiæ* translatus valide, ac licite administret primam ecclesiam *in spiritualibus*, *ac temporalibus quibuscunque*, ordines conferendo, dimissorias dando, statuta diœcesana condendo, synodos celebrando, sententias, & censuras ferendo, officiales constituendo, destituendo, electiones confirmando, institutiones canonicas dando, contractus nomine suæ ecclesiæ celebrando &c.

VII. Cur autem isti Curialistæ sustinent ejusmodi principia contra communes juris utriusque regulas *de notitia*, *ad revocandam potestatem requisita?* Ut amplient *Regulam secundam* Cancellariæ *de beneficiis*, quæ *sedis vacantis* tempore vacant, & *ad dispositionem Episcoporum* pertinent, *reservatis*.

* Volunt enim, ab *ignorante* translato *nulliter conferri beneficia*, quæ post ipsum verum translationis tempus vacarunt. Atque ita constanter respondisse, & judicasse Romana tribunalia, refert *Benedictus* XIV. in lib. 13. cap. 16. §. 9. *de synodo diœces.* Cur autem *nullitas collationis* non inciperet modo *a die notitiæ?* Ajunt 1.) Desiit *jam a vero tempore translationis* esse Episcopus primæ ecclesiæ, quo solo nomine ei competebat hactenus collatio beneficiorum! ℟. Relictum ei tamen est *exercitium ordinariæ jurisdictionis usque ad tempus notitiæ.* Ast 2.) Jus conferendi beneficia non comprehenditur *sub generali concessione jurisdictionis!* ℟. Comprehenditur tamen *sub officio*, *& potestate* Episcoporum, *quatenus sunt Ordinarii locorum:* huic Ordinariatui nihil detraxit *Urbanus* VIII. usque *ad notitiam.* Inepte huc trahuntur a *Rigantio* textus *cap.* 3. *de Offic. Vic. in* 6., *& cap.* 3. *in fin. de Præb. in* 6., per quos *Vicarius Episcopi* non potest *absque speciali commissione* beneficiorum collatio ad Episcopum spectat, conferre: quanta enim dispar[illegible] non est inter *jus ordinariatus*, *& officium vicariatus?* Priori naturaliter i[illegible] *tota latitudo*, *tam legis jurisdictionis*, quam *legis diœcesanæ*, quarum pri[illegible] consistit *in dando*, Sacramenta, leges, justitiam, gratias, & beneficia, a[illegible] tera *in recipiendo* emolumenta: beneficia conferuntur ab Episcopo *jur Superioritatis*, *& Jurisdictionis ordinariæ*, cujus exercitium non exspira-

ab ipso momento translationis. Dicunt 3.) Capitulum majus sede vacante exercet *omnem jurisdictionem ordinariam*, nec tamen conferre potest *beneficia*: ergo collatio beneficiorum nihil commune habet cum exercitio jurisdictionis ordinariæ! ℞. Non exercet omnem *illimitate*; nam & *beneficiorum collatio*, & *innovatio*, & quædam alia, Capitulo expresse denegantur: Ast Episcopus pergit *illimitate in omni exercitio* suæ potestatis usque ad notitiam translationis; nec opus est huic aliquid ordinariæ potestatis Episcopalis *expresse concedi;* sufficit *expresse non adimi*; consequitur enim omne, non *ex speciali lege*, sed *ex genere confirmationis* cap. 9. de elect., & *ex ipsa* LEGE JURISDICTIONIS, ad quam, juxta *Glossam* in *cap.* 15. *de elect.* verbo: *talibus*, non solum pertinet, *judicare*, *excommunicare*, *corrigere*, *juramenta recipere a vasallis*, *confirmare*, *investire*, sed etiam, *beneficia conferre*: frivolum est, *illas duntaxat* beneficiorum *collationes* attribuere *legi jurisdictionis*, quæ *necessitatis* sunt, & *per modum actionis* petuntur ab electis, atque præsentatis; nam & *gratiosæ collationes* consistunt *in dando*, pertinentque ad *generalem providentiam Regiminis* Episcopalis. Demum ajunt 4.) Episcopus *per sententiam privatus*, etiam *ignorans*, arctatur a tempore latæ sententiæ *cap.* 1. *de concess. præb. in* 6. ℞. Præterquam, quod hic textus non sit *decisio*, sed *solius partis allegatio*, est disparitas inter vacationem Episcopatus *per sententiam privationis*, & *per translationem*: quia quoad effectus sententiæ inspicitur *tempus sententiæ*, nec curatur absentia, vel ignorantia delinquentis: ast in translato quoad exercitii Episcopalis ademptionem spectatur *tempus notitiæ*. Hanc quæstionem agitasse interest etiam ob alios fines *Germanorum*; licet enim apud eos non teneat *Regula secunda Cancellariæ* propter Concordata; lis tamen verti posset inter *translatum*, & *successorem translati*; nam huic asservari deberet beneficium, taliter post translationem, & ante notitiam ejus, vacans, nisi appertinuisset ejus collatio adhuc ad antecessorem translatum, & ignorantem.

VIII. In Gallia hoc jure vivitur, ut inibi prima ecclesia non censeatur vacare, *nisi adepta sit possessio secunda*, & interim Episcopus translatus continuet *in collatione beneficiorum* primæ Ecclesiæ; * sicut quoque Episcopus, qui renunciavit, administrare diœcesin resignatam pergit, donec successor ejus juridicam possessionem accipiat. **

* RIGANTIUS *ad Reg.* 2. *Cancell. pag.* 242. *num.* 140. Quæ praxis & sapere videtur antiquitatem canonis *Chalcedonensis*, supra num. 1. relati, & insimul habere *æquitatem*; cum enim *secundæ Ecclesiæ beneficia* conferre non possit *ante ejus adeptam pacificam possessionem*, saltem juxta regulam Cancellariæ secundam; æquum est, ut exerceat jus istud cum cœteris juribus *in prima*, donec istam gubernare pergit secundum consuetudinem Regni.

** Videntur in hoc Galli leges imitari civiles veteris Romæ; nam & *Proconsul* usque ad successoris sui adventum omnia egit *l.* 10. *ff. de offic. Procons.* & *Præses Provinciæ* non prius imperio privatus erat, quam cum excesserat e provincia *l.* 3. *ff. de offic. Præsid.* Quam imitationem sicut sequuntur Canonistæ *quoad Legatos summi Pontificis*, etiam *revocationis conscios*, ita nil obstat, quo minus eandem laudabilis consuetudo introducere potuerit *quoad Episcopos*, cedentes, & translatos.

IX. Al-

IX. *Alter* translationis *effectus* circa *fructus* versatur, quos Curialistæ translato Episcopo sic attribuunt communiter, ut is a *tempore translationis*, in Consistorio factæ, *licet adhuc ignorata*, nullos amplius fructus *Ecclesia a qua* prætendere possit; econtra, eodem momento incipiat gaudere fructibus *Ecclesia ad quam*, licet nondum possessæ. * Excipiunt vero *fructum*, quem ajunt, *honorificum*, *conferendi beneficia*; nam *dimissae* quidem *Ecclesia* beneficia, inquiunt, non conferet, quia nullos fructus ejus percipere amplius potest; *secunda* autem Ecclesiæ beneficia nondum conferet, quia obstat *regula 2da* Cancellariæ; licet enim *fructus alios* percipere possit, defectu tamen possessionis *fructus collationis beneficiorum* reservatus manet sanctæ Sedi. **

* *Rigantius* ad reg. 2. Cancell. §. 3. num. 38. & seqq. dicens, sic observari *in Hispaniis*, velut principium absolutum. Sequitur *Benedictus* XIV. lib. 13. cap. 16. §. 7. & 13. *de Synod.* Verum, sicut *in Galliis* practicatur contrarium, inspiciturque *dies possessionis*, respective dimissæ, & noviter acceptæ; ita in Germania nostra, quæ *propter raritatem casus* nequit allegare continuam observantiam, putem, rationabillus fore, quod fructus desinant, & incipiant a desitione, & inceptione *exercitii curæ Episcopalis*; nam beneficium datur propter officium: & cur successor haberet sibi fructus, quos non promeruit? *Utriusque* vero *Ecclesiæ* dotem, & fructus simul percipi, fateor, non convenire. Vide tamen eund. *Benedictum* XIV. loc. cit. ad §. 14. 15. 16. 17., ubi *Poloni* episcopi, ad translationem a Rege nominati, per Decretum *Urbani* VIII. d. d. 23. Decembr. 1624. sic rem instituere possunt, ut *quatuor mensibus* utriusque Ecclesiæ, *a qua, & ad quam*, fructus percipere valeant usque ad secutum translationis articulum.

** A fructibus *corporalibus* ad collationem beneficiorum, velut *speciem quandam fructus*, formant DD. communiter argumentum; quod secutus est etiam *Gregorius* XIII. apud cit. *Rigantium* num. 42., declarans Episcopum, a *Terulensi* Ecclesia ad *Cæsar-Augustanam* translatum, nulliter contulisse parochiam, quæ *biduo* post, quam ipse *in Consistorio* fuerat a vinculo *Terulensis* Ecclesiæ absolutus, vacaverat, ex ratione, *quia notoria consuetudo Hispaniarum sit, quod Episcopi statim expeditis literis translationis incipiant gaudere fructibus Ecclesiæ ad quam*: magis, & melius tamen puto, *in Episcopis* (quidquid sit *de Patronis, & Turnariis*) provisionem beneficiorum referri ad *Magistratum*, *Præfecturam*, *& sollicitudinem* eorundem, ne beneficia diu careant suis ministris: certe Apostolus non intendebat *fructum* Episcopatus, sed *onus curæ*, dum scripsit *Tito* suo cap. I. v. 5. HUJUS REI GRATIA *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt*, CORRIGAS, *&* CONSTITUAS *per civitates* PRESBYTEROS: conjuncta hic sunt *corrigere*, *& Presbyteros constituere*; primum non est *fructus*, sed *cura*; ergo nec secundum: *sequiora* duntaxat *tempora* reputarunt collationes beneficiorum episcopales inter *fructus*, *& reditus* Episcopii.

X. Licetne autem Episcopo translato *secum asportare opes*; ex derelicto episcopatu collectas? Hic facio distinctionem: opes *sui peculii*, quod vocant *De-*

puta-

putatum, potest: opes *Cameræ Episcopalis* non potest: sicubi autem moris est, ut in dispositione Episcopi sint *omnes proventus episcopales*, quin *Cameræ Episcopatus* aliquid speciale habeat, censeo, quod Episcopus translatus quidem opes ejusmodi secum transportare possit; ast, *cum animo*, eas in brevi *dispensandi in causam piam Ecclesiæ a & ex qua.* *

* Hæc decisio pendet ab illa quæstione præjudiciali, *qualiter opes Episcopatus sint Episcopo concreditæ per Ss. Canones;* super quo vide dissertationem meam *de Episcoporum testamenti factione activa* an. 1761. §. 12. 13. 15. Sicut tamen Episcopus, *simpliciter* ob utilitatem Ecclesiæ *resignans*, pro sua honesta sustentatione secum asportare potest collectas opes, suæ dispositioni commissas; ita quoque transibit, ut Episcopus translatus, *quatenus ad initium alterius Episcopatus ex propriis forte auspicandum indiget*, tantum suis usibus applicet, quantum necesse est, donec queat *ex novo Episcopatu* vivere. De hac materia consule diffusiorem P. *Reiffenstuhl* ad hunc tit. a num. 44. usque ad fin., ubi tamen non quælibet gusto. Adde *Veranum* ad eund. tit. §. 2. num. 9, ubi suadet, ne asportentur. De *Regulari*, ab uno Episcopatu translato ad alium, cui talis relinquere debeat opes, ex Episcopatu primo collectas, refert, an *Ecclesiæ*, an *Ordini*, acquirat iste superflua sui Deputati, quæ disquisitio præsentis instituti non est.

XI. *Tertius* translationis effectus est *reservatio Ecclesiæ a qua* ad dispositionem sanctæ Sedis, ita, ut *pro ea vice* Capitulo cathedrali non competat *libertas electionis.* *

* Extravagans *ad Regimen* de Præb. int. commun. per verb. *seu translationem.* Et quoniam hæc reservatio incorporata est *Concordatis Germaniæ*; ideo ligat Capitula nostra illa, quæ simpliciter acceptarunt Concordata; secus, quam Rmum, & Illmum Capitulum Metropolitanum *Trevirense*, utpote quod antiquam suam libertatem adversus reservationes studiose tuebatur: hinc in prædicto casu translationis anno 1729. libere, & sine quovis indulto Apostolico processit 2. Maji ad novam electionem, cujus terminum præfixerat ipso insinuatæ dimissionis die, videlicet 5. Martii.



CONSILIUM CI.

Nicolai de Sicilia Abbatis Monacensis, *qui vulgo appellatus est* Panormitanus, *edit. Lugdun. de an. 1512.*

FACTUM,

1.) Super quo Consilium petitur, in terminis infrascriptis proponitur. Videlicet Episcopus *Spirensis*, ad *ipsius postulationem*, & *instantiam*, translatus extitit per *Martinum* Papam V. ad Sedem *Treverensem* Archiepiscopalem, *eo prius*, ut moris, & juris est, *absoluto a vinculo Spirensis ecclesiæ*, cui erat obnoxius, & *de ecclesia ut vacante per translationem præfactam* provisum fuit per eundem *Martinum* viro illustri, Domino *Adolpho de Alamannia*, nunc *in Decretis licentiato.* Denique *post dictas provisiones* dictus *translatus* ad ejus

ejus postulationem obtinuit *per eundem* Romanum Pontificem *Pallio Archiepiscopali* decorari. Postremo contigit, dictum *translatum nequivisse dicti Archiepiscopatus corporalem possessionem nancisci ob cujusdam resistentiam, qui se de facto Archiepiscopatui intrusit;* propter quod dictam Ecclesiam *Spirensem* nititur, ut prius, obtinere, contradicente dicto Domino *Adolpho*, & dicente, *dictam Spirensem Ecclesiam sibi de jure*, tanquam de ea legitime proviso, *relaxandam.*

Quæritur, quid Juris?

Rationes dubitandi.

Salvatoris JEsu Christi, ejusque gloriosissimæ Matris præsidio ex corde humiliter invocato,

2. Videtur *primo*) Dictum translatum minime de jure arctandum fore ad relaxationem *Spirensis Ecclesiæ*, nisi prius *corporalem possessionem* Ecclesiæ *Treverensis* pacifice obtineat, vel per eum stet, quo minus ipsam possessionem nanciscatur. Ecclesia enim prima vacat per translationem ad secundam, ut in *cap.* 2. *de translat. Prælator.*, & *cap.* bonæ 2. *de postul. Prælat.*, & causa XXI. q. 2. can. *Si quis jam translatus.* Sed non dicitur quis *proprie translatus*, nisi primo habuerit *possessionem secundæ Ecclesiæ*, ut dicit *Glossa* notabilis in dict. can. *Si quis jam translatus.* Facit optime cap. *Cum in cunctis* §. Cum vero *de Elect.* Ergo non debet iste, *verbo translatus*, constringi ad priorem ecclesiam dimittendam, *nisi primo nanciscatur corporalem possessionem secundæ.*

3. *Secundo.*) Principaliter videtur probari per textum notabilem, maxime juncta *Glossa*, in can. *Siquis* dist. 92., ubi dicitur, quod *siquis fuit Episcopus ordinatus, & non recipitur ab ecclesia, ad quam ordinatus extitit, non debet abjici a priori dignitate*, etiamsi interim fuit alteri collata, secundum *Glossam* ibi notabilem, quæ addit ad illum textum hoc vel maximum argumentum dicti cap. *Cum in cunctis*, & can. *Eos* VII. q. 1., & *l. ult. C. de repud. hæred.* Et ponderandum, quod textus ibi loquitur, *etiamsi primum beneficium foret dignitas:* igitur idem dicendum in casu nostro: videtur ergo ibi casus, juncta Glossa, de quæstione nostra.

4. *Tertio* optime facit in argumentum cap. *Si beneficia* de præb. lib. 6., ubi habetur, quod, siquis dimisit beneficium suum propter aliud sibi collatum, quod postea reperitur alteri debitum, potest repeti, dummodo secundum, alteri debitum, sine difficultate dimittat: ecce ergo, quod beneficium alteri legitime collatum, potest repeti, ex quo secundum non potest legitime retineri. Idem ergo dicamus in casu nostro, ut non obstante provisione, Domino *Adolpho* facta, possit translatus retinere Ecclesiam, scilicet *Spirensem*, ex quo non potest secundæ Ecclesiæ possessionem apprehendere.

5. Videtur enim translatus, & absolutus a vinculo prioris Ecclesiæ *sub quadam tacita conditione*, scilicet, si possessionem secundæ ecclesiæ potuerit adipisci. *Arg.* dict. cap. *Si beneficia;* cum enim

6. Hæc translatio fuerit *in favorem* dicti translati facta, non debet *in ejus læsionem*, & diminutionem honoris redundare. Arg. in regula: *Quod ob gratiam*

de R. J. lib. 6., & l. *Quod favore C.* de LL. Facit, quod in simili notat Joan. monac. in cap. *generali* de elect. lib. 6., cuius dictum retulit Joannes Andr., nec illud reprobavit, in dict. regula, *quod ob gratiam*, in mercurialibus; dixit enim, quod, si Papa aliquem Episcopum transtulit in Sedem Archiepiscopalem, eo prius a vinculo prioris ecclesiæ absoluto, quod Episcopatus *non vacat illico* per illam absolutionem, & translationem, sed *incipit vacare*, postquam Episcopus translatus *præstitit consensum;* quia videtur *sub tacita conditione* absolutus, scilicet, si consensum præstiterit; & reddit rationem; quia, cum hæc translatio fiat in illius favorem, non debet in illius læsionem redundare.

7. Idem consuluerunt Dom. Franciscus Zabarella, Cardinalis Florentinus, & multi alii Doctores in causa *Episcopi Florentini*, quem Papa, eo absoluto a vinculo Episcopatus, promovit *absentem* in Cardinalem; concluserunt enim, episcopatum non vacare, *nisi a tempore*, quo dictus Episcopus præstitit consensum; & ob hoc ille Episcopus *ante consensum præstitum* administravit in episcopatu fere per annum. Idem dicendum in casu nostro, ut dicta translatio, & absolutio videantur factæ *sub tacita conditione*, scilicet, *si possessionem secundæ ecclesiæ potuerit adipisci;* cum tunc dicatur *proprie translatus*, ut notatur in d. cap. *Si quis jam translatus;* alias cederet translatio in ipsius læsionem, quod non est dicendum.

8. *Quarto* faciunt ad hanc partem multa jura, quæ *per adeptionem secundi beneficii incompassibilis* inducunt vacationem primi, *non a tempore provisionis secundi*, sed *post habitam pacificam, & corporalem possessionem illius*, ut in cap. *licet Episcopus* de præb. lib. 6., & Clem. *Si plures* eod. tit., & cap. *commissa* de elect. lib. 6., & d. cap. *Siquis jam translatus*, juncta Glossa cum simillib. Et videtur de casu nostro textus quasi expressus in cap. *Cum a cunctis* præallegato in §. *Cum vero*, ubi ponitur, quod beneficia electi, & confirmati in Episcopum non vacant, *nisi post plenam translationem* ad episcopalem, quæ causatur *per consecrationem, & corporalem possessionem*, ut ibi: ecce ergo, quod beneficia incompassibilia cum Episcopatu non vacent *per solam provisionem de Episcopatu*, sed oportet etiam, quod prius habeatur *corporalis possessio ipsius Episcopatus:* ergo idem dicendum in casu nostro; quamquam enim duo Episcopatus sint in eadem persona de jure communi incompassibiles XXI. q. I. *Sicut in unaquaque*, & VII. q. I. *sicut;* tamen non dicitur in effectu induci vacatio primi, nisi post habitam possessionem secundi; &, quod ille textus procedat *in duobus Episcopatibus*, videtur tacite velle *Glossa* in cap. *relatio* XXI. q. I., quia in duobus Episcopatibus allegat illum textum.

9. Nec obstat, si dicatur, quod ex hoc contingeret, *istum translatum habere duos Episcopatus eodem tempore;* quia non videtur absurdum, quod *primum* habeat *habitu, & actu, & secundum* habeat *respectu tituli*, ex quo non potest ipsius corporalem possessionem habere, ut probatur in cap. *pastoralis* VII. q. I., ubi textus ad hoc notabilis.

Decisio.

10. Sed prædictis non obstantibus, quæ casui nostro minime favent, *contrarium arbitror, de jure procedere;* puto enim, *illam Ecclesiam Spirensem simpliciter vacasse*

vacasse per absolutionem, *& translationem prius factas*, & de ea fuisse dicto Domino *Adolpho* legitime provisum, & per consequens dictum translatum fore *juris remediis compellendum ad Ecclesiam Spirensem libere relaxandam* per dictum *Adolphum* gubernandam, & disponendam, uti per verum ipsius Ecclesiæ Pastorem.

Rationes decidendi.

11. Moveor *primo* in hanc sententiam per illam juris regulam: *quicunque vult consequens*, *videtur velle antecedens*, ut in cap. *cum M.* de constit., & l. *illud* ff. de acquir. hæred. Cap. *ex parte* de Sponsal. Cap. *prudentiam*. Cap. *præterea* de offic. deleg., & l. *ad legatum*, & l. *ad rem mobilem* ff. de procurat. Sed olim Episcopus *Spirensis* INSTITIT apud Dominum Papam, *ut sibi provideretur de Archiepiscopatu Treverensi:* ergo videtur voluisse, & consensisse, ut ante omnia absolveretur a vinculo, quo Ecclesiæ *Spirensi* tenebatur; non enim poterat de jure *etiam verbo* transferri ad aliam Sedem, nisi prius absolveretur a priori;

12. Et ita etiam est *de more Romanæ Curiæ*, *ab antiquo servato*, ut probatur in *d. cap. 2. de translat. prælator.*, & cap. *bonæ* 2. de postul. prælator. Joan. monac. in d. cap. *generali*, & Joan. Andr. in dicta regula, *quod ob gratiam*, in principio quæstionis. Cum ergo fuerit *suo consensu* ab illa priori ecclesia absolutus, & sic per consequens vacaverit, VII. q. 1. *sicut* c. primo & 2. §. *ecce*, non potest *per casum de facto supervenientem* ipsam priorem ecclesiam retinere, *præsertim post provisionem alteri factam*; quia *renunciantibus jura sua*, expresse, vel tacite, *non datur ad illa regressus*, nec est locus pœnitentiæ, ut in cap. *quam periculosum* VII. q. 1., & cap. *ex transmissa* de renunciat., & cap. *ex ore* de privil., *& actio semel extincta non reviviscit*, de Consecr. dist. 4. *quæris*, & l. *qui res* §. *aream* ff. de solution.

13. Nec potest dictus translatus allegare, quod huic actui consenserit *sub tacita conditione secundæ ecclesiæ adipiscendæ*; tum, quia isti actus spirituales non recipiunt conditionem, ut in *cap. 2. de elect. lib. 6.*, & in regula, *actus legitimi* de R. J. lib. 6., & qui renunciat beneficio, debet pure, & omnino renunciare, ut in cap. *ex parte* 2., juncta Glossa, *de offic. deleg.*, tum, quia nullam conditionem expressit, quando per se, seu per alium, institit apud Papam *Martinum*, ut de Archiepiscopatu sibi provideretur: ergo nulla conditio debet subintelligi, ut in *cap. un. in fin.* XXXIII. q. 8., præsertim *in materia nostra*, quæ *de sui natura* debet esse *pura*, *& simplex*, nec conditio mente retenta relevat, ut in l. *si repetendi causa* C. de condict. ob caus.

14. Præterea nullum juris refugium potest dictus translatus in hoc reperire, *cum pallium archiepiscopale obtinuerit*, quod non solet per Ecclesiam Romanam tradi, nisi *fortiter*, *& sæpe postulanti*, ut in cap. *prisca* 100. dist., & notatur in cap. *significasti* de elect.: ergo consensit absolutioni, prius de eo factæ quoad Ecclesiam *Spirensem*, præsertim *cum pallium postulaverit post provisionem factam de Ecclesia Spirensi* Domino *Adolpho:* unde per hunc actum, Archiepiscopo convenientem; videtur apertissime consensisse, non solum *absolutioni prius factæ*, sed etiam *provisioni* Domini *Adolphi:* argumentum optimum in d. cap. *ex ore* de his, quæ fiunt a maj. part. capit., & cap. *sollicitudinem*

nem de appel. & l. *ubi repugnantia* ff. de R. J., & cap. *cum* M. de conftit. Vacavit ergo dicta *Spirenfis* Ecclefia per illam translationem, modo prædicto factam pure, & abfolute.

15. Et hanc partem aperte fenfit Joan. Monac., fi bene ponderetur, in dicto cap. *generali*, & Joan. Andr. poft eum in d. Regula, *quod ob gratiam*, dum dicunt, quod, fi Papa transfert *abfentem*, *etiam favore perfonæ*, non vacat primus Epifcopatus, nifi *a tempore confenfus præftiti per translatum:* in cafu autem noftro dictus translatus pluries confenfit, ut patet ex prædictis. Idem videtur fenfiffe Egidius Cremon. in fua difputatione, ut refert Joan. Andr. in dict. regul., *quod ob gratiam*, qui *plus dixit*, videlicet, quod primus epifcopatus vacabat illico poft translationem per Papam factam, *non exfpectato translati confenfu*, quia illius confenfus dependet a voluntate Papæ: facit VII. q. I. *Scias*. Et Joan. Andr. videtur ibi aperte approbare vacationem, *faltem eo cafu*, quo epifcopus fuit *poftulatus per Capitulum* in Archiepifcopum, & ipfe, *licet non confenferit*, tamen *non contradixit*, fed voluntati Domini Papæ fe fubmifit; fecuta enim translatione per Papam de abfente, firmat Joan. Andr., quod illico vacavit Epifcopatus, cum non fuerit facta omnino fine fuo confenfu: multo ergo magis debuit illico vacare Epifcopatus *Spirenfis* in cafu noftro per illam translationem verbotenus factam, cum dictus Epifcopus *Spirenfis* aperte illi confenferit a principio, & pallium petendo, & *fortiter inftando pro fua provifione:* ergo per prædicta apertiffime videtur ifte cafus decifus in favorem Domini *Adolphi* provifi.

16. Nec obftat, fi dicatur, *quod dictus translatus remanet fine epifcopatu*, tum, quia imputandum eft fibi, *quafi hoc quæfivit:* potuit enim ab initio cogitare, *quod iftud impedimentum evenire poterat*. Arg. bonum in l. *Siquis domum* ff. locat., præfertim, *cum a parte intrufi diceretur palam, quod alius præter illum intrufum non effet petens ad poffeffionem Archiepifcopatus habendam;* tum, quia non omnino dicitur fine Archiepifcopatu; quia, *qui actionem ad rem confequendam habet, ipfam rem habere videtur*, l. *qui actionem* de R. J. Agat ergo juris remediis ad poffeffionem nancifcendam, & relaxet epifcopatum, quem *fine aliquo titulo* poffidet, ut ex prædictis clare conftat.

17. Item, cum dictus Papa *ex certa fcientia* de Epifcopatu *Spirenfi*, tanquam *vacante*, providiffet dicto Domino *Adolpho*, non erat locus difpofitioni cap. *cum in cunctis* §. *cum vero* præalleg., præfuppofito, fine veritatis præjudicio, quod illud cap. haberet locum *in pluribus epifcopatibus;* videtur enim Papa, non exfpectando, *quod fecundi Epifcopatus haberetur prius poffeffio*, difpenfare voluiffe per contrarium actum contra illius juris difpofitionem, ut in l. *idem Ulpianus* ff. de excuf. tut., & quod notat Bartol. in l. *quidam confulebant* ff. de re judic., & Innoc. in cap. *veniens* de fil. presbit., & Hoftienfis in cap. *diverfis fallaciis* de cleric. conjug., & Bald. in repetitione l. *Barbarius* ff. de offic. præf., in quibus juribus communiter legitur, & notatur, *quod Princeps, agendo actum fcienter contra legem, videtur circa illam difpenfare;* conftabat autem in cafu noftro *de certa fcientia Papæ;* quia prius ipfe *Spirenfem* Epifcopum abfolvit a vinculo ipfius ecclefiæ, & de illa ecclefia, *facto eius* vacante, providit Domino *Adolpho:* unde *in facto proprio* non poteft, *præfertim in Principe*, nifi ex certa fcientia præfumi, ut in *clem. de prob.* cum ibi notatis.

Facit,

Facit, quod notat *Glossa* in *clem.* 1. *de jud.*, & in clem. *pastoralis* §. *praterea* de offic. deleg., & per Innoc. in cap. *statutum*, quod olim incipiebat: *præsertim*, de præscript. lib. 6. Papa autem *potuit* per illum absolutionis actum *puram* indicere *vacationem* per id, quod *Glossa* singularis notat in cap. *per principalem* IX. q. 3. Videtur autem *voluisse*, ex quo post illum actum *processit ad providendum* de illa, tanquam vacante, dicto Dom. *Adolpho*, arg. in l. *labeo* ff. de supell. leg., & cap. *dilecti* de appel., & XI. q. 3. *existimant*; sciebat enim Papa, quod de ecclesia pure non vacante, maxime episcopatu, non debet fieri alteri provisio, *cum immineret ibi*, *adulterium spirituale* VII. q. 1. *sicut*, & XXI. q. 2. *sicut in una*. Et huic conclusioni clare assistit Joan. Andr. in cap. *ex ore* de his, quæ fiunt a mai. part. capit. super verbo: *confirmatus*, in ultima solutione, cum dicit, quod ibi fuit collata Præpositura electi in Episcopum, & confirmati, *ante consecrationem*, *ex certa scientia Papæ*; ideo valuit collatio, non obstante, quod tempus consecrationi præfixum lapsum non esset; quia videtur super illud jus dispensasse. Arg. cap. *proposuit* de concess. præb., quod est notabile. Ita dicendum in simili, *præsupposito*, sine veritatis præjudicio, *quod primus Episcopatus pure non vacasset ante adeptam possessionem secundi*, tamen, ex quo Papa scienter de primo Episcopatu *prius providit* alteri, tenet provisio, nec debet *ex facto superveniente* ipsius effectus impediri; cum jam matrimonium sit initiatum, & confirmatum inter Ecclesiam *Spirensem*, & dictum *Adolphum*, de transl. prælator. *cap.* 2. *in fin.*, & cap. *cum inter* de elect. cum similibus.

18. *Ultimo*, pro Dom. *Adolpho* faciunt omnes juris regulæ; certum est enim, ex quo Papa *scienter* absolvit Episcopum *Spirensem* a vinculo, quo ipsi Ecclesiæ erat adstrictus, fuit ipsa Ecclesia *Spirensis* soluta prorsus a lege ipsius Episcopi; quare merito potuit cuicunque nubere. VII. q. 1. §. *ecce*, & cap. *sicut* & *de secund. nupt. cap. penult.* & *ult.*: ergo *prorsus sine titulo* tenet nunc dictam Ecclesiam *Spirensem* occupatam. Et, si diceremus contrarium, sequeretur absurdum, *quod idem esset archiepiscopus*, & *Episcopus diversarum Ecclesiarum*, & sic læderetur spirituale matrimonium, quod inter Episcopum, & Ecclesiam contrahitur, in cujus signum defert annulum, ut notatur in cap. *clerici* de vit. & hon. cleric., & VII. q. 1. *sicut*, & *cap.* 2. *de transl. præl.*

19. Nec obstat cap. *pastoralis* ead. caus., quod in contrarium allegatur; ibi enim Papa ex certa scientia contulit Episcopatum *expulso a propria sede*, nulli alii debitum; potest enim Papa, *ex certa scientia*, & *cum causæ cognitione*, uni duos episcopatus conferre, ut est textus notabilis in cap. *relatio* præalleg. XXI. q. 1. Sed in casu nostro *Papa non contulit isti translato de novo Spirensem Ecclesiam*; imo illum *absolvit per prius* a jure illius Ecclesiæ.

20. Præterea Ecclesia *Spirensis* fuit *alteri collata*, scilicet dom. *Adolpho*; unde, cum alteri sit desponsata, *non debet per istum translatum ut scortum sine aliquo titulo detineri* contra dictum cap. *sicut*; committitur enim *adulterium spirituale*, cum alterius Ecclesia injuste detinetur; sicut cum alterius conjuge committitur *adulterium carnale*, dict. cap. *sicut in una* XXI. q. 2. cum similibus.

libus. Fundata est ergo evidentissime ex præmissis Dom. *Adolphi* electi Spirensis intentio.

Ad rationes dubitandi.

21. Restat nunc, ut ad ea, quæ supra in diversam partem adduxi, respondeamus; ad quæ, si præmissa diligenter ponderentur, facillima erit responsio. Et *primo* dum dicitur, quod non dicitur quis *plene translatus*, antequam *possessionem corporalem* nanciscatur per dict. cap. *siquis jam translatus*, respondeo, quod *proprie dicitur plene translatus*; cum vacatio *Spirensis* Ecclesiæ fuit inducta per absolutionem prius a Papa, *ipso Episcopo Spirensi consentiente*, factam, ut supra dixi, præsertim, *cum post provisionem dom. Adolpho factam instanter pallium archiepiscopale petierit*, quod in pontificalis officii plenitudinem cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur, ut in cap. *nisi* de auth. & us. pal., & cap. *quod sicut* de elect., & sic apertissime approbavit translationem de eo factam, & absolutionem præcedentem, ac provisionem Dom. *Adolphi* inde secutam.

22. Non obstat *secundum* motivum de cap. *siquis* 92. dist.; loquitur enim, non in *episcopo translato*, sed *in noviter ordinato*, qui non debet abjici a priori dignitate, si non potest possessionem episcopatus nancisci; hoc enim juris est, ut probatur cap. *cum in cunctis §. cum vero* de elect., licet interim fuerit sua prima dignitas alteri collata, ut dicit ibi *Glossa*, quod intelligo, quando *præter consensum ipsius* fuit alteri collata, antequam possessionem episcopatus haberet, quod fuit contra cap. *cum in cunctis* præallegatum. Secus enim puto, si *suo consensu* fuisset alteri collata; quia tunc *propter resistentiam supervenientem* non debet prima collatio legitime facta retractari, per id, quod habetur in cap. *post electionem* de concess. præb. junct. Gloss. 1., & dict. cap. *ex ore.*; facit regula: *factum legitime*, & regula, *scienti, & consentienti* de R. J. lib. 6. Et diversitatis ratio inter *minora beneficia*, quæ prius obtinebantur, & *episcopatus*, *prius habitos*, est; quia *minora beneficia* non vacant *per provisionem factam de episcopatu*, nisi prius *plenum. jus* consequatur provisus, seu electus, ut puta, quod fuerit consecratus, vel lapsum sit tempus de consecrandis episcopis, & possessionem corporalem episcopatus fuerit nactus, ut probatur in d. §. *cum vero*; hinc merito, si non potest habere possessionem episcopatus, non debet dejici a priori dignitate, ut in d. cap. *siquis*, cujus adhuc titulum obtinet. Sed in casu nostro ante translationem fuit inducta vacatio *Spirensis* Ecclesiæ per absolutionem a Papa factam, & per ipsum Papam fuit alteri, scilicet Dom. *Adolpho*, facta provisio, quæ quidem vacatio non desinit esse propter resistentiam de facto contingentem circa Sedem *Treverensem*, nec collatio, seu provisio alteri facta debet retardari, seu cassari, cum hoc nullo jure caveatur. Præterea in *minoribus beneficiis* prius habitis non est necesse, *quod prius interveniat absolutio*; quia cum illis non contrahitur stricte matrimonium spirituale, ut notatur in cap. *clerici* de vit. & hon. cleric. & *cap. fin. de postul. prælat.*; unde non est inconveniens, quod habens beneficia minora promoveatur, *illorum titulo durante*, ad episcopatum; cum etiam post episcopatum adeptum possit episcopus ex causa acquirere de novo minora beneficia, juxta id, quod legitur, & notatur in cap. *cum nostris* de concess. præb., & in cap. *postulasti*

lafti eod. tit,, & in cap. *cum in ecclesiam* de præb. lib. 6. Sed episcopus non potest alium episcopatum acquirere de jure communi, nisi prius a priori absolvatur; quia cum sit persona ecclesiastica *matrimonialiter obligata*, non potest, *durante priori vinculo*, consentire *alteri matrimonio spirituali*, alias contingeret *adulterium spirituale*, ut in d. cap. *sicut* de translat. prælat., & cap. *bonæ* 2. de postul. prælat. per tot., merito *de jure*, & *more Romanæ Ecclesiæ* est transferendus ad aliam sedem, *absoluto prius eo* a priori vinculo, dicto *cap.* 2. *de transl. Prælat.*, & cap. *bonæ* cit.; notant Joan. Monac, & Joan. Andr. in locis superius præallegatis.

23. Et per hoc est etiam responsum ad cap. *cum in cunctis*, & ad alia jura, quæ inducunt vacationem priorum beneficiorum *per adeptionem corporalem secundi*, & non prius; loquuntur enim *in inferioribus beneficiis citra episcopatum*, a quibus non est necesse absolutionem facere, ratione prædicta; secus, *ubi prius intercedit absolutio*, & per consequens vacatio; frustra enim exspectatur corporalis possessionis adeptio; cum absolutio facta sit per prius ante translationem, etiam verbalem; & hoc videtur in se clarissimum, & omni rationi consentaneum.

24. Et, ut clarius hoc liqueat, videamus unum simile *in matrimonio carnali*; pone enim, quod *sponsus de præsenti matrimonio, non consummato*, facit *professionem in manibus alicujus Abbatis*, & sic matrimonium fuit solutum per cap. *ex publico* de convers. conjug.; demum monasterium resistit *de facto* illius receptioni; unde non vult illum monasterium recipere; dicemusne, quod iste, qui jam professus est, monachus possit *per hanc resistentiam facti* priorem conjugem repetere? præsertim, si alteri post istius professionem fuit nupta? certe nemo ita supinus hoc diceret; fuit enim illa sponsa soluta a lege per professionem istius; hinc merito non debet primum matrimonium reintegrari sine novo consensu, præsertim impediente professione: ita dicendum *in hoc matrimonio spirituali*, arg. *cap.* 2. *de transl. prælat.*

25. Per hoc etiam est responsum ad *Glossam* cap. *relatio*, quae tamen intellecta, ut jacet, facit pro conclusione prius facta; voluit enim eo ipso, quod quis convolat ad secundum episcopatum, vacet primus; quod tamen procedit, ut supra dixi.

26. Ad cap. *si beneficia* potest responderi, quod loquitur, quando quis *justa ignorantia ductus* acceptavit beneficium *alteri debitum*, cujus contemplatione dimisit proprium; unde, ne sit omnino sine beneficio, & ne justa, & probabilis ignorantia sibi noceat: emanavit *ex maxima æquitate contra rigorem*, ut ibi notatur, illius cap. dispositio, ut possit ad primum, dimisso sine difficultate secundo, redire. Sed in casu nostro aliud est; *quia Ecclesia Trevirensis non est alteri debita, sed est istius translati*, licet *de facto possessionem corporalem habere non possit*: instet ergo, ut illam habeat: unde *non remanet sine titulo suo, imo illam ecclesiam habere videtur*, ex quo ad illam consequendam actionem habeat, d. l. *qui actionem habet* ff. de R. J., &, quia, ut dixi, potuit *verosimiliter cogitare, hoc evenire potuisse*, ideo *non debuit instare, nec provisionem alteri factam approbare, petendo pallium instanter*, ut supra plene dictum est. Et per hoc patet ad omnia contraria responsio.

27. Con-

27. Concludo ergo ex omnibus prædictis, *Ecclesiam Spirensem de jure relaxandam libere & absolute dicto Dom. Adolpho, de ea proviso, & minime tenendam per* QUONDAM *Episcopum Spirensem translatum, quamquam Ecclesiæ Trevirensis possessionem, propter facti resistentiam, minime consequi possit.* Laus Deo. Nicolaus Abbas Sicul. Panormit.

Meditatio in hoc Consilium.

Equidem *Rabanus* Spirensis, tanquam *verus Piscator Romanus* in turbido Trevirensis electionis discordis, adhibens insuper laicas Electoris Palatini *Ludovici* ad Papam instantias, in senectute illa sua tam imbecillus ad regendum, quam in juventute, ac virilis ætatis vigore strenuus, nulla proin Ecclesiæ *Trevirensis* utilitate exigente, sed pure *ob favorem personæ*, vel potius *Electoris* eam commendantis, *contra antiquam Ecclesiæ Trevirensis libertatem*, provisus, atque translatus, merito hoc tulit infortunium, ut periclitaretur adeo de *Spirensi* Episcopatu, quem per senilem avaritiam, & puram ambitionem, majoris in Ecclesia, & Imperio gradus emolumenta quærens, spreverat; atque ut inter duo sedilia, sicut est proverbium, subsideret; quia studiose quæsivit, quod per Ss. Canones quærere non debuit, & in iis circumstantiis quæsivit, ubi difficultatem obstaculi, suique receptionis actu vidit, factione Manderscheidiana Episcopatus terras jam occupante: unde per hanc fatalem piscaturam intulit *Trevirensi* Ecclesiæ ingentia damna, cujus ab optimo Patre *Ottone* congestæ opes postea direptæ, debita enormia contracta, Metropolis, Confluentia, oppida, castella, hostiliter invasa, religio per generale interdictum, fere quadriennale, interrupta, excommunicationes, & privationes beneficiorum subsecutæ, cum perturbatione totius Status Treverici, fuerunt. Vide *Hist. dipl. Trevir. tom.* 2. *pag.* 375., *& seqq.*, nec non *Prodromi tom.* 2. *pag.* 848., 1116., 1202., & seqq. Equidem non minus verum est, quod tam *Eugenius* Papa IV., quam *Basileense* Concilium generale, *Rabanum* velut *translatum tunc*, & *olim Episcopum Spirensem*, intitularint; cit. Hist. diplom. pag. 375., & 683.; imo vero *Eugenius* in suis, ad omnes S. R. I. Electores anno 1433. datis encyclicis posuerit: *Rabanum indubitatum Ecclesiæ Trevirensis Antistitem esse, certum est;* Continuator *Baronii* tom. 18. pag. 111. num. 7. Attamen *tum temporis*, & quando *Panormitanus* hocce Consilium juris dederat, id quod primis *Eugenii* annis contigit, poterat totum ejus fundamentum hoc enthymemate everti: *Rabanus nondum est canonice translatus: ergo Ecclesia Spirensis nondum est soluta lege ejus.* Antecedens non solum inde probatur, quia nulla fuit causa canonica transferendi *Rabanum*, imo contraria; sed etiam ex eo, quia *canonice translatus* non est, qui nec erat *ab Ecclesia ad quam canonice vacatus*, *nec post Papalem provisionem acceptatus.* Trevirensis Ecclesia vocaverat per majora, & saniora *Jacobum a Sirck*, virum meritissimum, cuius electio nec *vitium formæ* habuerat, nec *personæ;* de quo ipsemet *Eugenius* IV. an. 1442. ad *Rabanum* scripsit: *considerantes nobilitatem generis, elegantiam morum, & alia multiplicia dona virtutum, quibus personam dilecti filii Jacobi de Sirck, Præpositi Ecclesiæ Herbipolensis, de Baronum genere procreati, notarii, & cubicularii nostri, largitor eorum Dominus insignivit*, & cogitantes, *quod ipse Jacobus* ALIAS FUIT ELECTUS *ad Ecclesiam Trevirensem* A MAJORI PARTE CAPITULI TREVIRENSIS, (erant 14. Capi-

Capitulares, inter quos folum 2. elegerant *Ulricum a Manderſcheid*) *&* PROPTER *translationem tuam ad eandem Ecclesiam* (τὸ *propter* arguit *jam ante neglectum electionis hujus canonicæ* extitiſſe in pectore *Martini V.* funeſtum iſtius translationis propoſitum, tanquam *veram cauſam*, cur etiam *Jacobus* electus Roma redierit vacuus) *fructum, & effectum electionis ſuæ apud Sedem Apoſtolicam obtinere non potuit, & remanſit ſua intentione privatus*, ET MULTIPLICITER GRAVATUS; *nec propterea tamen ab ejuſdem Sedis voluntate, & diſpoſitione diſceſſit, ſed ſe humilians* NOTABILEM MANSUETUDINIS, & PATIENTIÆ VIRTUTEM *demonſtravit, merito diſpoſuimus, eum in Eccleſia Dei,* veluti nobilem plantam in horto Domini, *confovere, &* PARTICIPEM FACERE FRUCTUUM, *& proventuum præfatæ Eccleſiæ, ad quam fuerat, ut præfertur, electus, inhærentes veſtigiis, & intentioni felic. record. Martini Papæ V., prædeceſſoris noſtri, cujus propoſitum idem fuit, ſicut per ſuas literas declaravit, reſervavimus itaque præfato Jacobo penſionem* 2000. *millium florenorum auri de* Camera, (2000. Ducatorum) *annis ſingulis ſuper fructibus, & proventibus ejuſdem Eccleſiæ Trevirenſis in certis terminis perſolvendam &c.* Hiſt. dipl. Trevir. tom. 2. pag. 379. Quod Papa *Eugenius* hic dixit an. 1432., hoc ipſum an. 1433. Patribus, Baſileæ congregatis, querulosa modeſtia expoſuit Reverendiſſimum Capitulum Trevirenſe: *Eſt namque verum, quod per mortem b. m. Domini Ottonis quondam Archiepiſcopi, noviſſime defuncti, ſede vacante, factis fiendis, & obſervatis obſervandis, jure, & laudabili more conſuetis a tanto tempore, quod non eſt memoria hominum de contrario, Domini Canonici, numero quatuordecim, Capitulum facientes, in venerabilem virum, Dominum Jacobum de Sirck, dictæ Eccleſiæ Canonicum, & Scholaſticum, voces ſuas direxerunt, ipſumque in ſuum, & dictæ eccleſiæ Trevirenſis Archiepiſcopum elegerunt, præfecerunt, & evexerunt, cum ſolemnitatibus, & ritibus in talibus fieri conſuetis. Cumque vero dictus Electus cum duobus Canonicis Capitularibus ingreſſus fuiſſet Urbem, a SSmo Domino noſtro Papa Martino cum ea, qua decebat, reverentia Confirmationem petiturus, ipſe Dominus Papa*, cum debita tamen reverentia loquendo, *in favorem Domini Rabani, Epiſcopi Spirenſis, ipſum Rabanum inſtituit Archiepiſcopum*, nullo tamen examine facto, aut quocunque impedimento, potente, ſeu valente, dictam electionem vitiare, interjecto, *in quo quam plurimum conſpexit Capitulum, ſe fuiſſe, & eſſe læſum ---- pro dolor! hoc gravamen geminatam peſtem induxit* &c. Quoniam itaque ſine jure, ac cauſa electionis canonicæ confirmatio omittebatur, & ſubitanea pro *Rabano* proviſio comparebat, *Eccleſia Trevirenſis in eam non conſenſit, nec conſentire debuit*, innocenter ſuppoſita interdicto, aliisque cenſuris: dicemusne *cum nolente* contractum eſſe ſpiritualiter conjugale vinculum, ad quod requiritur *mutuus conſenſus*, eligentium, & electi *cap.* 21. *de elect.?* Hic conſenſus modo demum anno 1435. ſubſecutus eſt: antecedenter ergo non erat *conjugale vinculum* cum *Rabano*, ſed prætenſa *ſponſi* non invitati ad nuptias *obtruſio*: ergo defecit translatio illa *in ſuo termino ad quem:* ergo *in toto:* neque enim intenſio *translativæ proviſionis*, quam facit Papa, abſolvens *a termino a quo*, dividi debet ab intentione, conſtituendi abſolutum mox *in termino ad quem;* & circa hoc habemus bonum affine *in renunciationibus illis, quæ fiunt permutandi animo;* nam *permutatione* ipſa non ſubſiſtente, etiam non ſubſiſtunt *renunciationes* præviæ. *Cap. un.* in 6. *Clem. un. de permut.* Si igitur profunde conſideremus totum, quod fecit *Martinus* V.

cum *Rabano*, & *Adolpho*, nihil hoc erát aliud, vel plus, quam imperfecta *translatio*, consensu Trevirensis Ecclesiæ adhuc indigens, consequenter *Adolphi* quoque de *Spirensi* Ecclesia provisio pariformiter extitit *intrinsecus imperfecta*, & *ab eventu perficiendæ* per consensum Ecclesiæ Trevirensis *translationis* dependens, cujusmodi provisio *eventualis* non tribuit *præsentem* actionem ad relaxandum. Et re ipsa *Eugenius* IV. non tantum non cöegit *Rabanum*, ut favore *Adolphi* recederet ab Ecclesia *Spirensi*, sed etiam indulsit, ut, motibus anno 1435. compositis, eandem cum *Trevirensi* retineret, secundum quod *Moguntinus*, *Coloniensis*, & *Wormatiensis*, quorum decisioni *Rabanus*, & *Ulricus a Manderscheid*, ambo exhausti diuturnitate belli, sequestrationibus prius factis, sese submiserant, pronunciarunt: *definitus est per eos in superiore Laenstein modus, per quem Dominus Rabanus mansit Episcopus Trevirensis, & etiam Spirensis, usque ad tempus, in quo alteri resignaret convenienter, juxta formam compositionis factæ.* Gesta Trevir. relat. in Tom. 2. Histor. diplom. Trevir. pag. 386. not. a. Et sic

Solvuntur argumenta Panormitani.

Ad num. 11. Retorqueo: Qui vult *consequens permutationis*, is etiam vult *antecedens resignationis:* ergo si permutatio non perveniret ad suum statum, resignatio tamen subsisteret! Adagium juris procedit *in his consequentibus*, quæ non dependent *ab ulteriori eventu*, sed numeris suis omnibus absolvi possunt *inter solos illos*, *qui volunt;* non sic *translatio*, propter can. 13. dist. 61. *nullus invitis detur Episcopus*, & postulat naturalis ratio *conjugii spiritualis*, quod *absque duorum consensu* non perficitur: igitur id, quod voluere *Martinus* V., & *Rabanus*, erat *unilaterale* adhuc, & *imperfectum*, consequenter fiebat *eventualiter*, cum imbibita conditione: *Si Ecclesia Trevirensis voluerit nubere Rabano*: hac nolente, nondum erat *translatio*, nisi in *proposito*, & *affectu*. Velit in Gallia Episcopus transferri, velit Papa eum transferre, expediantur desuper bullæ, *sine consensu regio* imperfecta res est, nihilque agitur: ergo a pari.

Ad 12. In textibus allegatis intercessit *consensus* Ecclesiarum postulantium, & ideo *perfecta* translatio, absolutio, vacatio prioris ecclesiæ, secus, quam in casu nostro, ubi omnia erant *eventualia*.

Ad 13. Retorqueo: translatio *absentis*, qui non supplicavit, facta *ob merita personæ* est *actus legitimus*: ergo non habet tacitam conditionem: *si absens consenserit!* non erat translatio illa *Rabani* actus legitimus *in sua substantia perfectus;* & ideo *ex natura rei* imbibitam tenuit conditionem, quam exprimere non est opus. Et nego, quod consensus *translati* debeat esse *ab omni conditione purus;* cum fiat animo *obtinendi translationem*, sicut consensus *resignantium* præstatur *animo permutandi.*

Ad 14. *Petitio pallii* nihil facit ad rem: voluit *Rabanus* observare *tempora*, *ac ceremoniam petendi pallii*, & facere Romæ, quod in se erat; propterea tamen novam sponsam, ante hujus consensum, non habuit. Nec refert, quod pallium petierit *post provisionem Adolphi;* nam illa ipsa provisio, quam utrum *Rabanus* sciverit, nec ne, incompertum est, dependit *a perfectione translationis*

nis per confenfum *Ecclefiæ ad quam;* quia ad *canonicam translationem* requiruntur *tres* confenfus, nempe *transferentis, translati, & ecclefia ad quam;* alias non fit conjugium.

Ad 15. Hoc argumentum reverbero: fi non fit translatio *absque confenfu translati,* velut *novi fponfi,* cur effet aliqua *absque confenfu novæ fponfæ?*

Ad 16. Iftud valde durum fuiffet, fi Trevirenfis Ecclefia nunquam acceptaffet in fuum thorum *Rabanum,* huic, ut ut male pifcato, non fubvenire, fed ex principiis legulejicis virum fenem, Principem S. R. Imperii, qui jam tunc rexerat *Spirenfem* Ecclefiam ab anno 1396., confequenter ultra 34. annos, *conftituere absque reditu omnis Epifcopatus,* ipfumque *fola actione,* quam ad Trevirenfem Ecclefiam habere videbatur, *interea pafcere* cum *Panormitano* voluiffe: *Rabanus* Epifcopatui *Spirenfi* non ceffit, nec abfolutus eft ab eo *velut quidam renuncians fimpliciter,* fed *velut transferendus;* caufa non fecuta, renunciatio evanuit cum abfolutione, & nova provifione. Hinc etiam *Adolphus,* pro quo fcripfit *Panormitanus,* non accepit poffeffionem Epifcopatus *Spirenfis,* fed refignanti anno 1439. 8. Jan. *Rabano* fucceffit ejus nepos *Reinhardus ab Helmftatt.*

Ad 17. Nego, illam *provifionem* fuiffe *abfolutam,* fed, ex natura negotii, *in eventum perficiendæ translationis;* neque enim fuit intentio Papæ, *Rabano* præhabitum auferendi Epifcopatum, tametfi ille ad fecundum non perveniret. Equidem *cafus, rebus completis fuperveniens,* ad rem non eft, fecus, fi effentiale requifitum deficiat *in rebus incompletis.* Unde patet

Ad 18. Refponfio: Abfurdum non eft, habere aliquem *duos* Epifcopatus, alterum *aliquamdiu* retinendo, donec in fecundo *jus perfectum* accipiat, & quidem fecundum principia Gallicanæ Ecclefiæ *a tempore poffeffionis;* fecundum alias vero Ecclefias, *faltem a tempore confenfus Ecclefiæ ad quam:* nec læditur hic *fpirituale matrimonium,* quia *fecundum matrimonium* nondum adeft: matrimonium *carnale* infidelis ad fidem converfi, altera parte remanente in infidelitate, non læditur, fed retinetur, donec converfus actu ineat fecundum. Nimis captiofum eft ex parte *Panormitani,* toties urgere *effectum abfolutionis* Rabani *a vinculo prioris ecclefiæ;* hæc enim abfolutio, ficut non fiebat *feparatim,* fed *uno eodemque tempore, & actu* promotionis per translationem, ita non debuit fecundum principia juris *de conjunctis, & de partibus unum totum conftituentibus,* ab ifta dividi *per figna rationis priora, & pofteriora.* Utique Epifcopus, cum transfertur, *pro priori figno rationis* abfolvitur, *pro pofteriori* defponfatur *de novo,* fi velimus fcholafticare; fed ifte formularis mos fupponit *confenfus requifitos,* fine quibus ne cogitari quidem poteft *defponfatio:* ubi vero *nova* non eft *defponfatio,* ibi nec erit *translatio,* ubi non eft *translatio,* ibi nec *translativa abfolutio;* alia quippe, quam *translativa,* nec petita fuit a *Rabano,* nec a *Martino* V. data.

Ad 19. Argumentum ex cap. *Paftoralis* 42. VII. q. 1. non eft folutum; ficut enim Epifcopus *a fede fua hoftiliter expulfus,* & in alia vacante Ecclefia conftitutus, ceffante hoftilitate reverti ad priorem *tenetur;* quia neque hæc a lege talis Epifcopi, nec ifte a vinculo ejusdem uxoris fuit folutus; ita quoque Epifcopus, *translative folum abfolutus,* tenetur manere in fua Ecclefia, donec translatio perficiatur,

Ad 20. Dura expressio, quod *Rabanus* detinuisset Ecclesiam Spirensem *ut scortum!* Titulum conservavit; quia nondum fuerat *canonice translatus:* transtulit eum verbo *Martinus* V., sed *absque prævia postulatione*, vel *quavis voluntate Trevirensis Ecclesiæ*, appromissæ per spiritualia sponsalia dignissimo sponso, *Jacobo* a Sirck, *Rabani* postea successori, invasæ per violentum procum, *Ulricum a Manderscheid* honestissimæ viduæ, quæ nuptias inutilis ob senium mariti non concupivit: mansit ergo recte *Rabanus* apud sponsam suam *Spirensem;* nam *provisio Papalis sola* nondum fecerat eum maritum *Trevirensis*, usque adeo invitæ, ut maluerit *secunda vice* eligere *Ulricum*, donec & ipse propter crudelitatem displiceret. Remonstratio Capituli Trevir. ad Concilium *Basileense* in *Hist. dipl. Trevir. Tom.* 2. *pag.* 382.

Ad 21. Replicatur, translationem *Rabani* fuisse tantum *unilateralem*, ex sola intentione *Martini* V., & *Rabani*, præter omnem exspectationem *Trevirensis Ecclesiæ*, habentis alias liberam electionem, & hac quoque vice legitimam, quæ omnino debuisset confirmari. *Unilateralis* autem translatio nondum est translatio *plene facta*, utpote ad quam *unio cum nova sponsa* desideratur. *Panormitanus* non tetigit *nodum hujus causæ;* semper enim in eo est, quod non requiratur *possessio*, & quod casus *superveniens* non infirmet recte factum ab initio; cum tamen probare debuisset, *ante consensum novæ spiritualis uxoris adesse veram translationem*, in quo est *crinomenon causæ*.

Ad 22. Equidem jura sub num. hujus consilii 3. & 8. allegata non loquuntur de *Episcopo* translato, sed de *inferiore Clerico* ulterius promoto, ut recte solvit argumentum *Panormitanus*. Verum, an dedit etiam *diversitatem aequitatis?* Nonne major est æquitas, Episcopum non amittere prius suum episcopatum primum, quam acceperit secundum, si non *possidendo*, saltem, *consensu* utrinque præbito, *despondendo?* De *resistentia superveniente* observa, aliam esse *sponsæ*, aliam *proci alterius:* hujus resistentia non impedit translationem, modo velit nova sponsa prætensa.

Ad 23. Subtilitas illa de necessitate *absolutionis*, per prius ad conjunctionem Episcopi cum nova Ecclesia faciendæ, jam supra est refutata: absolutio illa est *pars translationis*, quæ duo complectitur, nempe *absolutionem*, & *conjunctionem;* si una pars cadat, cadit totum, nempe *translatio*; si non adsit translatio, tunc neque absolutio; retorsio hujus subtilitatis est in casu *permutationis duorum Episcopatuum*, coram solo Papa forsan factæ, absque consensu Ecclesiarum: præcederet hic etiam renunciatio, sed absque effectu vacationis ad relaxationem primi episcopatus qualificatæ.

Ad 24. Hoc simile reflectitur in *Panormitanum*, qui supponit professionem religiosam esse *validam*; ast! si non valeret ista, an non reciperet talis suam conjugem? Sic etiam, si *translatio verbalis* non validetur simul *per consensum Ecclesiæ ad quam*, recipietur prior episcopatus.

Ad 25. Eo ipso, quod quis acquirat secundum Episcopatum, vacat primus: sed nego suppositum, quod *Rabanus per solam provisionem translativam Martini* V. *acquisiverit Archiepiscopatum Trevirensem.*

Ad 26. *Rabanus* illo adhuc *tempore* non potuit dicere, *Archiepiscopatum Trevirensem esse suum, & nemini alteri debitum;* debebatur enim de jure *Jacobo a Sirck,*

Sirck, canonice electo, contra cujus validam electionem nullus apex legitur, nec eam cassavit *Martinus* V., sed, sicut *Gesta Trevirorum* loquuntur, *Jacobus* tantum *rediit* Roma *vacuus*: & licet iste ob præpotentiam Candidatorum non perurgeret jus suum in Curia, vel Imperio; propterea tamen *Ecclesia Trevirensis* nondum voluerat nubere Rabano. Redactio Trevirensis Archiepiscopatus ad nihilum, ut memorant *Gesta Trevirorum*, sub regimine *Rabani*, vel potius *Curialium ejus*, illum senem regentium, & Treviratum exspoliantium, ita, ut successor invenerit 400000. Flor. auri debita, docuit, plus justitiæ, ac zeli fuisse *in renitentia Ecclesiæ*, mala inevitabilia belli prævidentis, quam *in translativa provisione* Rabani.

I. O. G. D.



II.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER &c.

DISSERTATIO SECUNDA

DE

TRANSLATIONE EPISCOPI

AD TIT. VII. LIB. I. DECRETAL.

Treviris 1763.

§. I.

Transitus Pœna.

I. Hæc nociva temeritas, quæ sese *turbulentis* ob hæreses, aut alias, *temporibus* * tantum fere monstravit, usque adeo per sacros canones repressa fuit, ut inde a Sæc. XIII. exempla desint ejusdem.

* De *Arianis* transmigrantibus jam egi in parte priore §. I. num. 5. De *Anthymo* Eutychiano transeunte infra. Exempla omnium ultima in nostra Germania adscribo bello intestino inter Reges contrariæ electionis, *Philippum* Suevum, & *Ottonem* IV.

II. Sanctionem *pœnalem* in *Episcopos* transilientes ante *Nicænum* I., non invenio, imo nec in isto Concilio: * adest autem de *Presbyteris*, aliisque *clericis* pœna *depositionis*, & redactionis *ad laicam communionem*, sive ad statum infimum in Ecclesia. **

* Nicænum quippe *can.* 15. præsumptos transitus solummodo annihilat, & reducit transeuntes in derelictam sedem: *Hoc factum prorsus in irritum ducatur: restituatur Ecclesiæ, cui fuit Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus ordinatus.* Vide Gratian. *can.* 19. *VII. q.* 1. Alter autem canon, nempe 16tus, de *Episcopis* non loquitur.

** Canon 13. sub nomine Apostolorum, loquens de *Episcopo*, silet pœnam; sed subsequens 14. *Presbyterum*, *Diaconum*, aut *quemcunque* de Clero, sine voluntate sui Episcopi transmigrantem, maxime, si reverti nolit, a ministerio publico ecclesiæ removet, sola *laica* communione salva: canon 15. excommunicat Episcopum, qui desertores illos *ut clericos* susceperit. Concilium *Arelatense* I. an. 314. can 22. sequitur canonem Apostolicum 14. *De Presbyteris,*

byteris, aut Diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transtulerunt, placuit, ut his locis ministrent, quibus præfixi sunt; qui relictis locis suis ad alium locum se transferre voluerint, deponantur. Similiter *Antiochena* Synodus an. 341. can. 3. presse quoad hoc secuta est prædictum canonem Apostolorum 14., & refertur a Gratiano in *can.* 24. *VII. q.* 1. Ast Concilium *Nicænum* I. can. 16., apud Gratianum *can.* 23. *caus.*, & *quæst. ead.* excommunicat detrectantes reverti clericos, Episcopo inferiores.

III. Romani Pontifices, ut Episcopos, aliis cathedris insilientes, ad harum evacuationem, desertarumque receptionem, juxta Nicænum canonem, cogerent, utebantur *excommunicatione negativa*, i. e., talibus non communicabant. *

* Epist. *Damasi* I. ad Paulin. Antiochen. circa an. 378. apud Gratian. in cap. 43. VII. q. 1. *Eos quoque, qui de ecclesiis ad Ecclesias migraverunt*, tamdiu *a communione nostra habemus alienos*, quam diu *ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt constituti: quodsi alius, alio transmigrante, in loco viventis est ordinatus*, tamdiu *vacet Sacerdotii dignitate, qui suam deseruit civitatem*, quam diu *successor ejus quiescat in Domino.* Coustant *Epp.* RR. *P. P. pag.* 513. & 519. Ita anno 535. *Agapetus* I., tunc Constantinopoli præsens, petentibus *Justiniano*, & *Theodora* A. A., ut *Anthymo*, qui a Trapezunte ad illam urbem transierat, communicaret, respondit, *fieri posse, si Anthymus se libello probaret orthodoxum, & ad cathedram suam reverteretur; impossibile esse, translatitium hominem in illa sede permanere.* Liberatus *cap.* 21. *sui Breviarii*, quod quære in Tom. 5. Concilior. p. 740. De hoc casu, & Anthymo ajebat postea Justinianus Imp. in Nov. 42. *Dejectus est de sede hujus regiæ urbis a sanctæ, & gloriosæ memoriæ Agapeto, sanctissimæ Ecclesiæ antiquæ Romæ Pontifice, eo quod nullo modo sibi ipsi convenienti contra omnes sacros canones se intruserat Sedi:* equidem *Anthymus* & ab Agapeto; & a Synodo Constantinopol. plane depositus fuit; sed hoc propter *hæresin Eutychianam*, non propter *transitum.* Hanc negativam excommunicationem quoque *Hilarus* Papa in casu *can.* 30. *VII. q.* 1. an. 465. comminatus est *Irenæo*, Episcopo, qui ad *Barcinonensem* ecclesiam migraverat: *Quod si Irenæus episcopus ad ecclesiam suam, deposito improbitatis ambitu, redire neglexerit, quod ei non judicio, sed humanitate præstabitur, removendum se ab episcopali consortio esse cognoscat.* Harduin. Tom. 2. Concil. pag. 790.

IV. *Sardicense* Concilium an. 347. asperavit pœnam contra Episcopos transeuntes, ut malum funditus eradicaret; nempe, talibus *nec laica* communio relinquebatur; &, si prætexerent literas invitatorias, vel clamorem populi, *ne quidem in mortis articulo* reconciliabantur ad communionem. *

* Can. 1. ex versione *Dionysii* exigui: *Osius Episcopus dixit: non minus mala consuetudo, quam perniciosa corruptela, funditus eradicanda est; ne cui liceat Episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem; manifesta est enim causa, qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret. Unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari,*

mari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, hujusmodi pernicies sævius & austerius *vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, qui talis est: responderunt universi: placet.* Hanc pœnam vocat L. Bar. de *Pilatus* in *Originib. Juris Pontific.* terribilem, ut quæ primis Sæculis in aliquibus tantum ecclesiis vix contra idololatras, voluntarios homicidas, & adulteros relapsos, fulminata fuerit. Concilium *Aquisgranense* an. 789. cap. 24. sic epitomavit istum canonem: *Hosius Episcopus dixit: ut de civitate in civitatem quisquam si migraverit, aut Episcopus, aut Clericus, excommunicatus remaneat.* In Decretalibus vero *Gregorii* IX., detracta pœna, sic abbreviatus est *cap.* 1. *de cler. non resid.* ex Concil. Sardic. *Non liceat Episcopo de civitate sua transire ad aliam: manifesta est enim causa, pro quo facere hoc attentat; cum nullus sit inventus episcopus; qui ad minorem de majori civitate transiret.* Alter canon *Sardicensis* in ordine 2dus sic sonat: *Osius Episcopus dixit: etiam si talis aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens asseveret, quod populi literas acceperit, cum manifestum sit, potuisse plures præmio, & mercede corrumpi eos, qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in ecclesia, & ipsum petere viderentur episcopum: omnino has fraudes damnandas esse, arbitror; ita, ut nec laicam* IN FINE *communionem* TALIS *accipiat. Si vobis omnibus placet, statuite. Synodus respondit: placet.* Hunc canonem retulit S. *Raymundus* ad *tit. de elect. cap.* 2., quasi vero Sardicense Concilium hanc severitatem statuisset de *quovis ad populi clamorem electo;* cum pergat *in eos solos* distringere, qui *transmigrationes* suas his coloribus volebant *excusare:* videns autem nimium *Osii* Cordubensis rigorem, adjecit parenthesin: *nisi de hoc pœnituerit*, quæ limitatio in MSta Compilatione 1., videlicet *Bernardi* Papiensis, omissa est.

V. Austerioris hujus, atque ex Hispano ingenio, in *Arianos* transmigrantes justam vindictam spirante, profecti supplicii imitationem exiguam invenio. *

* Concilium *Chalcedonense* an. 451. non adoptavit in specie hanc Sardicensem pœnam: textum dedi in *part. prior.* §. I. *n.* 5., & habet eum Gratianus *can.* 26. *VII. q.* 1. Concilium *Hipponense* an. 393. *Cresconium* Episcopum, qui, plebe *Rhegensis* villæ derelicta, *Tubuniensem* invaserat ecclesiam, jussit solummodo abire, & plebe Villarensi esse contentum; cumque ille non paruisset, *Carthaginense* III. an. 397. canone inter Africanos 48. nihil durius decrevit, quam expulsionem illius ex ultima, implorato etiam brachio sæculari Præsidis provinciæ; textum dat Gratianus *can.* 19. *XI. q.* 1. Non obediit *Cresconius*, propter quod demum an. 401. in Synodo Carthagin. V. per can. 77. conclusum est, requirendum esse Numidiæ Præsidem, ut scriptis suis compellat eundem ad comparendum in proximo universali Africano Concilio, sub comminatione sententiæ in se promulgandæ, si emanserit. Concilium *Arelatense* IV. can. 13. alternative disposuit: *nullus cujusque ordinis clericus, non Diaconus, non Presbyter, non Episcopus, quacunque occasione faciente, propriam relinquat ecclesiam, sed omnimodis* excommunicetur, *aut* redire cogatur; quasi relinquat arbitrium pœnæ pro circumstantiis casus. In Concilio Romano, quod propter *Formosum* Papam sub *Joanne* IX. habebatur, can. 3. mentio quidem fiebat, sed nulla innovatio, Sardicensis canonis: *Quia necessitatis causa de Por-*

Portuensi ecclesia FORMOSUS, *pro vitæ merito, ad Apostolicam Sedem provectus est; statuimus, & omnino decernimus,* UT ID IN EXEMPLUM NULLUS ASSUMAT; *præsertim, cum sacri canones hoc* PENITUS INTERDICANT, *& præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem; quippe, quod necessitate aliquoties inductum est, necessitate cessante in auctoritatem sumi non est permissum.* Harduin. Tom. VI. Concil. pag. 487.

VI. Quin imo S. LEO I. Papa promovit in Oriente aliam pœnam, quæ, licet implicite contineatur in *Sardicensi* canone, hac tamen lenior, *Nicæna* major, foret, nempe, *carentiam utriusque Sedis.* *

* Refert decretalem *Leonis* I. Gratianus *Can.* 31. VII. *q.* 1. Collectio *Isidori* mea epist. 54. §. 5. fol. 212. *Dionysius* exiguus inter decreta Papæ Leonis num. 38. *Ut, siquis Episcopus, suam deserens civitatem, majorem ambitus causa petierit, non solum eam obtinere non poterit, sed & sua carere debebit.* Dedit *Harduinus* Tom. I. Concil. pag. 1768. cap. 8. *Siquis episcopus, mediocritate civitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem quacunque occasione transtulerit, non solum a cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propria; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit.* Hoc decretum inter alia multa emanavit ad *Anastasium*, Episcopum *Thessalonicensem*, qua *Vicarium Sedis Romanæ* in illis partibus. Præluserunt Canones pro Galliæ Episcopis dati, sive a *Siricio* Papa, quod credit *Coustant*, sive ab *Innocentio* I., ut putant *Sirmondus*, atque *Labbæus*, cap. 16. *Item de his, qui de Ecclesia ad ecclesiam transeunt, jussi sunt haberi, quasi relicta uxore ad alienam accesserint, quod impunitum esse non possit: talem Episcopum, invasorem pudoris alieni,* episcopatu privari *jusserunt.*

VII. Hanc decretalem cum retulissent Collectores canonum, *Dionysius*, *Burckardus*, *Ivo*, *Gratianus*, in suos Codices Decretorum, evasit ex hinc *pœna ordinaria* transitus. *

* Usque adeo, ut iidem Collectores apposuerint istam explicationem canoni 30. Concilii *Meldensis* de an. 845., relato in *can.* 32. *VII. q.* 1., licet in fonte tantum *de canonica definitione conservanda* generice loquatur, assuendo: *hoc est, ut utraque careat:* ista appositio legitur quoque in duobus MStis Decretis Gratiani, quæ servantur in Bibliotheca S. Simeonis Trevir. Eandem pœnam an. 1096. constituit *Nemausense* in Gallia Concilium, præsidente *Urbano* II. Papa, in omnes parochiarum presbyteros, qui *ambitionis, vel cupiditatis causa* ad aliam *ditiorem* migraverint ecclesiam.

VIII. Eandem pœnam firmavit nova Decretali *Innoc.* III. an. 1198. in cap. 3. h. t. *sibi * præcipimus, ut administrationem Herbipolensis Ecclesiæ penitus derelinquat.... Quia vero Hildesemensem Ecclesiam, cui fuerat alligatus, unde secundum Apostolum solutionem quærere non debebat, nimis improbe dereliquit, ne ad ipsam redeat ulterius, districtius prohibemus; cum secundum traditiones canonicas, qui ad majorem se plebem transtulerit, a cathedra repelli debeat aliena, & carere propria; ut*

nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit: Leonem M. hic per Innocentium resuscitari, quis non videat?

* Erat hic *Conradus* I. Baro de Ravensburg, castro Franconiæ supra Herbipolim, vir a puero educatus ad excelsa, quoniam filius Diethonis ex Adelheide, quam Imp. Fridericus I. duxerat prius uxorem, dimittere autem propter consanguinitatem debuit: in aula vivens, totus quantus evasit aulicus, & magnus politicus, trium Impp. successive Cancellarius, *Friderici*, *Henrici* VI., & *Philippi* Suevi: cum duobus primis expeditiones Palæstinas suscepit; ibidemque fundationi inclyti Ordinis Teutonici egregie cooperatus est: primum erat *Lubecensis* electus, & confirmatus; transivit *Hildesium*; subinde accepit indultum a *Cœlestino* III. assumendi majorem ecclesiam: placuit ipsi *Herbipolensis* propter annexum Ducatum Franconiæ: *Philippus* Suevus, cui adhæsit contra *Ottonem* IV., procuravit ei favorem Capituli an. 1198.: Postulatus neque se convertit ad Papam, neque ad Metropolitanum suum; quia ab utroque, pro partibus *Ottonis* IV. stante, nihil sperare poterat: Papa ipsum per literas, & Germaniæ Episcopos monuit, ne rediret ad Hildesiensem, ut relinqueret nihilominus Herbipolensem: contempsit ille: Papa eum Romæ solemniter excommunicavit, atque pro tali per *Magdeburgensem* denunciari jussit: tentavit primum more sæculi per mediatores rem componere, sed *Innocentius* III. absolute voluit personalem submissionem: profectus est ergo Romam *Conradus*, in sacco, & corrigia se prostravit, suum excessum recognovit, judicium non petiit, sed misericordiam, & gratiam, quam & consecutus est: vid. *cap.* 5. *de Cler. excom.* Fatum hujus Herbipolensis Episcopi describit P. GROPP, Prior Benedictinus ad S. Stephanum Herbipoli, in *Collect. noviss. Script. Wirceburg. Tom.* I. *pag.* 812.

IX. Neque ad districtionem hujus pœnæ pervenisset *Innocentius*, nisi eum ex una parte honor sanctæ Sedis, & tunc in Germania jam aliquamdiu contemni solita authoritas, ex altera vero parte nimia *Conradi* transeuntis capitositas, coëgissent. *

* Epistolæ *Innocentii* palam dicunt, quod ipsi olim fuerint boni amici, etiam a facie invicem noti: protestantur sinceram *Conradi* dilectionem: dolent de nota inobedientiæ, quam vir, mundanis principiis excæcatus, incurrit, *cap.* 5. *de major. & obed.* Imo vero illa epistola, quam directe misit Papa ad *Conradum*, manifeste prodidit gratiam in pectore gestam: *Omni ergo excusatione cessante, si apud nos desideras gratiam invenire, mandatum studeas Apostolicum adimplere, non rediens ad Hildesiensem Ecclesiam, & ab Herbipolensi recedens, ut tunc tandem, quem circa te in hoc etiam geramus affectum, evidenter agnoscas.* Gonzalez *ad cap.* 3. *h. t. num.* 3. Opus ipsum demonstravit discretionem *Innocentii*, quia distulit tam diu providere Herbipoli de novo Episcopo, donec *Conradus* humiliaretur, ut ab eo posset exaltari. Quam vero de assassinio *Conradi* doluerit anno 1202. idem Papa, hodieque testantur ejus literæ.

X. Circa idem fere tempus *Innocentius* III. alium Germaniæ Episcopum, nempe *Wormatiensem*, * propter transitum ad *Moguntinam* Ecclesiam, cum is diu

diu sibi rebellis fuisset, ita eicuravit, ut longa recordatio tales casus amplius non retulerit.

* Erat hic *Lupoldus* a Schönfeld, de partibus *Philippi* Suevi, vir acerrimus, ac bellicosus: an. 1200. postulabatur ad *Moguntinam* Sedem, tribus tantum Canonicis *Sigfridum* I. ab Eppenstein eligentibus: hunc profligavit armis, ut pergeret Roma: occupavit Archiepiscopatum juxta suum Episcopatum, licet postulationem cassasset Papa per *cap.* 23. *de elect.* Incubum alienæ ecclesiæ excommunicavit Pontifex; at ille vicissim istum, ardentes pariter candelas pro solemnitate adhibens; sed & arma cum excommunicato *Philippo* Rege ubique circumferens, plurimumque nocens, perrexit tandem in Italiam cum exercitu contra ipsummet Papam: Parricidium *Philippi* Regis, ab *Ottone* Comite *Wittelsbacensi* Bambergæ an. 1208. peractum, fatale ipsi fuit, imo salutare pro anima; tunc enim a Papa, & Imp. *Ottone* IV. prævalentibus, utraque ecclesia, quin & Imperio exul factus est, *Wormatiensem* interim regente *Sigfrido* Moguntino; neque enim alium Vangionibus Episcopum constituit *Innocentius* loco hujus circumerrantis, & palantis. Tandem fortuna rediit ex gravi dissidio ejusdem Papæ cum Imp. *Ottone* IV. pariter excommunicato; contra quem electus *Fridericus* II. ab exilio recepit an. 1212. *Lupoldum*, *&* *Innocentio* reconciliatum restituit in suum Episcopatum, cui usque ad an. 1217. laudabiliter præfuit. *Gallia Christiana* Tom. 5. pag. 675. *Schannat* Histor. Episcop. Wormat pag. 363.

XI. Aliam, *prorsus extraordinariam*, *atque ex singulari arbitrio*, pro rerum circumstantiis, *profectam* transeuntis Episcopi pœnam lego inter epistolas *Hilari* Papæ *, anno 462. *Hermeti* inflictam esse propterea, quod a *Bitterrensi* Episcopatu transivisset ad *Narbonensem* archiepiscopatum; nempe ut in eo quidem *permaneret*, sed *absque potestate ordinandi Episcopos.* **

* Edidit super hoc negotio primus *Baronius* Tom. VI. pag. 263. & seqq. duas *Hilari* epistolas ex veteri Codice MS. *Arelatensis* Ecclesiæ, primam ad *Leontium* Arelatensem, alteram ad Episcopos Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis primæ, & secundæ, & Alpium Apenninarum. In epist. ad *Leontium* sic scribit Papa: *cognovimus. . . . quod iniquissima usurpatione quidam Hermes Episcopatum civitatis Narbonensis execrabili authoritate præsumpserit:* in altera vocat *Hermetis* factum *præsumptionis improbitatem*, *objurgatione dignissimum*, *quod SS. Patrum decretis*, *& ipsis repugnet canonum institutis.*

** Indulgentius *Hermetem* habuit *Hilarus*, ingenio mitis, tum propter bonam ejus conversationem, tum pacis amore: *Scimus enim*, *& jam diu de memorati fratris conversatione nihil habemus ambiguum*, *cum anteactæ vitæ ipsius cursum*, *& retro ante positum nostro revolventes animo hos illum*, *quos in eo arguimus*, INCURRISSE *potius*, *quam* FECISSE, *excessus*, *de quibus præsente fratrum numeroso Concilio*, *ex diversis provinciis ad diem natalis nostri in honorem beati Petri Apostoli per Dei gratiam congregato*, *præsentibus fratribus*, *& Coëpiscopis nostris* Fausto, & Axanio, *atque agentibus plurimis*, *quæ vigorem respiciunt*, *auctoritatemque judicii*, *id a nobis pacis amore est constitutum*, *ut in sententia*, *quam sub animadversione utriusque legationis inde directa*

cta, Christo Domino nostro inspirante, protulimus, neque charitas evangelicæ indulgentiæ, neque Apostolicæ virga desuerit disciplinæ; namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coërcere. Ei, qui NUNC *Ecclesiæ Narbonensi* PRÆSIDERE PERMITTITUR, ORDINANDORUM *Episcoporum ob hæc, quæ prave facta sunt,* SUSTULIMUS POTESTATEM. Admonet deinde Papa, ne quis imposterum imitetur exemplum Hermetis: *Vestræ Fraternitatis in Domino sincera dilectio . . . eorum taliter, quæ in Narbonensi provincia emersere, meminerit,* UT TESTETUR FACTUM POTIUS, QUAM SUMAT EXEMPLUM, *quod ita deinceps esse nolumus,* SICUT NOVIMUS, NON FUISSE.

XII. Unicus *sine vindicta canonica* transitus est, cum Archi- vel Episcopus eligitur *in summum Pontificem;* jam pridem quippe extra attentionem constitutum est decretum Concilii Romani de an 904., de quo supra num. 5., *ut factum* FORMOSI *in exemplum nullus assumat:* * Creati non amplius *transferuntur* in Cathedram Petri, sicut olim, sed pro lubitu suo *transeunt,* vel etiam retinent una cum Papatu praehabitam Sedem. **

* *Primus* post illud decretum ex archiepiscopo *Ravennatum*, quam in Sedem de *Bononiensi* fuerat per *Landonem* Papam translatus, evasit an. 912. Pontifex Romanus *Joannes* X., opera *Theodoræ*, scorti nobilissimi, violenter intrusus, ut scribit ex *Luitprando* Cæs. *Baronius* Tom. 10. pag. 663. num. 13., postquam sex ante illum vicibus nondum-Episcopi ad Sedem Apostolicam evecti fuerant; an. 965. *Joannes* XIII. ex *Narniensi;* an 974. *Benedictus* VII. ex *Sutrino;* an. 984. *Joannes* XIV. ex *Papiensi;* an. 999 *Sylvester* II. ex *Ravennatensi;* an. 1009. *Sergius* IV. ex *Albanensi;* an. 1013. *Benedictus* VIII. ex *Portuensi;* an. 1046. *Clemens* II. ex *Bambergensi;* an. 1047. *Damasus* II. ex *Brixinensi;* an. 1055. *Victor* II. ex *Eistettensi;* an. 1058. *Nicolaus* II. ex *Florentino;* an. 1061. *Alexander* II. ex *Lucensi;* an. 1087. *Urbanus* II. ex *Ostiensi;* an. 1125. *Honorius* II. ex eodem; an. 1153. *Anastasius* IV. ex *Sabinensi;* an. 1154. *Hadrianus* IV. ex *Albano;* an. 1181. *Lucius* III. ex *Ostiensi;* an. 1185. *Urbanus* III. ex *Mediolanensi;* an. 1227. *Gregorius* IX. ex *Ostiensi;* an. 1241. *Cœlestinus* IV. ex *Sabino;* an. 1254. *Alexander* IV. ex *Ostiensi;* & *Velitrensi;* an. 1261. *Urbanus* IV. ex *Hierosolymitano;* an. 1264. *Clemens* IV. ex *Sabinensi;* an. 1276. *Innocentius* V. ex *Ostiensi;* an. eod. *Joannes* XX. ex *Tusculano;* an. 1287. *Nicolaus* IV. ex *Prænestino;* an. 1303. *Benedictus* X. ex *Ostiensi;* an. 1305. *Clemens* V. ex *Burdigalensi;* an. 1313. *Joannes* XXII. ex *Portuensi;* an. 1334. *Benedictus* XII. ex *Mirepicensi;* an. 1342. *Clemens* VI. ex *Rotomagensi*, an. 1352. *Innocentius* VI. ex *Ostiensi;* an. 1378. *Urbanus* VI. ex *Barensi;* an. 1404. *Innocentius* VII. ex *Ravennatensi;* an. 1406. *Gregorius* XII. ex *Constantinopolitano;* an. 1409. *Alexander* V. ex *Mediolanensi;* an. 1448. *Nicolaus* V. ex *Bononiensi;* an. 1455. *Calixtus* III. ex *Valentino;* an. 1458. *Pius* II. ex *Senensi;* an. 1464. *Paulus* II. ex *Cerniensi;* an. 1484. *Innocentius* VIII. ex *Melphitensi;* an. 1492. *Alexander* VI. ex *Portuensi;* an. 1503. *Pius* III. ex *Senensi;* an. 1521. *Hadrianus* VI. ex *Dertusensi;* an. 1523. *Clemens* VII. ex *Narbonensi;* an. 1534. *Paulus* III. ex *Ostiensi*, & *Veliterno;* an. 1550. *Julius* III. ex *Prænestino;* an. 1555. *Marcellus* II. ex *Regiensi;* an. eod. *Paulus* IV. ex *Ostiensi*, & *Veliterno;* an. 1566. S. *Pius* V. ex

ex montis regalis; an. 1585. *Sixtus* V. ex S. *Agathæ;* an. 1590. *Urbanus* VII. ex *Rossanensi;* an. 1591. *Innocentius* IX. ex *Alexandrino;* eod. an. *Clemens* VIII. ex *Immolensi;* an. 1605. *Leo* XI. ex *Prænestino;* an. 1621. *Gregorius* XV. ex *Bononiensi;* an. 1644. *Innocentius* X. ex *Antiocheno;* an. 1655. *Alexander* VII. ex *Neritonensi;* an. 1670. *Clemens* X. ex *Camerino;* an. 1676. *Innocentius* XI. ex *Novarino;* an. 1689. *Alexander* VIII. ex *Brixiensi;* an. 1691. *Innocentius* XII. ex *Neapolitano;* an. 1724. *Benedictus* XIII. ex *Beneventano;* an. 1730. *Clemens* XII. ex *Frascatino;* an. 1740. *Benedictus* XIV. ex *Bononiensi;* an. 1758. CLEMENS XIII. ex *Paduano*, Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis, evaserunt summi Episcoporum: En 67. Papas ex Episcopatibus assumptos post prædictum Concilium Romanum; dum econtra tantum 66. ante exaltationem non erant episcopi; & sic una vice pluries posthabebatur, quam observabatur, can. 3. ejusdem Concilii.

** Jam *Clemens* V. retinuit cum Papatu *Burdigalensem* cathedram: de *Benedicto* XIII. memorat L. B. de *Pilatus*, quod post multas lachrymas novæ suæ electioni non alias consenserit, nisi retenta priore sponsa, *Beneventana* Ecclesia: *Benedictus* XIV. pluribus annis perrexit tenere Archiepiscopatum *Bononiensem*: ergo summi Pontifices transeunt, si velint, retinent priorem Sedem, cum malunt, una cum Romana.

§. II.

Translationis antiquissima difficultas.

I. Contra *canonicas translationes* non quærentium eas Episcoporum antiqui sæpe plus difficultatis fecerunt, quam *spiritus*, & *littera SS. canonum* exposcebat; * sæpe quidem, ut *transmigrationibus* eo fortius opponerent repagulum:

* Recte dixit Anonymus antiquus in tractatu de translat. cum *Jure Orientali* edito: *Migratio prohibita est, non translatio;* & can. 25. VII. q. 1. *Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant, causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse, quoties communis utilitas, aut necessitas persuaserit;* equidem *Harduinus* hanc *Pelagii* II. epistolam spuriis *Isidori* mercibus attribuit, nihilominus compositor recte sensit. Optimam, quidquid in contrarium dixerit *Florens*, distinctionem fecit *Nicephorus lib.* 14. *cap.* 39. inter μετάθεσιν, translationem, μετάςασιν, transmutationem, atque μετάβασιν, transitionem; quia Nicænus canon utitur verbo; μεταβαίνειν, transire, & Sardicensis verbo: μεθίςασθαι, se translocare, locum mutare: hæc verba, *transmutatio*, & *transitio*, inquit Nicephorus, *de animatis*, & *eis*, *quæ proprio arbitrio* & *voluntate moventur; transferri autem*, & *translatio*, *de inanimatis*, *atque eis*, *quæ veluti ab aliis moventur, dicitur; ita, ut transmutatio* & TRANSITIO *eorum fit, qui ex sede sua in sublimiores involant thronos;* TRANSLATIO *autem eorum, qui ipsi* INVITI *ab aliis alio producuntur.* Refert autem eo loco *Nicephorus* plurima exempla canonicarum translationum, a nemine improbatarum, tam antiquis temporibus, quam sua ætate; sicut pridem ante ipsum fecerat *Socrates* lib. 7. cap. 35. 39.; & ex eod. *Historia Tripartita* lib. 12. cap. 8., nec non *Theodoretus* lib. 5. cap. 4. & 8. Quibus solis exemplis redarguit *Balsamon* in *exposit. canonis* 15. *Nicæni* illos Græcos, qui aliquando *absolute* translationes improbaverant.

II. Sane, quæ *obtentu SS. Canonum* an. 381. S. *Gregorio* Nazianzeno; * an. 418. *Perigeni*; ** an. 431. *Proclo* ***, velut transmigrantibus acciderunt, hæc referenda sunt, sive ad invidiam, sive ad nimis tenuem sacrarum regularum expositionem.

* De S. *Gregorio* hoc vide historiam in *part. prior.* §. I. num. 7. Adde hic, ipsum quoque S. *Ambrosium* Mediolanensem cum Synodo Italica plus, quam hæsitasse, an idem S. *Gregorius* recte pervenisset ad Patriarchatum Constantinopoleos; quanquam enim hæc Synodus, absentibus partibus, nihil *definire* voluerit, præconceptam opinionem suam tamen *Theodosio* Imp. sic aperuit: *revera advertebamus, Gregorium nequaquam secundum traditionem Patrum Constantinopolitanæ ecclesiæ sibi sacerdotium vindicare.* Harduin. Tom. I. Concil. pag. 845. Erant autem Occidentales isti cum *Damaso* Papa a *Maximo* Cynico, S. *Gregorii* æmulo, sinistre præventi, usque adeo, ut, postquam S. *Gregorius*, amore pacis, sponte abdicaverat, illi adhuc pergerent stare pro *Maximo* contra *Nectarium*, qui in locum S. *Gregorii* suffectus fuerat.

** *Perigenes*, Corinthi natus, educatus, & gradatim usque ad presbyterii honorem promotus, dum ibidem per multos annos præclare conversatus fuerat, a suo Metropolitano, Corinthiorum Episcopo, totius provinciæ approbante Synodo, *Patrensibus* extitit ordinatus; sed hi eum non receperunt: igitur regressus est, velut *Episcopus vacans*, ad Metropolim Corinthi; contingente postea morte Metropolitani Corinthii, & Clerus & populus unanimi consensu, approbante *Rufo* Thessalonicensi, qua Sedis Apostolicæ per Illyricum Vicario, *Perigenem* fecit in hunc thronum elevari. Verum, quoniam nonnulli, apud quos tenuis obtinebat religio, quasi canones, Episcoporum translationem vetantes, violarentur, corda alias unanimia a recte facti persuasione dimoverant, ideo desuper consultus *Bonifacius* I. Papa rescripsit, *Dei consilio* sic evenisse, ut *Patrenses* populi *Perigenem* sibi ordinatum unitæ contradictionis voce arcerent, quatenus iste nunc inter suos staret tanto sublimior, qui ab externis fuerat refutatus. *Epist.* 4. & 5. *Bonifac. I.* apud *Constant* pag. 1020. & seqq. Vanus utique timor erat, ne peccaretur in canones per assumptionem Episcopi, aliis quidem ordinati, ab his autem constanter repulsi. Vid. *Socratem lib.* 7. *cap.* 55., & *Ivonem* Carnotensem in *præfat. sui Decret.*

*** *Proclus* erat an. 427. a *Sisinnio* Constantinopolitano Cyzicensibus ordinatus Episcopus, hi vero eum nunquam receperunt, ita, ut maneret in ecclesia Constantinopolitana: post *Nestorii* hæretici depositionem plurimi elegerunt *Proclum*; sed restiterunt *Proceres quidam sæculares* urbis, & sub prætextu obstantis canonis plebem ad se traxerunt, ita, ut pro ea vice *Maximianus* eligeretur in Patriarcham; post hujus vero decessum demum idem Proclus: mentitos esse istos Proceres, ait *Socrates* in Hist. Tripart. relatus lib. 12. cap. 7., dum populo imposuere, *regulam ecclesiasticam non permittere eum, qui alterius civitatis episcopus nominatus est, ad alteram migrare civitatem;* cum canon Antiochenus 18., de talibus Episcopis disponens, eos nullatenus vetet præfici alteri ecclesiæ.

III. Pe-

III. *Perigeni* prædicto assimilare contendit *Petrus* de *Marca*, Parisiensis Archiep. *lib.* 5. *Concordiæ* cap. 33. §. 4. 5. 6. *Hermetem*, de quo supra §. I. num. 11., calamum acuens adversus *Hilarum* Papam, quod is puniverit *Hermetem*, cum econtra *Perigenes* in casu identico a *Bonifacio* I. Papa fuisset sub comminatione censurarum manutentus in Sede Corinthi. Verum, meo quidem judicio, diversa extitit causa *Perigenis*, atque *Hermetis*: *

* Nam *Perigenes* ne quidem *ab initio ordinationis a Patrensibus* pro episcopo ipsorum acceptatus fuerat; econtra *Hermes* aliquamdiu præerat *Biterrensibus* ut Episcopus, postea modo ab his expulsus; contra quos remedium juris arripere decennio fere neglexit: hoc est, quod exprobat *Hermeti* Papa *Hilarus* in epist. ad Episcopos Galliarum: IDEO *se frater jam, & coëpiscopus noster Hermes a Narbonensi Ecclesia credidit jure suscipi;* QUIA *indigne a Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi; qui si vere hoc in se factum doleret,* & LEGITIMO REMEDIO SUBVENIRE *propriæ scisset injuriæ, vindictam magis debuit sperare perpessis, quam veniam perpetratis.* Neglexisse autem videtur *Hermes* recuperationem cathedræ *Biterrensis* propter spem succedendi S. *Rustico* in *Narbonensi Ecclesia*, cujus Archidiaconum egerat, petitus ab eodem vivente in suum successorem, cui insolitæ rei *Leo* I. Papa consentire noluit. Nec refert, quod hujus invasionis primus denunciator apud Papam fuerit vir laicus, *Fridericus*, frater *Theodorici* Visigothorum Regis, per *Joannem* Diaconum Romam missum; nam *Hilarus* Papa huic denunciationi non credidit statim; sed prius a *Leontio* Arelatensi expetiit relationem super facto, eandemque subscriptione Episcoporum Galliæ firmatam: hæc relatio debuit contraria fuisse *Hermeti*, causa insuper mature discussa; nam ad Concilium Romanum ex diversis provinciis convenerant Episcopi; pars utraque illuc miserat suas legationes; intererant *Faustus*, & *Auxanius*, Gallicani episcopi, utrum *accusatores Hermetis*, quod ait *de Marca*, vel non, ignoratur: Episcoporum plurimi censuerant in eodem Concilio, quod vigor, & authoritas judicii distringi deberet in *Hermetem*, tanquam invasorem *Narbonensis* ecclesiæ; vid. supra passum epistolæ *Hilari* Papæ; hic autem pepercit ei episcopo transmigranti, qui alterum talem ipse condemnaturus fuisset; sicut scribit *Hilarus* ibid. *Si nunc saltem communi omnium Domini sacerdotum utatur animo; si imitetur exemplum; si ad hæc, quæ ecclesiasticæ quietis contemplatione utcunque sopita sunt, oculis cordis intendat, & pro totius ecclesiæ pace,* QUÆ SUNT MULTIPLICITER ERRATA, *consideret;* NIHIL EST PROFECTO, *quod* NON ETIAM IPSE REPREHENDAT, *& erubescat,* SIBI ANNUI, QUOD IN ALTERO LAUDABILITER IMPROBARIT.

IV. Ex spiritu certe amaritudinis processerat, quod *Marino* Papæ, quem Platina vocat *Martinum* II., etiam post mortem adhuc *Basilius*, Imp. Orientis, iratus propter condemnatum ab eo *Photium* pseudo-Patriarcham Constantinopoleos, objecerat, *quod, qui alterius ecclesiæ sponsus ante fuisset, non potuisset postea Romanam habere sponsam.* *

* Data est *Basilii* epistola ad *Hadrianum* III., successorem *Marini*, perlata modo Romam sub *Stephano* VI., qui multa eidem authoritate respondit, sicut per exten-

extensum videre est apud *Baron.* Tom. X. Annal. ad an. 885. num. 11. Instigator procul dubio erat *Photius*, quem *Stephanus* vocat *seductorem*, qui *induxerit* ad has contumelias *Basilium:* dici econtra Marinum *sanctissimum, divinum*, *immaculatum* matris omnium ecclesiarum *sponsum*, & sacerdotem, qualis qui fuerit, licet ipse silentio præteriret, lapides istos esse clamaturos: delibemus quosdam passus: *Obstupescimus sane, dum tuam perfectam, & illustratam prudentiam seductam videmus, ut talia contra sanctum illum virum cogitaverit.... Dic, quæso te, quis te seduxit, ut Pontificem œcumenicum comico more scommatibus lacesseres? ... mirari satis non possum, quomodo ita turpiter lapsus sis. Scripsisti*, illum non esse Episcopum: *quomodo id nosti? Si vero id ignoras, quomodo ita præceps in eum sententiam tulisti? Quicunque dicunt*, Marinum fuisse antea Episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri, *ostendant illi id aperte: scito, dilecte, & omni honore digne Imperator, quod, licet illi impedimento fuisset, quod objicitur de Canone*, cum tamen id nunquam fuerit, *multitudo tamen SS. Patrum, & illorum authoritas, & judicium, potuit illum constituere in primo gradu, & divina Providentia, prænoscens Ecclesiæ Dei utilitatem, in Sede Principis Apostolorum Petri illum collocavit. Quid vero magnus ille Gregorius, cognomento Theologus, nonne Nazianzo translatus est, & Meletius Sebaste Antiochiam, & Dositheus Seleucia Tarsum Ciliciæ, & Reverentius Archiphœnice Tyrum, Joannes Gordolia Proconnesum, Theodorus Apamea Selymbriam, Alexander Cappadocia Hierapolim? & multi alii diversis in locis translati sunt e suis Sedibus ad alienas:* argumentum ergo *Stephani* hoc erat: *Marinus non erat prius Episcopus, & si fuisset, recte translatus est.* Baronius vero *Marinum* prius extitisse Episcopum, ignotæ Sedis, arguit ex epist. 204. *Joannis* Papæ VIII. ad Athanasium Neapolitanum: *præsentibus his Missis nostris, Marino scilicet reverendissimo Episcopo, & Sanctæ Sedis nostræ arcario, & Sicone, egregio viro:* esse potest, quod fuerit quidam Episcopus *regionarius, sine Sede*, & sponsa.

V. Quanta vero injuria dignitati, memoriæ, corpori, ordinationibus sacris, & actis FORMOSI Papæ sub finem Sæc. IX. facta fuerit a *Stephano* VII., ejus æmulo, ac perversæ mentis successore, *sub obtentu illicitæ translationis*, indignabunda atrocitati agnoscit omnis posteritas. *

* Non equidem negavit *Stephanus*, posse translationes fieri; nam & ipse prius *Anagninus* fuerat Episcopus, teste *Platina*, sed contendit, Formosum *ambitiose* translatum fuisse, ut patet ex *Stephani* ad cadaver illius exhumatum, & in banco juris constitutum, interrogatione: *Tu, cum Portuensis esses Episcopus, cur* ambitionis spiritu *Romanam universalem sedem usurpasti?* Luitprandus *lib.* 1. *cap.* 8. Quod scribit etiam Platina, *largitione potius, quam virtute;* Sed plus credo Synodis duabus, apud Ravennam, & Romæ an. 904. congregatis, numero Episcoporum plurimo, asserentium, *Formosum necessitatis causa pro merito vitæ translatum fuisse.* Vide retro *§. I. num.* 5. *in fin.* Et *Thomassin.* V. & N. Discipl. part. 2. lib. 2. cap. 63. num. 14. Aliud criminationis caput scribit *Platina* in *Stephano* VII., quia hic dicebat, *Formosum* contra jura sacramenti Romam, & Sacerdotium repetiisse, quo a *Joanne* VIII. jure spoliatus fuerat; suspectus enim huic cum esset participatæ conjurationis *Formosus*, deseruit Portuensem Episcopatum, & fugit in Galliam; revocatus

cetus a *Joanne* redire noluit, ideo notabatur anathemate: postea Romam veniens, ad laicam communionem redactus, juravit, ut supra. At vero *Marinus*, Joannis successor, *Formosum* juramento absolvit, atque Episcopatui suo restituit.

VI. Rigoristis, *omnem* translationem Episcoporum prohibitam esse contendentibus, non suffragatur canon 21. Concilii *Antiocheni* de an. 341. relat. a Gratiano in *can.* 25. VII q. 1.; solummodo quippe solitos *transitus speciosos praetextus* excludit. *

* Volens, non debere Episcopum *transire*, nedum, *si se ingesserit*, sed nec, *si a populis fuerit violenter attractus*; neque etiam, *si ei hoc ab Episcopis* SUADEATUR: Silet autem de casu, quo *integrum*, *perfectumque Concilium*, præside Metropolitano, Episcopum *ex causis canonicis* transferret, uti de *vacantibus* Episcopis ad sedes *vacantes* promovendis statuit ejusdem Antiocheni Concilii canon 16*tus*.

VII. Nec favet difficilis cœteroqui canon Africanus, hujus Codicis 48., relatus a *Gratiano* in can. 107. dist. 4. de Consecr. *Non licet fieri rebaptizationes, & reordinationes* vel TRANSLATIONES *Episcoporum*; per quem videtur *translatio* æque prohiberi, ac *reordinatio*, & *baptismi iteratio*. *

* De qualibus enim translationibus hoc intellexerint Patres Concilii Carthaginensis III., ostendit mox subjunctus in fonte casus his verbis: *nam Cresconius villæ Rhegiensis Episcopus*, *plebe sua derelicta*, *Tubuniensem* INVASIT *ecclesiam*, *& usque hodie commonitus*, *secundum quod statutum fuerat*, *relinquere eandem*, *quam* INVASERAT, *plebem contemnit*. Translationis verbum igitur hic accipe pro *invasione*, sive *sui ipsius transmutatione* quoad locum. *Additio*. Hic canon, prohibens rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum, non fuit conditus in quodam Africano Concilio, sed in *Capuana* Synodo, quam Patres Carthaginenses vocant plenariam: de hac vide *Harduinum* in indice Tomi I. Concilior. sub an. 389., *Van Espen* commentar. in Canones posthumo pag. 333., nec non *Gonzalez* ad *cap.* 1. *h. t. num.* 17., ubi ex ritu *Donatistarum*, qui Episcopos ad se abeuntes, tanquam novos Christianos, & homines, denuo baptizabant, & ad novos episcopatus ordinabant, deduxit causam, cur Synodus Capuana ista tria in uno canone conjunxerit. Aberravit igitur *Hincmarus* a vero, nimium calens adversus translationem *Actardi*, dum ex canone isto Africano ajebat, *colligendum esse*, *quam grande scelus sit hujusmodi translatio*, *quæ rebaptizationi*, *& reordinationi comparando conjungitur*: nam *simplex*, absque reiteratione ordinis, facta illicite *translatio* tantum crimen non est, quantum *rebaptizatio & reordinatio*.

VIII. Nec etiam ratio CONJUGII *spiritualis*, quasi aliquod *divinitus* inter Episcopum, *& suam Ecclesiam *conciliaretur*; licet enim hæc Patrum comparatio sit antiquissima; * ex ea tamen non concluserunt ad aliud, quam, *non esse* QUÆRENDAM *ab Episcopo solutionem* a sua, nec appetendam alienam Ecclesiam, quin statuerint speciem matrimonii ex jure *divino* **

* Conjugium istud spirituale non excogitavit primum *Innocentius* III. Imo vero amplissimam ex antiquis habuit copiam, suum de matrimonio spirituali systema expoliendi: præiverat jam an. 340. *Alexandrina* Synodus, de qua S. *Athanas.* Tom. I. nov. edit. pag. 379.; & ex eo *Harduin.* Tom. I. Concil. pag. 575. Hæc in *Eusebium* Arianum sic invehitur: *Quanquam Eusebius ordinationem Athanasii reprehendit, homo, qui ipse forte nunquam ordinatus est, aut, si unquam fuit, ordinationem suam irritam fecit: nam initio quidem Beryti Episcopus fuit: relictaque Beryto, Nicomediam venit, illam quidem contra legem deserens, istam vero contra legem invadens; & cum suam sine ulla charitate reliquerit, alienam sine causa occupat; prioris episcopatus caritatem alieni cupiditate contempsit; nec tamen illum alterum, quem tanta aviditate occuparat, retinuit: ecce enim, illinc quoque discedens, alienum rursus arripuit, semper alienas civitates concupiscens, ratus, in opibus, & magnitudine urbium religionem esse sitam; &* SORTEM DEI, *secundum quam quisque ordinatus est, pro nihilo ducit*, ignorans illud: *ubi duo, aut tres in nomine Domini congregati fuerint, illic esse Dominum in medio eorum, nec secum recogitans, dictum illud Apostoli:* non in alienis laboribus gloriabor: *neque præ oculis habens illius præceptum:* alligatus es uxori, noli quærere solutionem. *Quodsi hoc* de uxore *dictum est*, quanto magis de Ecclesia, atque adeo de Episcopatu? *cui cum quis alligatus est, alium quærere non debet, ne adulter ex sacris literis deprehendatur.* Eodem modo S. *Cyprianus* relat. in *can.* 6. *VII. q.* I. Novatianum vocat *adulterum*, eo quod Episcopatum Romanum *Cornelii* invasisset. S. *Gregor.* Nazianzen. in Orat. 27. *In gratiam cum veritate redeant, qui nos* ALIENAM UXOREM *expetivisse ajunt, cum ne* PROPRIAM *quidem* (Sasimorum) *habere voluerimus.* Confer supra *Siricii* Papæ, vel *Innocentii*, canonem ad Gallos §. I. num. 6. in fin. Concilium Constantinopol. an. 536. sub Mena in epist. ad *Agapetum* contra Anthymum: *Ante enim multum tempus præcogitavit* adulterium, & raptum *hujus imperialis Ecclesiæ . . . cum propriam neglexerit ecclesiam*, & viduam, ac sine viro *eousque ipsam derelinquendo.* Ut cœtera loca omittam, ex quibus *pseudo-Isidorus* in *can.* II. & 39. *VII. q.* I. sub nominibus *Evaristi*, & *Callisti* I. Papp. commentis facile, & absque novitate accipere potuit parabolam suam *de Ecclesia Episcopi sponsa, & uxore.*

** Nullibi *ex conjugio spirituali* intulit antiquitas præceptum, ne unquam *Ecclesia* transferret Episcopum, multo minus, quod matrimonium Episcopi cum sua ecclesia non esset *humanitus solubile:* non ea est vis *allegoricarum* ad jus aliud divinum *allusionum*, ut ex iis mox inducatur *jus divinum*, circa rem, cui sic applicatur, *identicum:* Arg. *cap.* 27. *de elect. cap.* 13. *qui fil.*, in quibus & aliis Innoc. III. jus divinum de una re amavit applicare ad aliam. Unde quoque fassus est S. *Hieronymus* in epist. 50. ad *Oceanum*, de *unius uxoris viro*, non multam vim inesse explicationi eorum, qui Apostoli verba: *Episcopus sit unius uxoris vir*, deflectunt ad ecclesiam, velut episcopi uxorem: *Accipe & aliam explanationem, ne tibi soli liceat, non voluntatem legi, sed legem jungere voluntati: Quidam* coacte *interpretantur*, uxores pro ecclesiis, viros pro episcopis, *debere accipi, & hoc in Nicæna quoque Synodo a Patribus esse decretum, ne de alia ad aliam ecclesiam Episcopus transferatur, ne, virginali paupercula societate contempta, ditioris adulteræ quærat amplexus . . . . . Violenta est,*

est, inquies, & satis dura etiam hæc interpretatio: redde igitur Scripturis simplicitatem suam, ne tuis contra te legibus dimicemus.

IX. Sicut quoque passim docuit veneranda Antiquitas, *hos Episcopos his Ecclesiis a Deo dari ac præfici;* * quin tamen dixerit, dari illos *a* DEO *tanquam viros uxoribus.* **

* Vide in *part. prior. §. I. num.* 5. epistolam I. *Julii* Papæ in verbis: *ut eam, quæ sibi a* DEO TRADITA *est*, despiceret: §. eod. num. 11. epistolam *Constantini* M. ad Eusebium: *in eo potius episcopatu permanere desiderans, quem* DEI MANDATO *ab initio suscepisset:* in hac poster. part. retro §. hoc num. 8. Dictum *Alexandrinæ* Synodi: *Sortem* DEI, *secundum quam quisque ordinatus est, pro nihilo ducit.* S. Cyprian. relat. in can. 5. VII. q. 1., ubi ait, *Cornelium* Papam factum esse Episcopum *de Dei, & Christi ejus judicio*, & occupasse cathedram Sacerdotalem *de Dei voluntate:* Concilium *Antiochenum* an. 341. can. 21. *Maneat autem in ecclesia, quam primitus a* DEO *sortitus est:* quæ sane fundantur in illa S. Pauli Apostoli *Actor.* 20. *v.* 28. ad majores natu Ephesi exhortatione: *Attendite vobis, & universo gregi*, in quo vos SPIRITUS SANCTUS POSUIT EPISCOPOS, *regere Ecclesiam Dei.* Et ad Hebr. 5. v. 25. *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo.* Principium hujus doctrinæ est, quia Episcopus ordinatur ad regendam hanc suam ecclesiam per impositionem manus, quæ est verum Sacramentum: veri autem Sacramenti effectus non est ab homine, sed a DEO, & CHRISTO, omnium Sacramentorum principali Ministro, juxta illud Joan. 1. v. 33. *Hic est, qui baptizat.*

** De *solo* CHRISTO legimus in Scripturis, quod Ecclesia sit ejus sponsa: *Apocalyp. c.* 19. *v.* 7. item *c.* 21. *v.* 2. & 9. Ad *Ephes.* 5. *a vers.* 25. usque 32. Matrimonium carnale significat conjunctionem *Christi* cum Ecclesia, non *Episcoporum:* Cap. 5. de bigam. Hinc *Bonifacius* I. Papa in epist. ad Honor. A. an. 419. vocat Ecclesiam *intactam virginem*, quam Christus *uni desponsatam sibi* servat. *can.* 1. *dist.* 97. Ecclesia, cui desponsavit se Christus, comprehendit, non *solos clericos inferiores cum laicis*, sed *totum quoque chorum Episcoporum*, incluso etiam *supremo:* Unitas Ecclesiæ, ex omnibus gentibus collecta, & uni viro Christo subjecta, ut ait *Glossa* in *cit. cap.* 5., sive *tota collective Ecclesia*, est *mater singulorum*, nemine excepto, & uxor *sponsi* cœlestis, cujus, & nuptiarum, *filii* vocantur ipsi quoque primi Discipuli *Matth.* 9. *v.* 15. *Marc.* 2. v. 19. *Luc.* 5. v. 34. & 35. Ignorat igitur *jus Evangelii* illud matrimonium, quod *jus humanum* allegorice asserit inter Episcopum, & suam Ecclesiam; & huc quoque pertinet recentior illa titulatura *Bonifacii* VIII. in cap. 4. de immunit. eccles. in 6. *Ecclesiæ sponsæ nostræ.*

X. Multo minus *Antiquitas* docuit, opus esse, ut *Deus ipsemet* per suum his in terris supremum Vicarium dissolveret hoc metaphoricum Episcopi cum sua Ecclesia conjugium. *

* Primus omnium *Innocentius* III. Sæc. XIII., ad suum systema consequenter sustinendum, dixit, quod *omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam*, SUO TANTUM JUDICIO *reservaverit dissol-*

 ven-

vendum . . . non enim HUMANA, *sed potius* DIVINA *potestate conjugium spirituale dissolvi, per translationem, depositionem, vel cessionem*, ut habetur in *cap.* 2. *h. t.*, & in *cap.* 3. eod. *quod non* HOMO, *sed* DEUS, *separat, quos Romanus Pontifex* (*qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris*) *ecclesiarum necessitate, vel utilitate pensata, non* HUMANA, *sed* DIVINA *potius authoritate dissolvit.* Non hic *dogma pro cathedra proponere* intendit *Innoc.* III., sed *Reservatum Papale nutans ratiocinio*, prout ipse ingens plerumque ratiocinator erat, *suffulcire:* mallem autem, ut *revelationem* ex verbo Dei scripto, vel tradito pro se attulisset, quam tale, quod extat in cap. 2. h. t. *ratiocinium;* certe enim non persuasit, sed perplexos fecit interpretes, ut, quam sese in partem verterint, suis solutionibus satisfacere nequeant; id quod & disputando sæpe comperi, & video ex commentariis, adeo, ut hoc cap. 2. queat dici *crux*, *& equuleus Canonistarum.*

XI. Et vero, cur *Abbas* non jungitur *spirituali conjugio* suis monachis? Cur non *Plebanus*, & quilibet *Pastor animarum* suæ plebi? Cur *solus præcise Episcopus?* * Aut cur *Nicænum* Concilium can. 15. non fecit distinctionem inter *Episcopum*, *Presbyterum*, & *Diaconum*, indistinctim transire prohibitos, si in Episcopo ratio prohibitionis fuisset mysticum hoc conjugium episcopale?

* *Episcopo*, inquiunt, datur in sui consecratione *annulus*, desponsationis spiritualis pronubus! Nonne & datur *Abbati*, & quidem ipsissima forma, qua Episcopo? *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus* SPONSAM DEI (Dei, inquam, non tuam) *sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias.* Nonne quoque in *cap.* 4. *de concess. præb.* Papa *Cœlestinus* III. investivit *simplicem Canonicum* Cameracensem per *annulum?* Suntne hi ritus *juris divini*, an *humani* potius? Sane, annuli carentia non obstante, *Presbyteri parochiarum* dicuntur *Reginoni* nostro in cap. 250. illas *habere in uxores*, ita, ut hæ legi eorum, quamdiu vivunt, sint alligatæ. Æque levis est ratio, quod per obitum Episcopi ecclesia dicatur esse *viduata:* nonne enim Curia Romana *Abbatum* quoque electiones adstringit ad formam cap. *Quia propter* de elect. ideo, quia in *cap.* 41. *eod.* ecclesia abbatialis etiam per mortem dicitur *viduata?*

XII. Sed expendamus quoque *vim ratiocinii*, ab *Innoc.* III. in *cap.* 2. *h. t.* adhibiti: pro lapide illius angulari ponit: *inter* CORPORALIA, *& spiritualia eam cognovimus differentiam, quod corporalia* FACILIUS DESTRUANTUR, *quam construantur:* SPIRITUALIA *vero* FACILIUS CONSTRUANTUR, *quam destruantur.* Suntne hæc themata *universalia?* *

* Multa crisis super hac diversitate fieri potest, quo minus *universaliter* vera sint hæc themata: Quid vult hic intelligi per *corporalia?* An *res corporales*, quæ tangi possunt, veluti fundus &c. ut in *princ. Inst. de reb. corpor.* Et, *de qua* istarum rerum *destructione* procedit thema? an de ea, quæ *jure* fit, an de ea, quæ *via facti* fit? Utique *via facti* plerumque citius destruitur corpus, e. g. domus, liber, arbor, quam fiat; sed *via juris* facilius est impedire, ne fiat corpus, difficilius semel facti destructionem obtinere, ut constat in novi operis nunciatione, in actione de tigno & aliis. Sic & *via facti* facile depositi, atque

que translati sæpe fuerunt Episcopi, præsertim Orientales: quid autem *via facti* illicita huc facit? loquamur *de juribus* circa res corporales, sive *materiales*, & inquiramus, an thema hoc sit *universaliter* verum, quod hujusmodi jura facilius *jure* destruantur, quam construantur? Sunt utique *nonnulla*, quæ plus requirunt ad sui constitutionem, quam destructionem, ut *peculium*, quod *& animo, & traditione* constituitur, *solo animo* aufertur *l.* 8. *ff. de pecul.*, ut *possessio*, quæ *& corpore, & animo* acquiri debet, *solo animo* amitti potest *l.* 3. §. 1. *&* 6. *de A. vel. A. P.* Societas duarum voluntate initur, unius solius tempestivo recessu dissolvitur. *l.* 4. §. 1. *ff. pro soc.* Ast vero sunt alia in contrarium, quæ difficilius auferuntur, quam dentur: sic patrocinium clienti addicere Advocato est facile, difficile nondum peracta causa renunciare: *conductio, emphyteusis, feudum*, facile constituuntur, difficilius auferuntur: facilius constituitur dos, quam alienetur, & pereat: pupillus, minor, ecclesia facilius acquirunt, difficilius perdunt: pignoris distractio plus requirit, quam constitutio, plus revocatio donationis, quam donatio; libertatem servo dare facile est, revocare difficillimum, *can. ult. XV. q.* 7.; semel hæres, semper hæres, facilius ergo nomen hæredis acquiritur, quam expungatur a persona; publica honestas, consanguinitas, affinitas, facile contrahuntur, contractæ manent firmæ, & similia plura: Quis nunc periculosam hanc in jure definitionem statuat: *jura corporalia facilius destruuntur, quam construantur.* Et ex altera parte, quis *universaliter* ponet, *jura spiritualia facilius construi, difficilius destrui?* Equidem ea, quæ *in charactere interno indelebili* consistunt, facile accipiuntur, nunquam, ne a volentibus quidem, destruuntur, ut esse baptizatum, confirmatum, ordinatum; alia tamen spiritualia a *volentibus* facilius amittuntur, quam acquirantur, ut fides, spes, charitas, gratia sanctificans, commoda communionis Sanctorum: beneficium ecclesiasticum multis forte expensis, & laboribus acquiritur *cap.* 5. *de renunc.*, unico maledicto verbo: *resigno* amittitur; ut quis fiat Papa, requiruntur duæ tertiæ votorum; ut desinat esse, sufficit unius Papæ renunciatio *cap.* 1. *de renunc. in* 6. Duo exempla, quæ affert *Innoc.* III. in *cap.* 2. *h. t.* non conficiunt thema generale, neque illa in destruendo difficultas provenit ex *natura rei*, aut ex *divina institutione*, sed, uti ipsemet textus dicit, *juxta canonicas institutiones;* quod enim 1.) solus Episcopus presbyteratus honorem dare possit, non auferre solus per *degradationis* terribilem ceremoniam, hoc pure humani juris est, per Tritentinum *sess.* 13. *cap.* 4. *de reform.* quoad interventum plurium Episcoporum remissi: & cur abstrahendo a canonibus, non posset unicus Episcopus cum suo Clero realiter *degradare*, cum unicus possit cum synodali judicio *verbaliter ab ordine deponere?* can. ult. XV. q. 7. Quod 2.) Episcopi a Metropolitanis suis munus consecrationis accipiant, non tamen, nisi per Romanum Pontificem condemnari queant, hoc rursus humanum est reservatum; nam olim Metropolitanus cum suis comprovincialibus & ordinavit, & deposuit Episcopum.

XIII Pergit cap. 2. h. t. *Cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum, & fœminam, suo tantum judicio reser-*

reservavit, *præcipiens*, *ut*, *quos Deus conjunxit*, *homo non separet*. Ast in hoc ipso inextricabilis nodus est; *

* Nam 1.) Vinculum matrimonii inter virum, & uxorem non est *pure carnale*, sed *plurimum* potius *spirituale*; quia divinum Sacramentum, & magnum est in Christo, & Ecclesia. *Ad Ephes*. 5. *v*. 32. Indissolubilitatem matrimonii non parit id, quod in ipso *carnale* reperitur, penitusque naturale; nam omnis res per, quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, *can*. 4. *XXVII*. *q*. 2.; sed sic post S. *Augustin*. in *can*. 10. *ead*. *caus*. & *quæst*. nuncupatum *bonum Sacramenti*, quatenus nempe *illud conjugium* designat, *quod inter Christum*, & *Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum*. Cap. 5. de bigam. 2.) Quo pacto conjunctio viri cum fœmina refertur inter ea, quæ facilius destruuntur, quam construuntur? cum vel ipsæ leges humanæ agnoverint, *solutionem matrimonii difficiliorem debere esse*, quam ejus compactionem. *l*. 8. *C*. *de repud*.; propter quod *Immola* in relect. huj. cap. fatetur, matrimonium *exorbitare a regula corporalium facilius destruibilium*, *quam construibilium*: si vero exorbitet a regula, cur submittitur præmissæ regulæ, ad exorbitans non quadranti? Et quorsum exorbitat? Nonne *ad spiritualia*, difficilius destruibilia? *Simile* ergo cum sit istis, quid eisdem hic contraponitur? Et quid dico *simile*, quod est *identice spirituale*? nam *in vinculo* spiritus est mysterii supra naturam, licet *in operatione* sit caro carnalibus conjugibus. 3.) Cur vinculum conjugii *spiritualis* esset *fortius* vinculo conjugii *carnalis*, cum de *posteriore* extet *præceptum* Dei *absolutum*, de *priore* nullum? *carnale* Dei *Vicarius* nequidem ob urgentissimas causas, e. g. si Imperator alias improlis moreretur, in ullo casu dispensative dissolvere posset; *spirituale* vero dissolvit sæpissime: nonne difficilior est absolutio, quam Episcopus suo Vicario generali non committit, præ illa, quam committit? Si Papa nequit solvere *minus forte* vinculum carnis, quomodo solveret vinculum episcopatus, si esset *magis forte*? Quapropter *Petrus de Marca* lib. 7. de Concord. Sacerdot. & Imp. cap. 26. n. 8. ait: *Argumentum illud Innoc. nimis probat; nam hinc potius sequeretur, nullo casu Papam posse dissolvere conjugium spirituale, cum ipse, quamvis Christi Vicarius, nullo casu possit dissolvere vinculum conjugii carnalis.* Sed ajunt, Papam solvere authoritate *divina*, non *humana*: unde constat, quod in solvendo hoc canonico vinculo Papa utatur altiore potestate, quam, cum *alia difficilis concessionis* dat *ex plenitudine potestatis*? Omnis potestas sacra est *hoc sensu* divina, *quia a Deo est*; propterea tamen non omnis lex, nec omne decretum, vel factum dispensans Papæ est *lex divina*, decretum, vel factum ipsius Dei: an erit de fide, illum Episcopum a Deo translatum esse, quem transtulit Papa? Quid autem, si Papa transferret aliquem *sine causa canonica*? An non esset ille translatus *valide*? Atqui *circa jus divinum* nihil valide fit a Papa, quod perperam fit! Non est solutus *a voto* quoad Deum, quem Papa sine justa causa absolvit voto: sequeretur, non esse coram Deo solutum a sua Ecclesia Episcopum, quem Papa pure ob respectum humanum solvisset; quæ hinc nasceretur incertitudo in translationibus? Qui crederetur esse Episcopus novæ Ecclesiæ coram hominibus, ille coram Deo foret adhuc Episcopus prioris ecclesiæ, & sic Deo utraque ecclesia esset adultera, dum hæc viro alienæ nuberet, illa alieni uxor viro novo? Nonne ad hæc evitanda præstat contra ratiocinium cap. 2. dicere, conjugium Epi-

Episcopi cum sua ecclesia esse *solum ex institutione canonica* conjugium, proinde *vere solvi*, licet *cum peccato* solveretur? Id quod dici non posset, si *jure divino* esset conjugium, idque *fortius* carnali conjugio.

XIV. Ad quem solvendum varii varia excogitarunt, id unum fere lucrantes, quod alter alteri materiam refutandi præbuerit, vel alterius solutionem omittendi. *

* *Glossa*, non sciens frangere nucleum hujus textus, dicit: conjugium Episcopi est *fortius*, i. e. *dignius*, quoniam *carnale in veritate fortius est*; quia dissolvi non potest, etiamsi interveniat consensus Papæ, & ipsorum conjugum: spirituale vero conjugium in multis dissolvitur casibus, translatione, renunciatione, & depositione, authoritate Papæ; *& ideo minus est forte, sed dignius.* Sed hoc est vim ratiocinii evertere, quæ non in *dignitate*, sed *fortitudine vinculi majore* ab Innoc. posita est: Ideo *Hostiensis* ait, quod Glossa videatur hic literam violare; ipsemet vero in summa h. t. vinculum, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam *specialem*, non judicat fortius, imo debilius, quam carnale; sed solum vinculum matrimonii spiritualis, contracti inter Episcopum, & Ecclesiam *generalem*, propter unitatem Episcopatus toto orbe diffusi; hoc enim postremum vinculum ait inniti *ordinationi divinæ*; quos Deus conjunxit &c., & ideo rumpi non posse, vinculum vero, quo Episcopus ligatur Ecclesiæ Cathedrali, firmari *constitutione canonica*, ideoque per Papam dissolvi posse. Verum ratiocinium Innocentii non loquitur de translatione ab Ecclesia *universali*, sed de *particulari* ad *particularem*, quam prætendit fieri multo magis debere a Deo, quam dissolutionem matrimonii carnalis, ut observat Cardinalis *Zabarella*, & alias constat, ita exauctorari posse penitus Episcopum, ut non reputetur amplius pro Episcopo Ecclesiæ universalis. *Panormitanus* fatetur, *certo respectu* esse fortius in dissolvendo carnale, quam spirituale matrimonium; quia illud solvitur authoritate Dei, istud authoritate Papæ; *certo* tamen *alio respectu* dissolvi difficilius spirituale, quam carnale; quia durat post mortem propter characteris impressionem: sed, si duret post mortem, quomodo Ecclesia dicetur *vidua*, & nubere alteri? an forte resuscitatus a mortuis Episcopus magis tenebitur redire ad suam ecclesiam, quam maritus resurgens ad suam uxorem? Character non copulat Episcopum cum hac ecclesia, neque cum universali, velut maritum, sed constituit eum unice in ordine Episcopatus. Fortius alio respectu, ait porro *Panormitanus*, esse spirituale matrimonium carnali; quia carnale dissolvitur per spirituale, videlicet per professionem religiosam, quam pariter vocat spirituale matrimonium; non autem econtra: nam illud carnale matrimonium, de quo Deus dixit: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, est Innoc. III. *in cap.* 5. *de bigam.* solum matrimonium *consummatum*, cujus vinculum per professionem religiosam nequaquam solvitur: unde semper manet difficultas, cur *Innoc.* III. voluerit, dissolutioni matrimonii spiritualis plus obstare illud, *quod Deus conjunxit* &c., quam dissolutioni matrimonii *consummati?* itaque, omissis istis solutionibus, *Gonzalez* ait, comparationem, quæ fit in hoc textu, non probare, quod *spiritualis matrimonii vinculum æque sit indissolubile, ac matrimonii carnalis consummati*; sed tantum eo dirigi, ut probet, *neutrius dissolutionem posse fieri ab homine*: verum nonne

verba

verba textus: *cum ergo fortius sit spirituale vinculum, quam carnale*, asserunt, magis illud resistere dissolutioni, quam hoc? Cujus autem dissolutioni magis resisteret? si *Dei*, ergo Deus in uno plus difficultatis inveniret, quam in altero: si *hominis:* ergo homo minus poterit dissolvere Episcopum a sua Ecclesia, quam maritum a sua uxore: ergo magis erit ex se indissolubile conjugium Episcopale *quoad homines:* ergo, si Pontifex transferendo procedat *ut homo*, sine causa *divinitus approbata*, ex meris respectibus politicis, sine judicio Dei, Episcopus non erit reapse translatus! Quid hinc sequeretur in Ecclesia? Clariss. *Böckhn* ait, semper manere verum, quod fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, si utrumque *secundum se* spectetur, hoc sensu, quod *majori ratione* nixa sit indissolubilitas matrimonii spiritualis; quia spiritualia præstant carnalibus: quod autem Pontifex in matrimonio carnali consummato dispensare nequeat, non habere id matrimonium *ex se*, sed *ex speciali superaddita significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia, ac unionis hypostaticæ;* qualis significatio non sit imposita consecrationi episcopali. Ast! Pontifex non potuit considerasse matrimonium *secundum se*, quale foret illud *in statu puræ naturæ*, sine significatione mystica, ex qua unice fluit indissolubilitas ejus; nam sic ruisset ejus argumentum: *matrimonium carnale a solo Deo dissolvi potest: ergo etiam matrimonium spirituale;* cum antecedens de matrimonio *secundum se* non fuisset verum. Ex his apparet, laborare, & torqueri in vanum Canonistarum ingenia in salvando *Innocentii* III. ratiocinio, quod salvare nemo tenetur.

XV. Licet autem *similitudinaria* hæc Episcopi cum sua ecclesia desponsatio, ut ut vetusta, sit pura *juris humani* creatura; ex hac tamen ipsa comparatione æstimari potest, quantum difficultatis crediderint subesse Ss. Patres in translatione Episcopi.*

*) In Concilio *Trecensi*, sive *Tricassino* II., an. 878. præsente *Joanne* VIII. Papa celebrato, *Rostangus* Arelatensis eodem oblato libello petiit remedium contra *desertores uxorum*, secundam superinducentes, & contra Episcopos, vel Presbyteros transmigrantes: *inventum est* DE SALTU MIGRANDI *de ecclesia ad ecclesiam episcopis, vel presbyteris, &* DE CONJUGIO RELICTO, *adhuc uxore vivente, & alia superducta:* Joannes VIII. conformiter huic libello complexus est eodem statuto hosce adulteros, & transmigrantes: *Inter nonnulla necessitatum a S. Synodo reclamatum est, quod laicorum quidam, sortitis primo legaliter conjugiis, postposito Dei timore, secundi, vel tertii, adhuc uxore vivente, conjugii copulam contrahant... Ad augmentum quoque earum transgressionum, quod flebiliter dicimus, additum est, quod Episcoporum quidam intra septem provincias Galliarum, calcato termino Patrum, spretoque sancitu canonicæ auctoritatis, de minori ad majorem ambitus causa demigrant episcopalem cathedram, quibus canones, spiritus S. gratia conditi, concorditer contradicunt. Nos quoque....prohibemus, ne quisquam catholicorum taliter audeat a modo, & deinceps agere,* &, *si, ut non optamus, hactenus quidquam taliter actum est, digna pœnitudine ecclesiastica corrigatur. Denique hac auctoritate apostolica virtute Dei intercedimus,* UT EPISCOPI AD PRISTINAM SEDEM SINE MORA REDEANT; *quia, si tardaverint, continuo omni Sacerdotali honore spoliabuntur: &* LAICI REDEANT AD PRIMUM CONJUGIUM, *sin autem,*

autem, vinculo anathematis innodentur. Harduin. Tom. VI. Concil. pag. 193. & 196.

XVI. Inter Romanos Pontifices S. *Gregorius* M usque adeo evitavit *translationes*, ut potius in casibus necessitatis excogitaverit loco earum sic in specie dictas *incardinationes*, cum debito redeundi ad propriam ecclesiam, cessante causa. *

* Vid. part. prior. §. I. num. 9. Adde *Joannem* Diaconum lib. 3. cap. 18. *Licet Gregorius vacantes Episcopos vacantibus civitatibus* INCARDINARE *studuerit; nunquam tamen Episcopum ab integritate suæ ecclesiæ, vel ipse in aliam* COMMUTAVIT, *vel sub quacunque occasione* MIGRARE *consensit.* Imo vero nequidem enixe postulantibus cito *incardinavit* aliquem Episcopum, sed interdum solummodo eis dedit *visitatorem*, ut est exemplum in *lib.* 2. *epist.* 6. 7. 12. de *Paulo*, Nepesinæ civitatis Episcopo, quem sibi *incardinari* rogaverat Civitas Neapolitana. *Nepesinæ* autem ecclesiæ *visitatorem* interea constituit *Joannem* Episcopum, ut nullo modo sentiretur *Paulus* absens. *lib. cit. cap.* 20. Demum *Paulo* ad Nepesinam reverti sæpius expetenti *Gregor. M. necessario*, ut scribit *lib.* 2. *regest. epist.* 35., annuit: tanta erat tunc temporis scrupulositas in translationibus. *Incardinationis* methodum servavit sæculo X. S. Hungariæ Rex Apostolicus *Stephanus* I.; nam, cum *Sebastianum* nominasset *Strigoniensem* Archiepiscopum, hic vero privaretur postea visu, nominando illuc quidem transtulit *Astricum* Colocensem Episcopum; ast, visu recepto, *Sebastianum* Strigoniensi, *Astricum* Colocensi, restituit Ecclesiæ; L. B. de *Pilatis* origin. jur. pontif. pag. 61.

§ XVII. Nempe *ex una parte* in translationibus metuebant plurimum Ss. Patres *ambitionem*, *vel avaritiam*. *

* Cum, sicut ex *Sardicensi* Concilio ait cap. 1. de cleric. non resid., *nullus sit inventus Episcopus, qui ad* MINOREM *de* MAJORI *civitate transierit*: majorem Sardicense intellexit civitatem vel *majoritate sedis*, ut est Metropolis, vel *majoritate populi*, opum, mundanæ potentiæ: hanc postremam majoritatem noluit plane attendi *Innoc.* III. in *cap.* 4. *h. t.*, increpans *Conradum*, quod sub prætextu indulti apostolici, assumendi, si vocaretur, *majorem* ecclesiam, assumpserit præ *Hildesiensi* ditiorem *Herbipolensem*; paris enim dignitatis sunt omnes Episcopatus, etiamsi esset *Boviensis* in Italia: *nulla mitra parva est: imo, quantum præcise ordinem episcopalem* attinet, *ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii.* S. Hieron. relat. in *cap.* 24. *dist.* 93.

Additio 1. Hodie post *Innoc.* III. in *cap.* 4. *h. t.* reputatur *major difficultas*, ut quis transferatur de *cathedrali* ad *cathedralem*, quæ reputantur *canonice pares*, quam, ut transferatur quis de *cathedrali* ad *Metropolitanam*; item, *honestius* visum est Innoc. III. in *cap.* 4. *de postul.*, si *Suffraganeus ad Metropolim suam* per translationem accederet, quam, si *Archiepiscopus de Metropoli ad Metropolem* transferretur; quia Sedes Metropoliticæ sunt *canonice pares*, licet forsan essent *politica consideratione* impares: utique vero translatio *de pari ad parem*

rem ecclesiam suspecta est *avaritiæ*, si una sit ditior altera, vel *ambitus mundani*, si una in temporalibus præcelleret alteri, e. g. si Episcopus unius esset tantum Comes Regni, alterius vero Princeps, vel Dux, aut Par Franciæ: Ast ascensio de Episcopatu ad Archiepiscopatum cadit in suspicionem *duplicis* criminis, ambitus, & avaritiæ: huc respexit canonis Sardicensis motivum; sed *Innocentii* III. ævo facilior in hoc casu erat translatio, *cum in majori dignitate propter majorem utilitatem facilius soleat dispensari.*

Additio 2. Canoni *Sardicensi* non erat tam ingratum *minorari*, quam *majorari*: ast *Innoc.* III. in *cap.* 1. *h. t.* Rudolphum II., *Antiochenum* Patriarcham, eo reprehendit magis, quia *Metropolitam* Apameæ transtulerat ad *simplicem Episcopatum* Tripolitanum: *novo quodam mutationis genere* PARVIFICASTI MAJOREM, & MAGNUM *quodammodo minorasti;* EPISCOPARE ARCHIEPISCOPUM, *imo potius* DEARCHIEPISCOPARE *præsumens:* tale quid profecto fuerat aliquid novi; quia, quod ipsum dolebat *Sardicensis* canon, nemo petiit *minorem* civitatem, relicta *majore*. Ad casum hunc non pertinet, sicut recte advertit *Hostiensis* in cap. 1. h. t., siquis Archiepiscopus *primum* sine fraude *simpliciter cedat*, aut aliter desinat esse Archiepiscopus, deinde vero simplicem episcopatum accipiat *ex intervallo;* quia non est *translatio*, neque *descensio*, sed *ascensio* potius: *Hostiensis* indigitat casum sub CLEMENTE IV. Papa in Ecclesia Metropolitana *Salisburgensi*, in qua *Philippo*, Carinthiæ Duci, quem *Alexander* IV. an. 1257. exauctoraverat, quoniam per novem annos neglexerat se facere consecrari, successit per postulationem *Udalricus* Secoviensis, retinens insimul hunc episcopatum, quia propter *Philippum*, ejusque potentes fautores, non potuit quiete habere Archiepiscopatum: vix autem denique Salisburgi a civibus, ejecto *Philippo*, receptus fuerat *Udalricus*, cum an. 1260. importuni creditores Romani ab eo urgebant apud Curiam solutionem ingentis summæ, quam propter postulationis negotium Romæ contraxerat; Papa vero ipsemet, & curia petierunt aliam enormem summam in subsidium expeditionis Palæstinæ ab *Udalrico* promissam, nempe 4000. *marcas argenti*, facientes modo 22662$\frac{2}{3}$. unciales *Ludovici* XV. Gallicanos; exhaustus bellis, ac invasionibus *Udalricus* solvere non potuit, nequidem post alterum terminum, ægre obtentum; hinc an. 1262. a Legato Papali *Thoma*, Episcopo Squillacensi, denunciabatur excommunicatus, & exauctoratus: anno 1264. *Udalricus*, defendendæ Ecclesiæ impar, resignavit: anno 1265. *Clemens* IV. resignationem ejus acceptavit, & Archiepiscopatum dedit *Uladislao*, Duci Lignicensi, postulato *Pataviensi:* ex intervallo autem reddidit *Secoviensem* Ecclesiam *Udalrico*, in qua an. 1268. decessit. Vid. *Hansizii* German. Sacr. Tom. 2. a pag. 350. Ita jam prius Sæc. IX. *Ebo*, ob delicta status bis excidens *Remensi* Archiepiscopatu, ad preces *Ludovici* Germanici adeptus est a *Nicolao* I. Papa *Hildesiensem* Episcopatum. *Concill. Gall.* Tom. 3. pag. 356.

XVIII. *Ex altera* vero *parte*, difficultatem translationis facit *rarior existentia illarum conditionum*, propter quas solas ipsa permittitur: sunt illæ, *major utilitas*, vel *necessitas publica*, sine *quavis subexistentia ambitionis*, vel *cupiditatis*. *

* Difficile est admittere *cessionem*, sive *renunciationem* Episcopi, nihil ultro quærentis, *cap.* 10. *de renunc.;* quanto difficilius annuere *Episcopi translationi?*

Canon,

Canon, Apostolorum dictus, 13tius desiderat causam, non quæ solum *rationi consentanea* sit, sed etiam, quæ *compellat*, & insuper *plus lucri* pro Religione. Concil. *Carthag.* an. 398. apud *Gratian.* can. 37. VII. q. 1. *utilitatem Ecclesiæ id faciendum poscentem:* Papa *Evaristus* pseudo-Isidori in can. 11. VII. q. 1. *inevitabilem necessitatem:* ejusdem figuli *Calixtus* I. in *can.* 39. ibid. *utilitatis, non ambitus, causam:* ejusdem *Anterus* in *can.* 34. ibid. *communem utilitatem, atque necessitatem*, seclusa *propria voluntate cujusquam, aut dominatione.* Joannes VIII. in epist. 4. 5. & 12. ait, *Frotarium* a desolata per Barbaros provincia *Burdigalensi* transferri ad *Bituricensem* cogente necessitate *non modica, & barbarica* Harduin. Tom. 6. Concil. pag. 4. 5. 11. Clemens II. in epist. ad Salernitan. Archiep. an. 1047. *exigentem necessitatem, vel maximam utilitatem, cum diligentissima* perquisitione personæ, *utrum necessario sit transmutanda, ut sic major utilitas oriatur, sicut major Sedes assumitur:* ergo contra Innoc. III. in *cap.* 4. *h. t.* non est eo ipso major utilitas, quod major dignitas assumatur: *Eugenius* III. in epist. ad Epp. German. in causa translationis *Guicmanni* Cycensis ad Archiepiscopatum Magdeburgensem: *Translationes Episcoporum sine* MANIFESTÆ *utilitatis, & necessitatis indicio divinæ legis oraculum non permittit.* Innoc. III. in *cap.* 3. *h. t.* ait: ECCLESIARUM *necessitate, vel utilitate pensata:* ait in numero plurali: *Ecclesiarum;* non enim unius solius *ad quam*, sed etiam ejus *a qua*, ut huic cum novo viro saltem æque bene futurum sit, ne una ecclesia lætetur, altera contristetur, sicut scripsit *Damasus* Papa, quem retuli in *part. prior.* §. *I. num.* 8. Quodsi transferendus plus boni queat in *prima* ecclesia operari, quam in *secunda*, non conceditur secundæ; propter quod idem *Innoc.* III. in *cap.* 3. *de postul.* Ravennatibus nequidem suum Romæ *Presbyterum* Cardinalem *Sofredum* concessit: *Consideravimus vero, quod ejusdem Cardinalis præsentia* UTILIOR *sit, non solum* ROMANÆ, *sed etiam Ecclesiæ* GENERALI, *tam apud Apostolicam Sedem, quam apud Ecclesiam Ravennatem; unde non immerito,* PRÆFERENTES SPECIALI UTILITATI COMMUNEM, ET MINORI MAJOREM, *prædictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum.*

XIX. Inter *sex illas causas*, ob quas juxta *cap.* 10. *de renunc.* loco, vel ordini *cedere* potest Episcopus, *duæ tantum* servire possunt *ad translationem;* nempe 1.) *Debilitas corporis*, *si* ipsa ex *malignitate loci* oriatur, aut cum hac componi nequeat: * 2.) *Odium malæ plebis;* ** quorsum referri potest grave *scandalum*, si *datum* ab Episcopo non fuerit, sed *acceptum* sit, *** sive *pusillorum* esset, sive *Pharisaicum*, cum aliter, quam translatione, sedari non potest.

* Sunt interdum constitutiones corporum tam delicatæ, ut, timorato medicorum judicio, in hac regione, insula, climate, interire deberent, conservandæ alibi: talis Episcopus, suæ Ecclesiæ inutilis, alteri perquam utilis esse posset: insigne exemplum habet ex *Socrate* lib. 7. cap. 36. *Historia Tripartita* lib. 12. cap. 8. in *Sylvano* monacho, qui ab *Attico*, Patriarcha Constantinopolis, ad *Philippopolim Thraciæ* ordinatus Episcopus, cum tribus ibi annis degeret, ac propter subtile corpusculum frigora ferre non potuisset, rediit Constantinopolim, vitam monasticam rursus aliquamdiu perfecte custodiens: post aliquantum vero temporis dedit eum, nihil minus cogitantem, *Atticus*, Episcopum

 Trojæ,

Trojæ, opportuno ejus corpori loco propter aëris clementiam. Quam id gratum Deo fuerit, ostendit miraculum in ipso aditu civitatis a *Sylvano* patratum.

** Est hæc justa Episcopatui *renunciandi* causa per *cap.* 10. *de renunt.* §. 5. cedere posse, quem mala plebs odit. *Propter malitiam plebis cogitur interdum Prælatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, . . . cum oves convertuntur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt.* Sed & Episcopis hæc justa causa est alio discedendi; *cum enim laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant*, ait S. Gregor. M. relat. in *can.* 49. *VII. q.* 1. Equidem *Isidorus* larvatus sub nomine *Evaristi* Papæ, apud Grat. *can.* 11. ibidem tales rebelles ecclesias tractari jubet, sicut *adulteras*, si se alteri Episcopo junxerint, aut super se alterum Episcopum adduxerint, aut esse fecerint, vel desideraverint, ideoque per acerrimam pœnitentiam cogi, ut *aut suo reconcilientur Episcopo, aut innuptæ permaneant*, id quod de uxore, cum a marito male discessit, Apostolus præcepit; attamen *Innoc.* III. in *cit. cap.* 10. credidit, *tales homines, etsi graviter pro crimine puniendi sint, esse tamen pro tempore utiliter tolerandos; quia sanguinem elicit, qui nimis emungit*: hinc dabitur eis alius Episcopus: patet exinde, magis solubile esse vinculum conjugii spiritualis, quam carnalis; nam malæ, & irreconciliabili mulieri non dabitur alter maritus. Iuvare in similibus gravium dissensionum causis facile poterunt procuratione canonicæ translationis Reges, qui nominant Episcopos; ast, ubi libera viget Capitulorum electio, omnes Ecclesiæ horrent assumere Episcopum ejusmodi, timentes, ne non ipse pro parte sit causa dissidiorum.

*** Hanc divisionem scandali suggerit *cap.* 10. *de renunc.* §. 6. Episcopus, qui ob data scandala remanere in sua ecclesia non potest, transferri non debet ad alienam, nisi forte, peracta prius pœnitentia, ad aliquam remotissimam, quo malæ vitæ odor penetrare non posset: Afri eos, qui non jubebantur *deponi* episcopatu per Ss. canones, amandabant ad loca ignobiliora suæ diœcesis extra Cathedralem civitatem. S. *August.* in epist. ad *Cœlestin.* Pap. apud *Coustant* pag. 1055. affert exempla Episcoporum tria, *Prisci* Cæsariensis, *Victoris*, & *Laurentii*, qui propter reatus jussi sunt *extra locum cathedræ suæ*, retento honore episcopi, *in quodam minore loco suæ diœceseos* commorari; rogans *Cœlestinum*, ut parem in *Antonium Fussalensem*, qui nimis sævierat in hos cives, ab Afris latam sententiam confirmet, per quam nec transferretur ille, nec in cathedrali maneret: clamabat sic judicatus Antonius: *aut in mea cathedra sedere debui, aut episcopus esse non debui;* refutat eum Augustinus: *Quasi nunc sedeat, nisi in sua; propter hoc enim loca illa eidem dimissa, atque permissa sunt, in quibus & prius episcopus erat, ne* IN ALIENAM *cathedram contra statuta Patrum* TRANSLATUS ILLICITE *diceretur: aut vero quisquam ita esse debet sive severitatis, sive lenitatis exactor, ut, qui non visi fuerint episcopatus honore privandi, nullo modo in eis vindicetur, aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum, episcopatus honore priventur?*

XX. Graves quoque sunt causæ 1.) Siquis Episcoporum evidenter emineat in exstirpandis hæresibus, quæ alibi succreverunt. 2.) Si propter hostilita-

itatem, vastata terra Episcopus hac illacque palans deberet circumerrare. * ;.) Si vastior sit capacitas Episcopi, quam, ut in loco ignobili, vel depopulato concludatur. **

* *Joannes* VIII. ad Episcopos provinciæ Bituricensis epist. 5. *Ecce enim, ne de civitate ad civitatem Episcopi transmigrent, sancti canones provide sanciunt. Sed, si hujusmodi sanctiones sine ulla discretione, vel dispensatione ducimus observandas, nullam compassionem fratribus exhibemus, quos gentilium gladios passos causa fidei Christianæ servandæ videmus egentes, angustiatos, afflictos, hac illacque palantes incedere.*

** Idem *Joannes* VIII. Papa *Frotarium* ab Archiepiscopatu *Burdigalensi*, tunc paganorum frequentibus gladiis, prædæque continuæ irruptione ita consumpto, ut pene omne illic episcopale vacaret officium, ad vacantem *Bituricensem* transtulit, *ne* TALIS, TANTUSQUE VIR *otio, quo prodesse aliis ecclesiis valeat, minime vacaret.* Epist. 4. ad Bituricenses.

XXI Denique optime faciunt Reges, qui ad Sedes *Metropoliticas* non ox nominant *Prælatos Episcopis inferiores*, sed *postulant* potius exercitatos diu in gimine Ecclesiæ *Episcopos*, * maxime *de eadem provincia.*

* Hujuscemodi Episcoporum, ad suas, vel alienas Metropoles translatorum, exempla, tum in Corpore Juris, tum apud *Thomassinum*, & veteres, reperiuntur plurima: testatur *Innoc.* III. in cap. 4. h. t., quod Romæ *in majori dignitate propter majorem utilitatem facilius soleat dispensari.* Submittunt se sane Episcopi Suffraganei lubentius Metropolitæ, qui diu jam didicit agere Episcopum, quam ei, qui incipit esse tyro in Episcopatu, proinde regere Episcopos tam cito non discet, sicut alter, qui didicit regere Clerum, & populum, atque suffragiis suis in Concilio provinciali correxit suos Collegas, imo Metropolitanum ipsum.

QUÆSTIO

Ad §. II. num VII., & seqq.

Ecquando contrahatur ab Episcopo conjugium spirituale cum sua ecclesia?

§. Decidit hoc *Innoc.* III. in *cap.* 4. *h. t.* his verbis: *spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam in electione* INITIATUM, RATUM *in confirmatione, & in consecratione intelligitur* CONSUMMATUM. Sunt igitur hic 1. *Sponsalia* in spiritu, quæ fiunt per consensum electi in sui electionem: de his ait id. *Innoc.* in cap. 21. de elect. *per mutuam consensum eligentium, & electi* QUASI CONJUGALE *vinculum spiritualiter est contractum*, per *quasi-conjugale* intelligens sponsalitium: hæc sponsalia sunt perquam anomala: nam sponsa obligatur sponso, quo minus possit recedere ipsa pœnitendo; ast sponsus potest libere juri suo renunciare in manibus solius Capituli. *Parisius* de resign. *lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 78. per textum *cap.* 26. *de elect. in* 6., nec alligatus sponsæ tenetur petere sponsalium dissolutionem,

 tametsi

ait loc. cit. S. Cyprianus; *in solidum pars tenetur*) aliquis per consecrationem adlectus fuerit, jam illi perinde est, cui civitati *ab homine, determinante locum*, præficiatur; dum enim hanc particularem regit, simpliciter regit *Ecclesiam Dei*, quæ ipsa una est, atque indivisa, *tota in toto, & tota in qualibet parte toti coadunata:* Ex his vides, quomodo Episcopum *jam consecratum* faciat homo determinans ei civitatem, spiritualem maritum; quin hoc ipsum facere queat *cum non-consecrato:* nudæ igitur *confirmationis* tanta virtus ex se non est, quantam ei primus h. cap. tribuit *Innoc.* III.; num ipsa facere non possit *Episcopum*, neque *universalis*, neque *particularis* Ecclesiæ, sed solummodo, ex instituto sequioris ævi, tribuat exercitium jurisdictionis quasi-episcopalis.




Animadversiones Editoris.

Ad *Diss. 1. §. 1. n. 6.* Praelusisse hic videtur Cl. Autor systemati suo uberius deinde exposito in *Themate historico de S. Clemente Papa ad Can. 1. VIII. q. 1. 2. April. 1772.* de quo mentionem jam feci in animadversione mea *Tom. 2. Thesauri p. 501.* ubi observationes quasdam generales hypothesi isti objeci. Prodiit vero jamdum, quam ibidem in lucem primum edendam dixi, *Disquisitio Critica in* GEORG. CHRISTOPH. NELLER etc. *de tribus Episcopis S. Petri etiamnum viventis in Romana Cathedra successoribus systema novum 1772*, occasio novi inter utrumque certaminis chronologici et diplomatici, quanquam a scopo deflectentis, de quo scripta hucusque edita recensui in *instit. mearum edit. secund. P. 2. §. 148.* Textum *Rufini* ab Autore hic allatum nullius roboris esse jam ostenderunt *Hagiographi Antwerpienses Tom. 6. Septemb.* in LINO, ubi ajunt: *ita Rufinus, ut epistolam supposititiam Clementis ad Jacobum conciliet cum opinione Romanarum de primis Pontificibus. Verum cum epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini manifeste sit supposititia; .... veniam quidem meretur Rufinus, sed authoritatem habere hic nequit. Etenim cum ratio ipsius unice ex assertis illius epistolae videatur petita; Rufinus majorem fidem non meretur, quam ipsa epistola supposititia, quam imperite pro authentica obtrusit.* Quis, praeterea commodus esse possit, immo debeat Rufini sensus, siquidem sibi et *Pseudo-Clementi* suo constare velit, fusius exequitur BERG *l. c. a pag. 27. seqq.* Verba vero IRENAEI nequaquam evincunt ab Apostolis et praecipue D. PETRO LINUM ita constitutum fuisse Episcopum, ut Episcopatum Romanum D. PETRUS plane abdicaret, ea enim verissima sunt, modo LINUS a D. PETRO Roma subin ad alias gentes abeunte pro ea Ecclesia interim administranda assumptus adjutor fuerit, atque id graeco quoque textui, ubi LINO tradita dicitur λειτουργια της επισκοπης, *administratio, ministerium* ejusdem magis consonat. Plura vide *l. cit. a p. 41. seqq.*

Ad

Ad ejusd. Diss. §. 2. n. 11. In casu cujuscunque Translationis Reservatione ligari saltem illa Germaniae Capitula putat Autor, quae Concordata simpliciter, ut ait, acceptarint: sed *Autor Observat. Historico-Jurid. in Concord.* (quod opusculum nunc etiam denuo impressum est *Tom. 2. Concord. Nation. German. integr. 1772.* atque id circo in hac collectione a nobis omittitur) *obs.* 20. in eo tantum casu Translationis in quibusvis Germaniae Ecclesiis reservationem induci inquit, dum Translatio unice fit a Pontifice, vel translatus suam novam promotionem soli summo Pontifici in acceptis referre debet, uti si Ecclesiae ad quam fit translatio, ex aliis Reservationibus in Concordatis confirmatis collatio penes solum Pontificem esset: atque idem videtur velle ipsa Aula Caesarea; dum enim Serenissimus CLEMENS WENCESLAUS Dux Saxoniae, a Cathedris Frisingensi et Ratisbonensi ad Archi-Episcopatum Trevirensem transferretur, ita inter alia allocutus est Commissarius Caesareus Capitulum Ratisbonense apud FABER neue Staats-Canzley *Tom. 29. f. 317.* Dahingegen können und wollen seine Kayserl. Maj. nicht umgehen ihre Kayserliche Warnung und allerhöchsten Befehl anhero eigends und ausdrücklich zu widerholen, welchen sie am 30. Wintermonats verflossenes Jahr an das hochwürdige Dom-Capitul des mehreren haben zukommen lassen, damit der im gegenwärtigen Fall der Erledigung hiesigen Bisthums von dem Römischen Hof angemaßter, dahier nicht Platz habender Facultati eligendi keine statt, weder die mindeste Würkung eingeraumt, sondern rechtlich widersprochen werde... Von berührter Clausul nicht der mindeste Gebrauch gemacht... mithin gegenwärtige Sedis-Vacanz und die Bischöfliche Wahl lediglich auf das eigene, den Concordaten gemäß ihnen zustehende, und nicht erst neuerlich verliehene unstatthaffte Recht gründen.... fort sich genau daran halten werden 2c.



III.

FRANCISCI ANTONII DÜRR J. U. D.

Eminentiss. Elector. Mogunt. Consiliarii Aulici, Juris publici et Historiarum in Universitate Moguntina Profess. Publ. et Ord.

COMMENTATIO HISTORICA

DE

EPISCOPO PUERORUM

VULGO

vom Schul-Bischoff.

QUA HISTORIA LITTERARIA UNIVERSAE REI LITURGICAE, VARIAEQUE ANTIQUITATES ECCLESIASTICAE ILLUSTRANTUR.

Mogunt. 1755.

CAPUT I.

De rebus liturgicis in genere.

§. I.

Si omnium gentium non solum moratiorum sed etiam maxime barbararum ab orbe condito Historias evolvamus, nullam invenire licebit sive veram sive falsam Religionem, ubi non variæ Ceremoniæ ac ritus ad cultum debitum suis respective Numinibus reddendum sollicite fuerint adhibiti; Constat inter omnes, qualem Ceremoniarum apparatum in suis sacrificiis adhibuerit gens judaica ipso etiam supremo legislatore præcipiente, ut populus ad debitum sibi cultum exhibendum alliceretur. a) Ægyptii Magnam in eo ponebant sapientiam sacerdotibus fere solis cognitam, si quis mysteria Religionis & ritus in figuris Hyerogliphicis sepultos cognosceret. b) Numa Pompilius Religionis Roma-

Romanæ artifex ritus instituit ac Ceremonias, unde enata est amplissima Romanorum Theologia gentilis. c) Nec germanis adhuc gentilibus sui defuere sacerdotes ac Druides, qui in sylvis plerumque sacra cum variis Ritibus peregerunt. d) Similiter reliquas gentes percurrendo facile demonstrare possem, quamvis Religionem particulares suos habuisse ritus. e)

a) Conf. BENED. ARIAS MONTANUS *in antiquitatum judaicarum libris IX. Lugd. Bat.* 1603. 4. JAC. BOULDUCCII libri tres, quorum tit. *quis ordo Ecclesiæ a mundi principio usque ad Mosen, quæ templa, quæ sacrificia, qui Ritus. Lugd.* 1627. 8. THOMÆ GODUINI *Moses & Aaron. oxonii* 1616.

b) conf. *l'histoire du ciel* T. I.

c) conf. cel. GEBAUERI *Numa Pompilius* Lipsiæ 1719. 4. CANTELIUS *de repub. Rom.* P. 2. diss. 3. p. 303.

d) Conf. JAQUES MARTIN *la Religion des Gaulois tirée des plus pures Sources de l'antiquité. Paris* 1727. 4. JOH. GEORG. KEYSLERI *antiquitates selectæ septentrionales & Celticæ.* SCHMINCKII diss. *de Cultu Religioso arboris Jovis præsertim in Hassia.*

e) Conf. PICART *les Ceremonies des peuples du Monde* 8. T. f. ESCHENBACHII dissertationes *circa sapientiam & ritus gentilium.*

§. II.

Mirum igitur haud est, religionem Romano-Catholicam suos numerare Ritus: quanto enim hæc Religio non solum omnibus superstitionibus, cæterisque falsis Religionibus, sed etiam veteri Synagogæ fidelium judæorum antecellit, tanto magis institutæ Ecclesiæ Rom. Ceremoniæ ac ritus æstimandi erunt; nec pauci sunt introductorum horum Rituum effectus: licet enim ipsæ Ceremoniæ (prout scribit CARDINALIS BONA) nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem, sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superiora elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur Religio, & veri fideles a pseudo-Christianis & heterodoxis discernuntur.

§. III.

Ipsi Ritus duplicem habent originem seu significationem, alteram litteralem, mysticam alteram seu moralem; litteralis nascitur ex aptitudine ad ministerium sacrum, quod agitur, vel ex aptitudine ad aliquod mysterium, quod actione exhibetur: mystica vero significatio est, quæ eruitur ex ipsa re vel actione, seu dum spiritus supra litteram elevatur, ad meditanda mysteria: rationes mysticæ aptissimæ sunt ad conciliandam nutriendamque fidelium pieta-

 tem,

tem, licet litteralis significatio institutione & natura prior sit ac fundamentum veritatis mysticæ. conf. fusius MARTENE *de SS. Ecclesiæ Ritibus* T. 1. in præf.

§ IV.

Frustra igitur Acatholici suis Cavillationibus sacras invadunt Ceremonias, a quarum jugo per reformationes se liberatos ajunt: frustra nonnisi superstitionem disciplinæque corruptelam de Ecclesia Rom. deprædicant: concedamus enim, nihil dicendo ad plurima conficta eorum dicteria, varios circa disciplinam commissos esse errores in uno alterove loco, quæ inde Ecclesiæ labes? Abusus enim ac superstitio hinc inde observata non orta est ex sacrorum Rituum Natura, sed contra Ecclesiæ mentem vel ex mala applicatione vel ruditate plebis vel aliorum malitia: non enim solum indifferentia sed sanctissima etiam in abusus detorqueri possunt vitio hominum: vitia semper fuerunt ac erunt, quamdiu dabuntur homines, abususque occurrunt in antiquis novisque temporibus: constat inter omnes, Christum ex Synagoga jam expulisse emtores ac venditores; in medio ævo celebrabantur in templis Deo sacratis Comœdiæ, tripudia, lusus, histrionicæ saltationes, carmina recitabantur amatoria, hæc enim facta fuisse discimus ex Conciliorum lectione, ubi hæc prohibita sunt scandala: similiter abusus ac superstitiones a plebejis circa cultum imagihum facta fuisse concedamus: contigerunt autem hæc omnia contra mentem Ecclesiæ, quæ optima per decreta conciliorum reformatoria attulit remedia ad tollendos hosce abusus, quos acatholici astuto plane consilio tanquam Doctrinam ac disciplinam Ecclesiæ Rom. solent deprædicare: conf. pulchre de hoc argumento agens MURATORIUS in tractatu *de Naevis in Religionem incurrentibus* C. VII. IX. & X. Et in tractatu *della Regolata divozione de Christiani.*

§. V.

Abusus igitur non tollunt legitimum usum, sed illi sunt eradicandi, corrigendi sunt mores hominum vitiosi, prout agnoscit ipse BOEHMERUS in diss. prælim. ad Tom. III. Juris Eccl. Protest. *De jure Liturgiarum Ecclesiastico* p. 21. Dum ait, *sunt Ritus tantum honoris interni signa externa: sunt reverentiæ Deo debitæ testimonia & devotionis excitamenta: signa autem sunt arbitraria, nec per se vitium habent, id potius accipiunt ex malitia cordis humani pravaque intentione eorum, qui signis hisce arbitrariis abutuntur, ... in Corde hominum subsidet superstitio, ibi quærenda, ibi quoque expungenda est, neque illam in totum suppresseris, si vel maxime ritus minueris, cum radix superstitionis eo ipso ex cordibus hominum haud evellatur, sed per solidum pietatis exercitium mutata mente expellatur.* Constat porro qualem Lutheri indignationem expertus fuerit Carlstadius, dum Ceremonias Eccl. abolevit.

§. VI.

§. VI.

Ad tollendos omnes abusus ac superstitionem ratione rituum sollicite evitandam potissima ex parte a Pontifice Sixto V. ordinata fuit congregatio Rituum, quod patet ex verbis Bullæ: quod (5. Cardinalibus) hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri, ubivis locorum in omnibus urbis orbisque Ecclesiis etiam in capella nostra Pontificia in missis, divinis officiis, sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur; Cæremoniæ si exoleverint, restituantur, *si depravata fuerint reformentur &c.* ex citatis verbis constitutionis (prout ait VAN ESPEN *in jure Eccl. un. P. 1. T. 22. C. 7. N. 3*) colligitur, quod primarius finis institutæ hujus congregationis sit, ut omnia in divinis officiis, sacramentorum administratione, atque Dei cultu rite & religiose, prout dignitas ac maiestas tanti operis exigit, peragantur, nihilque in ritibus aut Cæremoniis irreligiosum aut indecens occurrat: ac per consequens Cardinales aliosque ad hanc congregationem spectantes oportere multum esse versatos circa verum ac genuinum Ecclesiæ sensum in ritibus ac Cæremoniis præscribendis; nec non in discernendis ritibus, quos Ecclesia jam pridem probavit, & ad populi devotionem excitandam, ipsiusque divini operis majestatem imprimendam induxit, ab illis, *quos posterioribus seculis vel irreverentia vel superstitio vel avaritia vel prælatorum & pastorum incuria aut ignorantia invexit.*

§. VII.

Magna autem ob Ecclesiarum particularium copiam est rituum multitudo, tametsi enim in universali Ecclesia Rom. eadem fides sit ac Religio, idemque ubique gentium perficiatur sacrificium, ritus nihilominus in singulis Ecclesiis sæpe diversi inveniuntur, sine tamen imminutione pacis & unitatis fidei Christianæ: ipsa varietas, prout ait MARTENE *l. c. in præfat.* orta vel a diversis Ecclesiarum fundatoribus, qui gentium, quas fide imbuerant, moribus etiam sacros ritus accommodabant, vel ex aptitudine aut decentia administrandi rem sacram, unde etiam temporis tractu antistites affectu pietatis alia atque alia addiderunt, multa etiam in ritibus immutaverunt, adeo ut, sunt verba MABILLONII *in Comment. ad Ord. Rom.*, qui omnia ad unum eundemque modum redigere conaretur, perinde agere videretur, ac si omnes populos ad eosdem mores eademque penitus instituta reducere tentaret, neque satis concederet primis Ecclesiarum institutoribus, qui res ab eis stabilitas aut permissas tam facile perverteret.

§. VIII.

Ob hanc rituum multitudinem res etiam Liturgica intellectu adeo est difficilis & hinc ad obscuritates illustrandas indagandumque verum sensum æmula-

tione erudita inter ſe concertarunt viri eruditi, adeo ut vix extet Materia Ecclesiaſtica, circa quam tot prodiere ſcripta, quam in materia Rituum ac liturgica: hodierni præſertim Itali magna habent merita, ut juſte de iis dicat eruditus AUCTOR *della ſtoria letteraria d'Italia T. 1. c. 4. p. 58. regna piu che giammai nella noſtra Italia il Genio Liturgico:* hiſce perpenſis non inutile opus me facturum eſſe duxi, ſi hiſtoriam litterariam Rituum breviter exponerem.

CAPUT II.

De Hiſtoria Rituum litteraria.

§. IX.

Scriptores Rerum Liturgicarum alii ſunt antiqui, alii recentiores: antiqui ſunt ISIDORUS HISPALENSIS a) VENERABILIS BEDA b) AMALARIUS METENSIS c) RABANUS MAURUS Mogunt. Antiſtes d) WALFRIDUS STRABO e) REGINO f) MICROLOGUS g) JVO CARNOTENSIS h) RUPERTUS TUITIENSIS i) WILLH. DURANDUS. k)

a) Scripſit duos libros *de divinis officiis*, quos Baronius tamen credit apocryphos.

b) Inter hujus opera Coloniæ edita occurrit LIBER *de Officiis*, circa quod tamen diverſa ſunt criticorum judicia.

c) *De divinis officiis* ſcripſit *libros IV.* conf. ALEX. NAT. *Hiſt. Eccl. T. VI. p. m.* 41. adſcribuntur ipſi etiam *Eclogæ in ordinem Rom. ſeu de Officio miſſæ a* BALUZIO & MABILLONIO editæ.

d) In libris *de Inſtitutione Clericorum* varia habet ad ſacrificium Miſſæ pertinentia de eo conf. SERRARIUS *cum Notis Joannidis p.* 389. *ſeq. &* MABILLONII *Elogium Rabani Hiſtoricum.*

e) Augienſis Monachus *de divinis Officiis ſeu de Exordiis & incrementis rerum Eccl.* ſcripſit librum, conf. ALEX. NAT. *l. c. p.* 58.

f) *Abbas Prumienſis* ſcripſit librum *de diſciplinis Eccl.* conf. VAN ESPEN *Operum P. V. p.* 151. *&* ALEX. NAT. l. c. p. 71.

g) Scriptor ſæculi XI. conf. MABILLON. *in Ord. Rom.* T. 2. p. 5. Micrologi Anonymus auctor ita librum *de Eccl. Obſervationibus* inſcripſit *ſeu de divinis Officiis* conſtantem 26. capit. quisnam fuerit verus auctor diſputat ALEX. NAT. l. c. p. 507.

h) *De Eccl. ſacramentis ac Officiis & præcipuis per annum feſtis ſermones XXI.*

i) Abbas cœnobii Tuitienſis *de div. Officiis libros* 12. reliquit, quos tamen alii Valerrano adſcribunt conſiſi Epiſtolæ S. Anſelmi. conf. ALEX. NAT. l. c. p. 521.

k) Scri-

k) Scripsit *rationale divinorum Officiorum*: fuit quartus inter omnes liber hic Moguntiæ impressus a. 1459. conf. Koehleri Ehrenrettung Johann Guttenbergs p. 38. Albino flauo seu Alcuino adscribitur liber *de div. Officiis*, quod plenius editum fuit a Duchesnio, probabilius autem ad posteriora referendum est tempora. *de sacrificio Missæ & Ratione rituum libellus ad Alcuinum a* Wolfg. Lazio adscribitur Carolo M. ab aliis habetur pro eodem libro, qui Alcuino adscriptus, sed defectuoso: similiter quæ Remigii Antisiodorensis extat *expositio missæ* est Caput 40. libri de divinis Officiis Alcuino falso adscripti. conf. *Storia letteraria d' Italia* T. v. p. 66. seq.

§. X.

Nec desunt recentiores scriptores; qui a sæc. XV. usque ad novissima tempora Ritus, Cæremoniasque Eccl. illustrarunt, quorum præcipui sunt: Augustinus Patritius a) Joh. Steph. Durantus b) Florentinus Vanderhaer c). Gabr. Albaspinæus d) Barth. Gavanto e) Joh. bona Cardin. f) Joh. Morinus g) Cabbasutius h) Edm. Martene i) Card. Thomasius k) Bened. XIII. P. M. m) P. Azevedo S. J. n) Jos. Catalanus o) Leodeg. Mayer p) plures alios recenset P. Sala *in praef. Novæ edit. Cardin. Bonæ.*

a) Scripsit *de Ritibus Ecclesiæ* libros tres ad Leonem Papam X. quod opus sibi appropriavit Christo. Marcellus Archiep. Corcyr. conf. Mabillonii *Comment. in Ord. Rom.* p. 5. novissime cum accessionibus fuit editum sub Tit. *Sacrarum Cæremoniarum sive Rituum Eccl. S. R. Ecclesiæ libri tres ab August. Patritio ordinati & a Marcello Corcyr. Archiep. primum editi, nunc vero tandem in duos Tomos distributi, ac innumeris pene mendis purgati & commentariis aucti ad SS. Patrem Benedictum XIV. P. M. T. I. quo libri primi ritus ac Cæremoniæ explicantur auctoritate summ. Pontificum, Canonum, probatorum auctorum ordinumque Rom. & Cæremonialium tum edit. tum MSS. complurium auctore Jos. Catalano Oratorii S. Hyr. Char. præsbyt. Romæ* 1750.

b) Fuit primus in senatu Tolos. præses, sub cujus nomine prodierunt *de Ritibus Ecclesiæ Cath. libri tres. f.* Ubi agitur de suppellectile sacra, Cæremoniis missæ, horisque can.; Martene in Tract. *de antiq. Ecclesiæ Ritibus* T. I. in præf. sub finem adscribit hoc opus Danesio Vaurensi Episcopo, cujus Bibliothecam cum Msto dicti libri emit Durantus, idem putat Morlièr *dans l'essais de litterature* T. I. p. 44. seq. Cum autem Dupin cum aliis staret pro Duranto, Martene *in præf.* ad 3. Tom. suam confirmavit sententiam.

c) Edidit *antiquitatum Liturg. syntagma* 3. T. 8.

d) Episc. arausion. edidit *observationum Eccl. libros duos* cum aliis opusculis.

e) Barnabita scripsit *Thesaurum sacrorum rituum*, qui Romæ prodiit 1630. Notis vero illustratus fuit a P. Merati Cler. reg. Venet. 2. T. f. 1738.

f) Scri-

f) Scripsit tractatum *de Divina Psalmodia* 2) *rerum Liturg. libros duos.* priores editiones ultimi libri fuere in 8. sed novam editionem Notis ornatam in 4. Tom. in f. procuravit recentissime Monachus Cisterc. sub tit. *Rerum Liturg. libri duo auctore Joh. Bona S. R. E. Tit. S. Bernardi ad Thermas praesb. Card. Ord. Cisterc. hac novissima editione recogniti, aucti notis, observationibus, ac perpetuo fere commentario hist. critico, dogmatico illustrati &c. Studio & labore D. Roberti Sala Taurin. ejusd. ord. 2. T. f.* prodierunt annis 1747. & 49. amplam hujus operis notitiam suppeditat *storia lett. d' Italia* T. IV. p. 63. seq.

g) Scripsit *de S. Ecclesiæ ordinat. pœnitentiis* &c. Ubi & ritus antiquos illustravit.

h) Edidit *Notitiam Eccl. Historiarum, Conciliorum & Canonum sibi invicem collatorum veterumque juxta ac recentiorum Ecclesiæ Rituum.*

i) Edidit 1) *de antiquis Ecclesiæ ritibus* libros IV. 3. T. 4. ubi universos Ecclesiæ ritus more hist. repræsentavit posthabitis rationibus mysticis, agit de antiquis Sacramentorum, Benedictionum aliarumque functionum ad Eccl. disciplinam pertinentium ritibus, divina quoque illustravit Officia. 2) edidit tractatum *de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis* 4. scripsit equidem CARD. BONA laudatum supra *de Psalmodia* tractatum, ubi autem generales tantum divinorum officiorum partes exponit, quin ad singulares ritus, festivitates sanctorum, Ceremoniasque descendat, MARTENE suppleturus hunc defectum singulares per annum ritus sacros, festorum originem ac institutionem historico more docuit. 3) Scripsit *de antiquis Monachorum ritibus*, ex quo multa curiosa addiscuntur, & antiqui ritus monastici egregie illustrantur: finis ex parte Auctoris fuit, ut hodierni Monachi suam disciplinam cum antiqua in comparationem ducant, corrigantque alteratam ex antiqua.

k) Magna quoad rem Liturgicam habet merita, scripsitque tractatum *de festis*, multaque edidit ad rituum illustrationem, de quibus inferius erit dicendi occasio.

l) Ejus *opuscula Liturgica* prodierunt Romæ 1726. 4.

m) Notissima sunt opera *de SS. Missæ sacrificio, de servorum Dei beatificatione, de festis &c.* quorum novam editionem procuravit P. AZEVEDO S. J. in usum academiæ Conimbricensis noviter institutæ. de reliquis in rem Liturgicam moderni Pontificis meritis immortal. inferius agetur fusius.

n) Natione lusitanus S. J. primus a moderno Pontifice constitutus professor SS. Rituum publicus in collegio. Rom. procuravit 1) novam operum moderni Pontificis editionem cum præfat. &c. 2) hæc opera vastissima redegit in Compendia: sic a. 1749. Romæ prodiit *Synopsis totius operis de servorum Dei Beatificatione &c.* eodem anno *Synopsis doctrinæ de SS. Missæ sacrificio a SS. D. N. Ben. XIV. P. O. M. tam in novo operum Volumine quam in aliis sparsim traditæ:* promisit aliorum quoque operum compendia. 3) Modo Romæ docet cum applausu rem Liturg, Orationes ab ipso habitæ sub auspicium novarum lectionum, quarum prima recitata fuit in Cardinalium & prælatorum concentu, secunda habita Scholaribus, ubi datur Idea universi cursus Liturg. præmissæ sunt novæ editioni tractatus *de SS. Missæ sacrif.*

sacrif. mod. Pont. de a. 1748. 4. 4) Occupatus est in colligendo *novo Thesauro Liturgico.*

o) Edidit *Pontificale Rom. notis illustratum*, ac *Commentarium in Aug. Patritii opus de Ritibus Ecclesiæ*, de quo supra.

p) Monasterii mucensis monachus Benedict. 1743. 8. edidit *explicationem compendiosam litteralem histor. Cæremoniarum Eccl. earum præcipue, quæ ad S. Liturgiam spectant.* Opusculum divisit in tres partes 1) de iis agit, quæ generatim scitu necessaria sunt ad intelligentiam SS. Rituum 2) de Cæremoniis in missa occurrentibus 3) de Cæremoniis quæ peculiaribus quibusdam festis diebus ac temporibus observantur ab Ecclesia: bonum revera est pro Tyrone compendium, dum auctor sua ex Duranto, Thomasio & Martenio hausit.

§. XI.

Nec desunt scriptores, qui particulares Ecclesiarum Liturgias illustrarunt, & quidem primo loco memoranda sunt duo congregationis S. Mauri Paris. lumina HUGO MENARDUS a), ac JOH. MABILLONIUS b) quibus accedunt LUD. ANT. MURATORIUS c) JOH. PIER. d)

a) Edidit *S. Gregorii M. Sacramentarium cum notis* 1642. 4.

b) Gallicanam Liturgiam & antiquos Romanos ordines suis observationibus & commentariis exornavit; commentarius *in ordinem Rom.* extat in *Musæo Italico Tom. 2do.* Tractatus *de Liturgia gallicana* prodiit separatim Parisiis. 3) ejus *Epistola de Liturgiæ gallicanæ abrogatione* extat Tom. I. *operum posthum.* L. 5. p. 513.

c) Edidit *Liturgiam Rom. veterem*, in quo opere Missalia & Sacramentaria continentur: eruditissima hujus operis præfatio ex duabus consistit partibus: in prima exhibetur historia antiquæ Liturgiæ Rom., secunda pars est polemica, qua refutantur acatholici Eucharistiam & ritus Ecclesiæ Rom. impugnantes: extractum dedit Doct. AUCTOR *historiæ litt. Italiæ* Tom. I. C. IV. p. 60. seq. ejusdem dissertatio *de Ritibus ambrosianæ Ecclesiæ* extat Tom. IV. antiq. Ital.

d) S. J. *de Liturgia antiqua Hispan. Gothica, Isidoriana, Mozarabica, Toletana* scripsit *tractatum Historico-Chronologicum* qui insertus est Actis sanctorum antwerp.

§. XII.

Multi etiam extant auctores, qui Liturgias, nec non scriptores ad rem Liturg. & Rituum pertinentes nobis collegerunt: præter antiquiores enim veluti JOH. COCHLÆUM, WOLFG. LAZIUM, GEORG. CASSANDRUM, CLAUDIUM de SAINTES, MELCH. ITTORPIUM, JAC. PAMELIUM, potissimum memorandi sunt CARD. THOMASIUS a) CARD. QUIRINUS b) ASSEMANNUS c) P. AZEVEDO d) Decreta etiam Congregationis Rituum recentius sunt collecta. e)

a) Collegit responsoria, Antiphonaria, libros missarum, Codices Sacramentorum R. Ecclesiæ: novam operum Thomasii notis illustratorum editionem procuravit ANT. FRANC. VEZZOSI Theatinus, quorum VI. Tomi jam prodierunt in 4.

b) Habet & hic Philologorum hujus ævi princeps sua merita in re Liturgica: Pontificem Clementem XI. subiit cupido instituendi congregationem ad examinandos libros græcorum ac orientalium Liturgicos, inter consultores fuit & Quirinus qui credidit se promovere hosce conatus per exactam Officiorum græcorum editionem ex antiquis codicibus desumtam, unde edidit Tomum I. sub tit. *Officium quadragesimale græcorum recognitum & castigatum ad fidem præstantissimi codicis Barberini in Latinum sermonem conversum atque diatribis illustratum;* verum secretarius congregationis metuens, ne editis hisce libris Pontifex congregationem tanquam superfluam supprimeret, rem callide eo deduxit, ut ipsa congregatio daret decretum inhibitivum, ne reliqui publicarentur Tomi. edidit tamen postea *Enchiridion græcorum, quod de illorum dogmatibus & Ritibus Rom. Pontificum decreta post schismatis epocham edita, nunc primum in unum collecta complectitur.*

c) Hic incœpit publicare *codicem Liturgicum* universæ Ecclesiæ sub Tit. *Codex Liturg. universæ Ecclesiæ in* 15. *libros distributus, in quo continentur libri rituales, missales, Pontificales, officia, dypticha &c. Ecclesiarum Occidentis & Orientis: nunc primum prodit: Jos. Aloys. Assemannus ad* MSS. *Codices Vaticanos, aliosque castigavit, recensuit, latine vertit, præfationibus commentariis & Variantibus lectionibus illustravit Romæ.* 1749. 4. prodiere Tomi.

d) A. 1748. edidit *Conspectum Thesauri Liturg.* quæ erit Collectio scriptorum Liturg. locupletissima & ex X consistet Tomis in f., ubi pretiosissima antiquitatis monumenta continebuntur: invitavit etiam eruditos ad communicationem: qualem hi labores habuerint progressum & an jam Tomus prodierit, mihi haud innotescit.

e) Prodierunt a. 1750. *decreta authentica sacræ Rituum congregationis notis illustrata ad SSmum Papam Bened. XIV. Venetiis* 8. Bergami a. 1751. lucem vidit *Rituale expensum, sive in S. Congregationum decreta commentarius auctore F. Ant. Cavalieri de Bergamo Ord. Eremit. S. Aug. Cong. observ. Longob. S. M. Lectore emerito* 3. *T.* 4.

§. XIII.

Extant denique varii ex protestantibus, qui volebant sua nomina forsan potius inter impugnatores Rituum quam scriptores referri: potissimi ex iis sunt JOACH. HILDEBRAND. a) J. HENN. BOEHMERUS. b) CHR. MATH. PFAFF. c)

a) Scripsit diss. *de Ritibus sacris Helmstadii* 1655.

b) Præmisit Tomo III. Juris Eccl. protest. diss. prælim. *De jure Liturgiarum Ecclesiastico*, ubi autem res protestantium Liturgicas potissimum prosequitur.

c) Scripsit *disquisitionem de Liturgiis, Missalibus, Agendis & libris Eccl. Ecclesiæ*

sia orient. & occident. veteris & moderna quam suæ introductioni ad hist. Eccl. subjecit.

§. XIV.

Sicuti porro ad excolendas alias scientias institutæ sunt Societates eruditæ, sic etiam ad excolendas res Liturg. variæ novissime institutæ sunt Academiæ: & quidem modernus Pontifex gloriosissime regnans fundavit ACADEMIAM CONCILIORUM ac RITUUM, quæ statutis temporibus in Palatio Quirinali celebratur, cujusque socii per elaborationes eruditarum dissertationum rem Liturg. illustrant. a) Fundata est ad exemplum Pontificiæ hujus Academiæ alia in Lusitania, ACADEMIA scilicet CONIMBRICENSIS LITURGICA, in cujus usus P. AZEVEDO S. J. novam procuravit operum Pontificiorum editionem; denique modernus Pontifex primum, quantum scio, constituit Professorem sacrorum Rituum Romæ in Collegio Rom., quod munus delatum fuit laudato sæpius P. Azevedo.

a) RODERIQUE in suis *novellis Gall. Colon.* memorat plerumque argumenta dissertationum in hac Academia prælectarum: optandum autem foret, ut etiam more aliarum academiarum recepto typis ederentur erudita hæc specimina.

CAPUT III.

De Episcopo Puerorum.

§. XV.

Ex antiquis Ecclesiarum particularium Ritibus deducenda illustrandaque erit Origo Episcopi puerorum: a) id quod ut eo meliori ordine a me fiat, primo loco consuetudo hic Moguntiæ vigens erit enarranda: recensebo postea varias eruditorum circa eam conjecturas, quibus meam submissurus sum epicrisin.

a) In antiquis codicibus conciliisque dicitur EPISCOPUS PUERORUM, unde & eum ita compellavi in rubro meæ commentationis: a scriptoribus Gallicis dicitur EVEQUE DES ENFANS, germanice hic Moguntiæ Schul-Bischoff & per injuriam Apffel-Bischoff.

§. XVI.

Res autem sic se habet: denominatur hic Moguntiæ ante festum S. Nicolai a Ludimagistro Scholæ Trivialis metropolit. ex pueris scholaribus EPISCOPUS PUERORUM, qui induitur vestimentis episcopalibus, mitra pedoque instructus; quia autem Episcopum suus decet comitatus tam Ecclesiasticus, quam

profanus, ſic ipſi aſſignantur cum ſignifero Equites plures; capellani duo cum totidem pedellis. Epiſcopus hic cum ſuo comitatu in primis & ſecundis veſperis & ſub ſummo ſacro dictæ S. Nicolai feſtivitatis comparet in Choro majori, Eccleſiæ metrop., ubi ipſi ſua poſita eſt ſedes a) ad denotandum, prout vulgo ajunt, initium eſſe ſui regiminis: deinde autem usque ad primas veſperas feſti SS. Innocentum non amplius conſpicitur in Eccleſia: durante autem hoc tempore intermedio peragit ſuas viſitationes penes Electorem, a quo admittitur ad audientiam: DD. Canonicos metropolitanæ Eccleſiæ ac reliquam Nobilitatem Choraulis epiſcopum puerorum comitantibus tam in aula Electorali quam aliis in ædibus decantantibus hymnum.

Jam tuum feſtum Nicolae Dives
More ſolemni recolit juventus
Nec tibi dignas, ſacerdotum cæſar,
promere laudes.

Tu puer quantum pueris dediſti
Nobile exemplum pietatis, atque
Integræ vitæ, tibi nil placebit
præter honeſtum.

Ergo te recte, ſobolos vireſcens
En Cœtum conſtat columen tuorum
Te ſacerdotum pariter ſenatus
Jure celebrat.

Effectus viſitationis eſt, ut Epiſcopus cum ſuo comitatu invitetur ad convivium, vel donum ſaltem præſenti detur Ludimagiſtro vel præceptori, qui ex hiſce donis collectis varias ſolvit expenſas occaſione hujus Cæremoniæ enatas. Primas veſperas feſti SS. Innocentum celebrat Epiſcopus hic puſillus in Choro minori ſeu ſic dicto ferreo vel parochiali Eccleſiæ metropolit.; chorus cum Organo cantat Pſalmos, Epiſcopus puerorum cantat Orationem, reſponſoria, ac dat Benedictionem populo, Capellanis interim ſua officia in deponenda mitra debito tempore haud negligentibus: in ipſo SS. Innocentum feſto intereſt Epiſcopus ſuo cum comitatu ſummo ſacro, celebrat veſperas ſicuti die præcedenti: & eadem in Octava prædicti feſti obſervantur; enumeratis hiſce diebus, ubi functiones ſacras peragit Epiſcopus puerorum, in nulla civitatis Eccleſia celebratur a Clero Chorus b)

a) In libro Ritualis Eccleſiæ metrop. Mog. p. 131. Nro. 1. habetur *Nota: Epiſcopus*

pus puerorum habet suam sessionem apud summum altare versus chorum cum suis Capellanis.

b) Varia etiam a plebe hunc Ritum mirante ennarrantur de hoc Episcopo: veluti 1) quod Capitulum metropolit. sæpius voluerit hanc abolere consuetudinem, sed hac non gaudeat facultate. 2) Quod mortuo, durante regimine hujus Episcopuli, Electore, fruatur ille reditibus Electoralibus, donec novus creetur Elector. 3) Si Vicarius Ecclesiæ metrop. interea obeat, accipiat præbendam.

§. XVII.

Quo minus autem hæcce plebis curavi dicteria, eo majorem mihi fecit impressionem insignis ille effectus hujus ritus, quod Chorus in universa civitate quiescat, functiones suas Episcopo puerorum obeunte: unde consuetudinis hujus in antiquitatibus Ecclesiasticis vel Moguntinis subesse aliquod debere fundamentum, haud improbabiliter fui suspicatus: nec non tanquam patriarum amator antiquitatum originem hujus Ceremoniæ ac significationem libenter didicissem: perlegi SERRARII *historiam Moguntinam cum notis Johannidis* a Capite usque ad calcem, reliquosque scriptores rerum Moguntinensium cum diplomatibus evolvi, nec ullum in iis deprehendi vestigium, ex quo silentio ceremoniam hanc magis forsan in antiquitatibus Ecclesiasticis quam Moguntinis fundatam esse, deduxi conclusionem: nec in eo erravi, primamque lucem in hisce tenebris mihi suppeditarunt varia concilia, in quibus legi abolitos esse abusus festo Innocentum commissos, & Episcopum puerorum abrogatum esse; invento hocce vestigio, perspicuum mihi erat, ipsaque consuetudo hic vigens loquebatur, ritum hunc cum festo Innocentum suam habere connexionem: accessi igitur, ut veram detegerem originem, libros Liturgicos, scriptoresque, qui de festis ex professo egerunt: in multis nihil inveni, donec MARTENIUS, ac CARD. THOMASIUS, omnem obscuritatem mihi sustulerint; detecta igitur, quantum confido, vera non sine labore hujus rei origine, eo magis inductus fui ad scribendam hac de materia Commentationem, quo pauciores extant, veram antiquitatis hujus Ecclesiasticæ originem scientes.

§. XVIII.

Antequam autem rem ipsam aggrediar præmittere lubet quasdam virorum eruditorum de hac consuetudine sententias benevole mihi communicatas, ut materia hæcce suis intricata difficultatibus eo magis suæ luci restituatur: credidere scilicet quidam, originem ex scholis Ecclesiarum antiquis deducendam esse: constat equidem, in quavis Ecclesia cathedrali, vel alia facultatibus sufficiente, debuisse constitui ab Episcopo seu Capitulo Magistrum, qui ejusdem Ecclesiæ Clericos impuberes, aliosque scholares pauperes instrueret gratis in Grammatica; in metropolitanis Ecclesiis constituendus præterea erat Theologus,

gus, qui facram paginam & curam animarum erudiret. conf. *Cap. IV. de Magistris & ne aliquid exig.* Ubi statuitur, ut Magistro reditus unius præbendæ assignentur, uti & Theologo, quin tamen efficiatur Canonicus: hisce præsuppositis volebant illi, ad æmulationem inter pueros discentes excitandam, consuetudinem hanc fuisse introductam, magisque proficientem in litteris constitutum fuisse Episcopum puerorum. Verum hæc opinio non omnem tollit difficultatem, licet enim facile concedam, Ecclesiis antiquitus suas fuisse scholas & clarissimum hujus rei habeatur vestigium in Ecclesia metropol. Moguntina, ubi Ludimagister puerorum adhuc hodie dicitur *Magister* gaudetque præbenda Vicarii, & Scholasticus, qui fungebatur olim Theologi munere, adhuc hodie accipiat pecunias emancipationis antiquæ disciplinæ reliquias, sitque præses examinis ordinandorum, ubi vices actuarii subit Magister, non tamen exinde declaratur, cur in festo Innocentum præcise sacras obeat functiones? cur chorus in universa civitate sit suspensus? cur hæc consuetudo in plurimis Ecclesiis introducta, ex parte damnata fuerit in conciliis? prout fusius infra exponetur.

§. XIX.

Nec prætermittere possum aliam viri, cuius in historicis scientiam veneror, conjecturam: suspicatus est ille consuetudinem hanc, quæ in Gallia præsertim & vicinis saltem Regionibus recepta erat, exinde forsan suam habuisse originem, quod a. 919. ex principis præpotentia, in Ecclesia Rhemensi in ipso SS. Innocentum festo, electus in Episcopum fuerit puer 5 annorum ex sanguine regio, quam & Electionem confirmavit Pontifex Joannes X., unde enati sunt noti alias versus:

Eligimus puerum puerorum festa colentes.
Non Domini placitum, sed regis jussa sequentes.

In hujus rei memoriam suspicatus fuit laudatus vir eruditus, introductam fuisse hanc in Gallia vicinisque partibus consuetudinem; factum suo nititur fundamento historico, FLODOARDUS enim in *Historia Rhemensis Ecclesiæ L. IV. C. 20.* & ex eo *ALEXANDR NAT. hist. Eccl. Tom.* VI. p. m. 28. memorat. *Seulpho Rhemensi Archiepiscopo pallium misit Johannes &, quem Archipræsulem cum veneno per ministros suos propinato Heribertus Aquitaniæ comes sustulisset, filium suum Hugonem admodum parvulum, qui necdum quinquennii ætatem expleverat, in Episcopum eligi curavit, inclinatis ad suam voluntatem Clericorum plebisque animis, Abbone Suessionensi & Bonone Catalaunensi cooperantibus, quorum consilio Rodulphus rex Franciæ Rhemensem Episcopatum Heriberto in temporalibus administrandum commisit, legatasque Ecclesiæ misit Romam cum Abbone præsule, hujus Electionis decretum*

tum laturos & Pontificis rogaturos assensum; annuit eorum votis indignus Pontifex, & puerum quinquennem, o monstrum, Episcopum confirmavit, Abbonem ad Episcopalia munia in Ecclesia Rhemensi interim obeunda delegans. verum licet admodum erudita hæc sit conjectura, non tamen facile concedi poterit, ob scandalosam huius pueri intrusionem in Episcopatum, enatam esse Ceremoniam Ecclesiasticam in festo Innocentum: non enim præsumendum de majorum nostrorum pietate, quod ritus Eccl. tam lubrico innitantur fundamento: & hoc ridiculum Galliæ exemplum Ecclesiæ Belgii, Angliæ & Germaniæ secutæ fuissent. Cur etiam hic Moguntiæ Diaconi in festo St. Stephani & sacerdotes in festo S. Joannis suos elegerunt Episcopos? prout infra patebit: quæ revera facta cum Electione pueri in Ecclesia Rhemensi facta nullam habent connexionem. Patet igitur, consuetudinem Episcopi puerorum alium supponere ortum.

§. XX.

Vera potius hujus consuetudinis origo ex sequentibus erit desumenda, allegat quippe MARTENE in tractatu *de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis* C. XIII. §. 3. seq. p. 97. (ubi agit de festis Octavæ Nativitatis Christi) ORDINARIUM NANNETENSE, quod ait, *tria festa, quæ sequuntur* (scilicet S. Stephani, Joannis & SS. Innocentum) *fiunt cum magna solemnitate & tripudio: primum faciunt Diaconi, secundum presbyteri, tertium pueri.* Ad explicanda hujus ordinarii verba pergit citatus Auctor quod ait: *primum faciunt Diaconi*, idem est ac si diceret primarium & præcipuum in divinis celebrandis laudibus Officium exercent Diaconi, uti docent nos varii rituales libri MSS. diversarum Ecclesiarum, docet postea laudatus Auctor, quomodo Diaconi exercuerint. Officium: scilicet finitis primis vesperis Diaconi diaconalibus vestibus induti procedebant cum cereis canentes aliquod ℟. de S. Stephano. . . a 4. diaconis cappatis cantabatur invitatorium... cu. Evangelium pronunciabat Diaconus dalmatis Thymiamaterio & Cereis præcedentibus, duo Diaconi in dalmaticis chorum regebant, qui altare incensando *Te Deum* incœperunt. Alios Diaconorum ritus in Ecclesia S. Martini Turonensi aliisque describit cit. Auctor §. 4. seq. Festum S. Joannis Ev. eodem prorsus ritu ac modo, quo S. Stephani celebrabatur, idemque in eo præstabant presbyteri, quod in illo Diaconi. Quod in festo S. Stephani Diaconi, in die S. Joannis presbyteri, id in festo SS. Innocentum præstabant pueri, hoc est: præcipuam in divinis Officiis partem, quantum per eorum ætatem liceret, habebant, superiores chori sedes occupabant, alii inferiores; antiphonas & responsoria cantabant, chorum regebant cum proprio cantore, cui in Ecclesia S. Martini locum & baculum cedebat cantor presbyterorum, cum ad illum Cantici *magnificat* versiculum, *deposuit potentes* devenissent: imo & proprium habebant EPISCOPUM, qui & Benedictiones & collectas legeret. *Puero Episcopello* inquit LUCAS CUSENTI-

NUS

NUS EPISCOPUS *in suo* ORDINARIO, *Pontificialia concedantur insignia, & ipse dicit orationes.* De hoc puerorum Episcopo ita scribit TURONENSE S. MARTINI RITUALE MS: post primam S. Joannis vadunt Clericuli super equos ad bellum montem, & ibi in cathedra levant Episcopum, & incipit cantor puerorum ad majorem portam Ecclesiæ ℟. *Sancta* & ante altare B. Mariæ antiphonam *alma* cum *Gloria*, post facit Episcopus revestitus in cappa serica Benedictionem in Choro super moniales Post redeuntes cum Episcopo revestito levant eum in cathedra ante portam Thesaurarii & dicunt ℟. *Sancta*, & ducunt eum ante B. Martinum, ubi dicta oratione facit super populum Benedictionem, & debet succentor ire cum eis ad Ecclesiam Belli montis. Ad missam serviunt sicut in festo S. Stephani excepto quod Juvenes non cantant Epistolam, sed subdiaconus legit eam, in choro. Ad vesperas super psalmos antiphonæ de laudibus, & quando *magnificat* canitur, veniunt clericuli in Choro cum Episcopo habentes candelas accensas de proprio, & quando *deposuit* canitur, accipit cantor puerorum baculum, & tunc in stalla ascendunt pueri, & alii descendunt, & dicta oratione vadunt ad altare crucifixi cantantes ℟. *sub altare*, post antiphonam *innocentes* cum *magnificat* & Oratione, post dicit ibi Episcopus benedictionem, scilicet *Dominus omnipotens.* Deinde ducit eos cantor in domum suam, & ibi bibunt & dant Candelas janitori cantoris.

§. XXI.

Ejusdem hujus consuetudinis mentionem faciunt COGNATUS *in Historia Tornacensi &* MERLOTUS *in metropoli Rhemensi*, CARDINALIS THOMASIUS in tractatu *de festis* & ex eo P. LEODEG. MAYER *in explicat. compendiosa litt. hist. ceremoniarum Eccl.*; quo tempore hæc disciplina primitus fuerit introducta, determinari accurate haud poterit, cum autem de ea mentionem faciant codices sæculi XII. & concilia sæc. XIII. abusus jam reprehendant, non improbabiliter ad finem sæculi XI. vel initium XII. origo erit referenda.

§. XXII.

Quisnam sit sensus litteralis ac mysticus horum Rituum, in nullo quidem legi auctore, facile autem explicari poterit: cum enim S. Stephanus primus fuerit inter diaconus primitivæ Ecclesiæ martyrio affectus, & ut Augustini verbis utar, Primicerius martyrum, sic patet, cur in festo ejus Diaconus potissimas obeat functiones sacras, in honorem scilicet & gloriam Diaconorum ordinis, quo ornatus fuerat S. Stephanus & sic dies hic diaconorum gaudio ac festivitati destinatus fuit: ob similitudinem rationis in festo S. Joannis presbyter sacra peregit, quia ex hoc Ordine fuit S. Joannes, & hic primus inter sanctos est presbyteros, cujus festivitas in novo anno Eccles., cujus olim a die Nativitatis Chri-

Christi in Italia, Gallia & Germania secundum antiquam traditionem fuit initium, a) celebrabatur, & sic universus presbyterorum chorus suum diem festivum celebravit pomposius. b) Denique cum festum SS. Innocentum recolat Martyrium interfectorum ab Herode infantum, sic pueris innocentibus, quorum preces deo acceptæ sunt, hoc festum celebrationi fuit relictum. c) Quod fiebat, dum sacra imitabantur in Ecclesia vel ea fecerunt, quæ per conditionem eorum facere licebat. Morale forsan erat, ut Diaconi ac presbyteri suorum SS. Antesignanorum patronorumque virtutes, alacritatem in divino servitio, castitatem &c. imitarentur, populus autem reliquus Christianus eo majorem sacris hisce ordinibus venerationem exhiberet; similiter Innocentum virtutes (castitas, humilitas, mentis integritas) a Christo jam ad imitationem propositæ reliquos ad imitationem debebant pertrahere

a) Clarissime hoc patet ex *concilio Colon.* apud HARDUINUM *Tom. VII.* p. 1315. *ut de cætero annus domini observetur, & in Nativitate Christi innovetur, prout sacrosancta Rom. Ecclesia id observat, quæ est omnium Ecclesiarum Caput & Magistra.*

b) Hic Moguntiæ ex presbyteris Vicariis non solum eligitur CHOREPISCOPUS, cui mitra adhuc hodie imponitur in signum honoris, sed omnes etiam reliqui presbyteri tam Canonici quam vicarii suis olim ornabantur mitris in primis vesperis ac Octava S. Joannis.

c) Etiam in monasteriis virginum adhuc hodie viget consuetudo, ut in festo innocentum tantum juniores ætate Monachæ tanquam innocentes chorum celebrent, regimenque conventus exerceant, dum suam eligunt Abbatissam, priorissam &c. in Belgio parentes liberis natu minimis die innocentum concredunt claves & oeconomiæ administrationem.

§. XXIII.

Spirabant revera hi ritus pietatem, bonaque fuit intentio majorum nostrorum, & quia simplex & integra fuit medii ævi pietas, multum promovebant hæ Ceremoniæ fidelium devotionem, ita ut si non in universa Ecclesia occidentali, saltem in plurimis Galliæ, Belgii, Angliæ, Germaniæque provinciis fuerint receptæ. a)

a) Quod in plurimis Galliæ Ecclesiis fuerit recepta consuetudo hæc, ex conciliis inferius allegandis patebit. De Belgio testatur pariter COGNATUS *in historia Tornacensi.* De Anglia probatur ex *Inventario Ornamentorum Ecclesiæ Eboracensis* de a. 1530. in MONAST. ANGLIC. Tom. III. p. 169. ubi hæc legimus: *item una mitra parva cum petris pro Episcopo puerorum.* infra *item unus annulus pro Episcopo puerorum & duo Arcbys, unus in medio ad modum crucis cum lapidibus in circumferentiis.* De Germania testimonium ferunt Ecclesia Mogunt. & Salisburg.

§. XXIV.

Sicut autem ex natura sua indifferentia, imo bona ac sancta malitia hominum in pessimos degenerare possunt abusus, sic et factum cum Ceremoniis in festis sæpius hactenus memoratis, sacri enim ritus in histrionicos lusus, cantus sacer in carmina amatoria, virtutum sanctorum imitationes in compotationes comessationes, tripudia merasque petulantias, populi Christiani devotio in publicum scandalum abierunt. * Imo vix credi posset tam detestanda enasci potuisse scandala, nisi auctores gravissimi illa nobis describerent; FACULTAS THEOLOGICA PARIS. *in Epistola* ad prælatos et Capitula Ecclesiarum regni Galliæ transmissa illa depingit eum in modum: *videbat populus sacerdotes & clericos divini officii tempore larvatos, monstrosos vultibus aut in vestibus mulierum aut Lenonum vel histrionum choreas ducere, in choro cantilenas inhonestas cantare, offas pingues supra cornu altaris juxta celebrantem missam comedere, ludum taxillorum exarare, Thurificare de fumo fœtido ex Corio veterum sotularium, & per totam Ecclesiam currere.* Prædicta facultas in citata Epistola multis argumentis ad hunc abusum longa desuetudine & multarum Ecclesiarum Gall. praxi introductum tollendum movere conatur Galliæ prælatos V. EPISTOLA in *append. operum* PETRI BLESENSIS p. 782. VAN ESPEN *Jur. Eccl. un.* P. II. T. V. c. 9. n. 36.

a) Abusus hi ex gentilismo suum adhuc ducunt ortum sicuti Bacchanalia: celebrarunt scilicet gentiles Kalendis Jan., quibus anni est, auspicium, *festum Kalendarum* publicis ac superstitiosis lætitiis, quas postmodnm imitati sunt christiani ac indecoris choreis mulierumque aut ferarum assumtis formis ac vestibus adhuc fœdarunt, quod impium Kalendarum festum ad festa S. Stephani, Joannis ac Innocentum fuit extensum: Abusus autem hi primitus a græcis introducti sunt, a quibus didicere illos latini, prout hoc verisimile fecit DUFRESNE in *glossario* voce *Kalendæ.*

§. XXV.

Alii quoque scriptores abusum horum mentionem faciunt & quidem ex antiquioribus BELETUS a) *De div. officiis* c. 72. his verbis: *festum Hypodiaconorum, quod vocamus stultorum, a quibusdam perficitur in circumcisione, a quibusdam vere in Epiphania vel in ejus octavis:* fiunt autem 4. tripudia post nativitatem domini in Ecclesia Levitarum scilicet, sacerdotum, puerorum id est minorum ætate & ordine & *hypodiaconorum, qui ordo incertus est.* Ex recentioribus MARTENE l. c., CARD. THOMASIUS, DUFRESNE & P. MAYER l. c. P. 3. c. 2. p. 393 qui ait: *memorat eminent. Card. Thomasius* (tractatu de festis) *hunc diem* (SS. Innocentum) *olim in quibusdam Ecclesiis a pueris celebrem fuisse habitum, seu potius abusu sacrorum rituum profanatum, cum illi inter se Pontificem, Decanum, aliasque dignitates elegerunt, atque in choro canonicorum more officia*

officia celebrarunt ad eum fere modum, quo div. Nicolai festum hodieque in nonnullis urbibus obeunt pueri habitu & gestibus sacras Caeremonias imitantes . . . quemadmodum autem pueri in festo innocentium, sic diaconi in festo S. Stephani, presbyteri in die S. Joannis & subdiaconi in circumcisione vel Epiphania cum tripudio convenientes festum agebant, quod festum fatuorum vel stultorum appellabant, fortassis propter indecentias, quae ut fere in ejusmodi conventibus fieri amat, irrepserunt. b)

a) Vivebat in Ecclesia Ambianensi a. 1182. ut auctor est ALBERICUS in Chronico.

b) Simile exemplum suppeditat pariter historia Eccl.: in primitiva scilicet Ecclesia in usu erant post S. Synaxin epulae, *Agapae* dictae, quae celebrabantur cum exultatione & simplicitate Cordis. conf. FLEURY *les Mœurs des Chretiens* P. 1. p. m. 9. MURATORII *diss. de Agapis Christianorum:* hae epulae de se innocentes ac indifferentes praeter Ecclesiae primitivae intentionem in pessimos degenerarunt abusus, unde adeo contra illas invehitur S. Augustinus, & hujus praesertim suasu fuerunt abolitae, licet vestigia adhuc hodie superesse credat P. CARMELI *nella storia di vari Costumi sacri e profani dagli antichi sino a noi pervenuti T. 1. C. 3.*

§. XXVI.

Detestandos hos abusus cum Episcopo puerorum introductos non semel evellere conata est summorum Pontificum auctoritas: extant enim litterae PETRI CAPUANI Card. legati in Francia a. 1198. quibus praecipit Odoni Episcopo Paris. & aliquot canonicis ejusdem Ecclesiae, ut hocce *festum*, quod *fatuorum* appellabatur, & in Ecclesia Paris., ut in caeteris invaluerat, penitus abolerent: quod dictus Episcopus aliique ad id nominati commissarii executi sunt, facta ordinatione in Ecclesia deinceps observanda, quae habetur apud GUSSANVILLAM *post notas ad Petrum Blesensem.* Illud etiam interdixit CONCILIUM PARISIENSE a. 1212. P. IV. c. 16. *a festis vero follorum, ubi baculus accipitur, omnino abstineatur.* id est *baculus Episcopalis,* prout interpretatur DUFRESNE. Praeterea CONCILIUM COPRONIACENSE a. 1260. celebratum, cujus canon secundus haec habet: *cum in Baleatione, quae in festo SS. Innocentium in quibusdam Ecclesiis fieri inolevit, multae rixae, contentiones & turbationes tam in divinis officiis, quam aliis consueverunt provenire, praedictas baleationes ulterius fieri sub imminatione anathematis fieri prohibemus, nec non & Episcopos in praedicto festo creari, cum hoc in Ecclesia Dei ridiculum existat, & hoc dignitatis Episcopalis ludibrio fiat.* conf. ALEX. NAT. l. c. T. VII. c. 6. T. 24. p. m. 168. Similiter Ecclesia Suessionensis sustulit antiquum morem: in ejus enim antiquo *Rituali libro* tempore Nivelonis scripto habetur: *& sciendum est, quod haec festivitas* (S. Stephani) *de communi totius Capituli assensu ab omnibus exclusa antiqua consuetudine Diaconorum & Ludorum solenniter, sicut aliae triplices festivitates, debeat celebrari.* conf. *Statuta*

tuta JOANNIS ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS de a. 1279. In CONCILIO ROTOM. a. 1445. c. 11. vetantur *ludi, qui fatuorum vulgariter nuncupantur cum larvatis faciebus, & alias inhoneste fieri in Ecclesiis aut Cameteriis &c.* huc denique spectant, quæ habentur in NECROLOGIO ECCLESIÆ PARIS. *Idus Jan. ob. Hugo Clemens Decanus noster & sacerdos .... procuravit etiam salubriter & devote, quod festum D. Joannis Evangelistæ post nativitatem domini, quod prius negligenter & jovulariter agebatur, solenniter & devote celebraretur in Ecclesia nostra.*

§. XXVII.

Non autem solum in Gallia sed & in Germania consuetudo Episcopi puerorum, si non sublata, saltem est restricta: in CONCILIO enim SALISBURGENSI a. 1274. sub Friderico Archiepiscopo Salisburg. celebrato Canon 17. hæc habentur: *at hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio Episcopatus puerorum appellat, in quibusdam Ecclesiis exercentes adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpæ & gravia damna subsequuntur. ex ipsis hos ludos in Ecclesiis & à personis Eccl. de cetero fieri prohibemus, nisi forte pueri 16. annorum & infra fuerint, qui hujusmodi ludos exercent, quibus alii seniores ipsi nullatenus se misceant ac intersint.* conf. ALEX. NAT. l. c. A. 31. p. 174. in aliis forsan Germaniæ conciliis etiam hæc consuetudo fuit abolita, quia hodie non amplius in ulla Ecclesia quam Moguntina illam vigere scio, quæ tamen probabilius in aliis quoque Germaniæ Ecclesiis obtinuit: verum in defectu collectionis Conciliorum Germaniæ non mihi licuit plura adire: optandum fuisset ut SCHANATII Intentum procurandi collectionem Conciliorum Germaniæ ad exemplum Collectionis Galliæ conciliorum sirmondianæ morte non fuisset abruptum, interim spem illius fecit modernus Pragensium Archiepiscopus manuscriptorum Schanatii possessor.

§. XXVIII.

Tales abusus pariter per CONCILIUM generale BASILEENSE *seff. 21.* damnati sunt, abolito puerorum Episcopo, in verbis: *turpem etiam illum abusum in quibusdam frequentatum Ecclesiis, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo ac vestibus Pontificalibus more Episcoporum benedicunt, alii ut reges, duces induti, quod festum fatuorum vel Innocentium seu puerorum in quibusdam regionibus nuncupatur, alii larvales ac Theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium & mulierum facientes, homines ad spectacula & Cachinnos movent, alii commessationes & convivia ibidem præparant, hæc S. Synodus detestans statuit & jubet &c.* De quo decreto ait CONTINUATOR *de l'histoire Eccl. de Fleury* T. 22. P. 1. p. 119. *dans le dernier Decret l'on condamne les spectacles dans les eglises: ces spectacles se faisoient en certaines fetes, ou l'on habilloit des Enfans en Eveques avec la Mitre,*

la

la crosse & les habits pontificaux leur faisant imiter dans cet Equipage les fonctions des Eveques : . . . . & c'est ce, que le concile dit, qu'on appelloit la fete des fous ou des Innocens.

§. XXVIIII.

Ex hactenus deductis consuetudo Episcopi puerorum hic Moguntiae vigens & supra §. XVI. descripta suae luci est restituta, sicut enim in plurimis olim Galliae, Belgii, Angliaeque Ecclesiis in festo S. Stephani Diaconus, S. Joannis presbyter, sanctorum denique Innocentum ad functiones sacras peragendas creatus fuit puerorum Episcopus, sic hic Moguntiae pariter in primis S. Stephani vesperis *ex Diaconis* Ecclesiae metrop. electus fuit *Episcopus*, in primis autem vesperis S. Joannis olim & adhuc hodie *ex vicariis* eligitur *Chorepiscopus:* quod autem concernit puerorum Episcopum non quidem ipso Innocentum die, sed Nicolai creatur, eum tamen in finem, ut festo sanctorum Innocentum officium sacrum peragat, & quidem loco quod alibi adessent pueri vestiti more Clericorum, sic secundum ordinationem Ludimagistri forsan sui Episcopo puerorum assignati sunt Equites ac Capellani pro comitatu. Optime haec confirmantur testimonio *libri Ritualis Ecclesiae metrop. Mogunt.* Scripti tempore Alberti, ubi haec habentur p. 135. Nro. 2. *) *Ad secundas vesperas Nativitatis Domini . . . . . praelatus non concludit Collectam de B. Virgine, sed statim sacrista recipit Cappam a praelato portans ad sacristiam, vel tradit digniori Canonico non sacerdoti. Notandum, quod Dni potiores.* a) *Non sacerdotes eligunt Episcopum videlicet Diaconi & subdiaconi: hisque expeditis distribuuntur Cappae, infulae & Candelae. Canonico candela de dimidia libra, Vicario lumen, quod dicitur* ein Dreyling *& fit processio ad ferreum Chorum cum crucibus & Candelis, sicuti si alias haberetur processio.* b) P. 136. Nro. 3. habetur *in secundis vesperis S. Stephani: hoc sero omnes praelati, Canonici Capitulares & Vicarii sacerdotes eligunt Episcopum.* c) *Sicut heri.* d) *Et itur ad S. Joannem.* e) P. 137. Nro 4. Festo Innocentum: *Scholares cantant primas vesperas & per totum diem.* f) P. 2. Nro. 5. In Octava S. Joannis Evangelistae *hodie ambo sacristae adsint sub primis & aliis horis, ut ordinentur Cappae & Infulae seu Mitrae pro praelatis atque Canonicis meliores ac praestantiores, Viliores vero ac simplices pro Vicariis, & hodie omnes sacerdotes vestiti palliis ac mitris* g) *Adstant Cantanti Missam, sub praefatione prima & sub Pater noster infulati simul cantantes . . . sacerdos Episcopus in processione praecedit, etiamsi sit junior ita a. 1608. factum est, & imposterum fiet, ut Rdmo & Grat. D. Decano Jacobo ab Eltz placuit.* (Haec juniore manu scripta sunt)

a) Per *potiores* intelliguntur gratiosi Domini Canonici, ideo autem ab his solis eligebatur Episcopus diaconorum, quia inter Vicarios nulli extant Diaconi, sed omnes sunt presbyteri.

b) Hæc consuetudo in recentioribus temporibus cessavit, ut nec a diaconis Episcopus amplius eligatur, nec fiat processio.

c) Hic adhuc hodie prope Azmannum eligitur ex Vicariis, diciturque CHOREPISCOPUS; olim in electione talis chorepiscopi ad merita respiciebatur, hodie secundum Vicariorum ordinem fit Electio, & effectus collatæ hujus dignitatis consistit in eo, quod solenne teneatur dare epulum. Triplex igitur est sensus *Chorepiscopi* & quidem 1mo si ratio nominis habeatur, est oppidi sive pagi Episcopus, qui extra urbem in pagis, vicis, oppidulis Episcopi vice fungitur, ideoque antiqui canonum Collectores v. g. FERRANDUS DIACONUS Chorepiscopos *Episcoporum Vicarios* nonnunquam interpretantur. conf. DUFRESNE *in Glossario* voce *Chorepiscopus*, hoc sensu adhuc hodie varii habentur Chorepiscopi in Ecclesia Trevir. adscripti quasi suis titulis ac Ecclesiis in certis oppidis, veluti *Chorepiscopus S. Luventii in Dietkirchen*, *S. Castoris in Cordona &c.* talis Chorepiscopus fuit celebris vitæ Ludovici pii scriptor THEGANUS: de cetero intricata Juris Eccles. quæstio est: an tales Chorepiscopi veri fuerint Episcopi, an simplices presbyteri. de qua Vid. ALEX. NAT. l. c. qui ad diss. 44. *de Episcoporum super presbyteros eminentia jure div. instituta contra Blondellum.* T. 2. p. 577. adjecit permodum appendicis tractatum *de Chorepiscopis.* JOH. HYAC. SBARALEA diss. *de sacris pravorum ordinationibus, qua vera vetusque Ecclesiæ doctrina est novis ostensa ac propugnata monumentis* Flor. 1750. 4.

2dô sensu *Chorepiscopi* iidem sunt, quales *Cantores* seu *Primicerii* Ecclesiarum metropol. & cathed. conf. VAN ESPEN. *Jur. Eccl. Un.* P. I. T. X. c. 3. p. 52. qui postquam munus Cantoris fusius descripsit, ait: *mirum ergo videri non debet, quod in synodis colon. anni* 1260. *& anni* 1536. *Cantores dicantur CHORI EPISCOPI sive latine Chori inspectores.*

3*tio* Sensu & quidem improprio in Ecclesia metropol. Mogunt. *Chorepiscopus* audit ille presbyter, qui ex Vicariis in secundis Vesperis S. Stephani eligitur.

d) Dum omnes sacerdotes induti erant cappis, mitrisque manu gerentes ceras, quas procurare tenetur custos.

e) Hæc processio hodie cessat, dum Chorepiscopus tantum ducitur ad Altare majus.

f) Scilicet Episcopus puerorum more supra laudato sacra peragit.

g) Fuit hoc revera signum distinctivum presbyterorum die eorum honorifico, de cetero hæc solennitas hodie plane cessat, nec amplius presbyteri præter Chorepiscopum ornantur mitris, & quidem probabiliter a tempore spoliatæ ab Alberto Brand. Culm. Ecclesiæ Moguntinæ: in CODICE enim MANUSCRIPTO historiæ Mog. necdum edito, cujus auctor coævus fuit huic devastationi, hæc legi. Es fanden (*forsan* Raufften) die Juden eine Anzahl Insulen oder Bischoffs-Hüth, welche wurden gebraucht uf das Fest St. Stephani, dann es ware der Zeit bräuchlich, daß alle Personen, die mit Chor-Kappen angethan und Kärtzen in Händen tragen, auch Bischoffs-Hüth trugen, und dieselbe waren in einer Küst beysammen, die erwischten die Soldaten, setztens uf die Köpf, und zogen also spottweiß zum Thom hinaus uf den Marck, und wurden von dem Volck mit verwunderung angesehen.

§. XXX.

§. XXX.

Factæ sunt hæ Ceremoniæ in Ecclesia Mog. bono semper ordine sine ullo scandalo, imo populi Christiani devotionem admirationemque promoverunt, nunquam enim in Ecclesia Moguntina introducti sunt detestandi illi abusus supra memorati in aliis Galliarum Ecclesiis vigentes: non fiebant Choreæ, saltationes & convivia in templo, non turbabatur sacrum officium, aut ullæ aliæ enatæ sunt inconvenientiæ: adeoque Ritus festorum S. Stephani, Joannis, & SS. Innocentum in primæva sua permanserunt institutione ac pietate, quin unquam ob ullos commissos abusus in fatuorum festum degenerarint, duravit mens ac finis antiquæ hujus disciplinæ ad noviora usque tempora; in nullis enim conciliis Moguntinis aut Archiepiscoporum statutis provinc. a) Ubi tamen minimi in Ecclesia commissi abusus animadvertuntur, fit mentio ullius commissi nævi in prædictis festivitatibus, adeoque facile concipi potest, quomodo Ecclesia Mogunt. antiquarum tenax consuetudinum hunc morem contra bonos mores haud pugnantem ad hodierna usque tempora conservarit. Quod autem Decretum Concilii Basil. circa abolitionem Episcopi puerorum non promoverit abdicationem consuetudinis antiquæ in Ecclesia Mogunt. causa est, quia cessavit ratio prædicti decreti Basil., hoc enim voluit tollere festum fatuorum cum abusibus, tale autem nunquam in Ecclesia Mogunt. innotuit: viget itaque adhuc hodiernis temporibus antiquissima consuetudo in Ecclesia Mogunt., sicuti teste *Martenio* in Ecclesia Lugdunensi observatur, quæ antiquorum Rituum tenacissima observatrix existimatur.

a) Eodem tempore, ubi in aliis Conciliis abusus festi Innocentum corriguntur, prodierunt GERHARDI II. *Statuta Eccl.* de a. 1290. 98. in cel. L. B. de GUDENUS *Cod. dipl. Mog.* p. 907. Archiepisc. PETRI de a. 1310. IN LUNIG. *Spicil. Eccl. Cont. II.* p. 38. DIETERICI de a. 1451. ibidem p. 68. quæ non faciunt ullius commissi abusus mentionem.

§. XXXI.

Quæ autem supra §. XVI. In Scholio allegatæ sunt traditiones, scilicet quod hæc Ceremonia aboleri nequeat, 2) mortuo Electore fruatur reditibus Elect. Episcopus puerorum, 3) denique mortuo Vicario Ecclesiæ metropol. accipiat præbendam: falsa sunt plebis dicteria, constat enim in quot fabulas abeant simpliciores. Quoad primum in facto quidem verum est, ante 20 circiter annos deliberatum fuisse de ritu hoc abolendo, ubi autem ob rationem, quod non facile aliquid a majoribus non sine causa statutum abolendum sit, adhuc fuit conservatus, de cetero nulla subest dubitationis umbra, quin disciplina Eccl. mutari, & consuetudines hodiernis temporibus minus convenientes aboleri possint: cur non & præsens Episcopi puerorum tolli poterit consuetudo

secun-

ſecundum aliarum Eccleſiarum exemplar, ſi ſuperiores forſan cum patribus Concilii caproniacenſis, de quo § XXIV., Illam habeant tanquam dignitatis Epiſcopalis ludibrium, vel ob mutatas diſciplinæ antiquæ rationes ac circumſtantias, judicent ad hodiernos mores haud amplius quadrare Neque *ſecundum* fundatum eſt, varia enim poſſent ex Hiſtoria Mogunt. produci exempla, ubi Electores intra feſtum S. Nicolai & octavam SS. Innocentum, quo tempore durat prætenſum Epiſcopi puerorum regimen, deceſſerunt, quin reditus ceſſerint Epiſcopulo: ſic BERTHOLDUS Archiepiſ. obiit a. 1504. 19. die Dec. quin reditus aſſignati fuerint puero Similiter quoad *3tium* ſæpiſſime dicto tempore obierunt Vicarii, quod ex Necrologio Eccleſiæ metrop., ſi operæ pretium foret, probari poſſet, quin Epiſcopus puerorum præbenda fuerit donatus.

T A N T U M.



Animadverſiones Editoris.

Ad *§. XXIV. Kalendae*, de quibus hic Author mentionem facit non ſemper denotabant conventus ejuſmodi nonniſi ludicris aut etiam indecoris oblectationum modis deſtinatos, ſed et ſtatas Presbyterorum praecipue ad eundem Archi Presbyteratum ruri ſpectantium congregationes ad probum omnino finem ſingulis *Calendis* cujusque menſis factas: immo et ſocietates Laicorum ad ſimilem finem honeſtum initas. Atque ita apud DU FRESNE ad hanc vocem *Hincmarus* finem ejusmodi conventuum eſſe ait, ut *collationem de poenitentibus ſuis haberent, et qualiter unusquisque poenitentiam ſuam faceret*, vel *ſi forte aliquis contra parem ſuum diſcordiam haberet*, ei *reconciliaretur.* Inde *Calendas obſervare*, idem erat, atque iſtiusmodi conventibus intereſſe: item ita dictae Fraternitates apud veteres occurrunt, ſub nomine Calandsbrüderſchafften, Calanden, Calandgilden, quanquam PISTORIUS haec non tam a *Calendis*, ſed a voce Danis et Anglis uſitata, *Callen*, *Calen*, *convocare* derivari velit. Conf. *ejusdem Amoenitat. Hiſtorico-jurid. Part. 6. p. 33. ſeqq.* In Wetteravia talem obtinuiſſe ſub nomine *Fraternitatis Pelicani*, ut Sacerdotes ad eam ſpectantes certis temporibus ad rationes officii ſui invicem conferendas convenirent, apud eundem l cit. teſtatur Ayrmann, atque in reſtauratione ita dicta *Capituli Friedbergenſis* de anno 1565 inter alia dicitur: Zu wiſſen demnach das *Rurar*-Capitel,

pitel, *Convent*, *Synodus*, oder Caland, *a* καλειν dem griechischen Wort, so von Alters her allhier zu Friedburg ist gehalten worden; nova his verbis hujus vocis derivatio indicatur. Laicos quoque hisce societatibus adscriptos fuisse patet Diplomate HEDWIGIS *Comitissae Holsatiae* de anno 1305 *apud eund. l. c. p. 40.* ubi dicitur: HEDEWIGIS *D. G. Comitissa Holsatiae relicta nobilis viri* HENRICI *quondam Comitis bonae memoriae. Cum quidam Sacerdotes et Laici viri discreti et honesti existentes in quadam confraternitate, quae proprie* CALAND *dicitur, ad laudem Dei omnipotentis, supra Wellnam prope Civitate Itzeboe Capellam aedificare desiderant etc.* atque dein etiam dicuntur *Fratres Calendarum.* In charta LUDOVICI *Praepositi Hamburgensis ibid. f. 41.* de anno 1306 dicitur: *Quam capellam dicta soror nostra cum filiis una cum praedictis fratribus Calendarum cum duobus mansis dictae capellae adjacentibus plenius dotaverunt, et NB. Decani dictarum Calendarum, qui pro tempore fuerint, sine omni contradictione Calendis durantibus capellam hujusmodi conferent, sacerdoti, quotiescunque vacaverint de fratrum consilio et assensu. Si vero Calendae praedictae, quod tamen absit, aliquo tempore deperierint, collatio ejusdem capellae ad Praepositum Hamburgensem devolvetur.* Alia huc spectantia vide ibidem p. 44. in Instrumento Germanico, cui initium: *Everbardus Rudolphi* Dechant der Brüderschafft des Calandes der seeligen Jungfrauen Mariae in Nordstrande und Rector des Gottes-Diensts in Stundenbüll 2c.

Ad §. XXVII. Prodiit nunc, uti passim constat, quam hic Autor exoptavit, collectio Conciliorum Germaniae nunc ferme jam absoluta: pervolvi illam ad supplendum id, quod Autor desideravit ad scopum suum, quantum mihi per tempus et negotia licuit; et *Tomo* quidem *IV. p. 258.* in *Synodo Dioecesana Wormatiensi* de anno 1316. sub Episcopo EMERICO de *Schoneck* constat in Ecclesia quoque Wormatiensi simile quid obtinuisse, de quo ita statuitur: *Insuper cum decorem domus Dei omnes Christiani et praecipue viri Ecclesiastici diligere debeant et amare Propheta attestante, dum ait: dilexi Domine decorem domus tuae, ac etiam Clericorum mores in melius reformari et componi debeant: hinc est, quod considerantes illud, quod olim a Praedecessoribus nostris causa devotionis ordinatum fuerat, et statutum, videlicet: ut Sacerdotes singulis annis in Festivitate B. Joannis Evang. unum ex se eligant, qui more Episcopi Missam illa die gloriose celebret, et festive, nunc in ludibrium vertitur, et in Ecclesia ludi fiunt theatrales, et non solum in Ecclesia introducuntur monstra larvarum, verum etiam Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi insaniae suae ludibria exercere praesumunt, facientes prandia sumptuosa et cum tympanis et cymbalis ducentes choreas per domos et plateas civitatis, non attendentes, quod Apostolus non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali praecipit abstinere. Igitur, ne id, quod ob devotionem inchoatum est, ad indevotionem et*

ludibrium vergat populorum, *statuimus : ut nulli Canonici vel Prebendarii Ecclesiarum nostrae Dioecesis talia praesumant de cetero exercere. Praeterea districte inhibemus : ne sacerdos, qui, ut in festo S. Johannis more solito Missam celebret, assumetur, aliquam personam Ecclesiasticam vel mundanam, mimos, Vigellatores, vel tympanatores ad coenam vel ad prandium invitet, vel illos, aut alios, qui musicis instrumentis canere consueverunt, in Ecclesia vel extra, in domo vel platea, eundo vel corizando sequatur : sed devote et solemniter injunctum sibi officium celebret : de mane vero officio cum omni solemnitate curiali completo, post, si voluerit, sacerdotem, qui sibi tanquam Capellanus astitit in altari, Diaconum et Subdiaconum qui ei concelebraverunt, ministrando ad prandium vocare, et eis prebendam suam cum gratiarum actione benivole impertiatur. Prandio autem facto, praedictus sacerdos non equo, non asino, more insani, per vicos equitet et plateas, sed si aliquantulum jocundari delectet, Ecclesiam cum Religione intret, et circumstantibus non impetuose, sed cum mansuetudine aquam projiciat et aspergat. Si quis vero Canonicorum vel Prebendariorum Ecclesiarum nostrae Dioecesis in aliquo praemissorum fore fecerit, sciat se a beneficio ipso factum suspensum, et antequam restituatur, carcerem claustralem intraturum : imo rigidius contra se procedendum, si id meruerit protervitas delinquentis.* Porro huc trahi etiam posse videntur, l. cit. CC. *German. Tom. 3. p. 529. in C. Prov. Trevir. de anno* 1227. §. VI. ubi inter alia vetatur, *ne Sacerdotes in Ecclesiis ludos theatrales aut alios ludos inhonestos fieri permittant:* et §. VIII. p. 531. item *tripudia et choreas et bujusmodi ludos saeculares in Cimiteriis et in Ecclesiis fieri (sacerdotes) non permittant.... a talibus ergo tripudiis et bujusmodi ludis saecularibus et choreis sub poena suspensionis se ipsos sacerdotes abstrahere omnino praecipimus.* In Synodo Dioecesana Ultrajectina de anno 1293. l. cit. *Tom. 4. p. 17.* Can. 11. statuitur : *Item ludos theatrales spectacula et larvarum ostensiones in Ecclesiis et Cimiteriis fieri probibemus.* Similia habentur in Synodo Wirceb. de anno 1298. *ibid. p. 26. §. 3. de Coemiteriis :* in Synodo Cameracensi de anno 1310. *ibid. p. 76. Tit. de Clericis :* in C. Provinc. Trevirensi de eodem anno *ibid. p. 141. Tit. 64. Ne indecentia in Ecclesiis et Cimiteriis fiant.* Vestigium quoddam luculentius Episcopi puerorum in Ecclesia Leodiensi occurrit in *Statutis Ecclesiae collegiatae S. Dionysii Leodiensis* de anno 1330. die 18. Mart. quae refert CAROLUS LUDOVICUS HUGO *Abbas Stivagii et Fontis Andreae in sacrae antiquitatis monumentis Historicis, Dogmaticis, Diplomaticis Tom. 2. 1731. p. 439. et seqq. ubi p.* 442. ita decernitur : *item statutum est, quod ultimus receptus in Canonicum, qui in perceptione erit fructuum, et non erit foraneus* (de qua voce consule DU FRESNE et Diss. meam de varietate Praebendarum in Germania huic Tomo Thesauri inserendam C. 4.) *cujuscunque sit ordinis solvet Episcopatum puerorum illius anni* (i. e. expensas pro hac ceremonia necessarias feret) *et semper quousque alius de novo receptus fuerit Canonicus, nisi Canonicus scolaris sub*

ſub virga exiſtens (ſub diſciplina ſcholaſtici) *ipſum exemerit, qui tenetur ſolvere dictum Epiſcopatum, quamdiu fuerit ſub virga, et ſi duo ſub virga fuerint ultimus receptus tenebitur. Adjectum eſt etiam, quod Canonicus, qui primas expenſas in die Beati Nicolai fuerit, ille idem expenſas in die Innocentium ſolvet, etiamſi inter feſtum Beati Nicolai et feſtum Innocentium alter Canonicus reciperetur ad perceptionem fructuum, quem Canonicum dicimus et ſtatuimus dictas expenſas illius anni non debere, etiamſi ſub virga exiſteret.*



IV.

FRANCISCI ANTONII DÜRR J. U. D. &c.
COMMENTATIO HISTORICA
DE
MOGUNTINO S. MARTINI MONASTERIO,

QUA VARIAE ANTIQUITATES ECCLESIASTICAE ET MOGUNTINAE ILLUSTRANTUR, AC POTISSIMUM, AN ECCLESIA METROPOLITANA MOGUNTINA QUONDAM FUERIT ORDINIS S. BENEDICTI MONASTERIUM, INQUIRITUR.

Mogunt. 1756.

CAPUT I.

De argumentis illorum, qui Monachatum Ordinis S. Benedicti Reverendiſſimo Capitulo Metropolitano Moguntino affingunt.

§. I.

Quemadmodum in juridicis, quod nulla ſententia ſit tam erronea, quæ ſuos haud inveniat defenſores, commune omnibus innoteſcit adagium, ſic potiſſimum illud in hiſtoricis ſuam quoque habet applicationem hodiernis præſertim temporibus, ubi critices ſtudium penes multos ſuos fere exceſſit limites ac ſcepticiſmus ſubtilior invaluit; ratio hæc eſt, cur ſententiæ nulla plane nitentes fide hiſtorica adductis ſaltem quibusdam in ſpeciem argumentis penes multos ferant applauſum, quæ vero ad lapidem lydium probatæ nec minimam probabilitatis umbram præſeferunt: Eo quoqne inveteratum illud præjudicium, quod Capitulum Metropolitanum Moguntinum olim non Canonicos ſed ordinis S. Benedicti numeraverit Monachos, dubio procul referendum erit; provocant fautores hujus ſententiæ intrepide ad varia argumenta, ac *primo* dicunt omnes anti-

antiquos Archiepiscopos a tempore S. Bonifacii fuisse Monachos ordinis S. Benedicti; S. BONIFACIUS, ajunt, LULLUS, HAISTULFUS, OTHGARIUS, RABANUS, CAROLUS, SUNZO, HATTO I., HILDIBERTUS, FRIDERICUS, ac multi alii fuere evocati ex S. Benedicti cœnobiis, & promoti ad dignitatem Archiepiscopalem Moguntinam, adeoque fuere EPISCOPI-ABBATES, seu Monasterii S. Martini Episcopi ac Rectores; plures autem tales extitisse Monasteriorum ordinis S. Benedicti EPISCOPOS-ABBATES, deduxit MABILLONIUS *in actis Ss. ordinis S. Benedicti*, & quidem in præfatione *ad Saculum III. Benedictinum §. III.* N. 26. seq. Idem igitur videtur viguisse in Monasterio S. Martini Moguntino, ita ut Præfecti Ecclesiæ & Archidiœcesi Moguntinæ fuerint simul religiosorum in Monasterio S. Martini viventium ABBATES ad eum fere modum, quo hodierna die Abbas Monasterii Fuldensis dignitate Episcopali simul est ornatus: * neque erit in hoc supposito difficile Abbatum horum Monasterii S. Martini conficere elenchum, quot enim numeravit Ecclesia Metropolitana a tempore S. Bonifacii ARCHI-EPISCOPOS, tot habuit Monasterium S. Martini ABBATES.

* De novo hoc Episcopatu sequentia materiam præsentem illustrantia profert modernus gloriosissime regnans Pontifex M. BENEDICTUS XIV. in Tractatu de *synodo Diœcesana* L. XIII. C. 7. §. 13. dum ait: *hanc celebrem Abbatiam nos ipsi in Episcopatum ereximus, ita tamen, ut & privilegia omnia, quibus antea fruebatur, integra manerent, & ipsius regularis status nequaquam in ea immutaretur; Cum scilicet novus Episcopus in ea constitutus non solum Fuldensis Episcopus, sed etiam Fuldensis Abbas nuncupari debeat, quique in Abbatem posthac electus erit, idem intelligendus sit ad Episcopatum electus: Monachus vero Decanus, tresque capitulares Monachi, quorum antea erat Abbatem eligere, iidem vacante Abbatiali dignitate electionem peragere debeant; hoc uno interjecto discrimine, quod, qui prius eligebatur, nonnisi Abbas Fuldensis erat, in posterum vero electus & Abbas, & Episcopus Fuldensis electus esse censebitur: quemadmodum in nostra constitutione super hoc edita fusius describitur.*

Hujusmodi Fuldensis Episcopatus fundatio digna plane est, quæ in primo relationis capite referatur, cum & peculiaris sit, & memoriam renovet eorum Episcopatuum, qui olim ante Anglicanum schisma in majori Britania erant, ad quos videlicet soli Monachi eligebantur. Abbates enim Monasteriorum erant similiter Monachi, eorumque electio a Monachis fiebat, qui autem in ABBATEM *eligebatur, idem etiam intelligebatur* EPISCOPUS *electus. Porro novem erant Cathedrales Ecclesiæ, in quibus hujusmodi disciplina recepta fuerat, & vigebat. Eædem recensentur Tom. 2. operis ab* HENRICO WHARTON *anno 1691. editi, cui titulus:* ANGLIA SACRA, SIVE COLLECTIO HISTORIARUM PARTIM ANTIQUITUS, PARTIM RECENTER SCRIPTARUM DE ARCHI-EPISCOPIS ET EPISCOPIS ANGLIÆ A PRIMA FIDEI CHRISTIANÆ SUSCEPTIONE AD ANNUM 1540. *Earum quoque mentio habetur in* APOSTOLICIS LITTERIS URBANI PAPÆ VIII. *incipientibus.* Plantata in agro Dominico, *datis*

 anno

anno 1633. *ibi*: Quoniam vero inter privilegia, gratias, indulta, & facultates, ac prærogativas ordinis, & congregationis Nigrorum nuncupatorum Monachorum S. Benedicti, ac illius Monasteriorum in Anglia fuerunt jura cathedralia novem Ecclesiarum, nimirum Archiepiscopatus Cantuariensis, Episcopatuum vero Wintoniensis, Dunelmensis, Eliensis, Wigorniensis, Nordoviensis, Roffensis, Barthoniensis & Coventrensis, quorum Episcopatuum cathedræ sitæ fuerunt, & collocatæ in Monasteriis eiusdem ordinis ex conditione, seu consuetudine, ut capitula dictarum cathedralium Ecclesiarum, omniaque jura capitularia manerent, & essent in conventibus & Monachis eorum Monasteriorum, qui Monachi cum Priore suo erant earundem Ecclesiarum Canonici primarii, & capitula cathedralia constituebant, Episcopi vero quasi Abbates eorundem conventuum, & Monachorum, tam ad sedem Abbatialem, quam etiam Episcopalem eligebantur &c. Super quo jure prædictis Monachis ordinis S. Benedicti conservando, & perpetuando, a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris etiam diversæ litteræ emanarunt, repulsis contradictoribus & prædictis juribus illæsis, & integris reservatis eisdem Monachis usque ad infelix schisma Henrici VIII. Angliæ Regis.

§. II.

Id quod eo magis videtur confirmari, quo sæpius II. in diplomatibus ac penes scriptores coævos occurrit *Moguntini Martini S. Monasterii* nomen: sic ipse historiæ Mog. parens NICOLAUS SERRARIUS *in historia Mog.* p. 47. *ex edit. Johan.* ait: *inter omnia Monasteria primum & excellens fuit, quod apud veteres Episcopale aut majus aut vero* S. MARTINI MONASTERIUM *appellatur hodie Metropolitanum Canonicorum Collegium..... In Hildegardis epistolarum libro, quem manuscriptum aliis cum operibus illius habet Bingense S. Ruperti Monasterium, extant summi Moguntini templi dominorum epistolæ ad illam, in quibus sic:* CONVENTUS FRATRUM *de* DOMO *& postea:* CONVENTUS FRATRUM DE S. MARTINO IN S. MARTINO *petit* de Catharis &c.

Idem SERRARIUS *l. c. c. 31. sect. 1. p. 69.* pergit: *est Ecclesia Metropolitana in S. Stephani memoriam olim dicata: sed cum novum, quod S. Stephani vocatur, templum exstruxisset Willigisus Archiepiscopus, fuit hæc in S. Martini honorem Ecclesia commutata .... Atque hanc ob causam olim dicebatur hæc ....* MONASTERIUM S. MARTINI, *donec e prisca vita disciplinaque austeritate in leviorem ac liberiorem canonicorum rationem visum descendere.* Præcessit SERRARIUM scriptor Moguntinus antiquior MARIANUS SCOTUS *in chr. ad a. 1038.* apud PIST. T. I p. 649. qui scribit: - *S. Bardo Archiepiscopus præsente Conrado Imp 4. idus Novemb. consecravit* MONASTERIUM S. MARTINI *sedis Mogunt. Archiepiscopatus, imo omnium Francorum in honorem S. Martini cum multis Episcopis.*

CHRISTIANUS II. *in Rer. Moguntiac. chron.* apud REUBERUM *p. 765.* dum describit cædem Arnoldi Archiepiscopi Mog. ait: - *propter quod accidit, ut*

pars

pars illa de Selbov'n, quam fovebat & animabat Arnoldus MAJUS MONASTERIUM (hoc est Ecclesiam majorem seu Monasterium S. Martini) *occuparet, illeque pro castro uteretur contra adversarios.*

In diplomatibus passim etiam occurrunt FRATRES S. MARTINI conf. Jll. L. B. a GUDENUS *cod. diplo. T. I.* p. 76. FRATRES *autem*, ait DUFRESNE in GLOSSARIO, *dicti sunt Monachi universim id nominis a primis Christianis mutuati.*

§. III.

Huic accedit III., quod MARIANUS SCOTUS longo degerit tempore in ipso *S. Martini Monasterio*, ipsum autem fuisse indubie ordinis S. Benedicti Monachum ex ejus CHRONICO patet, dum ad a. 1043 ait: - *Annuchadus Scotus &* INCLUSUS *obiit 3. calend. Febr. in Monasterio Fuld., super cujus sepulchrum visa sunt lumina, & psalmodia audita, super quem* EGO MARIANUS SCOTUS *X. annis* INCLUSUS *super pedes ejus stans quotidie cantavi missas.* & ad a. 1052. ait: - *Ego* MARIANUS *seculum reliqui.* Ad a 1056. - *ego* MARIANUS *peregrinus factus pro regno cœlesti patriam meam reliqui & in Colonia....* MONACHUS *effectus sum.* Ad a. 1059. *ego* MARIANUS .... *feria sexta post ascensionem 2. idus Maji* INCLUSUS *Fuldæ per annos X.* Hicce MARIANUS professione MONACHUS ORD. S. BENEDICTI inclusus fuit Monasterio S. Martini Moguntino, prout pariter ex ejus discimus CHRONICO ad a. 1069. ubi ait: - *ego miser* MARIANUS *jussu Episcopi Moguntini & Abbatis Fuld. Feria 6ta ante palmas 3. nonis Aprilis post annos X. meæ inclusionis solutus, de clusa in Fulda ad Moguntiam veni, & in festivitate 7. Fratrum 2do* INCLUDOR.

Inclusus autem fuit Monasterio S. Martini, ubi & obiit, prout hoc confirmat DODECHINUS Mariani Scoti CONTINUATOR ad a. 1086. - *Marianus Scotus* INCLUSUS *obiit & apud S. Martinum sepelitur.* Idem confirmant alii fide digni scriptores veluti SIGEBERTUS GEMBLACENSIS *in chron.* ad a. 1061. dum ait: - *Marianus Chronographus claret, qui a Scotia in Gallias veniens Coloniæ factus Monachus primo., postea apud Moguntiam reclusus est.*

JOANNES TRITHEMIUS in *Cat. Vir. illustr* C. CLXXIII. ait: *Marianus Monachus Fuld. Ordinis S. Benedicti .... primum Coloniæ ad S. Martinum Monachus factus & solitudinis desiderio inclusus duobus annis ibidem mansit: Postea vero ad Fuldam translatus XII. annos ibidem* INCLUSUS *mansit, donec tandem propter eruditionem & sanctitatem jussu Episcopi Moguntini & Abbatis Fuldensis ad Moguntiam transmigrans annis XVII. apud S. Martinum denuo stans* INCLUSUS *in magno ab omnibus honore habebatur.* IDEM in *Chron. Hirsaug.* ad a. 1062. de eo: *postea cum Sifridus Abbas Mogunt. Ordinaretur Archiepiscopus, Marianum quasi unicum vitæ suæ patronum secum ad Moguntiam transtulit, & in cellulam juxta Ecclesiam S. Martini majo-*

majorem habitare fecit, in qua usque ad mortem Domino serviens permansit. Ad quid autem Monachus Ord. S. Benedicti transferatur ex Monasterio Fuld. ordinis S. Benedicti ad Moguntinum S. Martini Monasterium, nisi & hoc verum fuisset religiosorum ord. S. Benedicti domicilium? quid enim agat Benedictinus in Conventu Clericorum? Cui præterea accedit, quod verba INCLUSUS ET INCLUDERE Monasteriis religiosorum in medio ævo fuerint propria, unde etiam dictæ sunt CLUSÆ seu CLAUSÆ Conf. DUFRESNE in *Gloss.* ad dicta verba & Ill. L. B. a GUDENUS *Cod. diplom.* T. I. p. [illegible]27.

§. IV.

Signum etiam IV. Monachatus superstes suo tempore observavit SERRARIUS, qui l. c. p. 69. ait: *- Monasterium S. Martini e prisca vita, disciplinaque austeritate in leniorem ac liberiorem Canonicorum rationem descendisse.... Sed ita, ut prioris illius status insignia retenta complura sint, maxime* TRISTIOR AC SIMPLICIOR ILLE NIGER HABITUS, *quo in adventu, & quadragesima templum solent accedere reverendi & nobiles Domini Canonici.*

Niger autem ille habitus, prout inferius patebit, consistebat ex palliis nigris cum cappis longioribus in eam fere formam confectis, quam referunt nigra Carthusianorum seu cerulea fratrum Laiçorum dicti ord. Pallia, cum autem alii Monachi vere tales veluti Carthusiani, Benedictini &c. similibus utantur vestibus, recte præfata pallia pro Monachatus reliquiis habuisse videtur SERRARIUS. Licet autem hic, de quo SERRARIUS, mos, prout JOANNIS in Nota ad dictum locum observavit, in desuetudinem interea abierit, firmum tamen exinde ad probandum Monachatum desumitur argumentum.

§. V.

Verum ad quid redeundum erat ad elapsa SERRARII tempora, & obliteratas jam dudum consuetudines, Cum V. alia adhuc hodie Monachatus supersint documenta? gestant equidem sub sacris in choro majori celebrandis tam sacerdos, quam Diaconus cum Subdiacono in Alba 4. panniculos quadratos ejusdem cum casula coloris: duos inferius ex utraque parte, ubi desinit casula, affixos albæ, duos in brachiis, 5tus denique annexus est humerali, quod induitur more penes varios Monachos adhuc hodie recepto, ut speciem capucii ornamenti antiquitus Monachis proprii referat; alii duo panniculi ex parte albæ inferiore conspicui secundum communem vulgi traditionem scapulare denotant, quo olim utebantur Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ Clerici regulares, cum adhuc ordinis S. Benedicti essent Monachi: manifesta igitur hæc sunt pristinæ conditionis rudera.

§. VI.

§. VI.

Ex eadem caufa debent etiam VI. Canonici Ecclefiæ Metrop. Mog. fecundum vulgarem traditionem fingulis annis in die cinerum & Parafceves proceffionaliter ire ad montem S. Jacobi fpeciofum: obligatio enim hæc defcendit ex antiquo, prout ferunt, cum ordine S. Benedicti nexu per modum pœnæ forfan, vel faltem ad refricandam antiqui Monachatus memoriam introducta: defignati etiam funt ritus in hifce proceffionibus adhibendi in *Manufcriptis* Ecclefiæ Metropolitanæ *libris Liturgicis ac Stationum*; in quodam etiam allegato a JOHANNIDE in notis ad SERRARIUM p. 610. Not. 3. hæc habentur: *Die cinerum poft incinerationem itur ad S. Jacobum cum cruce velata, ibique a choro Metropolitano cantatur facrum, dum interim DD. Stephanitæ idem officium in templo Metropolitano peragunt, ubi autem pluvia hac die incidit, non erit proceffio, fed datis cineribus fit proceffio cum litaniis in ipfa Metropolitana, tranfiturque per alam templi a latere fori per ambitum iterum ad fummum chorum. Feria 6ta parafceves de mane incedit chorus ad dictam S. Jacobi Ecclefiam fine cantu, ubi Abbas loci cum fuis miniftris peragit officium diei, & adorationem crucis, ceteraque juxta formam in miffali Rom. præfcriptas choro Metropolitano refpondente. Poft officium Reverendiffimus D. Decanus indutus alba & ftola accepta a Reverendiffimo D. Abbate capfula, in qua reconditum eft Venerabile Sacramentum, dat benedictionem, proceditque fub baldachino nigro; fequuntur perfonæ cleri fine cantu ferentes faces accenfas, & reponitur S. Hoftia in fepulcro præparato in veftibulo chori ferrei ante altare novum B. M. V. affumptæ.* In alio LIBRO RITUALI habetur: *In die cinerum poft primam in Metropolitano fit incineratio, deinde ftatio ad S. Jacobum...* anno 1657. *ob auram pluviam ftatio non fuit habita, fed proceffionaliter ibant per ambitum &c. in die parafceves fit ftatio ad S. Jacobum: Abbas vel alius facerdos cafula indutus quafi officium miffæ celebraturus, faciat folito more confeffionem &c. dicit*: Domine non fum dignus, *& fic peragit officium, & communicat Monachos ac fratres fuos, & poftea legentur vefperæ.* Ibidem habetur „ *NB. fi tempore belli Domini Majores non vellent, neque poffent ire in die parafceves ad S. Jacobum tunc fuffraganeus in die cœnæ confecrat 2. hoftias magnas, unam pro fe ipfo, aliam in die parafceves refervandam in corporali majori juxta pixidem facramenti cuftodiendam.*

§. VII.

Variæ etiam denique VII. fuerunt olim confraternitates inter FRATRES S. MARTINI, & varios Monachorum ordinis S. Benedicti conventus in fignum, quod ejusdem olim fuerint ordinis, & vera inter eos fteterit fraternitas; Quod talis confraternitas cum Monafterio S. Galli interceſſerit, docemur ex CONRADI I. *diplomate* de a. 1188. apud ill. L. B. DE GUDENUS l. c. p. 290. qui ait: *Relatione antiquiffimorum fratrum noftrorum percepimus hanc confuetudinem*

inter fratres sancte Moguntine Ecclesie, ac inter cenobitas S. Galli hactenus extitisse, quatenus perpetue fraternitatis vinculo conjuncti orationibus, que tam pro vivis, quam pro mortuis utrobique celebrantur, communicarent, si forte aliquem ex fratribus nostris pro aliqua honesta causa in predicto loco adesse contingeret, plenarie unius fratris prebendam reciperet, & eodem jure quilibet ex fratribus vestris Ecclesiam nostram adiens similem charitatem inveniret. Anno igitur..... ego Conradus.... veniens ad Cenobium S. Galli confessoris orationis causa ad petitionem tam fratrum nostrorum, quam fratrum S. Galli, presente amico & fratre nostro Heinrico...predictam consuetudinem Dno Udalrico Abbate consensum prebente communi petitione fratrum renovavi, & confirmavi, solemnique fraternitate a toto Capitulo recepta, & e converso Moguntino Conventui fratres nostros transmissa litteris hanc confirmationem inscripsi, ac sigillo nostro quatenus deinceps fraternitatem teneat, insigniri decrevimus. Idem patet de confraternitate cum Albanensibus ex diplomate de Ao. 1254. quod extat apud L. B. DE GUDENUS l. c. Tom. 2. p. 793. seq. ubi dicunt Canonici S. Martini: *Vovemus etiam ex nunc in die dicti patroni vestri ad vestram Ecclesiam processionaliter perpetuo nos ituros, nosque ibi, quousque missarum solemnia completa fuerint, duraturos. Eodem etiam die salmonem dabimus Abbati, qui dari a pastore ipsius Ecclesie nomine consuevit. Item Abbas.. in signum unionis & confraternitatis hujusmodi tempore absentie Episcopi cum a capitulo nostro rogatus fuerit, ac ei libet ac vacat in Ecclesia nostra missarum solemnia celebrabit, nos quoque tunc faciemus eidem de meliori vino, ubicunque illa die comederit, honorifice propinari* &c. De confraternitate cum Monachis S. Jacobi dicitur in *diplomate* l. c. T. II. p. 796. - *Laudabilem insuper & perpetuam illam consuetudinem & nos, & de vos pariter innovantes mutuo promittimus, ut in obitu cujuslibet de vestris fratribus in nostra, & nostris in vestra Ecclesia ut antiquitus solenniter compulsetur, vigiliis, & missa utrimque die obitus decantandis.* Similis intercessit confraternitas inter communionem S. Martini & Benedictinos Limburgenses: l. c. p. 802. ubi habetur: *Preterea ut firmiori vinculo caritatis Moguntinensis & Limburg. Ecclesie invicem constringantur, salubriter & provide est Statutum, ut quicunque de fratribus nostris viam universe carnis ingressus Mog. Ecclesie denuncietur tanquam uni ex ipsis in vigiliis & exequiis defuncti memoria peragatur, & nos similiter more solito pro ipsorum fratribus defunctis domino preces & hostias offeremus.*

Verum hisce argumentis non obstantibus Ecclesia Metrop. Mog. nunquam fuit ordinis S. Bened. Monasterium; antequam autem ad producta hæc argumenta secundum ordinem respondeam, lubet prius ipsam Reverendis. Capituli Metrop. Mog. historiam præmittere, unde erit

CAPUT

CAPUT II.

De Reverendissimi Capituli Metropolitani Moguntini in medio ævo statu, ejus incrementis, vita communi, vitæ communis cessatione, ac relictis ex vita communi effectibus.

§. VIII.

Constat inter omnes antiquioribus ante sæculum IX. temporibus Ecclesiis Cathedralibus ac respective Metropolitanis præfuisse Episcopum cum clero suo, qui consistebat ex presbyteris ac diaconis, quibus successu temporis accessere & subdiaconi, quin tamen Episcopus eum suo clero in communi vixerit; duravit hæc Ecclesiæ disciplina usque ad tempora PIPINI, ubi CHRODOGANGUS Metensium Episcopus suos clericos in unam congregavit societatem & in uno claustro ad vitam communem Monachorum adinstar colendam perduxit certam illis vivendi regulam præscribens.*

Ex CHRODOGANGI regula ** notari potissimum meretur CAPUT III., quo cavetur, *ut omnes Canonici in uno dormitorio separatim in singulis cellis ac lectis dormiant, & ita disponantur, ut juniores sint sub oculis seniorum, ut Laicis hominibus & maxime mulieribus Canonicorum claustra claudantur, ut Clerici Canonici nullum clericum in suis mansionibus habeant ad ministerium sine licentia Episcopi, ut in ipsorum ædibus, nec extranei Clerici nec Laici manducent, bibant vel pernoctent.* CAPITE VIII. Statuitur, *ut Canonici quotidie ad Capitulum conveniant, ubi aliquod regulæ caput legendum, exceptis diebus dominicis & feriis quarta & sexta, vi quorum tractatus, & homilia patrum leguntur vel quid aliud ad audientium ædificationem.* CAPITE XXI. de mensis ordinandis disponitur, *ut silentium & lectio in refectorio imperetur, nec ante legitimam horam comedatur, aut bibatur absque Episcopi aut ejus, qui praeest licentia, ne cellerarius contra rationem inquietetur, nec Laici absque licentia ad edendum in refectorio admittantur.* C. XXII. seq. *Mensura cibi, potusque determinatur.* C. XXIV. *Ministerium coquinæ singulis per vices imponitur Archidiacono, primicerioque exceptis.* C. XXV. *de cellerario & portario.* C. XXIX. *decernitur de vestimentis, & calceamentis, ut senioribus Cappæ novæ singulis annis ad festum S. Martini dentur, veteres, quas illi deponunt, tribuantur junioribus.*

* Conf. PAULUS DIACONUS *in fragm. Episcoporum Metens.* apud DUCHESNIUM Tom. II. hist. franc. & ALEXANDER NAT. *in Hist. Eccl.* sæc. VIII. C. V. Art. III. p. m. 703.

** Legi potest *in* LABBEI *Tom. VII. Concil.* & HARDUINI Tom. IV. p. 1182. seq. & COINTII *Tom. V. Annal. franc.* ad a. 757. p. 567. seq. ALEXANDER NAT. l. c. dedit summa dictæ regulæ capita, ex quo & illa descri-

descripsit J. H. BOEHMERUS & *Tom. II. jur. Eccl. protest.* p. 62. seq. inseruit.

§. IX.

Ex hisce patebit, quod hæc vita Clericorum communis cum vita Monastica cœnobitarum multa habuerit communia, Verum in essentialibus suas habuerit differentias, prout inferius fusius deducetur; Reliqui enim Monachi stricte tales tribus votis solennibus adstricti erant, CHRODOGANGUS autem suos solennibus hisce votis haud adstrinxerat. Monachi præterea vere tales fuerunt maxima ex parte tum temporis Laici, Canonici autem omnes certis initiati ordinibus. Regula CHRODOGANGI, quidquid contra ogganiat pro more suo BOEHMERUS l. c. L. 3. T. I. §. 14, de se & pro suo fine laudanda revera talem tum temporis tulit applausum, ut non solum in reliquis Ecclesiis Cathedralibus a clero primario, sed etiam a secundario in Ecclesiis collegiatis admitteretur, exinde etiam ab hoc tempore peculiariter & nova ratione dicti fuerunt *Canonici* illi, qui ad formam CHRODOGANGI vivebant ejus regulam seu Canones observantes.

Caroli Magni de propaganda Chrodogangi regula sollicitudo apparet ex CAPIT. AQUISGRAN. de a. 789. c. 72. seq. Ubi cautum: - *simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicunque, qui se voto Monachicæ vitæ constrinxerunt, Monachice & regulariter omnibus modis secundum votum suum vivant, similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus* canonicam vitam, *volumus, ut illi canonice secundum suam regulam omni modo vivant, & Episcopus eorum vitam regat, sicut Abbas Monachorum.* Monachi scilicet dicebantur vivere *regulariter* ob regulam Benedicti, Canonici *canonice*; Illis secundum vota vivendum erat, his canones absque votis erant præscripti.

§. X.

Hæc disciplina in universo fere orbe Christiano in occidente potissimum fuit recepta; *si antiqua canonicorum monumenta* (ait ESPENIUS *) *& temporum historiæ revolvantur, nihil certius, quam pleraque, quæ hodie dicuntur capitula Canonicorum sæcularium vitam communem vixisse, eodem pene modo, quo hodie canonici, qui dicuntur regulares, licet vota solennia præcipue paupertatis non emitterent.* **

* P. 1. T. VII. C. 2. §. 1. *Jur. Eccl. Univ.*

** De vita communi Ecclesiarum Belgii testantur BARTHOLOMÆUS FISEN. L. X. C. 10. *hist. Leod.* MIRÆUS in *dipl. Belg. C.* 65. CHRONICON CAMERAC. per Baldericum; de Trevirensi, Wormatiensi, Coloniensi, aliisque Germaniæ Canonicorum Ecclesiis testis est. TRITHEMIUS in *Chron. Hirsaug.* ad a. 975. AUBERTUS MIRÆUS *in notis ad regulam Canonicorum*

corum ait: - *dormitoria, refectoria, & alia id genus loca publica, quibus nostri ordinis Canonici olim usi fuerunt, hodieque extant, & cum admiratione monstrantur Coloniæ Agrippinæ, Tornaci, Leodii, Brugis, insulis & alibi.*

De Diœcesi Mogunt. idem dicendum, nam in omnibus Ecclesiis collegiatis uti in Metropolitana communis obtinebat vita, prout illud adhuc hodie extantia quoque refectoria, dormitoria, ae aliæ reliquiæ testantur, superest etiam adhuc unica saltem in diœcesi Moguntina Ecclesia collegiata, *Amœneburgensem* intelligo, ubi in communi ad hodiernum usque diem vivunt Canonici. Magno etiam cum Zelo vitam hanc communem renovare in clero Mog. conabatur Ven. BARTHOL. HOLTZHAUSEN, sui etiam ex parte voti compos. conf. SERRARIUS l. c. p. 92. & ejus VITA c. XXI.

§. XI.

Cum igitur hæc sit una ex potioribus historiæ Ecclesiasticæ, ac juris Canonici materiis, haud mirandum erit plurimos Auctores in illustranda communi Canonicorum vita suam posuisse operam, quos inter potissimum laudari merentur JOH. MOLANUS in tractatu *de canonicis*, P. EUSEBIUS AMORT in opere *de antiqua & nova canonicorum disciplina.* PENOTIUS in suis *disquisitionibus de canonicorum ordine Parisiis* 1697. 4. editis p. 305. & 6. ANONYMUS dans *l'histoire des chanoines.* VAN ESPEN P. 1. oper. T. XVII. c. 2. MABILLONIUS in vita WILLEHADI ET GREGORII *in actis sanc. ord. S. Benedicti* T. IV., FLEURY Hist. Eccl. L. 43. n. 37. L 66. n. 23. Ut plurimos alios silentio præteream; ex protestantibus J. H. BOEHMERUS *in Jure Eccl. protest.* L III T. 1. §. 12. seq. JOH GEORG. PERTSCH in *Elementis juris Can. & protest.* L. 1. T. 35. p. 287. JOH. GODOF. DE MEYERN de *Monacho-Canonicismo.*

§. XII.

Quod igitur secutæ sunt plurimæ successive exemplum Ecclesiæ Rhemensis, ad imitationem quoque protraxit Ecclesiam Mog. sæc. IX., prout discimus ex CONCILIO M GUNT. a. 813. celebrato, ubi CAN. IX. hæc habentur: - *In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici clerici canonice vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia Episcopi vel magistri eorum composite præsumant agere in unoquoque Episcopatu, & ut simul manducent, & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit, & qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & in singulis diebus mane primo ad lectionem veniant & audiant, eis quid imperetur: Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones suis magistris exhibeant.* Hæc synodus habita fuit a RICHOLFO Archiepiscopo Mog. regnante CAROLO M. in claustro Basilicæ S. ALBANI & quidem

dem fuit in ordine moguntinarum *prima*. Conf. SERRARIUS l. c. l. 1. c. 32. p. 97. ex ed. Johann.

AQUISGRANENSE sub LUDOVICO PIO Imperatore a. 816. celebratum CONCILIUM, cui probabilius interfuit HAISTULFUS Archiepiscopus Mog. *. CAN. 121. & 122. sancit cunctis clericis æqualiter cibos distribui ad mensam. Idemque CAN. 134. modum & formam præscribit correctionis clericorum in communi viventium. CAN. 143. jubet præfici portæ clericum laudabilem, qui canonicorum portam competenti tempore claudat, ac reseret, ne cuiquam liceat absque speciali præfecti licentia ingredi vel egredi, & ut janitor expleto completorio, obseratisque portis claves ad præfectum deferat, quas postridie mane ab eodem resumat.

OTGARIUS Archiepiscopus Moguntinus celebravit a. 829. synodum mogunt. **, ubi absque dubio vita communis etiam fuit confirmata.

RABANUS Archiepiscopus in synodo habita A. 847. CAN. 6. & 7. de clericorum vita pariter egit.

Vita igitur communis clericorum per synodos Moguntinas confirmata successive non solum in Ecclesiis collegiatis dictæ diœceseos, sed & potissimum in Ecclesia Matre seu Metropolitana diœceseos primaria fuit introducta, & quidem ut laudabile hoc institutum ad eo majorem perduceretur perfectionem, sic Archiepiscopi Mog. egeno tum temporis adhuc capitulo Metropolitano, ut sufficientes pro vita communi instituenda habeat reditus, insignia bona contulerunt.

* Conf. SERRARIUS l. c. p. 365.

** Conf. IDEM. l. c. p. 385.

§. XIII.

Inter Antistites autem Moguntinos primus præter WEZILONEM suam capitulo Metrop. Moguntino exhibuit liberalitatem RUTHARDUS, qui varios reditus & advocatias ad sustentationem Canonicorum S. Martini donavit a. 1092. in diplomate enim desuper edito ait: - *Memor illius divini sermonis: quod uni ex minimis meis fecistis: ob amorem Dei, & anime mee remedium, consensu atque consilio fidelium meorum tam clericorum, quam Laicorum, quedam beneficia mei Episcopalis juris Ecclesie sci Martini Moguntine sedis ad stipendium & sustentationem Canonicorum inibi famulantium legitima traditione perpetuo possidenda donavi: Videlicet in loco nomine Binga singulis annis XII: libras denariorum, In pago, qui dicitur Nahgowi, curiam unam, que dicitur Bleiniche, cum omni utilitate atque justicia ad eandem curiam pertinente, nec non advocatiam super has villas Heimbache, Findene, Ulmene,*

mene, Badenheim, Ebernsheim ad supra dictorum fratrum prebendam pertinentes: conf. Ill. L. B. DE GUD. l. c. T. I. p. 386.

Idem prædicta confirmavit ac ampliavit diplomate concesso a. 1108. apud GUD. l. c. p. 388. ubi hæc habentur: *itaque fratribus S. Martini in augmentum tenuis prebende ipsorum de reditibus pinguie ad cameram nostram pertinentibus XII. libras denariorum annuatim persolvendas tradidi, quas a villico loci predicti eorumdem fratrum dispensator acceptas estatis tempore pro carne ovina comparanda, prout ipsis commodius visum fuerit, distribuat. Addidi quoque in pago, qui dicitur Nachgowi, curiam unam nomine Bleinicbe cum omni utilitate atque justicia ad eandem curiam pertinente nec non advocaciam in eandem curiam, & super has villas Heimbach, Fundene, Ulme, Badenheim, Ebernsheim ad supra dictorum fratrum prebendam pertinentes, Quod coëgit nos ita ordinare, & constituere, & coditiana pauperum per advocatos oppressio, & domini prepositi & fratrum frequens pro eadem calamitate petitio. Preterea roborata traditione predecessoris mei Archiepiscopi Wezelonis, qua constituit singulis annis predictis fratribus dari de vino IV. Carratas apud Logenstein, ego quintam ex parte nostri addendam annuatim constitui.*

§. XIV.

Similiter ADELBERTUS I. Archiepiscopus sæc. XII. a. 1128. fratribus sive Canonicis S. Martini de domo largissimas ad victum assignavit opes, dum inter alia dicit: *quorum redditibus, & predictorum prediorum habeant, unde deinceps cottidie in refectorio simul comedant, ad minus tria fercula habentes, fratres videlicet, & confratrum Vicarii, qui chorum S. Martini Moguntinensis frequentant, quod etiam, ut in excusabilius facere possint, meo jusso, meo sumptu edificata est eisdem fratribus domus hyemalis videlicet stupa una cum appendiciis suis* * IDEM a. 1130. plura donavit prædia ad augmentum refectionis fratrum S. Martini, dum ait: *Canonicis sci Martini Moguntinensis in augmentum refectionis eorum cottidiane centum marcas comparavimus.* **. IDEM in alio diplomate de a. 1131. ait *Ceteros* X. & VIIII. (mansos) *Ecclesie S Martini Moguntinensis ad augendam refectionem fratrum cottidianam contulimus.**** IDEM a. 1135. Prædium in Birbach sibi comparatum contulit D. Martini Canonicis in augmentum Præbendarum. *quod* (scilicet prædium) *& nos CXX. marcis comparatum fratribus nostris in Ecclesia Bti Martini, sicut & alia complura pro voluntate tamen nostra perpauca in augmentum prebende libere & absque contradictione contulimus.*****

* Conf. ILL. L. B. de GUD. *l. c. T. I. p.* 76.

** IDEM p. 92.

*** IDEM p. 99.

**** IDEM p. 114.

§. XV.

§. XV.

Henricus I. Archiepiſcopus in ſpecie variis reditibus auxit præbendam cantoris Eccleſiæ S. Martini. Auxit idem reditus canonicorum in communi viventium a. 1146. ac in diplomate ſic loquitur: *Nos cura regiminis predicti non immemores extitimus fratrum & dominorum noſtrorum, & circa nos ipſorum ſtudio exhibite devotionis, ſedula enim meditatione tractavimus, quali modo benigne conſulendo defectum ipſorum ſuſtentaremus, & penuriam ſtipendiorum, quam multo tempore patiuntur, quantum valemus preſentiarum relevare non omittemus: Ad inveſtituram Eccleſie in Geiſenheim libere hoc modo fratribus conceſſimus, ut presbitero electo a fratribus copia, que ſufficiens videatur, uſibus illius deputetur, reſiduum vero communi fratrum cedat utilitati.... Preter hec omnia, ut clauſtralis religio redintegretur, que paulatim negligentia labi videbatur pro eo, quod erat conſtitutum, ut janitor ad cuſtodiam dormitorii deputatus aleretur: Elemoſinam noſtram, que de Lorecho ſingulis annis proveniebat, ad ſupplementum illius defectus conceſſimus octo maldra ſiliginis, duo maldra tritici, & duo avene, maldrum unum leguminis, & dimidium ſalis: quatuor gallinas, XX. ova, V. ſolidos, funiculum lignorum metitum XII. pedum longitudine & XII. pedum altitudine, & Omam vini. Hac dominis & fratribus prompta voluntate tradentes, & VI. Carratas vini in Logenſtein a predeceſſoribus noſtris deſignatas authoritate officii noſtri corroborantes.* In eodem diplomate ſcholaſtici ac cantoris auxit reditus.

Conf. Gud. l. c. p. 179. ſeq.

Idem varia nova conſtituit circa reditus cantoris in alio diplomate de a. 1150. l. c. 194.

§. XVI.

Anteceſſorum veſtigiis inſiſtens Christianus I. auxit reditus Canonicorum Metrop in diplomate conceſſo a. 1167. ubi hæc habentur: *Quocirca cunctorum Dei & imperii preſens noverit etas, & ſucceſſura poſteritas, quod interventu, & ſedula petitione chariſſimorum fratrum noſtrorum, canonicorum videlicet majoris Eccleſie in Moguntia, aſſenſu Abbatum prepoſitorum, & aliorum prelatorum, qui preſentes erant, ipſis Canonicis Eccleſie S. Martini in Moguntia preſentibus & futuris ad honorem & commodum Eccleſie & ad ſublevamen expenſarum canonicarum, concedimus & in perpetuum donamus Eccleſiam de inferiori Ullmene villa, que originetenus de jure antiquo ad majorem prepoſitum pertinebat, cum omni honore & integritate* &c. Similiter Conradus I. Archiepiſcopus incorporavit Eccleſiæ Metropolitanæ parochiam Ulmenſem teſtante diplomate de a. 1149. apud Gud. l. c. T. 1. p 328. ubi habentur ſequentia: *Nos itaque... pro remedio anime noſtre in augmentum ſtipendiorum fratrum ipſis contulimus fratribus videlicet ut fratres ibi clericum idoneum neceſſariis ſibi prebitis procurent, & quod ſuper eſt, ipſi recuperent.*

§. XVII.

§. XVII.

SIFRIDUS Archiepiſcopus teſtamento varia legavit majoris Eccleſiæ canonicis. a. 1230. teſte diplomate apud GUD. T. 1. p. 509. *Cupimus manifeſtum, quod nos medietatem allodii noſtri & medietatem decime noſtre totalem in Niederenberg, quam cum caſtro Walleberç per ſubſidium Eccleſie Moguntine comparavimus temporibus noſtris damus & legamus fratribus & canonicis noſtris majoris Eccleſie Moguntine perpetuo poſſidendam pro remedio anime noſtre, videlicet ut conſolatio ſit fratrum canonicorum noſtrorum.* Annotavit Ill. L. B. DE GUDENUS l. c. *Conſolationem* idem eſſe, ac refectionem extraordinariam, quæ alias peculiari nomine *Pictancia* vocata. Quandoquidem tum temporis Canonici Metropol. adhuc in communi vivebant, ſub eodem prope peryſtilium tecto habitantes, & in refectorio ſimul comedentes. Idem SIFRIDUS a. 1249. donavit Capitulo Metropolitano Eccleſias parochiales in Henſchusheim & Bensheim ex ratione, *cum ex eo in negotio Eccleſie nobis devote & fideliter adheſiſtis prebendarum veſtrarum ſint redditus imminuti.*

§. XVIII.

CHRISTIANUS II. pariter ſuam exhibuit liberalitatem erga confratres S. Martini dum ait in diplomate de a. 1251.: *quod cum olim eſſemus in minori videlicet decanatus Moguntini officio conſtituti, penſatis diverſis beneficiis nobis impenſis ab Eccleſia Moguntina, que nos ab annis adoleſcentie noſtre tanquam mater pia delicatis alimoniis enutrivit, retributione aliquantula recompenſare hujusmodi beneficia cupientes, dilectis in Xpo prelatis & Capitulo ipſius Eccleſie ad emendationem prebendarum ſuarum pia liberalitate propter Deum & ob reverentiam S. Martini Patroni noſtri, bona noſtra nobis proprietatis titulo attinentia, videlicet quinquaginta & ſeptem jugera, & aream unam & unum jugerum & dimidium vinearum in Erbenheim, item duos manſos & ſilvam, & pratum, & aream in Breckenheim ſita ſuper altare capelle Bti Nicolai Eccleſie noſtre contigue, abſolute contulimus, & preciſe. Deinde cum eſſemus Domino opitulante in Archiepiſcopatus noſtri cathedra ſublimati, bona eadem per mundiburdam noſtrum Helfericum ſcultetum Moguntinum in diſtrictu ejusdem Comicie, quod Graffcaf dicitur in vulgari, ſcabinis & villanis earundem villarum preſentibus cum ſolempnitate juris & Bannis juxta conſwetudinem eorundem, conferri fecimus nomine noſtro dicte Eccleſie majoris ſub eodem proprietatis titulo in perpetuum poſſidenda.*

§. XIX.

Hi igitur ſæpe fati fratres S. Martini, ſeu Canonici Eccleſiæ Metropolitanæ Mog. communi utebantur dormitorio, cujus conſtitutus erat cuſtos vel janitor: * Hujus rei etiam adhuc hodie varia conſpiciuntur rudera. ** In communi manducarunt refectorio, *** Culinæ conſtitutus erat præfectus, **** Ar-

chiepiſcopus habitavit in æde Monaſterio contigua forum verſus, quæ adhuc hodie dicitur der Biſchoffs-Hof, ſeparata licet utens menſa, diebus dominicis verba fecit ad populum; ***** Admiſſi in clauſtrum domicelli debebant ſubire annum Novitiatus more Monachorum, ****** Diſcebant Grammaticam a Magiſtro, ******* Theologiam a Scholaſtico ******** vel ejus Subſtitutis, ********* Cantum a Cantore; ********** Scholaſticus Domicellos immorigeros caſtigabat, examinabat ad ordines promovendos, nec non emancipabat ſua ex poteſtate ad majora promotos; *********** Præpoſitus temporalium curam ac redituum habuit, ************ Decanus vero curam ſacrorum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ in choro potiſſimum. *************

* Cuſtodis dormitorii munus cum officio janitoris (qui olim debebat claudere portas monaſterii, hodie autem tempore Capituli ante foras exſpectare ac ſemper præſto eſſe) junctis reditibus unitum, ac in Vicariam redactum fuit, prout patet ex diplomate Wernheri ab Eppenstein Præpoſiti de a. 1254. apud Gudenus T. 2. *Cod. Diplo.* p. 761. ubi hæc habentur: – *Inter alia converſo noſtræ attentionis ſtudio quatenus in Eccleſia noſtra poſſemus Vicariorum numerum adaugere conſiderationibus noſtris occurrit officium* porte, *quod Canonicus hactenus habere conſuevit, cum propter tenuitatem redituum, tum propter onera annexa Officio Canonicum non deceret, quare officium ipſum* porte *in Vicariam perpetuam duximus convertendum* .... *qui Vicarius .... cedente vel decedente Gerhardo nunc cuſtode dormitorii noſtri reditus officii dormitorii ſuis, & ſucceſſorum uſibus applicabit obligatus ad ea, ad que antea cuſtos dormitorii tenebatur.*

** Extant equidem in peryſtilii Eccleſiæ Metrop. Mog. angulis lucernæ in forma turrium ex lapide confectæ, in quibus olim durante adhuc Canonicorum Metrop. vita communi ſub veſperum ponebantur lampades accenſæ: Domicellares ſuum habuere dormitorium ſub tecto curiæ Scholaſtici junctæ ædibus Metropolitanis aream funerum verſus, reliqui canonici ac ſeniores in ſuperiore peryſtilii contignatione habitarunt hortum clauſtralem verſus, qui novioribus temporibus mutatus eſt in Cœmeterium Eccleſiæ Netropol., loco, quod olim cœmeterium fuerit in illo loco, qui adhuc hodie audit area funerum vulgo Leicht-Hof.

*** Illud veſtibulum, quod hodie ducit ad locum Capitularem, olim fuit refectorium, cujus in antiquis chartis ſæpius fit mentio: In *Necrologio min.* ad Kl. Ap. a. 1253. de Hermanno Decano S. Mauritii dicitur, quod altari S. Crucis (in Eccleſia Metropolitana) contulerit 4. domus retro *refectorium dominorum* (ſcilicet in vico comitum vulgo Graben ſeu Gräfen-Gaß.) Conf. cit. ſæpius ILL. L. B. a Gudenus *Cod. dipl.* T. II. p. 748. Dynaſtæ.... fundarunt in Eccleſia Metrop. Mog. Capellam S. Nicolai *retro refectorium ſitam* Gud. l. c. p. 262. Domus *ad Sellam* ſita fuerat *retro refectorium Eccleſ. Maj.* ex oppoſito Curiæ ad longum naſum teſte Gud. l. c. p. 552. *In libris Ritual. & Station Eccleſiæ Metrop. Mog. manuſcriptis* legi: *In Cœna Domini itur ad refectorium ad mandatum .... Feria 5ta in Cœna Domini in Proceſſione, qua itur ad refectorium, cantent pueri hymnum:* – Tellus ac Ethra jubilant &c.

****Hoc

**** Hoc munus cessavit cum vita communi reditibus Vicario assignatis prout discimus ex diplomate allegati jam WERNHERI Præpositi Mog. de a. 1254. Ubi hæc occurrunt: *Universos reditus magistri coquinæ officii nunc vacantis, ac bona nostra .... Pro Sacerdotis Præbenda taliter tradimus, ... ut Præpositus instituat Sacerdotem, qui onera subeat officii memorati ... Cæterum hi sunt reditus prædicti officii magistri coquinæ* &c. Conf. l. c. GUD. p. 763. & 64. Hæc Vicaria adhuc hodie audit *coquinaria.*

***** Hujus rei adhuc supersunt vestigia: habetur scilicet Vicaria Ecclesiæ Metrop. in ordine secunda dicta *Episcopalis*, cujus possessor est Archiepiscopi Capellanus, incubuit huic munus faciendi singulis dominicis loco Episcopi verba pro Concione hora 12*ma* ad 1*mam* & die parasceves bihoralem diluculo ad 7*mam*, has ad conciones deputata Cathedra excelsior, quæ dicitur *Archi-Episcopalis* seu die hohe Dhom-Canzel Stans ex opposito Cathedræ sic dictæ *parochialis*, quam non nisi Episcopo vel ejus substituto ad habendas citatas conciones licet conscendere; de cætero Vicario ab hoc onere dudum liberato vicem supplent PP. Soc. Jesu, qui etiam adhuc hodie hosce ob labores non ex camera Metropolitana sed Archiepiscopali, stipendia accipiunt, Archiepiscopi enim quondam verba facientis vices supplent, & hanc ob causam cathedram conscendunt Archiepiscopalem.

****** Hic residentiæ annus domicellarium dicebatur alias etiam annus *claustralis & probationis*, quia probabantur instar Novitiorum recepti noviter domicellares, hujus antiquæ disciplinæ vestigium extat in hodierna sic dicta residentia stricta, quæ autem in Ecclesia Metrop. Mog. 6. mensibus absolvitur sub lege tamen, ut residens sine Decani licentia extra civitatem pernoctare nequeat.

******* Hic Magister Scholastico, qui docebat Theologiam, subordinatus gaudebat olim & adhuc hodie gaudet præbenda Vicarii, vi officii instruere debebat domicellares in Grammatica, ex quo autem tempore cessavit vita communis, ac ordinata sunt magno in numero cum Academiis Gymnasia extra claustra, Magistri hujus scholas non amplius frequentarunt Domicellares, sed relictum ipsi est munus, ut pueros ex civitate doceat prima tantum linguæ latinæ rudimenta.

******** Præter Canonicam una viventium & cohabitantium congregationem (ait CABASSUTIUS in *Notitia Eccl.* p. 392.) *erant insuper juniorum clericorum Scholæ iisdem in ædibus communiter sub magistri educatione ac institutione viventium, de quibus præcipit concilii Toletani XI. Canon. I.* juvenes Clericos in domo Ecclesiæ sub Episcopi præsentia per sibi præpositum erudiri, *& refertur C. de iis* DIST. 28.; *Concilium præterea Toletanum IV. Can.* 24. *constituit,* ut puberes omnes & adolescentes Clerici in uno atrii conclavi simul habitent disciplinis Eccl. instituendi, sub senioris magistri probatissimi cura *& pariter refertur in Decreto. Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* omnis ætas., *præfatum etiam Concilium Aquisgranense Can.* 135. *regulam præscribit, & modum educationis, & convictus puerorum Clericorum.* Conf. JOH. LAUNOJI Diss. *de vera causa secessus S. Prunonis in eremum* C. III. inter opera T. II. P. II. p. 376. VAN ESPEN P. I. oper. Tit. XI. Cap. IV. & VI. ac mea DISSERTATIO *de Episcopo puerorum* §. 18.

 Insti-

Instituti hujus utilissimi rationem Joannes Mabillonius in *præfatione ad sæc. III. Benedict.*, Claudius Jolius in libro inscripto. *Traite historique des Ecoles Episcopales & Ecclesiastiques.* Parisiis 1678. 12. edito. Ludovicus Thomasinus *de vet. & Nov. Eccl. disc.* C. II. L. I. c. 96. Joannes Ern. Floerckius in commentatione *de Scholastici nomine, origine, officio, dignitate, & prabenda.* Gothæ 1734. 4. edita sufficienter illustrarunt. Conf. Joh. Georg. Eccard in *censura diplomatis Carolini de Scholis Osnabrugensis Ecclesiæ* &c. Joh. Dav. Köhler *de Veterum recentiorumque germanorum Scholis solitis & solidis.*

De Cætero Scholæ Ecclesiarum Metrop. & cathed. bene distinguendæ sunt a scholis Monasteriorum ordinis S. Benedicti, de quibus potissimum agit Joannes Launojus in Libro *de scholis celebrioribus seu a Carolo M. seu post eundem Carolum per occidentem instauratis.* Operum T. IV. P. I. p. 1. In Monasterio S. Martini igitur etiam floruit schola clericorum puerorum seu domicellorum; Scholasticus supremus studiorum simul ac disciplinæ Eccles. fuerat præfectus, varios habebat coadjutores in docendo, plerumque Vicarium, qui etiam dicebatur *magister secundarius*, sæpius etiam religiosos, qualis fuerat Marianus Scotus, & hinc est, quod varii Archiepiscopi Mog. in diplomatibus claudent percepta a prima juventute ab Ecclesia Mogunt. beneficia: prout ea extollebat Christianus in allegato supra §. 18. diplomate, ubi ait, *quod Ecclesia Mogunt. ipsum ab annis adolescentiæ tanquam mater pia delicatis alimoniis enutriverit.* Varios autem circa alendos hosce domicellares in Ecclesia Mogunt. fuit disciplina: ab initio Scholasticus ex præbendis hisce domicellaribus assignatis victum & amictum suppeditavit, id quod in aliis etiam Ecclesiis collegiatis usu erat receptum, prout de Aschaffenburgensi probat diploma apud Gudenus l. c. T. I. p. 353.; Cum autem occasione hujus sustentationis circa annum 1146. dissidia orirentur scholasticum inter ac Canonicos seniores domicellarium cognatos, hi effecerunt penes Henricum Archiepiscopum, ut ipsi curam eorum haberent, prout clare patet ex diplomate Henrici apud Gud. l. c. T. I. p. 180. ubi ait: *Preterea perpendimus, quod fratres nostri* (scilicet Canonici Metrop.) *de jure Scholastico circa suorum cognatorum - scholarium videlicet Canonicorum domesticam provisionem cum magistro scholarum ad lites indebitas, & contentiones frequentius prorumpere consueverunt, ut ergo in his occasio litis penitus deficiat, & in Ecclesia Mogunt. pax & concordia magis ac magis proficiat, & convalescat, Prelatis Ecclesie Moguntine consentientibus, honorabili quoque viro, paci ac fraterne charitati omni modo intento Wilhelmo scholarum magistro, quam devote postulante X. libras in Studernheim magistro scholarum annuatim persolvendas stabili jure tali tenore donavimus, quatenus in hac parte salvo & incorrupto jure omnium aliorum tam præsentium, quam succedentium scholasticorum Moguntini Episcopatus memorati fratres nostri consanguineis suis scholaribus canonicis de stipendiis prebendalibus in domibus suis victum & vestitum eo moderamine provideant, ut & ipsi ex hoc sui laboris consolationem percipiant, & magistri scholarum de predictis reditibus sui juris debita compensatione non careant.* Hoc postea autem immutato provisio ac sustentatio domicellarium denuo concredita fuit scholastico, prout patet ex diplomate Conradi de a. 1190. apud Gud. l. c. T. 1. p. 295. qui ait: *Volumus non latere, quod habito nostre Ecclesie Consilio & consensu ad peti-*

petitionem dilecti filii nostri Petri scholastici jus scholasticum sibi & successoribus suis, ne de cetero in eo fiat defectus, plene integramus, ita videlicet ut omnes de cetero scholares Canonici tam presentes, quam futuri in Ecclesia Moguntina usque ad emancipationem cum suis prebendis in procuratione sint magistri, nisi magistri liberalitas alicui gratiam faciat, omni cognatione sanguinis & cognatorum pro eis intercedentium occasione remota: Nullo rescripto, nec etiam rescripto Archiepiscopi Henrici contra jus scholasticum per subreptionem obtento contra hoc impetrato vel impetrando obstante vel scholastico juri prejudicium faciente, magister vero scolares ipsos secundum Ecclesie honorem nutriat moribus, disciplina, scientia, victu, & vestitu. In vestitu istam damus formam, ut eos vestiat in pelliciis agninis (a) *& pannis lineis* (b) *& laneis* (c) *secundum Ecclesie consuetudinem sufficientibus, & de quibus non vult habere curam vestiendi, dummodo sint adulti, denarios omnes de carne magister recipiet, & de pisce refectiones* (d) *porcos de Nativitate* (e) *& denarios, qui dantur ad supplementum panis,* (f) *magister retineat. Alios vero denarios Elemosinares* (g) *& denarios de vestibus* (h) *scolares recipiant, & si magister voluerit plus eis largiri, non sit ei successoribusque suis prejudicium.*

(a) Scilicet pro caligis. (b) Vulgo Weiß-Zeug. (c) Tunicæ erant ex lana. (d) sciendum enim sæpius ex fundatione vel consuetudine cibum particularem in carne vel pisce mensæ apponendam fuisse certis diebus, hic cibus redimebatur a magistro coquinæ denariis; dum quivis ex Canonicis pro sua portione consolationis loco accepit aliquot denarios. (e) scilicet in Nativitate domini cuivis dimidius porcus dandus erat vel redimendus pecunia numerata. conf. diploma seq. (f) Certis equidem diebus præter Consuetum panem accepere album ex siligine confectum, qui dicebatur *simila*, pro quo pane in natura etiam dabatur quandoque nummus, & sic patet, quales fuerint nummi ad supplementum panis. (g) Tales distributiones etiam quandoque fiebant non habito respectu ad mensam sed ex particulari fundatione. (h) Tales dabantur, ut meliores vestes sibi comparare possent fratres, quales adhuc hodie in variis monasteriis distribuuntur.

Illustrantur hæc magis per diploma concessum a Capitulo Mog. scholastico PETRO eodem anno l. c. p. 297. qui petebat doceri: *qualiter scolares secum morantes habere deberet & maxime in vestibus, & de quibus ipse nullam curam vellet habere, nisi de sola scientia & victu; quid vel quantum de prebendis ipsorum illis deberet relinquere, ut se vestirent ..... Dominus Decanus .... de facto isto, quidquid vidit, & audivit a XXX. annis retro de se & de aliis scolasticum instruendo narravit de parvis* (scilicet de domicellaribus) *in hunc modum: Quod in hyeme teneretur eis dare vestes sufficientes ad frigus repellendum. In estate fustanicum album* (1) *cum vestibus lineis & calceamentis necessariis, adultis vero, quibus relinquebat curam vestiendi de prebendis ipsorum, hoc relinquebat; scilicet vestituram de festo S. Martini* (2) *& denarios omnes elemosinares non spectantes ad mensam* (3) *quos ita specificavit, quod de refectionibus tunc non fuisset quæstio, quia Domini comedebant eas in refectorio, sed quando redimebantur, quod raro erat, magister nummos piscium in cœna Domini, & nummos Episcopi Ruthardi supplemento simile* (4) *destinatos accipiebat. Similiter accipiebat nummos piscium in cena Domini & nummos Episcopi Ruthardi supplemen-*

plemento estivalis carnis (5) *destinatos & dimidium porcum vel estimationem ejus scilicet XXX. denarios in Nativitate Domini magister similiter accipiebat.*

(1) Hoc est, vestem ex panno subtiliori seu bombycineo confectam. (2) hoc tempore canonicis distribuebantur certæ vestes in natura potissimum cappæ, calceamenta &c. (3) hoc est, quibus haud redimebatur refectio particularis (4) Ruthardus varios assignavit reditus Capitulo Mog., quorum pars applicabatur ad distributionem panis albi fratribus faciendam. (5) Donavit enim XII. libras denariorum æstatis tempore pro carne ovina comparanda, prout patet ex supra allegato diplomate.

De juribus Scholastici Mog. BURCARDUS præpositus S. Petri a. 1191. dedit laudum (a) quod approbavit Capitulum Metrop. eum in modum: *Quicunque scolares gratis essent in pane dominorum* (b) *nihil deberent in scolis, nisi justitiam scolasticam* (c) *item Immutiones*, (d) *Fines librorum*, (e) *& pennas* (f) *qui vero panem conducerent dominorum in scholis* (g) *magistro prout melius cum eo convenire possent, magistri responderent labori: Alii vero omnes, qui cum dominis non essent*, (h) *similiter magistri responderent labori.*

(a) Quod extat apud GUD. l. c. p. 299. (b) hoc est, qui præbendis domicellarium in Ecclesia Metropol. fruebantur. (c) per *justitiam scholast.* intelliguntur certa jura seu utilia scholastico a scholaribus variis occasionibus præstanda. Conf. DUFRESNE in *Gloss.* voce *Justicia.* (d) quid per hoc vocabulum intelligatur indagare haud potuit ill. GUDENUS, unde voluit substituere *imminutionem:* ego nullus dubito, quin hoc loco per *immutiones* intelligantur emancipationis jura, quæ etiam dicebantur jura imminutionis, quia imminuebatur potestas scholastici: (e) Hoc est explicatione libri a scholastico peracta aliquid solvendum erat, prout hodie adhuc illa phrasis *solvere fines librorum* Nota est & olim in academiis erat receptus hic solvendi modus: (f) quas suppeditavit scholasticus discentibus. (g) Ad hoc intelligendum notandum olim etiam admissos fuisse ad convictum Canonicorum non actualiter præbendatos, sed alios exteros quoque alumnos, qui solvebant victum eo fere modo, sicut adhuc hodie in monasteriis ac seminariis alumnos admittentibus est receptum. (h) Hoc est, qui non erant alumni, scholas tamen frequentarunt, admissi enim etiam sunt ex civitate scholares pueri ad scholas Ecclesiarum, prout patet ex diplomate l. c. T. I. p. 356. ubi habetur: *nullus scolaris, qui non est Canonicus preter assensum Magistri* (scilicet Scholastici) *scolas ingredi presumat.*

De cætero semper sub inspectione scholastici erant illi scholares, ac sub eodem cum ipso tecto Ecclesiæ Metrop. juncto degebant, prout pariter discimus ex diplomate l. c. p. 688. ubi occurrit sententia lata a judicibus Stæ Mog. sedis. (1) a. 1261. in favorem Scholastici contra Gozonem civem Mogunt., qui per suum ædificium in atrio, quod *Lichhof* vulgariter appellatur, curiæ scholastriæ majoris derogavit servituti: *ne luminibus & prospectui officiatur* dictæ curiæ annexæ, & condemnatus fuit ad diminuendum suum ædificium: ubi inter alia habetur: *& quia domus scholastriæ ad hoc existit originaliter fabricata, & ob hoc dignitati Scholastrie principaliter adunata, ut in ea pueri nobiles canonici Moguntini sub virga constituti debeant sub scholastici regimine enutriri, declarando dicimus, quod in domibus, quæ sunt vel erunt in areis memoratis, nihil debet-*

debet penitus exerceri, per quod impediantur pueri circa studium; vel in moribus deformentur, quodque scholastrie dedeceat dignitatem, utpote sunt prostibula & taberne, & alia quecunque possunt & honestis hominibus officere, & bonis deditos studiis impedire (2).

(1) Sub hac equidem compellatione venit quondam judicium Eccl. Archiepiscopi Moguntini, quod hodie sub nomine *Vicariatus generalis* celebre est: interim adhuc hodie in causis Appell. Eccl. servat stylum antiquum: *nos judices S. Sedis Mogunt.* & sigillum, ubi conspicitur S. Crescens primus Mogonorum Episcopus cum inscriptione: *sigillum judicum S. Mog. Sedis*, adhibetur: licet in causis Diœcesin Mog. concernentibus alius inserviat stylus, aliudque, ubi S. Bonifacius cum insignibus Archiepiscopi p. t. sistitur, obtineat sigillum cum inscriptione *sigillum Vicariatus gen. S. Sedis Mog.*: de cætero varia de antiqua judicii Eccl. Mog. forma anecdota nobis collegit laudatus sæpius Ill. L. B. a GUDENUS T. 2. *Cod. dipl.* p. 422. (2) Ex hoc diplomate simul patet cessante licet jam a. 1254. vita communi in Ecclesia Metrop. Mog. studium domicellarium sub scholastici directione continuatum fuisse adhuc anno 1261.

********* De his agetur ex professo infra §. XXVI.

********** Hoc fuit generale cantoris munus præter directionem cantus in choro, ut pueros scholares seu domicellares instrueret in cantu, quod confirmat diploma apud GUDENUS loco cit. T. 1. p. 356. ubi habetur: *nullus invito magistro ad correptionem scholarium manum extendat, nisi cantor, dum cantum hesternum recitant, eos corripiat.* Olim etiam varias in choro habebant partes domicelli, cantarunt enim ea, quæ hodie chorales, præferebant semper crucem, portabant aquam benedictam, egerunt acolythos, imo in certis festivitatibus soli celebrarunt chorum vel illi saltem præerant, velut in festo paschatis ac Innocentum, ubi etiam olim unus ex domicellaribus debuit agere Episcopum puerorum.

*********** Servatæ sunt usque ad hodiernum diem pecuniæ emancipationis, licet earum cesset ratio.

************ Unde adhuc hodie præbenda gaudet libera.

************* Qui etiam adhuc hodie ad perpetuam obstrictus est residentiam, & disciplinæ conservandæ causa quotidie interesse debet choro.

§. XX.

Hæc vitæ communis institutio in aliquibus citius in aliis serius desiit Ecclesiis, circa Sæc. X. nonnullos ad vitam singularem abjecta communi jam convolasse tradit TRITHEMIUS ad a. 975. *Sub Theodorico Archiepiscopo Trevirensi*, ait ille, *Canonici majoris Ecclesia ibidem abjecta vita regulari, quam hucusque in eadem Ecclesia majores eorum continuaverant, desierunt esse regulares & facti sunt nomine & conversatione seculares, quorum exemplo Canonici quoque S. Paulini Trevirenses, Wormatienses, Spirenses & complurium aliarum Ecclesiarum diversis*

qui-

quidem temporibus, sed... regularis vitæ communitatem abjecerunt.. hos successivis temporibus alios secutos fuisse Canonicos, scriptores sæc XI. & XII. abunde testantur; de Galliæ Ecclesiis idem ex monumentis hist. probavit ALEX. NAT. T. VI. *hist. Eccl.* Sæc. 9. & 10. c. v. Ar. IV. p. 136.

Quos autem effectus ex parte sinistros produxerit hic ex vita communi secessus curiosior discere poterit apud ESPENIUM P. 1. T. 7. c. 3.

Vita communis Canonicorum Ecclesiæ Metrop. Moguntinæ sublata fuit demum sæc. 13 sub GERHARDO Archiepiscopo & quidem anno circiter 1253. Licet nullam hujus rei mentionem faciat SERRARIUS vel ejus commentator JOANNIS. Ad stabiliendam hanc thesin adducor ex concentu diplomatum, nam CHRISTIANUS in diplomate supra allegato a. 1251. adhuc facit mentionem vitæ communis, dum ait, *quod ab annis adolescentiæ suæ ab Ecclesia Mog. delicatis alimoniis enutritus ad emendationem præbendarum varia donaverit*:

Præbenda autem fuit vocabulum vitæ communi proprium: id quod adhuc magis confirmatur ex eo, quod in subsequentibus donationibus Capitulo Mogunt. a variis Archiepiscopis dissoluta jam vita communi; factis non amplius fiat mentio de emendatione præbendarum*, quæ tamen in omnibus anterioribus diplomatibus principale fuerat objectum.

* Conf. GUD. *cod. dipl.* T. I. p. 713. & p. 777.

Præterea diplomata supra allegata, vi quorum ex cessantibus CUSTODIS DORMITORII, JANITORIS ET MAGISTRI COQUINÆ officiis substitutæ sunt Vicariæ, exarata sunt a. 1254., sequitur igitur, quod eodem anno vel saltem immediate præcedentibus vita communis cessarit Canonicis ædes separatas habitare incipientibus, cum quo anno absque dubio conspirabunt acta Capitul. circa divisionem conscripta, & in Archivio Metropol. dubio procul adhuc extantia.

Huic accedit 3tio, quod eodem anno 1254. varii ordinis S. Benedicti Abbates pia quadam æmulatione novas plane fundarint Vicarias, intuitu quarum adhuc hodie jus patronatus exercent, de qua autem materia supra §. VII. fusius fuit actum: & infra §. XXIX. uberior erit differendi occasio.

Eodem Sæc. XIII. aliæ Ecclesiæ Collegiatæ Moguntinæ vitæ communis institutum abjecerunt; cit. sæpe L. B. a GUDENUS etiam in Elencho Prælatorum Ecclesiæ S. Mauritii T. 3. *Cod. dipl.* p. 916. ex charta antiqua de Wilhelmo Præposito memorat, *quod a. 1224. cesserit plenam in perpetuum fratribus administrationem, ita ut ipsi libere & utiliter de rebus Ecclesiæ disponant, & ordinent, & sibi ipsis in suorum dispendiorum administratione secundum quod honestum & expediens videbitur, provideant*: eadem eodem fere tempore peracta sunt

sunt a Præposito Ecclesiæ B. V. ad gradus, prout acta in Archivio asservata abunde testantur.

Postquam igitur Canonici abjecta vita communi ad vitam singularem transierunt, externaque vivendi disciplina se plane a Monachis & regularibus in communi viventibus discreverunt, sensim quoque vocabula communem illam vitam præferentia respuerunt, atque ita eorum Ecclesiæ sive collegia prius Monasteria nuncupata dici cœperunt *Capitula*, *ædes Dominicæ seu* Thom *. idem *Capituli* nomen congregationibus, quæ durante vita communi dicebantur *conventus* vel *collatio*, datum fuit. Variis tamen in locis mansere nomina *Monasterii majoris*: Münster, veluti Argentorati alibique: nota est præterea adhuc hodie missa conventualis vulgo die Convents-Meß: quæ compellatio ex vita communi remansit.

* De hoc vocabulo Conf. JOANNIS *in Notis ad Serrarium* p. 48.

§. XXI.

Ex sola hactenus recensita Ecclesiæ Metrop. Mog. historia testimoniis fide dignissimis probata sufficienter jam patet Monasterium S. Martini Mog. nunquam ord. S. Benedicti numerasse Monachos, ut autem omnis dubitationis removeatur umbra, plura adhuc subjuncturus sum argumenta, inter quæprimum in ordine ex defectu trium votorum solennium merito desumitur:

Constat equidem inter omnes de essentia vitæ Monasticæ vere talis requiri, ut Monachus 3. votis solennibus castitatis, paupertatis, & obedientiæ sit adstrictus, ubi illa desunt, ibi nec adest vita religiosa ac vere Monastica: aliud enim est vivere more Monachorum, aliud esse Monachum vere talem: Jam autem CHRODOGANGI regula, quæ & a Clero Metrop. Mogunt. in communi vivente observabatur, suos solennibus hisce votis haud adstrinxerat, licet enim cælibatus annexus esset tacite ordinibus majoribus, votum tamen castitatis non expresse a Clericis, quod tamen in regula penes Monachos requiritur, fuit emissum. *2do* hi peracta professione licet majoribus ordinibus haud initiati obligati erant vi voti ad cælibatum, Clerici autem in Monasteriis licet degentes, necdum autem ad majores promoti ordines relicto statu Ecclesiastico ad sæcularem, nec non ad matrimonialem redire poterant: similiter *3tio* Clerici vi regulæ CHRODOGANGI ad præstandam superioribus obedientiam adstricti quidem erant, nullo autem desuper ligabantur voto; neque paupertatis annexum erat votum statui clericali prout clarissime patet ex regula CHRODOGANGI cap. XXXI. & XXXII. in priori enim statuitur, *ut, qui in congregatione canonicorum recipi voluerit, facultates suas Ecclesiæ donet, reservato tamen ipsi, si lubet, usufructu*; in posteriore permittitur clericis, *ut pro missis, & confessionibus aliquid accipere, & in suos usus convertere possint*: Clarius adhuc illud colligitur ex *Concilio*

Aquisgranensi sub LUDOVICO PIO. *Can. 115.* ubi dicitur: *Quanquam Canonicis, quia in sacris canonibus illis probibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere proprias res & Ecclesiæ cum humilitate & justitia habere, quod Monachis, qui secundum regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est, non tamen in cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus eorum a Monachorum distare debet vita.* Addit Monachos: *quia nibil sibi proprium reliquerunt, copiosioribus Ecclesiæ sumptibus, quam Canonicos, qui suis & Ecclesiæ licite utuntur rebus, indigere.* Idem constat ex CAN. 122., quo jubetur, ut Canonici, - *qui & suis & Ecclesiæ abundant rebus, instante sterilitatis tempore eis, quos pauperes pascit Ecclesia, suis facultatibus cum charitate & humilitate suffragari procurent, ut juxta Apostolum Frater fratrem adjuvet. & ambo consolentur, non tamen ob id se superbiendo extollant, quia sicut in libro Prosperi legitur, non se debent hujuscemodi inani jactantia præferre his, quos nibil habentes pascit ac vestit Ecclesia.*

§. XXII.

Probatur stabilita thesis 4to ex silentio scriptorum & defectu probationis contrariæ, si enim Canonici Metrop. Mogunt. fuissent olim ordinis S. Benedicti Monachi, ergo vel ullum saltem in scriptoribus coævis occurreret vestigium, nullum autem assignari potest, assignasset autem illud absque dubio in hisce rebus expertissimus MABILLONIUS in præfatione *ad acta Ss. ordinis S. Benedicti sec. 3. Bened.*, ille enim sollicite enumeravit illas Ecclesias cathedrales vel Metropolitanas per Benedictinos ordinatas, quæ ab initio Canonicorum loco numerarunt Monachos: ait enim ille: l. c. §. 3. - *non satis erat religiosioribus viris ædes in Germania statuisse, nisi etiam Episcopos & majores Ecclesias novellis Christianis viri illi Apostolici providerent. Hinc Willibrordus Trajecti ad Rhenum, Rudbertus Salzburgi, Corbinianus Frisingæ cathedras Episcopales instituerunt, & Bonifacius facta sibi a Pontifice Romano potestate alias sedes constituit Wirziburgi, Buriburgi, Erpesfurti, & Eisteti, Willehadus vero aliam Bremæ; in Ecclesiis Monachi ab initio pro Canonicis instituti, & quidem in Germania Episcopales Ecclesiæ minimum septem paruere Monachis .... nimirum Germanicum imperium Benedictinos babuit aliquando in primariis templis Frisingensi. Salzburg:, Trajectensi ad Rhenum, Eistetensi, Wirziburg:, Bremensi & Ratisbonensi.* de 6. prioribus id probare annisus fuit in actis Corbiniani, Rudperti, Gregorii, Willibaldi, Burchardi, & Willehadi, de Ratisbonensi in citata præfatione.

Verum nequidem cogitavit MABILLONIUS de Ecclesia Metrop. Mogunt., licet varios habuerit Archiepiscopos ord. S. Benedicti, multo minus ut dixerit, & ibi pro canonicis institutos primitus fuisse Monachos.

§. XXIII.

§. XXIII.

Accedit *ite*, quod Canonici Metrop. Mog. durante adhuc vita communi ornati fuerint dignitatibus in aliis Ecclesiis collegiatis, dum e. g. Decanus Ecclesiæ Metrop. fuerat S. Victoris præpositus, quod patet ex diplomatibus & testium subscriptionibus in iisdem conspicuis, dicuntur etiam passim *S. Martini Canonici* * sæpiusque de eorum *Vicariis* fit mentio, quæ omnia cum statu Monastico ordinis S. Benedicti conciliari nullo modo possunt.

Conf. Gud. l. c. T. I. p. 92. & Helwichii *Elenchum Nobilitatis Ecclesiæ Mog.* inter *scriptores rerum Mogunt.* T. II. p. 212. seq.

CAPUT III.

Quo adversariorum argumenta C. 1. adducta diluuntur.

§. XXIV.

Concedo equidem libenter primos Archiepiscopos Bonifacium, Lullum variosque alios * fuisse ordinis S. Benedicti Monachos, Verum exinde non sequitur Ecclesiam Metropolitanam Mogunt., fuisse vere Monasticam: Jus enim denominandi Archiepiscopos & Episcopos Germaniæ, prout adhuc hodie in pluribus viget regnis, pertinuit quondam ad Regem, licet hic Cleri, & populi suffragia plerumque audiverit; potuit Rex designare in Episcopum Ecclesiæ vacantis vel unum ex suis capellanis, & Clero sæc., prout illud frequentissime contigit, vel Monachum ex claustro evocavit ad vacantem Episcopatum, solus autem tum temporis floruit ordo S. Benedicti, adeoque si Monachus evocandus erat, necessario ex ordine S. Benedicti desumendus erat: rationem autem, cur fuerint sæpissime electi hi cœnobitæ, assignat Eckardus jun. Cap. VI. *de Monasterio S. Galli* loquendo de scholis Benedictinorum in Germania celebrioribus; — *erant*, inquit, *disciplinæ loci, ut semper & tunc severa, non modo in claustro, sed & in scholis externis, unde etiam præter Clericos, qui apud nos sæpe nutriti sunt, clarissimos Ecclesiis variis multoties dedimus & Episcopos.* Rem magis ex Joachimo Vadiano confirmat Mabillonius in præf. *ad sæc. 3. Bene.* N. 45. dum ait: *in præsule duæ res potissimum spectabantur, pietas & eruditio, pietatem a vita innocentia, & divini cultus amore metiebantur. Eruditionem autem a judicio, & a doctrinæ præstantia, quam quia paulo rariora habebant illa sæcula, persæpe accidit, ut & Monachi doctrinæ fama commendati, & quod omnis studiorum facultas eo tempore præcipue in Monasteriis regnabat in Episcopos electi, & summis sedibus præfecti fuerint.* Confirmatur hoc per ea, quæ attulit Joannes Launojus in libro *de scholis celebrioribus* c. 16. de schola Hir-

saugiensi. T. IV. P. I. p. 22. ex TRITHEMII *Chronico Hirsaug.* ad a. 890. de LINTHELMO quodam Monacho, *quod tantam in docendo Monachos diligentiam fecisse legatur, ut multos jam deinceps propter inaestimabilem scientiae praerogativam ad diversa coenobia Monachos Hirsaug. Congregationis Abbates, & plerosque etiam Episcopos fieri contingeret.*

* Dixi *varios alios*, non enim omnes Archiepiscopi primi licet S. Bonifacii successores fuere ordinis S. Bened., veluti 3tius in ordine Archiepiscoporum Mogunt. RICHOLFUS nunquam fuit ordinis S. Benedicti Monachus, ut LUITBERTUM, HERIGERUM, HILDEBERTUM, reliquosque praeteream.

§. XXV.

Neque etiam magni ponderis est *secundum argumentum* ex diplomatibus desumptum; *Cum olim Canonici vitam communem agerent*, ait VAN ESPEN. P. I. T. VII. c. 5. n. 1., *uno quoque claustro sub certa regula & superiorum directione viverent, eorum collegia dicta fuisse Monasteria ex monumentis & scriptoribus illorum temporum notissimum est, ut merito* MOLANUS L. 1. de canonicis cap. 12. *imperitiae arguat eos, qui dum alicubi incidunt in locum quemquam apud superiorum aetatum scriptores, in quo Canonicorum collegium vocatur Monasterium, aut errorem esse, aut monasticum ordinem, antequam Canonici essent, in eo viguisse putent non alia ratione moti, quam quod videant monasterii nomen illi quandoque tributum esse.* Unde nota satis distinctio apud veteres jam inter *Monasterium Canonicorum* & *monasterium religiosorum.* Conf. DUFRESNE in *Gloss.* ad dictas voces, occurrit & illa in miraculis S. BERTINI Abbatis l. 2. c. 9. apud MABILL. *in actis Ss. Ord. Ben. sac.* 3. p. 135. Quia enim Clericorum sodalitia, prout supra expositum fuit, insignem habebant affinitatem cum Monachorum claustris & coenobiis, non adeo mirandum est, aedificia hisce Canonicis colligendis destinata, imo ipsa templa majora *monasteria* dicta fuisse, adeoque haec nomina: *Monasterium majus*, *Monasterium S. Martini*, *Conventus fratrum de domo*, *conventus fratrum de S. Martino* neutiquam inferunt Metropolitanam Mogunt. verum Monasterium, ac regiosorum ord. S. Benedicti fuisse coenobium, Canonicos etiam fuisse Monachos vere tales, prout recte hoc contra SERRARIUM asserit ANONYMUS *aureae Moguntiae* SCRIPTOR §. 14. sect. 1. n. 5. p. 108. seq. Cui addendus HOFFMANNUS annal. Bamberg. L. 1. §. 84. p. 53.

§. XXVI.

Ad *argumentum* in ordine *tertium* ex MARIANO SCOTO desumtum facile responderi potest, quis enim historiae Ecclesiasticae medii aevi vel parum gnarus nescit ad scholas Ecclesiarum Metrop. vel Cathedralium ad docendum saepe electos fuisse Monachos celebriores ab Episcopo, vel a scholastico saltem

tan-

tanquam adjutores fuiſſe vocatos, quin exinde Monaſterium Clericorum transformatum ſit in Monaſterium religioſorum Ordinis S. Bened.? Audiatur FLEURY *diſcurſu 3tio ad hiſt. Eccl.* n. 21. ubi ait. *Les ecoles etoient dans les egliſes cathedrales, ou dans les Monaſteres: c' etoit l' eveque meme, qui enſeignoit ou ſous ſes ordres quelque clerc, ou quelque Moine diſtingué par ſa doctrine & les diſciples en apprenant la ſcience Eccleſiaſtique ſe formoient en meme tems ſous les yeux de l' eveque aux bonnes Mœurs & aux fonctions de leur miniſtère.* IDEM. l. c. n. 22. illud repetit: - *la plupart des ecoles etoient dans les Monaſteres & les cathedrales memes etoient ſervies par des moines en certains païs comme en angleterre & en allemagne. les chanoins, dont l' inſtitution commença au Milieu du huitieme ſiecle par la regle de ſaint Chrodegang menoient presque la vie monaſtique.*

Quod etiam ſcholaſtici adjutores in docendo habuerint Monachos religioſos patet ex diplomate a. 976. dato a WILLIGISIO Eccleſiæ Aſchaffenburg. ubi habetur:, *Dydaſcalus * etiam adjutori ſuo **, ſi fuerit bona fama & canonicis religioſis *** eos* (ſcilicet canonicos ſcholares) *commonendi habeat poteſtatem.*

* Hoc eſt *Scholaſticus.* Conf. DUFRESNE in *Gloſſario.*

** Hoc eſt *Magiſtro ſecundario* ſeu ſubſtituto.

*** Hoc eſt *Monachis religioſis*, a Scholaſtico in adjutorium in docendo aſſumptis eadem canonicos ſcholares monendi poteſtas competat: Dicuntur autem *Canonici religioſi*, quia inſtar reliquorum canonicorum ſua fruebantur præbenda, hoc eſt victu & amictu hi ad docendum vocati religioſi.

Ut omne denique ceſſet dubium, teſtem ex Benedictinis produco omni exceptione majorem allegatum jam ſæpius MABILLONIUM, qui in præfatione *ad ſæc. III. Benedict.* n. 46. ait: *nec ſolum in Monaſteriis majores noſtri* (hoc eſt Benedictini) *litteras docebant, ſed etiam non raro ex illis præceptores Eccleſiarum Epiſcopalium ſcholis præficiebantur. Extat hac de re Frodardi teſtimonium in hiſtoriæ Remenſis libro IV. Cap. IX. ſcribentis:* Fulconem præſulem duas ſcholas Remis Canonicorum ſcilicet loci, atque ruralium Clericorum pene delapſas reſtituiſſe, & evocato Remigio Antiſiodorenſi Magiſtro liberalium artium ſtudiis adoleſcentes Clericos exerceri feciſſe, ipſumque cum eis lectioni ac meditationi ſapientiæ dediſſe operam, ſed & Huebaldum S. Amandi Monachum virum quoque diſciplinis ſophiſticis nobiliter eruditum arceſſiſſe, ſicque Eccleſiam Remenſem præclaris illuſtraſſe doctrinis, quod ibidem poſtea præſtitit Gerbertus Monachus tum Aureliacenſis.

§. XXVII.

Fallitur *quarto* SERRARIUS credendo, ſi tamen credat, verum quondam extitiſſe Monaſterium Capitulum Metropol., erronee pro Monachatus aſſignat reliquiis triſtiorem ac ſimpliciorem nigrum habitum.

in adventu ac quadragesimali tempore a Canonicis Ecclesiæ Metrop. suo tempore adhiberi solitum: habuit enim ille habitus cum re Liturgica ac ritibus illis temporibus in Ecclesia Romana adhiberi solitis potius quam Monachismo connexionem; Cur enim dictis temporibus, & non aliis per annum gerebant Canonici Metrop. Monachatus prætensi signa? Res potius eo redit: Constat inter omnes, quin desuper ad scriptorum de rebus Liturgicis auctoritatem provocare necesse sit, tempus adventus Domini ac quadragesimale ad agendam pœnitentiam præ reliquis anni temporibus potissimum ab Ecclesia destinatum fuisse: ratio hæc est, cur dictis temporibus elegantiora in Ecclesiis ac lætitiam spirantia cessent ornamenta, cur color cæruleus tanquam tristior, pœnitentibus olim proprius in vestibus sacerdotalibus adhibeatur, cur tegantur altaria telo tristiori: si igitur dictis temporibus ad pœnitentiam agendam destinatis tristior ac pœnitentiam spirans in Ecclesiis sit habitus, an mirandum erit, dictis illis temporibus & Canonicos Ecclesiæ Metrop. tristiori ac simpliciori usos fuisse habitu?

Confirmat hoc clarissime LIBER *Ecclesiæ Metrop. Mogunt.* RITUALIS *manuscriptus*, Ubi in Februario ad dominicam septuagesimæ hæc notantur: *Nabuchodonosor populum judaicum in Babilonem duxit, & 70. annis operibus, laboribusque duris affectus est, ubi deposuerunt organa sua dicentes: quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? imo vestibus lugubribus atque miseriæ fuit usus, ideoque illa (sc. Ecclesia) silet a canticis lætitiæ, scilicet* alleluja & gloria in excelsis, & Te Deum. *subticet, & vestibus cultioribus ac solennibus utpote dalmaticis, & hujusmodi, quæ sunt vestes lætitiæ, non utitur, sed* NIGRIS, LUGUBRIBUSQUE PALLIIS, AC CAPPIS *utitur.*

In quonam autem constiterit niger ac tristior ille habitus, quem suo tempore a Canonicis Metrop. adhibitum fuisse testatur SERRARIUS, recentius fuit detectum, scilicet *in palliis nigris cum cappis* syrmate longiore instructis, ac in eum fere modum formatis, quo confecta conspiciuntur nigra Carthusianorum pallia; inventa sunt equidem anno elapso 1756., dum sacristia Ecclesiæ Metropolitanæ renovata fuit, in aliquo scrinio vetustiori cum multis libris Liturgicis ac vestibus sacerdot. aliquot ex dictis palliis nigris cum cappuciis descripto modo formatis, quæ ex iisdem, quibus SERRARII tempore utebantur gr. DD. Canonici, fuisse, nullus dubito: Volebant equidem varii intuentes dicta pallia desuper dubitare, præsertim cum seniores quidam rerum Metrop. Mogunt. alias periti, inventis hisce vestibus in Cœna Domini pœnitentes vel potius viros illos senes, qui pœnitentes referunt, ac vulgo die Proger audiunt, indutos fuisse testentur, adeoque hæc vestimenta originetenus pœnitentibus destinata fuisse ipsis videbatur eo verisimilius, cum ea in forma olim hic Moguntiæ pœnitentium habitus confectos fuisse pateat ex imagine lapidi incisa, ac conspicua in horto PP.

PP Capucinorum, quæ refert pœnitentium Mogunt. reconciliationem ab Archiepiscopo peractam ridente desuper, & gaudente infante, ubi etiam pœnitentes simili induti habitu conspiciuntur; Verum hisce non obstantibus meæ inhæreo sententiæ, ac sequentibus confirmor rationum momentis: Quia *primo* adhuc hodierna die in Galliæ Ecclesiis cathedr. præcipue Metensi Canonici cathed. utuntur palliis nigris cum cappuciis rubro solum filo adhuc notatis ejusdem plane formæ, qualem referunt inventa illa hic Moguntiæ pallia; *secundo* ritus antiqui Ecclesiæ Metropolitanæ Mogunt., prouti ex concentu librorum Liturgicorum Mogunt cum libris Galliæ ritualibus didici, cum ritibus Ecclesiæ Gallicanæ in omnibus fere conveniunt. *Tertio* prædicta recentius inventa pallia ob vetustatem, quam referunt, bene superant sæculum, adeoque a temporibus SERRARII, qui degebat hic Moguntiæ 1614. superesse possunt. *Quarto* cit. CODEX RITUALIS Ecclesiæ Metrop. Mog. manuscriptus expresse testatur, quod hæc Ecclesia utatur citato tempore nigris, lugubribusque palliis, ac Cappis. Neque obstat, quod prædictis palliis secundum seniorum testimonium non longo ab hinc tempore usi fuerint in Cœna Domini pœnitentes, Canonici enim post tempora SERRARII illa deposuere, adeoque forsan cedebant pœnitentibus: quod enim olim dicti pœnitentes non nigris, sed griseis usi fuerint vestibus, clarissime patet ex pia ALBERTI BRAND. Archiepiscopi Mogunt. dispositione, ubi hæc habentur:

Zum dritten *ordiniren* und wollen Wir, daß hinführter zu ewigen Zeiten alles, und jedes Jahrs umb die Zeit der Char- oder Marter-Wochen zwölf Hauß armer frommer Burger zu Mentz mit Recken und Kappen in grau Willen Tuch neu zu kleiden, dieselbige uff den grünen Donnerstag oder *Cene Domini* sollen morgens uff dem Dhom-Kirchhoff erscheinen, und doselbst gewarten, biß sie gefordert, und volgens sich mitten in der Dhom-Kirchen niderlegen und thun, wie dann bishero mit den *pœnitentibus* gepflegt, des sollen sie von der *Fabriquen* berürts unsers Dhum-Stiffts ire gewöhnliche und hergebrachte Belohnung empfangen, volgens den Charfreytag, so bald das Hochwürdige Sacrament in das Marteins Chörlein mitten in obernenten Dhumstifft* getragen, gegenwärtig seyn, und ire jeder ein brinnenden Kertzen von fünff Pfunden Wachß in seinen Händen halten, um das Chörlein herumstehend und darnach bey demselbigen Chörlein sitzen bleiben, und betten, dieweil die Priester den Psalter lesen, und wann die Priester abtretten, in Zeit Singens und Lesens der Persohnen des Dhumstiffts, mögen sie auch hinwegk gehen, und doch mit den Priesteren wiederum bey dem Chörlein erscheinen, biß daß uff die Oesterliche Nacht das Hochwürdig Sacrament in hohen Chor getragen, und sollen alsdann mit

mit der Proceßion zu gehen pflichtig, und darnach in ire Wohnung wiederum zu kehren Macht haben. Darzu Wir verschafft haben und geben acht hundert, und fünffzig Gulden Haupt-Gelds, vierzig drithalben Gulden jährliche *Pension*, davon jährlichs wie hernach geschrieben aus zu geben. Item zwanzig vier Gulden jährlicher *pension* für drey grau Tücher zur Kleidung der zwölf Armen. Item zwölff Gulden *pension* für sechzig Pfund Wachs zu den Kerzen. Item ein halben Gulden *pension* den zwölf Armen für ire Belohnung. Item einen halben Gulden bey dem Sacrament zu sitzen. Solliche unsere Stifftung uff den Charfreytag zu geschehen soll durch jeden Dhum-Dechan oder *Presenz*-Cammer zu Menz ausgericht, und gehandhabt werden.

Item disposuit in eodem instrumento: Darzu daß zwölf arme Burger unserer Statt Menz in obgemelten unseren *anniversario septimo & tricesimo* bey unserer Begrebnuß sitzen und betten sollen. In allermasen solches in andern unsern Vorfahrern löblicher und seliger Gedächtnuß *anniversariis* und Jahr-Zeiten gehalten würd, und zu Unterhaltung solicher unserer Stifftungen haben Wir verordnet, und geben .. Item sechzig Gulden vor die Armen, so umb unser Begrebnuß in Zeit unseres *anniversarii septimi* und *tricesimi* sitzen werden zu jeder zeitigklichen 11. Albus.

In codice manuscripto Ecclesiæ Metropolitanæ Mog. habetur: *Feria 5ta 8va Octobris* (anni 1545.) *erat septimus Dni Rmi Alberti Archiepiscopi Moguntini, unde* 1. *quart. vini* P. M. *& cuilibet celebranti* 111. *alb. & duodecim cives pauperes in eorum capuciis cum faculis ardentibus circa sepulchrum sedebant*. Hodie autem hi pœnitentes tantum nigris induti sunt palliis, ac quia hi senes morosam præseferunt faciem, vulgo dicuntur die Protzer.

* Olim in medio Ecclesiæ Metrop. erecta fuerat capella S. Martini cum crypta subterranea, quæ autem melioris prospectus causa postea fuit sublata. Conf. *Ichnographia Ecclesiæ Metrop. Mog.* in Cod. dipl. cit. T. 2.

§. XXVIII.

Quod concernit *quintum argumentum*, panniculi quadrati cum Monachismo nullam pariter habent communicationem, non enim attendendo ridiculam esse interpretationem, quod denotent scapulare & capucium Benedictinorum, Benedictini enim scapulare non ponunt supra albam, nec unquam posuere, quomodo igitur possunt denotare scapulare? patet aliunde clarissime hanc expositionem ex sola rerum Liturgicarum ignavia ac plebis præjudicio enatam fuisse, 2do in Gallia in omnibus Ecclesiis non tam cathedralibus, quam collegiatis est usus illorum paniculorum, sicut

&

& hic Moguntiæ probabilius fuit in usu in Ecclesiis aliis collegiatis, nam diebus Rogationum Ecclesia collegiata ad S. Petrum illis adhuc utitur, adeoque omnes Galliæ Ecclesiæ debuissent fuisse olim ordinis S. Benedicti, uti & Ecclesia S. Petri Mogunt., quam autem assertionem nemo prudentum erit adoptaturus. Quod autem illi panniculi originetenus mera tantum fuerint albæ ornamenta, quibus postea additus fuit sensus mysticus, discimus ex scriptoribus rerum Lyturgicarum. DURANDUS enim in *Rationali divin. offic.* P. III. hæc notavit: *Habet autem alba capitium, quod est professio castitatis, habet & ligulam, quæ significat linguam sacerdotalem....,* AURIFRISIUM ET GRAMMATA* *diversis in locis ac variis operibus ad decorem habet: Illud insinuat, quod propheta dicit in psalmo:* Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, *manicæ ergo tam albæ, quam & tunicellæ convenienter esse debent strictæ non nimis laxæ, ut labantur, & brachia nudentur, habentes in summitate aurifrisia ad significandos aureos torques, qui brachia nuda Beati Martini missam celebrantis miraculose decenter operuerunt.*

III. Sensus mysticus assignatur, quod denotent V. Vulnera Christi. Conf. VAN DER BURG. Archiepiscopus Camerac. *in brevi elucidatione totius missæ* p. m. 13.** & JOSEPHUS VICECOMES *de missæ apparatu* Cap. VII. seq. ANDREAS DU SAUSSAY *panopliæ sacerdot.* L. 2. ANT. BELLOTE *in suis observ. ad ritus Ecclesiæ Laudun.* p. 242. LAZARUS BOCQUILLOT *in tract. hist. de Liturg.* c. 7. n. 6.

* Ex illis *Grammatibus*, & *aurifrisiis*, de quibus mentionem facit DURANDUS absque dubio enati sunt V. panniculi, ac olim erant tantum ornatus gratia, quibus successive significatio mystica fuit addita, *grammata* enim h. l. denotant ornamenta variis prædita figuris, prout illud probavit DUFRESNE in *Glossario* ad dictum vocabulum & prout mihi videtur, dicta sunt GRAMMATA, quia figuram litterarum seu Grammatum maxima ex parte quadratam referebant, Litteræ enim sic dictæ Romanæ seu unciales dicuntur etiam quadratæ quia formam quadratam præseferunt, prout vulgariter innotescit.

** Hæc habentur Q. 8. panniculi quadrati ejusdem cum casula coloris, qui subinde assuuntur amictui & albæ, quid significant? R. V. *præcipua vulnera Christi.*

§. XXIX.

Neque Processiones, quæ ex Ecclesia Metrop. Mog. ad montem speciosum instituuntur, ullam cum Monachismo habent connexionem & male ab insciis pro obligatione ex proprio olim Metropolitanis Canonicis S. Benedicti ordine proveniente deprædicantur, Ecclesia enim Metropolitana, prout hactenus, quantum confido, apodictice probatum fuit, nunquam numeravit Monachos ordinis S. Benedicti, ad quid ergo antiqui nexus prodat signa? alia itaque in-

ſtitutarum harum proceſſionum aſſignanda origo, ſed quænam illa? aliqui putant, quod Capitulum Metrop. ob fundatam in effectu ab Abbate Monaſterii S. Jacobi Vicariam in Eccleſia Metropol., ut ſuam exhiberet gratitudinem, ad obeundas dictas illas annue proceſſiones ad montem S. Jacobi ſe obligarit, cujus ſententiæ ut pateat fundamentum, ex hiſtoria Moguntina repetendum, quod Archiepiſcopi Mogunt. in ſua diœceſi varia fundarint ordinis S. Benedicti monaſteria ex pia quadam liberalitate, & antiquo erga illum ordinem, quo forſan initiati erant, affectu: ſic Monaſteria S. Albani S. Diſibodi, S. Ferrutii Bleidenſtatienſe, Fuldenſe, &c. ſuas debent origines Archiepiſcopis Moguntinis, ſimiliter Monaſterii ad S. Jacobum Moguntini in monte ſpecioſo fundamenta poſuit Divus BARDO, perfecit illud LUDOLPHUS Archiepiſcopus S Bardonis ſucceſſor, ac dotavit teſte LAMBERTO SCHAFFNAB. ad a. 1059, qui ait: *Lupoldus Archiepiſcopus Mog. 7. idus Dec. obiit relicto in monumentum ſui Monaſterio S. Jacobi, quod propriis impenſis exſtruxerat Moguntiæ foris murum in monte, qui dicitur ſpecioſus: Abbatiam vero Wideradus obtinuit ejusdem cœnobii Monachus, ejusdem quoque familiæ oriundus.* Idem repetit TRITHEMIUS in *Chronico Hirſaug.* dum ait de Lupoldo: *Hic Archiepiſcopus fundat Monaſterium noſtri ordinis juxta mœnia civitatis Mogunt. in monte ſpecioſo* (in honorem S. Jacobi majoris) *quod multis prædiis, donis, & ornamentis cumulavit, in quo & ſepultus eſt.* Conf. SERRARIUS hiſt. Mog. p. 493. ſeq. Prædictorum Cænobiorum Abbates in neceſſitatibus exhauſto per bella præſertim ærario Metropolitanæ Eccleſiæ matri in gratiarum actionem factæ olim fundationis tulerunt opem, et pia quadam æmulatione partim augmentandis Canonicorum præbendis, partim inſtituendis Vicariis de Mogunt. Eccleſia bene mereri concertarunt tradendo plerumque Eccleſias Paroch. cum proventibus: Magnæ præſertim fuere Eccleſiæ Metropol. anguſtiæ ſub GERHARDO I. Archiepiſcopo, ubi itaque prædicti Abbates ſuam in fundandis Vicariis exhibuere benevolam gratitudinem; Rem paucis proponit SERRARIUS l. c. p. 609. qui ait: *ejus* (ſcilicet Gerhardi) *tempore anno D. 1254. inter Moguntinos & Wormatienſes poſt multas contentiones perpetua ſancita pax, & abbates multi, ut exhauſto bellis ærario Metropol. ſubvenirent multa ſuis e prædiis & reditibus largiti ſunt:* Quænam in ſpecie prædicti Abbates donaverint Eccleſiæ Metropol. recenſet TRITHEMIUS in *Chron. Hirſaug.* ad a. 1254. ac clariſſime produnt diplomata deſuper exarata, editaque ab Ill. L. B. DE GUDENUS *in Cod. dipl.* Mog. Tom. 2. In particulari autem Abbas S. Jacobi GODSCALCUS Eccleſiam parochialem Villæ Schornsheim una cum decimationibus Eccleſiæ Metropol. contulit: ac eum in modum rem exprimit in diplomate deſuper confecto: *Cum ad mentem reducimus debita meditatione, quam liberalis, quam magnifica extiterit tempore ſue opulentie Eccleſia Mogunt. circa nos & alias Eccleſias, que de viſceribus ejus prodeuntes per eam in multa rerum temporalium ſunt ubertate plantate, atque fundate, vix quidquam excogitare poſ-*

possumus, ut eidem vicem debitam rependere valeamus, ut tamen ad relevationem matris inopie, cui nos occasione negotii Ecclesie turbatio terre generalis involvit, aliquod saltem minutum nostra tenuitas offerat, sicque filialis fervor devotionis & debite in nos compassionis effectus clarius illucescat, ecce &c. GUD. T. 2. p. 796.

Capitulum Metrop. Eccles. grato suscepit animo filiorum Abbatum munificentiam, suam autem reciprocam exhibuit gratitudinem ad varia dictis Abbatibus se obstringendo, sic concessit Abbati S. Jacobi jus patronatus solenni diplomate ac inter alia laudabilem innovavit consuetudinem, ut in obitu cujuslibet de fratribus S. Jacobi in Ecclesia Metropol & in obitu cujuslibet ex Canonicis Metropol. Ecclesiæ in Ecclesia S. Jacobi solenniter compulsetur vigiliis & missa utrimque die obitus decantandis. l. cit. T. 2. p. 797.

Inter alia ad significandam gratitudinem promissa Abbatibus fuit, vel potius gratuito suscepta obligatio a Canonicis Metrop., ut annuas ad Ecclesias Abbatiales instituerent processiones; ad talem processionem ob fundatam ab Abbate S. Albani Ruperto Vicariam, quæ adhuc hodie audit *S. Albanensis*, ad Ecclesiam S. Albani se obligavit Capitulum Metropol. Mog., prout clarissime patet ex diplomate desuper confecto apud GUDENUS T. 2 p. 793. seq. ubi ait: *Vovemus etiam ex nunc in die dicti patroni vestri* (scilicet Albani) *ad vestram Ecclesiam processionaliter perpetuo nos ituros, nosque ibi quousque missarum solemnia completa fuerint, duraturos.*

Ex eodem fundamento dictas duas processiones ex Ecclesia Metropolitana ad S. Jacobum ortas fuisse varii putant, unde ait SERRARIUS l. c. p. 610. *Unde* MANUSCRIPTUS MINOR * *grata benevolentiæ gratia fluxisse processiones, quæ ad S. Jacobi Monasterium e prima æde quotannis fieri solent.*

* SERRARIUS scilicet duos adhibuit *auctores manuscriptos* historiæ Mogunt., quorum primum nominat manuscriptum majorem, alterum minorem.

Interim huic sententiæ calculum adjicere me haud sinit. 1.) Diploma a Capitulo Metropolitano ob donatam ab Abbate S. Jacobi A. 1254. decimam concessum ac supra allegatum, ibi enim clarissime recensentur ea, quæ in gratitudinis significationem concessit Abbati Capitulum Metropol., de processione autem instituenda altum est silentium, fuisset autem expressum, si pariter Abbati S. Jacobi sicuti Abbati S. Albani ad illam peragendam se obstrinxisset capitulum prædictum, cum præterea 2.) in antiquissimis *Mstis libris Stationum* Ecclesiæ Metropol senio probabilius hæc tempora superantibus occurrant jam preces in dictis processionibus persolvendæ, nec non 3) in diplomatibus annum 1254. præcedentibus jam fiat mentio stationum extra muros veluti a. 1230. & 1251. Conf. cit. COD. DIPLO. T. 1. p. 504. & 613 sic manifeste ante tempora GERHARDI I. Archiepiscopi dictæ processiones fuere in usu, consequenter

 ab.

ab. 1254 derivari haud poterunt, adeoque aliud ut assignetur fundamentum, necesse erit: assignavit autem illud jam olim CHRISTIANUS I. Archiepiscopus in diplomate a. 1251. edito, & Paulo ante citato: ait enim: *nos attendentes, quod conventus, processiones & stationes, quas observare & facere consueverunt Ecclesie Mogunt. ob divine reverentiam Majestatis, ac causa honestatis seu pietatis, nec non commoditatis publice a sanctis patribus sunt inducte, ac cupientes divini Nominis cultum nostris temporibus non minui, sed augeri* &c.

Est igitur fundamentum sola RR. Canonicorum Ecclesiæ Metropol. pietas, quæ dictis processionibus originem dedit: Introductæ sunt equidem sicut in omnibus fere Ecclesiis majoribus, ita & in primis in Ecclesia Metropolitana Mog. antiquitus variæ stationes in aliis Ecclesiis a Clero Metropol celebrandæ: & quidem aliæ erant intra civitatem, veluti in *jejuniis bannitis* *, aliæ extra muros civitatis Mogunt. peractæ, prout etiam in has classes divisi sunt plerumque antiqui libri Stationum Ecclesiæ Metropol. Mogunt., & quidem per integrum annum ordinatæ fuerunt stationes: potissimum autem tempore quadragesimali ac paschali peragebantur Stationes in Ecclesiis extra muros civitatis: sic die cinerum erat statio ad S. Jacobum, die palmarum ad S. Albanum, ** & in reditu ad S. Jacobum ***. Feria 2da post diem palmarum ad S. Joannem, & quidem cum disciplina ****, feria 4ta ad gradus B. V., in die parasceves ad S. Jacobum, Sabbatho sancto ad gradus B. V., feria 2da proxima post pascha erat statio ad S. Petrum extra muros *****. feria 3tia ad S. Albanum, feria 4ta ad S. Jacobum, feria 6ta ad S. Mauritium, in festo S. Marci ad S. Stephanum &c.

* SERRARIUS in *Hist. Mog.* L. I. C. 33. p. 102. ait: *Bannitum jejunium fuit magnum & intensum jejunium, quod ad Dei bannum seu pœnam, iramque avertendam ab iis suscipiebatur, qui se banno divino dignos agnoscebant.* Melius autem illud interpretatur DUFRESNE *in Gloss.* hac voce, quod idem sit ac *banno*, seu edicto publico indictum jejunium: De cætero notabilia sunt ea, quæ affert cit. SERRARIUS dum ait: *hujus* (scilicet jejunii banniti) *ad nostra fere tempora fuit in Moguntina Ecclesia usus & eo modo fere per triduum servabatur, iisdemque feriis, quemadmodum quatuor temporum jejunia, sed aliis hebdomadibus, quas ad memoriam versiculo isto significabant:*

Post salus & miseri tibi erunt jejunia banni:

Id est post dominicas, quibus canitur salus, & misericordia, quarum illa est Dominica XIX. post Trinitatem, hæc Dominica I. post quasimodog. adeo, ut antiquæ fidei nonnullos adhuc iis diebus, a carnibus abstinere mihi dixerit e senioribus Moguntinis quidam. Ejus originis causa ita in quodam manuscripto Moguntiæ S. Christophori parochiæ describitur: Feria 2da 4ta & 6ta post dominicam *Misericordia Domini & salus populi*, jejunium Banni in tota diœcesi Moguntina institutum est contra plagam aboriendi, quæ olim in Diœcesi Mog. graviter in hominibus & bestiis sæviebat, curataque est & remota a Domino misericorditer per hanc observantiam, quæ agitur in Ecclesiis collegiatis

giatis cum processionibus, jejuniis & orationibus singularibus ibi institutis, cum abstinentia carnium in populo feriis II. & IV., olim etiam feria VI. cum abstinentia ovorum, & lacticiniorum, quod modo relaxatum est; Nemo igitur hujusmodi modicam abstinentiam observare negligat, aut contemnat, ne incurrat Dei vindictam, qualem communiter incurrunt temerarii prævaricatores. *In eorum vero, quæ Metropolitanus cantare solet Chorus, libro sic habetur:* Feria II. post dominicam *Misericordia Domini* celebratur jejunium bannitum: qua die post primam itur a S. Joannem & in exitu cantatur: *Omnipotens Deus nostrorum consolatio*, &c. deinde incipitur missa, qua finitâ legitur sexta, & postea reditur ad Ecclesiam Moguntinam cum litania &c. Feria IV. in jejunio bannito itur post primam ad Ecclesiam S. Mariæ ad gradus, & ad exitum cantatur antiphona: *Oremus dilectissimi* &c. Feria VI. in jejunio bannito itur post primam ad S. Mauritium & in exeundo de choro per totam viam mediam cantatur. *Timor & tremor venit in Niniven* &c.

** Et quidem universus clerus tam primarius, quam secundarius confluebat sicuti diebus rogationum adhuc hodie fit: In LIBRO enim STATIONUM Ecclesiæ Metrop. MANUSCRIPTO habetur: *Post primam omnes Ecclesiæ secundariæ albis vestibus & crucibus præcedentibus ad Ecclesiam Mogunt. conveniunt singulæ cantantes* &c. Et quidem, Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ potuit olim punire absentes ex clero secundario prout patet ex diplomate SIGEFRIDI de a. 1230. apud GUDENUS T. I. p. 504. ubi dicitur: *Propter excessum in stationibus palmarum a Decano & Capitulo S. Victoris nobis & Ecclesiæ nostræ exhibitum in ipsum Capitulum condigna animadversione animadverteremus, sed cum tu* &c. De eadem materia aliud diploma de a. 1251. occurrit l. c. p. 613.

*** Scilicet tum temporis necdum condita porta nova exitus ex urbe ad montem S. Albani erat per portam *Drusi* seu *Dieterici*, & sic præterire debebat Clerus S. Jacobi Ecclesiam.

**** Disciplina adhuc fuit in usu post tempora ALBERTI, prout didici ex CODICE manuscripto Ecclesiæ Metropol. tum temporis conscripto, disciplina autem longo abhinc tempore cessavit.

***** Quia olim stationes habebantur sæpius extra muros, præsertim conscendendum erat in montes *S. Jacobi* ac *Albani*, hanc ob causam Clerici utebantur in stationibus baculis, cujus rei vestigia adhuc hodie supersunt in Stationibus S. Marci, & dierum rogationum, licet cesset ex parte ratio.

Ex solo recensitarum stationum elencho clarissime patet ex sola majorum pietate, stationes in Ecclesiis extra muros, inter quas etiam erat S. Jacobi, institutas fuisse tanquam actus laboriosos ac devotiones particulares, peraccidens autem fuit observatum S. Jacobi Monasterium superesse adhuc processiones duas in die cinerum ac parasceves, si enim fatalia diœcesi Moguntinæ belli tempora servassent nobis *S. Albani & Petri* extra muros Ecclesias, nullus dubito, quin adhuc hodie dictæ stationes in illis Ecclesiis continuarentur, quibus accedit *3tio*, quod absque dubio idem habuerit fundamentum processio habita olim

ad S. Jacobum feria 4ta post pascha, quæ tamen interea cessavit, omitti autem haud potuisset, si ex aliqua ex veteri Monachismo resultante oriretur obligatione. 4to Si libri Stationum Ecclesiæ Metropolitanæ consulantur, patet ex precibus, quæ in duabus dictis processionibus persolvuntur, quinam specialis fuerit dictarum processionum finis, prima enim die cinerum institui solita nullum alium habuit, quam ut jejunium sancte incipiatur, 2da, ut ceremoniæ sacræ cum eo majori agerentur devotione.

§. XXIX.

Ad ultimum denique ut respondeam argumentum, sciendum est, frequentes fuisse olim & adhuc esse confraternitates Reverendissimi Capituli Metrop. Mogunt. cum aliis Capitulis vel Monasteriis, sic similis fuit inita cum *Capitulo S. Martini Turonensi* a. 1221. Conf. dipl. apud GUD. l. c. T. I. p. 467. & 476.

Ratio confraternitatis consistebat in sequentibus, ita enim loquuntur Turonenses: *quicunque ex Concanonicis vestris cum litteris Capituli vestri ad hoc specialiter directis gratia visitandi vel etiam ex alia necessaria & honesta causa ad Ecclesiam nostram pervenerint, in consortium nostrum recipiantur honeste, eisque in choro summum locum obtinentibus, prabendaque in victum & vestitum de communi confertur, sicut aliis residentibus ministretur, prasertim visitationis tempore, seu etiam necessitatis causa durante. Id ipsum fiat fratribus, & concanonicis nostris cum litteris Capituli nostri ad vestram Ecclesiam accedentibus ex causis superius memoratis. Praterea singulis annis in die Barbara Virginis pro fratribus Ecclesie vestre defunctis in Ecclesia nostra, & pro fratribus nostris defunctis invicem in vestra Ecclesia fiat memoria generalis.*

Similis confraternitas cum Claræ Vallensibus fuit inita a. 1223. Conf. GUD. T. I. p. 485. adeoque nec mirandum, confraternitatem similem cum variis Conventibus Ord. S. Ben. initam fuisse a Reverendissimo Capitulo Metropolit. Mog. & quidem in specie cum Conventu Moguntino S. Jacobi, ad quod tum temporis, nonnisi ex nobilitate avita oriundi admittebantur, * nec non si confraternitas fuit inita, sequitur, quod non veri fuerint fratres, non enim fuisset opus confraternitate, nec a suo deviantibus instituto id beneficii contulissent Benedictini. Novissime etiam adhuc dirigente gl. m. Rdmo & sereniss. Archiepiscopo & Principe Electore FRANCISCO LUDOVICO confraternitas Rdmi Capituli Metrop. Mogunt. cum ordine Teut. fuit fundata, adeoque ex confraternitatibus nullum cum fundamento duci potest argumentum.

* Confraternitas hæc absque dubio fuit ratio, cur olim in processionibus RR. Canonici Ecclesiæ Metropol. Mog., prout antiqua est traditio, socios habuerint Nobiles Monasterii S. Jacobi Mogunt. Monachos, & Rdmus Abbas dicti Monasterii adhuc hodie in certis festivitatibus habeat stallum in choro Metro-

Metropol. Mog., de cetero a tempore sic dictæ reformationis prædicti cœnobii S. Jacobi, ubi cessavit consuetudo, ut nonnisi nobiles ad illud admitterentur, nexus fraternitatis antiquæ fuit relaxatus, & occasione funeris confratris Benedictini consueta solennis cum vigiliis cessavit compulsatio.

T A N T U M.



Animadversiones Editoris.

Ad §. XVII. *Consolationes et Pietantiae* frequenter occurrunt in documentis antiquioribus, ad quam rem aliqua adhuc afferre juvat: ita apud de LUDEWIG *Tom. 1. Reliq. Mss. p. 388. Decretum de pietantia in monasterio Dobirlucensi* instituta de anno 1374. circa modum et ordinem ita ibidem statuitur: *inprimis videlicet, quod pietantiarius* (ad eam administrandam et distribuendam constitutus) *qui pro tempore fuerit, singulis festivitatibus infrascriptis duo ova in brodio* (hoc est DU FRESNIO jus carnium elixarum) *pipere et croco bene condito omnibus et singulis fratribus.... debebit et tenebitur ministrare. Apud* EUNDEM *l. cit. p. 301.* occurrit in charta de anno 1322. *Consolationum ministrator:* item *ibidem p. 304. 307.* in charta de anno 1323. Apud L. B. de GUDENUS in charta de anno 1277. infundatione praescribitur, *ut in anniversario de predictorum bonorum annuo censu fiat consolatio in conventu.* et l. cit. p. 785. item *lego LII. libras Hall. dictis infirmis per integrum annum, una die in septimana, que placuerit pro pictanica assignandas:* et p. 1180 *pro pitantia perpetuis temporibus nostris sororibus proporcionabiliter ministranda.* Adde *eundem Tom. 2. p. 312. Tom. 3. p. 272. f. 744. consolatio pictantiae. Tom. 4. p. 1003. pictantia ad consolationem* et ibid. *1034. pictantiarum magister. Tom. 5. p. 19. Refectorialis consolatio.* Erant igitur tum pro Canonicis adhuc in vita communi degentibus, tum pro Religiosis fundationes peculiares, ex quibus certis diebus plus quidpiam, quam fercula consueta eisdem praeberentur. Sed quid apud Canonicos vita communi relicta de iisdem factum? ego existimo tum ad distributiones quotidianas exinde ministrandas, tum ad ita dicta *oblegia* Canonicorum impensas fuisse: tum vero etiam hinc inde retentas, ut certis inde diebus hodie adhuc certa portio panis, vini, aut pecuniae distribuatur.

Ad §. XIX. not. In statutis Ecclesiae Francofordiensis S. Bartholomaei apud celeb. WÜRDWEIN *Tom. 1. subsid. diplomat. ad selecta Juris Eccles. et Histor. capita p. 10.* et seqq. de utroque officio scholastici et Cantoris ita decernitur, et de scholastico quidem: *Scholasticus tertius est Prelatus, cujus officium est membra*

bra Ecclesie petentia (videtur insinuari, qui id expetierint) *in scholasticis scientiis et maxime in Grammatica* (in aliis Ecclesiis potius et praecipue scholastici erat sublimiores scientias praeprimis Theologiam docere, pro Grammatica adjunctus illi fuit Magister aut Rector scholarum) *fideliter informare. In choro stans sagaciter mores singulorum et diligenter considerare quoslibet, ut temporibus oportunis simul stent sedeant inclinent genuflectant surgant moderate atque ordinate a confabulationibus quoque inutilibus et non necessariis visionibus vagabundis omnimode abstineant, monere ac artare. Corrupte in choro legentes corrigere, rectum judicare. In choro* (a) *latere stat Decani, sub eo tamen, pilio utitur vario. In Processionibus ante Decanum, post ad offerendum, presentias non percipit nec aliquid ultra corpus Ecclesie nisi sit membrum* (id mihi videtur hic denotari, nisi praebendam simul Canonici obtineat; sane an scholasteria de se proprium sit ac verum beneficium, atque adeo certatum fuit in Ecclesia Hildesheimensi, uti videre est apud PERTSCH *in Programm. de quaestione an teneat Canonicus scholasticus verum beneficium ecclesiasticum et dignitatem nec ne? Helmstad. 1743.*) *Rectorem scolarium dabit et deponit* (Scholasticis ejusmodi Rectores adjunctos fuisse jam antea animadverti) *In Ecclesia S. Bartholomei Franckford. Collatio Ecclesie Vechenheim Capelle S. Catharine in Ryedern spectant ad scholasticum et Cantorem. Jurabit capitulo et consuetudinibus statutis ordinationibus Ecclesie, et aliis ut in juramento observandis. Sed Capitulum nisi sit Canonicus* (ex his verbis confirmantur, quae paulo ante notavi) *non intrabit, in causis Ecclesie litigiosis advocatus erit seu patronus vel hunc dabit, scholastici Cantoris custodis juramenta ut supra Decani praeter tertium articulum, videlicet celare secreta Capituli cum nullus Capitulum intret eorundem nec quicquam juris in Capitulo habeant.* De Cantore dein statuitur: *Cantor tertius* (fors quartus, cum Scholasticus jam dicatur tertius) *est Prelatus hujus officium est personas Ecclesie requirentes diligenter ac fideliter in cantando instruere. In choro stans facies singulorum intueri* etc. de eo quoque uti de scholastico deinde dicitur: *presentias non percipit, nec aliquid ultra corpus Ecclesie ni sit membrum* etc. quod ex dictis jam intelligitur.

Ad §. *XX.* Vocem *Dom:* unde et *Domherrn* potius a voce: *Domus*, quam *Dominus* derivari plures volunt. Sane vita adhuc communi durante apud L. B. de GUDENUS *Tom. 1. p. 105. in Diplomate de anno 1132.* dicitur: *Ecclesie B. Martini de domo, et Canonicis ibidem Deo servientibus* etc. item *Prepositus* ejusdem Ecclesie *de Domo*; et ibidem *p. 129.* in Concambio inter Ecclesiam Ilbestadiensem et hominem quendam Archi Episcopi occurrit in subscriptione: *Henricus Prepositus Domus.* anno 1141. *et Tom. 2 p 585.* JOANN. RIR. MOGUNT. in privilegiis Ecclesiae S. Victoris *ab Henrico I.* anno 1147. *S. Martini de Domo Prepositus* audit. apud L. B. DE GUDENUS *Tom. 1. p. 197. Prepositus majoris domus.* Apud illust. DE HONTHEIM *Tom. 1. Histor. Diplom. p. 297.*

p. 297. et 301. Domus itidem pro Basilica accipitur. Apud SCHANNAT *in Histor. Wormat. in codice probat. N. LXXIV. Godefridus Praepositus de Domo N. LXXVI. Godefridus Praepositus S. Petri de Domo* N. LXXVIII. *Praepositus de Domo.* item N. LXXX. LXXXI. LXXXII. *Conradus Praepositus de Domo*, cujusmodi adhuc plura in subsequentibus legere est. Italis proinde hodie adhuc: *il Duomo*, denotare Ecclesiam Cathedralem ait ZINDEL *de Eccles. Cathedral. Erlangae 1763.* §. *IV.*

Ad §. XXIX. Fraternitas ejusmodi sub JOHANNE PHILIPPO Electore Moguntino, et CAROLO CASPARO Trevirensi tum inter eosdem atque successores tum Capitulum utrumque Metropolitanum erecta est 20. Febr. 1670. cujus tenor extat apud HONTHEIM *Histor. Diplom. Tom. 3. p. 753. seqq.* Ea concernit tum spiritualia, tum temporalia; quoad spiritualia haec praecipua sunt ejusdem capita: ut communi ope Religionis Catholicae integritas conservetur, in precibus atque sacrificiis frequens atque expressa fratrum invicem mentio fiat, siquis ex alterutro obeat Capitulo, solennes ab alio exequiae eidem celebrentur, pro Canonico Domicellari saltem sacrum fiat, festa SS. *Petri* et *Martini* tanquam patronum in utraque Ecclesia tanquam Episcopalia observentur, siquis ex alia Ecclesia in altera unita interesse sacris velit, locus ei in choro pro ratione gradus sui concedatur, in signis honorariis a Canonicis Cathedralibus gestari solitis imagines SS. Patronorum utriusque Ecclesiae exprimantur, titulo fratrum invicem sese honorent, etc. Ex textu hujus unionis elucet quoque Ecclesiam Moguntinam jam antea ejusmodi Fraternitatem perpetuam iniisse cum Ecclesia Cathedrali Wirceburgensi.



V.

FRANCISCI ANTONII DÜRR J. U. D. &c.

DISQUISITIO CANONICA

DE

CAPITULIS CLAUSIS ECCLESIARUM

TAM CATHEDRALIUM,

QUAM COLLEGIATARUM IN GERMANIA.

Mogunt. 1763.

§. I.

Instituti ratio ac utilitas, & quid Intelligatur per Capitulum Clausum.

Circa seligendum Dissertationis Inauguralis argumentum deliberanti mihi hoc potissimum cordi fuit, ne quid aut minus publico gratum vel plane inutile, vel aliorum scriptis jam exhaustum vel saltem multorum calamis tritum sicque mihi minus honorificum offerrem. Cum autem mihi tanquam ordini Ecclesiastico adscripto Materiæ Juris Ecclesiastici Germanici ac consuetudinum singularum Ecclesiarum maxima ex parte vel plane vel non pro rei dignitate deductæ semper ideo potissimum fuerint in Deliciis, quod illæ partim sint amœnissimo nexu conjunctæ cum Historia Ecclesiastica, & Imperii Rom. Germanici, partim autem ad oculum exhibeant, quanto intervallo Jura nostra Ecclesiastica Patria, Statuta, mores, observantiæ, libertates, ac Privilegia Ecclesiarum singularum German. recedant a sancitis Juris Canonici Communis, adeoque sistant genuinam, & rariorem quidem Juris Canonici Communis in Germania applicationem, sic inter plura elegantiora Argumenta uberiore discussione dignissima mihi selegi Thema: *De Capitulis Clausis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum in Germania*, & quidem eo lubentius, cum illud non solum ob antiquitates Ecclesiasticas, quæ simul hac occasione illustrandæ veniunt, plurimis incognitas rerumque connexarum varietatem ac multitudinem lectu sit jucundum, sed &, cum Jura Capitulorum Clausorum, requisita Domicel-

micellarium ad Capitula adſpirantium, præſtanda ab iis, ac obſervanda, multaque alia in Praxi beneficiali tota die occurrentia in libris haud obvia, candidatis ac Novitiis in ordine Eccleſiaſtico plerumque incognita ſiſtat, vere ſit pragmaticum. Quod autem concernit conceptum Capituli Clauſi, ſic conſtat inter omnes, quod Capitulum in genere, prout hic ſumitur, nihil aliud ſit, quam *Collegium Capitularium Eccleſiæ cujusdam cum ſuo capite ordinatum pro tractandis negotiis ad Statum & Diſciplinam Eccleſiæ ſpectantibus.* a) Capitulum autem tale vel reſtrictum eſt ad certum & determinatum numerum Capitularium, b) vel non eſt determinatus ille Capitularium numerus, ſed variat pro diverſitate circumſtantiarum, dum quilibet Canonicatu proviſus Domicellaris debitis requiſitis inſtructus ad Capitulum mox adſpirare poteſt, & ſic numerus Capitularium quandoque augetur, quandoque minuitur, & inde reſultat Diviſio Capituli in *Clauſum*, & *non clauſum*: quibus præmiſſis ſatis conſtat, quod Capitulum Clauſum, prout hoc loco ſumitur nihil aliud ſit, quam *Collegium Capitularium Eccleſiæ cujusdam præbendis tantum, vel ſaltem Majoribus* c) *inſtructorum ad certum Numerum reſtrictum cum ſuo capite ordinatum pro tractandis negotiis ad ſtatum & Diſciplinam eccleſiæ eorum ſpectantibus.* De cœtero perinde erit, qualiscunque fuerit Eccleſia ſive Metropolitana ſive Cathedralis ſive Equeſtris ſive Collegiata: in omnibus enim prædictarum Eccleſiarum ſpeciebus non ſolum Capitulum clauſum accedentibus debitis requiſitis introduci poteſt, ſed etiam in omnibus illis Capitula Clauſa de facto, prout infra deducetur, exiſtunt. d)

Q 2 §. II.

a) Ita ENGEL, KÖNIG, GRENECK & paſſim Canoniſtæ ad L. III. Tit. XI. Decretalium.

b) Dum *e. g.* non ultra XII. vel XXIV. poſſunt eſſe Capitulares, & nullus Domicellarium etiam debita alias requiſita quoad ætatem, ordines, reſidentiam &c. habentium ad Capitulum admittitur, niſi locus quidam Capitularium Numero conſtrictus ſit vacans.

c) Definitionem Capituli Clauſi difficulter in ullo licebit deprehendere Canoniſta, vix autem aliquid in data, etiamſi illa ſecundum regulas logicas examinetur, deficiet, & differentia ultima in eo potiſſimum conſiſtit, quod numerus Capitularium ad certum numerum ſit reſtrictus, & tales Capitulares ſoli, prout in variis Eccleſiis obtinet, habeant præbendas, Domicellares autem nullas plane, vel ſi Domicellares præbendas habeant, exiguæ illæ plerumque ſint, nunquam præbendis Capitularibus & ſic dictis majoribus quoad omnia emolumenta ſimiles; de eetero tamen etiam præbendæ majores ſeu Capitulares non ſemper fructibus ſunt æquales, dum ſæpius Seniores inter Capitulares majores ex oblegiis (vulgo Obleyen) certis Decimis, ſimilibusque percipiunt reditus.

d) Quid circa Capitula Canonicorum regularium procedat? ratione hujus ZANGO aliique qui *de Canonicis regularibus* ſcripſerunt, adiri poſſunt; imo etiam

§. II.

Difficultas argumenti ob subsidiorum defectum.

De Canonicorum origine, Juribus, Institutis, Capitulis, Juribus Capitulorum, similibusque integra quidem extant virorum eruditissimorum volumina *a*) verum singula illa scripta omnimoda cum solertia pervestiganti, quod non satis mirandum, vix occurrit vestigium de Capitulis clausis, ita ut alienæ industriæ hujus argumenti pertractationem reliquerint: plurimi illorum Authorum nec minimam Capituli clausi mentionem injecerunt, pauci vix tria protulere verba; rationes hujus silentii, cum tamen alia de Capitulis Canonicorum argumenta in longum & latum deducta deprehendantur, dum curiosius inquisivi, non alias inveni, quam quod partim Capitula clausa inter partus recentioris respective Disciplinæ Ecclesiasticæ numeranda veniant, & nullum de iis in Antiquitate & ante Sæculum XIII. nec in Corpore Juris Canonici, nec in Conciliis occurrat vestigium, partim autem Capitula Clausa in aliis extra germaniam regnis vel plane sint incognita vel saltem longe rarissima, denique quod hæc materia non aliter quam ex particularium Ecclesiarum statutis, ac consuetudinibus non nisi multo labore indagandis possit illustrari: Cum igitur subsidia circa præsens argumentum in Commentatoribus Juris Canonici ac libris frustra quærantur, sic simul cuivis patebit, quod non exigua in illo elaborando sese obtulerit difficultas, dum subsidia quædam multo cum labore undique & ex parte longinque emendicanda erant, a variis autem, qui ex Archiviis bonas suppeditare potuissent pro uberiore Thematis illustratione Notitias, nescio ex quo præjudicio vel

etiam in ordinibus religiosorum quandoque species Capitulorum Clausorum occurrunt, dum ad certa ordinis vel Monasterii negotia, non nisi quidam numero determinati Seniores, vel patres conscripti admittuntur, cujus rei inquisitionem autem extra Instituti mei rationem aliis relinquo.

a) In Specie de hisce argumentis egerunt ex Professo VAN ESPEN *in Jure Eccles. Univ.* P. I. T. VII. & in TRACT. *de Instituto, & officiis Canonicorum* operum T. II. p. m. 104. THOMASINUS *de veteri & nova Ecclesiæ Disciplina* P. I. L. III. C. VII. seq. JOH. BAPT. SIGNIUS *de ordine & statu Canonico.* JOH. CAPETIUS *de origine Canonicorum.* PENNOTIUS *in Disquisitionibus de Canonicorum ordine.* RAYM. CHAPONELLUS *dans l'histoire des Chanoines* JOH. MOLANUS *de Canonicis, eorum vita, officiis &c.* AUBERTUS MIRÆUS *de collegiis Canonicorum.* AUGUSTIN. BARBOSA *de Canonicis & dignitatibus, aliisque beneficiariis, eorum officiis in Choro & Capitulo.* FERMOSINUS *in Tract. de Potestate Capituli sede vacante.* Ex Protestantibus J. HENNING. BOEHMERUS *in Jure Eccles. Protest.* L. III. T. I. §. 12. seq. JOH. GEORG. PERTSCH *in Elementis Juris Can. & Protest.* L. I. T. 35. p. 287. JOH. GODOF. DE MEYERN *de Monacho-Canonicismo.* A. C. ICTUS in diss. *de origine Capitulorum Metropol.*

vel causa plane clausa fuerunt ostia, alii autem, quorum non laudavero humanitatem, nequidem dare responsum dignati sunt; unde si forsan omnium expectationi haud satisfecerim, & pro rei dignitate, quod lubenter fateor, thema propositum non sit exhaustum, facile veniam, prout confido, sum impetraturus, & laudandus saltem erit in Tyrone conatus, quod materiam non solum elegantem, sed & utilem ab aliis autem vix attactam in systema quoddam limitibus Dissertationis academicæ & termino peremptorio circumscriptum redegerit aliis melioribus subsidiis instructis solidiorem relinquendo operam, vel uberiorem illius deductionem opportuniori tempori reservando.

§. III.

De Origine & progressu Cleri Cathedralis.

Ut autem systema Capitulorum Clausorum eo melius sistatur, sic ab ovo res erit inquirenda, ac necessarium ad ipsas Cleri Cathedralis origines ascendere, easque breviter cum suo progressu saltem repetere; Constat equidem ex antiquitatibus Ecclesiasticis, quod primis nascentis Ecclesiæ sæculis in civitatibus rei sacræ præfuerit Episcopus cum suo clero, qui consistebat ex præsbyteris & Diaconis curam animarum gerentibus, quibus Sæculo III. in illustrioribus Ecclesiis accessere subdiaconi, qui omnes simul sumpti, quin tamen Communi domo vel mensa usi fuerint, sic dictum ordinem seu senatum Ecclesiasticum, cujus consilio Causæ Eccles. majoris momenti ab Episcopo expediebantur, constituerunt. a) Crescente autem subsequentibus sæculis ob auctum magis magisque fidelium populum Præsbyterorum, Clericorumque numero, institutisque multis Ecclesiis minoribus, seu titulis vel in effectu Parochiis tam in civitatibus, quam extra illas, b) cœperunt Episcopi e Clero quosdam sibi seligere, quorum consilio, & opera Diœcesin suam regerent, quos posterior ætas, quia secundum Canonem seu regulam præscriptam vivebant in Communi, Canonicos Cathedrales, & Capitulum Cathedrale nominavit; per plura autem sæcula sine vita communi in privatis ædibus habitavit Cathedralis hic clerus, licet stipendiis Ecclesiæ nutritus; Sæculo autem VI. & VII. jam varia occurrunt vestigia introductæ vitæ Communis, dum clerus Cathedralis in una domo sub Episcopi disciplina versabatur. c) Verum hæc vita Communis vel non ubique fuit recepta, vel

a) Conf. VAN ESPEN *J. Eccles. univ.* P. I. T. VIII. C. I. n. 2. THOMASINUS l. c. P. I. L. III. C. VII. n. 2. seq. & n. 10.

b) Conf. MABILLONIUS T. II. *Mus. Ital. in Comment. ad ord. Rom.* p. 12. seq.

c) Et quidem in Hispaniis viguisse hanc Disciplinam constat ex CONCILII TOLETANI II. *Can.* 1. & TOLET. IV. *can.* 22. eandem in Ecclesia gallicana

vel eviluit iterum in una vel altera Ecclesia, vel saltem instaurata, ac emendata fuit secundum Monachorum Institutum Sæculo VIII. a Chrodogango Metensium Episcopo, qui suum Clerum Cathedralem in uno claustro ad vitam Communem adinstar Monachorum colendam deduxit. (*d*) Et hoc vitæ communis Monasticæ Institutum ex Caroli M. & Ludovici Pii sollicitudine in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Francorum regni successive introductum fuit. (*e*)

§. IV.

licana viguisse colligitur ex CONCILIO TURONENSI II. *can.* 12. & GREGORIUS TURONENSIS L. X. *histor. franc.* de Balduino decessorum suorum uno scribit. *hic instituit mensam Canonicorum:* per quam nihil aliud, quam vita communis inter clericos introducta denotatur. Idem C. IX. *vitæ Patrum* de Patroclo Abbate SSmo, postquam ab Arcadio Episcopo Bituricensi Diaconus ordinatus est, scribit eum ita vacasse Jejuniis, *ut nec ad convivium mensæ Canonicæ cum reliquis accederet Clericis, quod audiens archi Diaconus frendens contra eum ait: aut cum reliquis fratribus cibum sume, aut certe discede a nobis, non enim rectum videtur, ut dissimules cum his habere victum, cum quibus ecclesiasticum implere putaris officium* Conf. ALEXANDER NAT. T. V. *Hist. Eccles.* p. m. 456. THOMASINUS L. c. P. I. L. III. C. 8. n. 2. seq.

d) Uberius hæc prosequitur AUGUSTIN. CALMET dans *l'histoire Eccles. & civile de Lorraine* T. I. L. XI. n. 51. quod autem non primus introduxerit vitam Communem simpliciter spectatam Chrodogangus penes Clerum Sæcularem, ex allegatis jam momentis satis evincitur, quibus accedit, quod in *Can. XII. Statutorum* BONIFACII *Archi-Episcopi Mog.* ante Chrodogangi regulam conditorum in D. ACHERII *Spicil.* T. I. edit. paris. p. 507. habeatur: *ut diligenter unusquisque Episcopus in sua Parochia provideat, ut ubi Monasterium Monachorum fuerit, hi regulariter vivant, & Monachice, ubi autem Canonica vita fuerit, bene & Canonice vivant* per vitam autem *Canonicam* illo tempore vitam *Communem* intellectam fuisse penes eruditos extra omne dubium est positum. Similiter Vernense Concilium, quod pariter ante vulgatum a Chrodogango institutum celebratum fuit, supponit *ordinem Canonicum*, seu vitam communem jam viguisse, dum *Can.* XI. habetur: *de illis hominibus, qui dicunt, quod se propter Deum tonsurassent, & modo res eorum vel pecunias habent, & nec sub manu Episcopi sunt, nec in Monasterio regulariter vivunt, placuit, ut in Monasterio sint sub ordine regulari, aut sub manu Episcopi ordine Canonico, & si aliter fuerint, & correpti ab Episcopo suo emendari noluerint, excommunicentur;* & quod ante Chrodogangum *Canonicam vitam* in ipso Rhemensi Clero S. Rigobertus instituerit ærario communi eorum usibus destinato, testatur FLODOARDUS L. II. c. II. introduxit itaque Chrodogangus primus inter Clericos vitam communem *Monasticam*, quæ ante illius tempora haud obtinuerat, & sic adhibita distinctione inter *vitam communem simpliciter talem, & Monasticam* cessat Logomachia quæstionis: an Chrodogangus vitæ communis Clericorum author sit?

e) Conf. CAROLI. M. *Capitulare aquisgran.* de a. 789. C. 72. seq. CONCILIUM

§. IV.

De origine ac progressu Ecclesiarum Collegiatarum.

Institutum Chrodogangi promoventibus potissimum Francorum Regibus auxit eum in modum Clericorum & ad statum clericalem aspirantium numerum, ut Ecclesiarum Cathedralium Collegio clericali adscribi omnes haud possent *a*) hinc plures cœtus Canonicorum in communi adinstar Monachorum viventium extra Ecclesias Cathedrales ordinati sunt, vel ædificatis simul novis Ecclesiis, *b*) vel conditio a regibus Francorum & germanorum Capellis,

UM MOGUNT. de a. 813. *Can.* IX. in HARTZHEMII *Collect. concil. germ.* T. I. p. 64. regulam Canonicorum circa vitam communem in Concilio aquisgran. a. 816. conditam promulgavit, eique vim publicæ legis addidit & executioni mandari jussit Ludovicus Pius, ut docent ejus Epistolæ datæ ad Magnum Senonensem & Sicharium Burdigalensem Archi-Episcopos, & CAPITULARE AQUISGRANENSE anni 816. C. 3. cujus hæc sunt verba: *quia vero Canonica Professio a multis partim ignorantia, partim desidia dehonestabatur, operæ pretium duximus, Deo annuente, apud sacrum Conventum ex dictis sanctorum Patrum, velut ex diversis Pratis quosdam vernantes flosculos carpendo, in unam regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam Canonicus ordo absque ambiguitate possit servari, & quoniam illam sacer Conventus ita etiam laudibus extulit, ut usque ad unum Jota observandam percenseret, statuimus, ut ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur, & modis omnibus, sive a Canonicis, sive a sanctimonialibus Canonice degentibus deinceps observetur.*

Conf. THOMASINUS l. c. P. I. L. III. C. 9. n. 2. seq. & Dni. Præsidis *Commentatio de Moguntino S. Martini Monasterio*, C. 2. §. 8. seq. vitam hanc Communem Canonicorum maxime etiam sua ex parte approbarunt Pontifices, & magna contentione se opposuere, dum illa Disciplina Sæculo XI. languescere incœpit, & potissimum Nicolaus II. & Alexand. II. in Conciliis Romæ An. 1059. & 1063. celebratis *Can. IV.* præcipientes statuerunt: *ut hi prædictorum ordinum* (scilicet Præsbyteri & Diaconi) *juxta Ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos simul manducent, & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant* & rogantes monebant, *ut ad Apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant, quatenus perfectionem consecuti cum his qui centesimo fructu ditantur, in cœlesti patria mereantur adscribi.*

a) Conf. THOMASINUS l. c. P. I. L. III. C. 9. n. 14. & qui sua ex eo descripsit BOEHMERUS *in J. Eccles. Protest.* T. II. L. III. T. I. §. 18.

b) Dum reges, principes, & maxima ex parte Episcopi fundatores novas Ecclesias magnis sumtibus exstruxerunt, id quod ex Historia Ecclesiastica German. ut de aliis Monarchiæ Francorum provinciis taceam, plurimis confirmari potest exemplis, si scriptores Historiarum Ecclesiarum Germaniæ privatarum & codices Diplomatici adeantur, imo plures tales Ecclesiæ Collegiatæ novis civitatibus suas dedere origines: assertum meum saltem ex historia

lis, *c*) vel Ecclesiis jam exstructis Parochialibus talia Canonicorum Collegia adjuncta fuerunt, ita ut Ecclesiæ Parochiales retenta antiqua cura animarum & Parocho evaserint simul Collegiatæ. *d*) Vel etiam in ipsis Monasteriis Monachorum loco tum temporis dissolute admodum viventium (*e*) Canonici vitam Communem Canonicam agentes multis in locis fuere substituti. (*f*) Alii igitur Canoni-

storia Mogunt. & exemplis in ipsa civitate nostra occurrentibus, ut multa alia silentio præteream, sum confirmaturus, sic patet quod Willigisus Archi-Episcopus Mog. S. Stephani de novo excitarit Ecclesiam, eique Collegium Canonicorum adjunxerit. Erckenboldus Archi-Episcopus Mog. de novo exstruxit Ecclesiam B. V. in Campis adjuncto simul Canonicorum claustro. Ecclesiam S. Mauritii Collegiatam excitavit Luitbertus Archi-Episcopus Mog. Theodoricus Præpositus Ecclesiæ majoris, ac postea Archi-Episcopus Trevirensis St. Gangolphi fundavit Ecclesiam, de quibus fusius SERRARIUS *in hist. Mogunt.* & CHRONICA prædictarum Ecclesiarum *Tomo II. script. rerum Mogunt.* JOHANNIDIS conferri possunt.

c) Nihil dicendo de Capellis regalibus a Francorum regibus in Gallia exstructis pro Canonicorum Collegiis, germanicis saltem rem illustrabo exemplis: Scilicet Capellæ regiæ seu Ecclesiæ S. Bartholomæi a Pipino Francofurti conditæ additum fuit Canonicorum Collegium: Carolus M. in Palatio Aquensi exstruxit Capellam regiam adjuncto Canonicorum Capitulo. Conf. D'ACHERII SPICILEG. T. X. p. 157. quæ fuit primaria in universo Francorum regno Capella teste GAUFREDO *in vita S. Bernhardi* L. II. C. 6. add. DU FRESNE *in gloss.* vocab. *Capella Palatina.* Capellis regiis Francorum ævo in Germania conditis reges & Imperatores Germanici alias cum cœtu Canonicorum addiderunt, inter quas Goslariensis haud infima fuit. Conf. JOH. MICH. HEINECCIUS *antiquit. Goslar.* L. I. ad An. 1039. condidit illam pro Collegio Canonicorum Henricus III. germanorum rex Conf. LANGENIUS *in Meibomii Tom. I. Script. rer. germ.* p. 811. ENGELHUSIUS *in Chron.* p. 197. MONACHUS HAMMERSLEBENSIS *in Maderi antiquit. Brunswic.* p. 145.

d) Exemplum habemus domesticum, dum Sifridus Archi-Episcopus Mogunt. Ecclesiæ Moguntinæ ad gradus B. V. Parochiali addidit Canonicorum Collegium teste MARIANO SCOTO ad An. 1059. conf. SERRARIUS cum Notis Johan. *T. I. Script. rer. Mogunt.* p. 750. & *Tom. II.* p. 643. Similiter Henricus Landgravius Hassiæ a. 1366. Ecclesiam parochialem S. Martini Capelanam Diœces. Mog. immutavit in Ecclesiam collegiatam testante diplomate in JOH. PHIL. KUCHENBECKERI *Analect. Hass. Collect.* V. p. 28. seq. & postea unus ex Canonicis Rector Ecclesiæ Paroch. constitutus fuit. conf. IDEM p. 37.

e) Causas Disciplinæ Monasticæ Sæculo IX. & seq. adeo laxatæ recensent MABILLONIUS *in præfat. ad Sæc.* IV. *Benedict.* P. I. n. 137. FLEURY VIII. *discours sur l'histoire Eccles.* n. 2. p. m. 309. seq.

f) Conf. CONCILIUM TURON. III. C. 24. THOMASINUS l. c. P. I. L. III. C. 9. n. 6. & 8.

nonici ſub Archi- vel Epiſcopi directione degebant in Monaſterio Eccleſiæ Cathedralis maiori, alii ſub inſpectione Decanorum ſeu Præpoſitorum in Clauſtro Eccleſiis minoribus & Collegiatis annexo regularem in communi duxerunt vitam.

§. V.

De Inſtituto & Diſciplina Cleri ad prædictas Eccleſias ſpectantis poſt receptam Chrodogangi regulam.

Qualis fuerit Cleri tam Cathedralis, quam collegiati in communi tum temporis vitam agentis Diſciplina ac vivendi ratio, optime addiſci poteſt, ſi ipſa Chrodogangi regula, *a*) Concilia tum temporis celebrata, *b*) & Capitularia regum francorum *c*) perlegantur: in compendio res eo redit, omnes Canonici incluſi

a) Legi poteſt in LABBEI Tom. VII. *Concil.* & HARDUINI Tom. IV. p. 1182. ſeq. COINTII Tom. V. ANNALIUM FRANC. ad a. 752. p. 567. ſeq. ALEXANDER NAT. *in Hiſt. Eccleſ.* T. V. Sæc. VIII. C. V. art. III. p. 703. exhibuit ſumma dictæ regulæ Capita, ex quo & illa deſcripſit BOEHMERUS, & T. II. J. Eccleſ. Proteſt. p. 62. ſeq. inſeruit. Pariter AUG. CALMET *dans l' Hiſtoire Eccleſ. & civile de Lorraine* T. I. L. XI. n. 51. variis regulam illam notis illuſtravit, ac ejuſcum Regula S. Benedicti exhibuit concordiam.

b) Potiſſimum MOGUNTINUM ſupra allegatum, & alia Provincialia Sæculo VIII. & IX. celebrata, quæ paſſim in collectionibus Conciliorum, & ex parte Hartzheimiana extant, quorum ſumma Capita autem in Alexandri Natalis Hiſtor. Eccleſiaſt. legi poſſunt.

c) Adeunda potiſſimum ob elegantes Notas Baluziana Capitularium Collectio. Licet autem hodie ceſſet vita communis antiqua, nec omnia olim ſtatuta moderno congruant ævo, prælectio tamen prædictorum Conciliorum, Capitularium, & Regularum adhuc hodierno Clero inſignem adfert utilitatem, cum exinde addiſci poſſit, quænam ſit canonicorum obligatio, & quodnam ſit vitæ canonicæ primarium inſtitutum; recte enim ſcribit ESPENIUS l. c. P. I. Tit. VII. C. 4. n. 2. *Quod, licet diſciplinæ exterioris mutationem tandem tolerarit Eccleſia, nunquam tamen de ſanctitate vitæ, & vivendi ſecundum Canones ſeu Eccleſiaſticas regulas obligatione quidquam remiſerit: imo immobilem ſemper ſuppoſuerit ipſam canonicalem inſtitutionem & profeſſionem, ſi ipſas eſſentiales & interiores Status Canonicalis obligationes ſpectemus.* Non minor enim hodie in Canonicis requiritur morum integritas, quam durante vita communi, ſola enim diſciplina externa mutata fuit. Et n. 5. pergit citatus Author: *Ex his quisque facile intelliget, aliam plane de vita canonicali eſſe concipiendam ideam, quam vulgo concipitur, vitamque canonicalem ex mente Eccleſiæ non eſſe inſtitutam aut ordinatam, ut quis commode, laute ac honorifice ſecundum ſæculum vivat, ſed ut mundo abſtractus, omnibusque ejus prætenſionibus renuncians, unice Deo & Eccleſiæ ſive orando, ſive laborando ſerviat, vitamque clericalem*

inclusi erant claustro vel Monasterio bene munito, ubi adinstar hodiernorum Monachorum sub directione Episcopi d) vel respective Decani, aut Præpositi Monasticam ducebant vitam: in uno Dormitorio in singulis cellulis ac lectis dormiverunt, de nocte vel saltem summo mane decantabant Nocturnas, ac Matutinas laudes, ac similiter maxima cum pietate reliquas horas Canonicas persolvebant, singulis diebus persoluta plerumque *Prima* convenerunt in Capitulo, ubi vel aliquod regulæ caput vel Homiliæ vel tractatus ex Patribus, vel aliud quid ad audientium ædificationem legebatur, finita lectione delinquentes, vel saltem deficientes suam debebant fateri culpam, & sua delicto vel defectui imponebatur pœna, peccantes contra regulam, & Disciplinam carentia, austero trium dierum Jejunio, corporali disciplina, excommunicatione aliisque pœnis Eccles. coërcebantur. Finito Capitulo operi manuum ab Episcopo, Archi-Diacono, vel Primicerio assignato, plerumque de scribendis libris ac codicibus vel etiam studiis se applicarunt bono animo Canonici, mensa in refectorio utebantur communi silentio adstricti Lectionem sacram audientes, post prandium labori manuum, vesperis, completoriis, ac Meditationibus iterum vacabant nonnisi frugali cœna refecti: singulis Dominicis, & festivitatibus sacram debebant accedere Synaxin jejunia longinqua tum temporis, ac severa, nec non abstinentias stricte observantes.

Laudandum revera non satis erat hocce pro privata animarum salute ac servitio divino formatum institutum, quod non solum morum sanctitatem procurabat Clero, sed etiam potiorum vitiorum clero tum temporis familiarum tolle-

juxta sacros Canones tanto exactius & ferventius instituat, quanto reliquis Clericis & nomine & dignitate præcellit. Ex his quoque non difficulter intelligitur, quam procul a mente Ecclesiæ, & a vera idea, quam de Canonicalibus habere deberent, recedant, qui ad eos, tanquam ad res secundum mundum maxime optabiles & commodas aspirant, felicesque se autumant, dum ad eos pervenerint, nihil aut parum de obligatione, quam ratione Canonicatus contrahunt, solliciti. De cætero non sine bile legitur, qua ratione SPANHEMIUS debacchetur in venerabilem Canonicorum ordinem in KUCHENBECKERI *Analectis Hass. Collect.* 7. p. 3. scribens: *Diversa jam toto cælo Canonicorum Collegia, quæ sequior ætas aspexit in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Canonicorum sine Canone, hinc sæcularium, nec una viventium vel cohabitantium, nec incumbentium, nisi otio, luxui, opibus, curis sæcularibus, & statis in Choro cantilenis.*

d) Et inde præter Claustrum Canonicorum junctum semper erat Ecclesiæ Cathedrali Episcopalis Curia, prout hic Moguntiæ adhuc manifesta supersunt vestigia; Curiam enim Episcopalem olim ipse inhabitavit Archi-Episcopus, & adhuc hodie illam inhabitandam pro lubitu confert cuidam ex Canonicis Metropolit.

tollebat occasionem summamque Plebis Christianæ ædificationem procurabat. *e)*

§. VI.

e) Contra vitæ communis institutum, & regulam Chrodogangi pro more suo plurima sine ratione carpens insurgit BOEHMERUS *in J. Eccles. Protest.* T. II. L. III. Tit. I. n. 14. dum ait, *quod regula illa apertissima documenta miseriæ & barbariei illius temporis edat, cum revera nihil in ea habeatur, quod proprium Clericorum officium spectet, hoc autem consistat in eo, ut gregem Dei pascant, & omnia ad ædificationem Ecclesiæ seu plebis faciant; sed hæc fere intacta relinquantur, & Clerus ad inertiam, stupiditatem, monasticam vitam, & deblaterando psalmos ritu Romano obligatur, instruiturque, quomodo ex formula Chrodogangi edere, bibere, incedere, dormire, vigilare, sedere, legere, psallere &c. debeat, quasi his observatis quis satis suo fecerit officio, & ad regulas Christi mores suos disposuerit.* Verum si accuratius secundum suam mentem & circumstantias illius ævi prædicta examinetur regula, nullum miseriæ, nullum barbariei occurrit documentum, nemo quidem negaverit pascere gregem Dei verbi divini prædicatione, administratione Sacramentorum, & cura animarum esse primarium officium illorum Clericorum, qui tanquam Parochi curæ animarum se dedicarunt; quid autem iniqui? si constitutis pro cura animarum in sufficienti numero Parochis alii Clerici a negotiis sæcularibus remoti cultui divino & vitæ privatæ sanctitati incumbant, & bono exemplo pascant gregem, & hac ratione ædificent Ecclesiam. Sed quod tum temporis bonum Clericorum exemplum Laicorum quoque pietatem promoverit, ex BERTHOLDO CONSTANS. ad a. 1091. refert BARONIUS: *his temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit non solum in Clericis & Monachis religiosissime commorantibus, verum etiam in laicis se suaque ad eandem Communem vitam devotissime offerentibus, qui etsi habitu nec Clerici nec Monachi viderentur, nequaquam tamen eis moribus dispares fuisse creduntur.*

2do nihil revera magis laudandum erat, quam dum suum cuivis negotio tempus per diem præscribebatur, & aliud laudibus divinis, aliud operi manuum, aliud prælectioni Patrum, librorumque asceticorum, aliud meditationibus sacris destinabatur; cessabat hac ratione una cum otio inertia, cessabat stupiditas in sacris unico Clericorum tum temporis objecto, nec studia prout illo ævo recepta erant, in vita Communi exulabant plane licet nullam illorum expressam in sua regula mentionem fecerit Chrodogangus, dum aliunde constat studia in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis, & in ipsa Metensi iisdem & subsequentibus viguisse temporibus Conf. ELEURY *Troisieme Discours de l'histoire Eccles.* n. 21. p. m. 123. THOMASINUS l. c. T. II. L. I. C. 96. seq. CALMET *dans l'histoire Eccles. & civile de Lorraine* l. c.

3tio nec devota psalmorum decantatio à Chrodogango præscripta ut fieret *Deo cum timore, & tremore, sapienter, ut in conspectu angelorum* cum fundamento carpi potest, cum alias BOEHMERUS omnem psalmorum & Hymnorum ad laudes Dei compositorum Decantationem ex Ecclesiis stupidissimo, &

§. VI.

De vita communi in civitate Moguntina vigente.

Qui plura de vita communi Canonicorum ſcire voluerit, præter citatos ſæpius ESPENIUM, THOMASINUN ET ALEXANDRUM NATALEM, adire poteſt

& a nemine ſanæ mentis adprobando conſilio præſcribere debuiſſet, neque ea fuit ævi illius barbaries, ut, prout prætendere voluit BOEHMERUS, ex formula Chrodogangi edere, bibere, incedere, dormire, pſallere &c. habitum fuerit pro ſufficiente perfectione & diſpoſitione morum ad regulas Chriſti, id quod manifeſte patet ex brevi CAROLI M. CAPITULARI apud LABBEUM T. VII. *Conc.* col. 1187. n. XI. qui Prælatis Eccleſiæ a mente Chrodogangi deviantibus acclamavit his verbis: *quam utilitatem conferat Eccleſiæ Chriſti? quod is, qui paſtor vel Magiſter cujuscunque venerabilis loci eſſe debet, magis ſtudet in ſua converſatione habere multos quam bonos, & non tam probis quam multitudine horum delectatur, plus ſtudet ut ſuus clericus vel Monachus bene cantet, & legat, quam Juſte & beate vivat. Quanquam non ſolum minime in Eccleſia contemnenda ſit Cantandi vel legendi diſciplina, ſed etiam omnibus modis exercenda, ſed ſi utrumque cuilibet venerabili loco accedere non poteſt, tolerabilius tamen ferenda nobis videtur imperfectio cantandi quam vivendi & quamvis bonum ſit, ut Eccleſiæ pulchra ſint ædificia, præferendus tamen eſt ædificiis bonorum morum ornatus & Culmen, quia in quantum nobis videtur, conſtructio Baſilicarum veteris legis quandam trahit conſuetudinem: morum autem emendatio proprie ad novum teſtamentum, & Chriſtianam pertinet Diſciplinam. Quodſi Chriſtus & Apoſtoli, & qui Apoſtolos recte ſecuti ſunt, in Eccleſiaſtica Diſciplina ſunt ſequendi, aliter nobis in multis rebus faciendum eſt, quam usque modo feciſſemus; multa de uſu & conſuetudine noſtra auferenda & non minus multa, quæ hactenus non fecimus, facienda quibus accedit.*

4to Quod hæc vita Communis a Chrodogango introducta pro illis temporibus opportuniſſimum fuerit remedium ad arcendam a Clero incontinentiam, quod vitium tum temporis teſtantibus coævis, ſcriptoribus & Conciliorum Decretis, reſcriptisque Pontificum in immenſum graſſabatur. Conf. THOMASINUS l. c. P. I. L. III. C. XI. n. 1. ſeq. dum enim omnes uno tecto & menſa utebantur, ac menſuram potus, & cibi ſuperiores non pro voluptate ſed neceſſitate moderabantur, ipſaque convivia ſacra ſemper lectione condiebantur, ſic ceſſarunt carnis ſtimuli, ceſſabat incontinentiæ occaſio, & cum mulieribus cohabitatio, ceſſabant cogitationes pravæ, dum profcripto otio mens vel ob labores vel exercitia ſacra laudabilibus ſemper objectis diſtrahebatur, ceſſabant pariter avaritiæ, luxus, detractionis, ſimiliaque vitia: utilitas denique.

5to. Sæpius memorati inſtituti patet a poſteriori ex ſubſecutis ceſſantis vitæ communis effectibus, de quibus conf. VAN ESPEN P. I. Tit. VII. C. 3. dum enim quivis Canonicus omnibus horis Canonicis intereſſe debuit, ſic hoc ipſo reſpectu omnium perpetua erat reſidentia, & ceſſavit hoc ipſo pluralitas

teſt recenſitos ſupra §. II. Authores, qui de inſtituto Canonicorum antiquo & novo ex profeſſio ſua ediderunt opera; *a*) quod autem in ſpecie Clerum concernit Moguntinum, ſic vitam communem Reverendiſſimi Cleri Metropolitani ex antiquitatibus Moguntinis deduxit D. Præſes in cit. *commentatione Hiſtor. de Moguntino S. Martini Monaſterio* C. II. nec deſunt vitæ communis in reliquis civitatis noſtræ Eccleſiis Collegiatis documenta: ſic de Eccleſia S. Petri ſcribit AUTHOR *Magni Chronici belgici* p. 79.: *anno regni Ottonis octavo Archi-Epiſcopus Fridericus* CLAUSTRUM *S. Petri Moguntiæ conſtruxit.* De S. Stephani Eccleſia dicitur in Diplomate in JOHANNIDIS *ſcript. rer. Mog.* T. II. p. 521. quod Ludovicus Landgravius Thuringiæ collatam ſibi a Stephanitis in gratiarum actionem præſtitorum in Thuringia beneficiorum præbendam reſtituerit, ut, quantum exinde fieri poſſet, *Monaſterium, clauſtrum & officinæ fratrum* reficerentur. De Eccleſia S. Victoris ſcribit THRITHEMIUS ex vetuſtis monumentis in *Chron. Hirſaug.* ad a. 978. *Willigiſius Monaſterium quoque S. Victoris extra Moguntiam, in quo Canonici regulariter in communi vivebant, ſuis impenſis ampliavit:* de Eccleſia B. V. ad gradus ait ARNOLDUS Archi-Epiſcopus in diplomate: *Statuimus, ut Canonici, quibus hoc noſtri in prandii ſolatium divina opitulante Gratia contulimus* &c. in JOHANNIDIS T. II. *ſcript. rer. Mogunt.* p. 647. de Eccleſia S. Crucis ALBERICUS trium fontium Monachus ad a. 1015. ſcribit: *Erkenbaldus, qui* CLAUSTRUM *S. M. ex campis extruxit* &c. ex quibus loquendi modis vitæ communis inſtitutum ſatis evincitur, quamdiu enim vita communis Canonicorum perduravit, eorum collegia dicta fuiſſe *Monaſteria & Clauſtra*, Canonicos autem *fratres* in vulgus notum eſt, unde frequenter in Diplomatibus dicuntur Canonici *Fratres Deo militantes, famu-*

tas beneficiorum. Conf. cel. NELLERUS in Diſſ. *de varietate reſidentiarum Canonicalium* §. XI. ſeq. & per producta hæc argumentorum pondera una cum BOEHMERO confunduntur omnes vitæ communis Clericalis oſores, Juſtificaturque ſaluberrima piiſſimorum Præſulum ac virorum CAROLI BORROMÆI, CARDINALIS XIMENII, BARTHOLOMÆI HOLZHAUSERI, aliorumque circa vitæ communis in Clero Sæculari reſtitutionem intentio: Devita communi canonicorum & Clericorum in communi viventium Sæculo XIV. in germania cum magno emolumento diſciplinæ Eccleſ. & literarum inſtaurata conf. CHRISTOPH. FRID. STYRMANN Hiſtorie des Kugel-Hauß zu Marburg in KUCHENBECKERI *anal. Haſſ. Collect.* VII. p. 1. ſeq.

a) Add. FLEURY *hiſt. Eccleſ.* L. 43. n. 37. L. 66. n. 23. de cœtero dolendum, quod JOH. GEORG. ECCARDUS Hiſtoriogr. Würceburgenſis promiſſam *de vita, Moribusque Canonicorum a Caroli M. ſucceſſorumque ævo usque ad Sæculi XIV. tempora ex antiquitatibus germanicis eruendam commentationem* fatis impeditus edere haud potuerit. De vita Clericorum communi Tractatum quoque ſub Tit. *Clericus ſæcularis in ſuo ſplendore* italice edidit POMEJUS SARNELLI Romæ 1688. 4.

famulantes, *servientes &c.* b) Ecclesiæ S. Joannis facta est reparatio a Capitulo Metropolit. Mogunt. damni ob destructam domum, quæ vulgariter *Dormitorium* appellabatur, prout discimus ex Diplomate de a. 1294. apud JOHANNIDEM l. c. T. II. p. 700. Capitulum denique S. Mauritii vendidit a. 1214. horreum quoddam juxta *dormitorium Ecclesiæ* situm teste Diplomate l. c. p. 707.

§. VII.

De Differentia inter Capitulares & Domicellares illis temporibus.

Quod durante adhuc vita communi Canonicorum Monachali maxima, sicut adhuc hodie se res habet, jam fuerit differentia Capitulares inter ac Domicellares, innumera illorum temporum monumenta demonstrant. a) Sicut enim Capitulares in Ecclesiis Cathedralibus senatum Episcopi, & in minoribus seu collegiatis senatum Decani, vel Præpositi constituebant, si nonnisi ordinibus majoribus initiati b) Canonici voto & suffragio in tali senatu gaudebant, c) occupabant præterea illi sedes in Choro superiores honoratioresque, promoveri poterant ad dignitates Capitulares, comparebant nomine Capituli tanquam deputati in Conciliis Provincialibus, variisque aliis prædití erant emolumentis & Juribus, d) mensa denique utebantur in eodem cum Episcopo vel respective Deca-

b) Ex vitæ communis disciplina etiam adhuc superest nomen *præbendæ*, quia enim Canonici a Sæcularibus Negotiis & administratione bonorum, quæ communiter a Præposito, Advocato, vel cellario administrabantur, erant alieni, & a bonis, quæ in communi possidebantur, singulis Canonicis necessaria *præbebantur* alimenta, sic exinde remansit *Præbendæ* Nomen. c. 16. de V. S.

a) De cœtero etiam ante Chrodogangi tempora clerici Juniores in seminariis Ecclesiis annexis in scientiis & moribus Eccles. erudiebantur, de quo fusius THOMASINUS l. c.

b) Et quidem primitus nonnisi præsbyteri & Diaconi ad Capitulum admittebantur, unde Paschalis II. pontifex Episcopo Compostellano formam constituendæ Ecclesiæ delineans *Epistola* 15. scribit: *Cardinales in Ecclesia tua præsbyteros seu Diaconos tales constitue, qui digne valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere.* Cum vero Urbani II. tempore, ut putant plures, cœpisset subdiaconatus ad sacros ordines majores referri, tunc quoque subdiaconis communicata sunt potissima quæque Capitularium Jura, & ornamenta. Conf. THOMASINUS l. c. P. I. L. 3. C. 10. n. 1. & 2.

c) Et quidem Episcopus Præpositus vel Decanus sine horum Consilio vel consensu res Ecclesiæ suæ alicujus momenti pertractare non potuit. Conf. THOM. l. c. P. I. L. III. C. X. n. 6. quæ per Jura Canon. & Tridentinum fuere confirmata. Conf. VAN ESPEN l. c. P. I. T. IX. c. 4.

d) Dum certa prompta, consolationes, panes &c. distribuebantur inter Capitulares, de quibus Domicellares haud participarunt.

Decano refectorio: quæ omnia secus se habebant respectu juniorum Canonicorum seu Domicellorum, *e*) nullo enim gaudebant illi loco in Capitulo, nullaque sede in Choro, etiam infra vicariorum seu tum temporis sic dictorum Capellanorum ordinem positi nonnisi inter Chorales ad commune pulpitum stare poterant ab omnibus reliquis paulo ante recensitis Juribus exclusi, mensa autem sub directione Scholastici utebantur privata a Capitularium consortio sejuncti; in laudata supra Chrodegangi regula disponebatur C. 2. *Ut junior Clericus, cum obviam habuerit seniorem, inclinetur, ab ipsoque benedictionem petat, nec sedeat coram ipso injussus.* Vi Capitis III. *ita disponebantur Canonici in Dormitorio, ut juniores essent sub oculis seniorum.* Caput XIX. decrevit, *Senioribus Cappas novas singulis ante festum S. Martini dari, veteres ab illis depositas distribui junioribus.*

§. VIII.

De Conventibus Capitularibus & eorum Instituto.

Vi disciplinæ Canonicorum durante vita communi introductæ singulis diebus celebrabantur conventus Capitulares, *a*) quibus omnes ad Ecclesiam spectantes debebant interesse, eo fere modo, prout adhuc hodie in plerisque fere Monasteriis observatur, *b*) quid Chrodogangi regula circa hocce caput statuerit, expositum

e) Olim dicti fuerunt *Juniores*, & eorum præbendæ *Junioratus*, sicuti Capitularibus *fratrum* nomen inditum fuerat, dum autem honorifica *Dominorum* appellatio tributa fuit Canonicis majoribus, & Capitularibus, sic Junioribus datum fuit *Domicellorum* nomen comparatione desumpta, cum optimatum filii Juniores *Damicelli* seu *Domicelli* vocabantur, ac apanagium illis assignatum *Domicellaria*. In statutis Ecclesiæ Lubecensis dicuntur Domicellares *nobiles pueri*.

a) Circa tempus Capituli variavit disciplina Ecclesiarum, plerumque post *horas primarum* accedebatur Capitulum, vel dum ventum erat ad versiculum: *pretiosa in conspectu Domini &c.* in Capitulo legebatur quoque Martyrologium, ex quo tempore ejus usus introductus fuerat, & finito Capitulo omnes redibant ad Ecclesiam, ubi in Choro pergebatur: *pretiosa &c.* Supersunt etiam hujus disciplinæ adhuc hodie vestigia, dum in multis Ecclesiis sub *prima* inchoantur Capitula, vicarii autem interea in Choro pergunt, contra quem morem autem sæpius decreta Conciliorum prodierunt inhibentia, ne tempore divinorum officiorum celebrentur Capitula. Conf. VAN ESPEN l. c. P. I. T. VII. C. VI. n. 15. seq. in aliis Ecclesiis immediate post Capitulum ibatur ad laborem manus, & non nisi elapsis quibusdam horis servitium divinum iterum instaurabatur.

b) Sciendum enim, prout de variis Ecclesiis vestigia deprehendimus, ad hanc collationem sacram non solum Capitulares, sed & vicarios seu Capellanos, ubi extabant, Domicellares & omnes reliquos Ecclesiæ beneficiatos fuisse admissos,

situm fuit supra: regula Canonicorum in synodo aquisgranensi stabilita c. 123. præcipit, *ut Canonici quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem & aliarum sanctarum scripturarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant: ubi etiam de communi profectu & utilitate Ecclesiæ pertractent:* & in *Compendio vitæ S. Bernwardi Episcopi Hildesheim. c)* De illo narratur: *cum vacabat, primo semper, quando præsens aderat, hora Capituli ad fratres intrabat, eosque de religione vitæque proposito ad obedientiam salutarem hortabatur se ipsum formam vivendi præbens.* Ex quibus patet 1) quod in Cathedralibus Capitulis ipse Episcopus, in minoribus Decanus vel præpositus Capitulis hisce semper præfuerint. 2.) Quod primo loco aliquid ex regula, ut semper in recenti omnium esset memoria, nec non ex Patribus, scriptura S. vel aliis libris asceticis in ædificationem & collectionem spiritus fuerit prælectum, lectione finita 3) tractabantur negotia servitium divinum & disciplinam concernentia, ac deficientibus vel delinquentibus, qui debebant suam confiteri culpam, prævia exhortatione vel invectiva *d)* suæ imponebantur pœnitentiæ vel pænæ Ecclesiasticæ: quibus sacris Lectionibus, & concionibus peractis, vicariis reliquisque beneficiatis Ecclesiæ votum in Capitulo non habentibus remanentibusque solis cum Episcopo vel Decano Capitularibus. 4) de temporalibus negotiis Ecclesiæ, aliisque ad Capitulum privative spectantibus, veluti Electione prælatorum, admissione fratrum, collatione beneficiorum, similibusque agebatur, causaque ex votorum pluralitate plerumque determinabatur.

§. IX.

missos, qua finita, & peracta Correctione Clerici non Capitulares debebant abscedere.

c) In LEIBNITII *Script. rerum Brunswic.* T. I. p. 481.

d) Inde adhuc venit phrasis vulgaris: *ein Capitul bekommen*, de cœtero cum vita communi exolevit saluberrima hæcce disciplina in plerisque fere Canonicorum Ecclesiis, ac hodie loco Capitulorum quotidianorum certi dies per mensem vel hebdomadam pro Capitulis destinati sunt, quibus accedere solent Capitula generalia, & extraordinaria pro circumstantiis a Decano indicenda, in quibusdam Ecclesiis in locum Capitulorum quotidianorum successerunt Capitula Disciplinæ, de quibus adhuc statuit SYNODUS COLONIENS. de a. 1536. c. 14. *Capitula Disciplinæ, quæ vocant, multo majori diligentia observentur atque hactenus id ita fiet, si non tam profanæ, quam res sacræ in his tractentur: Si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum, & quod SS. Patres fecisse dignoscuntur, ex temporali ratione interdum commoneantur fratres, & imprimis ad sacras litteras capescendas instigantur, atque ut in his optimas horas collocent, incitentur, quod hic reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo qui haurit, non peribit in æternum &c.* Verum hæc Capitula Disciplinæ hodie sunt in variis provinciis incognita, & ipsæ ordinariæ Capitulares congregationes ita plerumque instituuntur, ut plane temporalibus negotiis occupentur, nisi quis Capitula generalia, ubi adhuc primario de Disciplina agitur,

§. IX.

De instituto, Studiis, ac Juribus Domicellarium ac necessariis eorum requisitis.

Juniores pro suo statu Capaces *a*) Clerici Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Canonicatu donati debebant ante omnia subire *annum Claustralem, probationis*, seu *disciplinæ*, adinstar Monachorum Novitiatum hodie absolventium a reliquis Domicellaribus per signum quoddam, quod gestabant distincti, *b*) ac in Seminariis ac Scholis, quæ in Monasteriis vel claustris Ecclesiarum tam Cathedralium, quam collegiatarum sub Directione Scholastici ordinata fuerunt, educabantur ac in necessariis scientiis instruebantur; *c*) ut vero Scholæ non solum essent litterarum & scientiarum, sed & virtutis piæque vitæ manuductiones, unus ex probatissimis senioribus, qui discipulos in bonis moribus & vitæ sanctitate crudiret, deputabatur, prout constat ex REGULA CANONICA C. 135. munus hoc simplex ab initio fuit officium, sed quia pleraque Canonicorum munia in beneficia abierunt, sic & munus Scholastici, dictus autem ille tantum fuit olim *Magister Scholarum*, prout ex plurimis patet Diplomatibus, Magister hic Scholarum durante adhuc vita Communi degebat plerumque cum Domicellaribus in separato ædificio Ecclesiæ autem plerumque contiguo a reliquo autem Canonicorum claustro sejuncto, & in eodem cum iis pernoctavit Dor-

tur, vel saltem agendum foret, inter Capitulorum Disciplinæ reliquias referre velit.

a) Illo enim jam tempore, ubi adhuc viguit vita communis, ad Ecclesias Metropolitanas, Cathedrales, & equestres non nisi ex ordine Nobilium seu ingenuorum vel militari genere admittebantur, adeoque requirebatur status habilitas.

b) Rudera hujus rei ex antiquo anno Claustrali supersunt in hodierna sic dicta *residentia minori* seu *Stricta*, & inde tenentur durante illo Novitiatu in variis Ecclesiis e. g. Paderbornensi, & Halberstadiensi Domicellares certis diebus in certa dormire camera veteris claustri & Paderbornæ certum portare Pannum in veteris Novitiatus Symbolum, & inde etiam adhuc hodie residentiis Captiosis accensetur Novitia hæc residentia, ita ut ea non peracta Canonici non sint qualificati ad intrandum Capitulum, tempus autem residentiæ hujus quondam indistincte annalis hodie pro diversitate statutorum variat.

c) Conf. CONCIL. TURONENS. III. *Can.* 12. De cœtero plurium generum erant Seminaria pro Junioribus Clericis, & quidem vel in Monasteriis Monachorum vel in Claustris Canonicorum, vel in domibus Episcopalibus, vel in civitatibus, vel ruri in Parochorum ædibus. Conf. THOMASINUS l. c. P. I. L. III. c. 6. Modo autem non nisi de Scholis & Seminariis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum quæstio est.

Dormitorio, alimenta cum vestimentis pariter ex præbendis minoribus pro Domicellaribus ex bonis Ecclesiæ communibus assignatis, dispositioni autem & procurationi Scholastici vix non semper relictis,, plerumque suppeditavit Scholasticus. *d*) De cœtero ejus Disciplinæ ac correctioni subjecti, *e*) quoad studia autem, quia non solum in humanioribus sed & sublimioribus scientiis Ecclesiast. instruebantur Domicellares, sic quoad priora Scholasticus plerumque habuit vicarium *f*) seu coadjutorem sibi subordinatum, ipse autem instruxit illos in Ecclesiasticis scientiis Canonico necessariis, pro quibus laboribus certis emolumentis a Domicellaribus solvendis gaudebat. Cantum Choralem addiscebant Do-

d) Sicut enim præpositus omnium bonorum pro sustentatione Capitularium destinatorum habebat administrationem, & exinde sua illis præbebat alimenta, sic plerumque Scholasticus omnium Domicellarium Præbendarum habebat procurationem, & illos exinde sustentavit, ratione cujus autem sæpe contra Scholasticos a Domicellaribus, sicut contra præpositos a Capitularibus, mota sunt gravamina. Conf. cit. *Comment.* D. Præsidis *de Moguntino S. Marti-Monasterio* p. 28. quomodo in Ecclesia Cathedrali Wormatiensi Magister Scholarum Canonicorum nondum emancipatorum præbendas perceperit, patet ex SCHANATII *histor. Wormat.* Cod. probat. n. 197. p. 171. Conf. JOANNIS Tom. II. *rer. Mogunt.* p. 678. de cœtero antiquitates hujus argumenti erudite pervestigavit JOH. ERNEST. FLOERCKIUS in tractatu *de Canonico Scholastico* Gothæ 1727. in 4to Edito.

e) Hinc dicuntur in Diplomatibus (conf. GUDENUS in cod. dipl. T. I. p. 690.) Domicellares *sub virga Scholastici* usque ad emancipationem *constituti*, & hinc adhuc hodie variis in Ecclesiis in emancipationis actu virgæ e. g. in Metropol. Trevir. varia ratione adhibentur in signum pristinæ & per emancipationem cessantis potestatis Scholastici, de quo §pho sequenti fusius, in *Decreto* SALMASII Episcopi Wormatiensis Capitulo Ecclesiæ S. Andreæ dato a. 1347. apud SCHANAT *hist. Wormat.* p. 171. & passim in statutis Ecclesiarum potestas Scholastici dicitur *Jugum Scholasticum* in statutis Ecclesiæ S. Severi Erfordiensis legitur: Canonici statim postquam recepti fuerint, erunt *sub obedientia Scholastici* usque in diem emancipationis. OTTO FRISING. *in statutis* a. 1158. Ecclesiæ Frising. præscriptis in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccl.* T. 2. p. 233. disposuit: *pueros & adolescentes, qui pro ætatis lubrico ad malum, lasciviamque proni sunt*, Scholasticæ disciplinæ *subesse volumus, donec ad ordinem subdiaconatus congruo tempore promoveantur, nec occasionem foras eos vagari ante hoc tempus concedimus.* Debebant etiam Domicellares in signum hujus subordinationis varia Scholastico præstare obsequia, prout discimus ex statutis Ecclesiæ S. Martini Bingensis, ubi promittere tenebatur quivis Domicellarium: *item in festivitatibus deserviam Domino Scholastico Cappam suam sibi apportando, induendo, & exuendo, quando fuero requisitus.*

f) In variis tamen Ecclesiarum scholis non docebantur humaniora, sed talia in Scholis Monasticis addiscenda erant, ex quibus transferebantur Canonici ad Scholas Ecclesiarum studiorum Ecclesiasticorum addiscendorum causa.

Domicellares penes cantorem, cujus quoque Disciplinæ cantus intuitu & observandorum in Choro *g*) suberant, nec diebus recreationum honestæ Domicellaribus deficiebant recreationes, pro quibus etiam plerumque certi reditus assignati erant. *h*) Academiis autem per Galliam & Italiam successive erectis, cum major inde artium & scientiarum in iis, quam in Scholis Canonicis capessendarum data fuerit occasio, nonnullis sæpe Canonicis Junioribus ex speciali Capituli venia, & ex Scholastici consensu easdem frequentare permissum est, horumque exemplo postea invaluit, ut Canonicis Junioribus linqueretur arbitrium, utrum vel in scholis persistere, vel ad studia generalia se convertere mallent negata Scholastico facultate eos impediendi, quo minus cultum studiorum in Academiis quærerent *i*) Licet autem vita communis Canonicorum Capitularium successive fuerit sublata, remansit tamen multis in Ecclesiis etiam post illa tempora consuetudo, ut Scholasticus præbendarum Domicellarium haberet procurationem, & ex illis in communi illos sustentaret, cum autem hæc quoque successive immutata fuerint, cessantibus plane Domicellarium scholis, sic saltem pristinæ disciplinæ varia servata sunt vestigia, dum scilicet Scholastico plerumque remansit cura scholarum civitatis, & Jus constituendi Magistros Scholarum, præsidium examinis ordinandorum, cura Archivii Ecclesiæ, & processuum & in quibusdam Ecclesiis, prout in statutis legimus, custodia sigilli minoris, & ubique fere quoad Jura utilia pecuniæ emancipationis & Mulctæ a Domicellaribus solvendæ &c. quod optime ex statutorum Ecclesiarum dispositionibus eruitur. *k*) Quia autem ratione prædictorum capitum Scholastici curæ reli-

g) Domicellares enim in Choro debebant omnia illa peragere, quæ hodie peragunt Chorauli, qui proprie sunt Domicellarium Vicarii, unde adhuc hodie quibusdam in Ecclesiis etiam Cathedralibus debent præferre crucem, portare aquam benedictam &c. Vestigia hujus rei occurrunt in *statutis* Ecclesiæ cathedr. Halberstad. de a. 1410. in LUNIGII *Spicil. Eccl. P. II.* im Anhang p. 77. Ubi legitur: *Domicelli tenebunt vadclam & caldarium aquæ Benedictæ.... Item visitabunt scholam apud Ecclesiam nostram, ut Ceremonias Chori addiscant.... Item ministrabunt ad summam missam. Item cantabunt Alleluja & alia solita.*

h) Extat hujus rei vestigium in Ecclesia Cathedrali Bambergensi, ubi adhuc extat munus vulgo dictum das Vögel-Amt Canonico conferri solitum, vi cujus ex reditibus assignatis consolationes & lusus pro recreationibus Domicellaribus suppeditabantur, hodie autem cessante hoc onere reditus trecentorum circiter florenorum cedunt illi, cui munus hoc collatum fuit.

i) Conf. GEORG. LUDOV. BOEHMER in program. *de tempore studiorum legitimo a Canonicis observando* §. IV.

k) Sic in statutis Ecclesiæ Bingensis S. Martini a. 1403. renovatis habetur de Scholastico: *Magister vero quasi majoris status post Decanum vel quasi Magister*

relictorum haud exigua in ipso requiritur eruditio, sic ob varios eatenus commissos abusus statuit TRIDENTINUM *Sess.* 23. c. 18. de reform. *ut de cætero officia*

gister ter aliis doctus, qui & Scholasticus, quasi custos Scholarum & disciplinæ nominatur, tertius Ecclesiæ prælatus libros Chori ad legendum corrigat, Lectiones signet, psalteria uniformiter distinguat, curam scholarum habeat, Canonicos sub Jugo suo existentes in Disciplina Chori & morum honeste doceat ipsosque pro Excessibus & negligentiis scholasticis corrigat, & emendet, factaque Ecclesiæ quasi advocatus, & os Capituli concipere, notare & pronunciare debebit.

In statutis Ecclesiæ Swerinensis de a. 1238. in ERNESTI JOACHIM. DE WESTPHALEN *monumentorum inedit. rer. germ.* T. II. p. 1971. habetur: *item Scholasticus erit custos minoris sigilli Ecclesiæ & omnes litteras capituli scribi faciat suis sumptibus & expensis, librosque Scholasticos custodiens reformabit summe cavendo, unde periculum timeatur, ne aliquid de secretis Capituli litteras scribi faciendo revelet, nec ullas litteras sigillo Capituli, nisi de Mandato speciali ejusdem sigillabit. Item etiam Scholasticus omnium excessuum tam magnorum, quam parvorum correctiones, quos Scholares sub Jugo existentes commiserint, retinebit.*

In statutis Ecclesiæ cathedralis Lubecensis in cit. *monument. ineditis* T. II. p. 2428. disponitur: „Scholasticus in Scholis S. Jacobi omnem autoritatem „& potestatem nullo prorsus articulo excepto super singulis circumstantiis „obtinebit, quam in Scholis majoris Ecclesiæ dignoscitur hactenus habuisse..... ad officium Scholastici pertinet Scholares regere in Choro & in „Scholis quantum ad disciplinam, mores & doctrinam attinet, Magistrum „ipsorum & rectores statuet secundum numerum Scholarum videlicet pro LX. „Scholaribus solventibus ad minus unum idoneum Magistrum. Item Scholasticus cavebit confusiones chori in choris & in aliis cantandis, & legendis, „& excessus istos corriget & faciat emendari.... Item Scholasticus scribit „litteras Ecclesiæ, & omnia negotia Eccles. tangentia eaque deinceps, si re„gistranda fuerint, sciat registrare. Item Scholasticus omnes libros Scholasticos, quos etiam habuit ad tempus vel in futuro habiturus est, diligenter „reservabit & de manibus suis hujusmodi libri requirentur, præcipue autem „diligentiam de registro Ecclesiæ conservando adhibebit. Ad Scholasticum „pertinet Scholarium ordinatio ac dispositio libera de iisdem, ita videlicet, „quod potestatem habeat præficiendi Magistros dictorum Scholarium, qui eos „instruunt in grammatica, & Logica, eosdem Magistros pro suo placito re„movendi, quod nemo potest ibidem actum docendi Scholares assumere, nisi „de ipsius Scholastici speciali consensu, præterea Jurisdictionem tam Magi„strorum, quam scholarium ad sæpe dictum Scholasticum recognoscimus per„tinere. Scholasticus Ecclesiæ Lubecens. reputatur & est simile officium hu„jus Jurisdictionem hoc est Disciplinarum Jurisdictionem non censuram Ec„cles. &c.„ De cura Scholarum civitatis Scholastico Halberstad. incumbente conf. ALBERTI Episcopi Halberstad. *statutum* de a. 1316. in LÜNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang p. 38. in statutis Ecclesiæ Cathedralis Trevirensis de a. 1595. habetur: „Magna pars honoris Ecclesiæ nostræ accedit, si „junio-

officia vel dignitates illa, qua Scholasteria dicuntur, nonnisi Doctoribus vel Magistris aut Licentiatis in sacra pagina, aut in Jure Canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit, & invalida, non obstantibus quibusvis Privilegiis, & consuetudinibus etiam immemorialibus.

§. X.

De Domicellarium Emancipationibus, ordinationibus, ac receptione ad Capitulum durante adhuc vita Communi.

Dum absolverat Domicellariis suorum studiorum curriculum, ac in scientiis pro Canonico necessariis, cantuque instructus erat, Justæque ætatis, *a*) probata

„juniores Canonici non Capitulares resideutes, & Scholares Chorum Ecclesiæ „nostræ frequentantes recte erudiantur, unde nos Ecclesiæ nostræ Scholasticum, „ad quem cura hujusmodi pertinet, in Domino hortamur, ut in omnibus ipsum tam virtute statutorum, quam etiam specialis Juramenti tangentibus of„ficio suo satisfaciat, cum primis autem, & ante omnia Scholæ Ecclesiæ no„stræ Rectorem seu moderatorem talem præficere studeat, qui in cantu & lit„teris bene versatus sit, & re & persona gravitatem præseferat & modestiam, „nec non juniores Canonicos, ut ipsi, si qualificati fuerint, historiam sacram „in propinis pro refectorio legere possint, instruat, Juventutem quoque in „cantu, pietate, bonis litteris, & moribus non modo diligenter instituat, „sed etiam exemplo suo ad virtutis amorem incitare, & trahere valeat.

a) Ætas pro emancipatione requisita pro diversitate Ecclesiarum variavit, plerumque fuit illa, quæ pro subdiaconatu fuit necessaria, annus scilicet 21*mus* completus, qui etiam in multis Ecclesiis Westphalicis potissimum adhuc observatur; sed novioribus temporibus ad brevius tempus in multis Ecclesiis restricta est ætas emancipandorum; quid contra abusus Scholasticorum statuerit GERLACUS Archi-Episcopus Mogunt. a. 1355. patebit ex Diplomate notatu dignissimo, quod hactenus ineditum ex amplissima Diplomatum Mog. Collectione P. Reverend. Domini Consiliarii Ecclesiast. & Decani WÜRDWEIN mihi benevole communicatum inserere lubet:

„Gerlacus Dei gratia sancte Moguntine sedis Archi-Episcopus, sacri Imperii „per germaniam Archi-Cancellarius, universis, & singulis præpositis, De„canis, Scholasticis, Cantoribus & aliis Prælatis, Canonicis, & Clericis „quibuscunque per nostras Civitatem, & Diœcesin Moguntinam constitutis, „salutem in Domino sempiternam. Ad perpetuam rei memoriam. Pastora„lis officii nostri cura continua, quam in cunctis agendis, & reformandis „per nostras civitatem & Diœcesin habere nos oportet, die noctuque pervi„gil ad hoc accelerat, ut etiam spreto nostri proprii Corporis commodo „per voluntarios labores subditorum removeamus scandala & gravamina, ac „ipsis utilitates & commoda in pacis fiducia, quantum nobis ex alto concedi„tur, mente avida procuremus; Tunc enim vere & rite in subditorum pos„sumu-

„sumus gloriari salute, cum & ipsi relatione vicissitudinaria de procurata „a nobis eis pace & concordia congratulari poterint inconvulse. Dudum „siquidem a longævis temporibus juste, provide ac religiose instituta Præla„tura Scholasteriæ tam in Ecclesia nostra Moguntina, quam in aliis Ecclesiis „Collegiatis nostrarum civitatis & Diœcesis ipsis prælaturis annexa: fuerunt „quædam concernentia labores & onera, quædam vero honores & emolu„menta, ac inter alia ipsis prælaturis annexum invenimus; quod Scholastici „existentes pro tempore, minores promotos ad Canonicatus & præbendas in „suum regimen ac gubernationem reciperent, ipsosque in scientia moribus & „honestate disciplinæ Ecclesiasticæ suarum Ecclesiarum piis admonitionibus „informarent; sed heu quod ordinatum est, & fuerat circumspecte ad mino„rum eruditionem & profectum, jam laxatis habenis ultra protrahitur ad ma„jorum & ut plurimum provectorum gravissimum detrimentum. Hoc enim „docet experientia efficax rerum Magistra, quod plures Scholastici nostris „temporibus non in tantum quærunt minorum informationem sicut avaritiæ „cæcitate bursarum suarum repletionem & substantiarum tam minorum quam „provectorum evacuationem. Tanto quoque tempore Maxime adultis est in„terdicta ab ipsis Scholasticis præbendarum suarum administratio, quamvis „secundum leges & Canones inspecta ipsorum ætate tutores seu curatores eis „dandi non essent, quod decurso ut in pluribus statu eorum perfectiori vacuis „manibus incedunt, respicientes aliquando per quinquennium & amplius Scho„lasticorum suorum emancipationem nec habentes de præbendarum suarum „fructibus potestatem aliquam disponendi; Propterea nos provide attenden„tes, quod virtus naturalis a primævo procreata in hominibus debilitatur de „die in diem, & quod humana essentia tantum rigorem in instanti tempore su„stinere non potest, præmissis insolentiis, gravaminibus & incommodis ta„liter occurrere volumus, ut promoti maxime adulti se gaudeant relevatos, „& Scholastici de Constitutione nostra præsenti conqueri non valeant se fore „gravatos; statuimus igitur & matura ac diligenti deliberatione præhabita „perpetuo ordinamus, ut quandocunque aliquis infra sextum decimum an„num exclusive ad aliquam præbendam promotus fuerit pacifice, in hoc vel „aliis subscriptis casibus, quod Scholasticus illius Ecclesiæ illum juvenem us„que ad Decimum octavum annum, & non ultra, dum tamen promoveatur „ad sacros ordines, a quo etiam ipse vel Capitulum in subscriptis casibus pro„hibere eum non possit, libere valeat retinere, sibique curet more Schola„stico præesse prout & prodesse. Si vero aliquis nullam prærogativam status „habens in sexto decimo anno vel ulterius ascendendo usque ad vicesimum „tertium annum inclusive præbendam Canonicalem in aliqua Ecclesia conse„cutus fuerit, hunc sub Jugo Scholastici per biennium tantum & non ultra „numerando vel computando a tempore integræ perceptionis fructuum ad „minus dimidiorum usque ad biennium ex tunc plene elapsum, & non admis„sionis vel receptionis pacificæ esse volumus, dummodo ad sacros ordines in„terim promoveatur etiam contra Scholastici voluntatem, quem etiam Scho„lasticus pro tempore existens similiter poterit retinere, ut superius est ex„pressum. Siqua autem simplex persona sacerdotium personatum seu statum „alium non habens in vicesimo quarto anno vel ulterius ascendendo, dein„ceps præbendam Canonicalem consecutus fuerit, hunc per unum annum „tantum & non ultra, dummodo ad sacros ordines juxta præmissa promovea-

tur,

„tur, sub jugo Scholastici volumus remanere. Non est enim mirum, quod „talis cum moderamine præsenti ad præmissa habilis reputetur, qui etiam „ad curam Parochialis Ecclesiæ juxta sanctiones Canonicas in hujusmodi æta- „te est habilis & idoneus præsignatus, qui vero cessante dolo, & fraude an- „te promotionem ad hujusmodi præbendam, personatum vel sacerdotium „habuit, vel locum Capitularem in Diœcesi nostra seu aliena per annum pos- „sedit, eo ipso a Jugo Scholastici sit exemptus, salvo eo, quod ad impen- „dendam sibi reverentiam & obedientiam tanquam sub prælato, si idem Scho- „lasticus hoc desideraverit, sub expensis ipsius Scholastici in hospitio ejus- „dem stare debebit, cum decentia debita & honesta. Cœterum quandocun- „que aliquem super præbenda sua litem habere contigerit, illum durante lite „vel etiam si tempora hujusmodi constitutionis effluxa fuerint totaliter, per „Scholasticum peti nolumus, nec eum, ut apud ipsum remaneat, arctari „quomodolibet vel compelli, ne illum nunc per litem nunc per retentionem „Scholastici oporteat dupliciter aggravari. Si vero sedata lite tempora hu- „jusmodi constitutionis nondum plene fuerint effluxa, statuimus, quod pro- „motus, tempus, quod superest, tantum sub Jugo Scholastici adimplere te- „neatur; hoc semper observato, ut idem promotus si noluit, poterit infra „hujusmodi tempora ad sacros ordines promoveri, hujus autem præbendæ „fructus integre, ut supra est expressum, habito respectu ad tempus elapsum „Scholasticus recipere poterit juxta ratam temporis subsequentis. Siquis au- „tem Scholasticus quemquam promotum ultra hujusmodi tempora & promo- „tionem ad ordines sacros, qui ipso Jure absque quolibet ejus facto, ab eo „esse emancipatus dignoscitur, retinere præsumpserit, vel in receptione sa- „crorum ordinum prohibuerit, ac sine exactione aliqua eum non dimiserit, „nulla tam præsentationis per eum facienda, seu aliqua alia contra præmissa „etiam in Ecclesiis diutius observata consuetudine sibi suffragante, ad restitu- „tionem dupli ejus, quod ab eo recepit, sine remissione aliqua teneatur & ni- „hilominus ipso facto sit excommunicationis sententia innodatus; postquam „vero prædicta tempora in simplicibus personis apud Scholasticum elapsa fue- „rint, & promotio ad ordines sacros, id est Sub-Diaconatus intervenerit, ut „præfertur, volumus, ut Decanus & Capitulum Ecclesiæ, in qua hoc eve- „nerit, taliter emancipatum ipso Jure a Jugo Scholastici per lapsum tem- „poris & promotionem ad ordines prædictos examinationi debite subjiciant & „per mensem vel duos ad longius de ejus scientia experiantur, & super eo de- „bite se informent, & si invenerint eum habilem, & idoneum in legendo & „cantando, in quo cultus divinus consistit & honor Chori perficitur, ac in „quibus Disciplina Chori maxime adimpletur; nisi talis promotus ad altius „Studium properet voluntarie, talem non obstante contradictione seu exce- „ptione cujuscunque de media præbenda vel alias quomodocunque, ipsum „postquam eos super hoc requisiverit, coram publico singulariter vel commu- „niter ex tunc infra octo dies proxime subsequentes ad Capitulum recipiant, „ac eum tractatibus Capitularibus permittant una cum aliis liberaliter inter- „esse, hoc semper salvo, quod si Decanus & Capitulum vel major pars ipsius „ad numerum personarum & non effectum Juris quoquo modo senserint, su- „per quo eorum conscientias oneramus, quod ex missione promoti seu bene- „ficiati ad studium utilitas personæ vel Ecclesiæ oriatur, quod ex tunc jux- „ta consuetudinem ipsius Ecclesiæ ad studium per eosdem libere transmitta-

„tur,

„tur, in constitutis autem in personatibus seu prælaturis vel actu ad ordinem „sacerdotalem ordinatis, vel qui alias Capitulum ubicunque per annum intra- „verunt, ut præmittitur, constituimus, quod absque difficultate qualibet, „cum secundum præmissa alias sufficienter probati noscantur, ad Capitulum „cessantibus impedimentis legitimis sine pertractatione aliqua requisiti, ut præ- „mittitur, admittantur. Licet autem in dando vel recipiendo taxum præben- „darum vacantium ad nos optio vel electio primo de Jure pertinere posset, ta- „men ne circa præmissa aliquod obstaculum ingeratur, statuimus, quod sine „omni optione vel electione taxus medietas præbendæ, quæ vacaverit, exi- „stens in Corpore una cum præsentiis ad promotum perveniat, reliqua vero „medietas nobis pro annis biennalibus vel alias, ubi beneficia vacantia cede- „re debebunt, legitime conferatur. Volumus autem, quod quandocunque „secundum præmissa super ætate dubium oriri contigerit, deficientibus aliis „probationibus, superior habito Judicio de aspectu promoti super probatio- „ne suæ ætatis Juramentum sibi deferre valeat, & quod, ut sic per delatum „Juramentum & per eum præstitum secundum credulitatem & informationem „parentum in hoc casu ætas ipsius efficaciter sit probata. Præmissa autem o- „mnia & singula ex causis rationabilibus & legitimis constituimus ac ex certa „scientia ordinamus, nolentes quibuscunque personis contra præmissa statuta „consuetudines vel privilegia seu appellationes vel diffugia quæcunque Ec- „clesiarum vel personarum in aliquo suffragari, etiamsi firmata fuerint Jura- „mentis, quæ contra prædicta rationabiliter jam constituta, irrationabiliter „videntur esse servanda, & ideo ea minime servari declaramus, & eadem „tollimus, relaxamus, ac super eis præsentibus dispensamus. Capitulum ve- „ro, quod contra hanc nostram constitutionem quicquam attentare præsump- „serit cum effectu suspensionis sententia se sciat firmiter innodatum. Hanc „autem nostram constitutionem non solum ad futura extendi nolumus, sed „arctius in præcedentibus observari, ac quod nobis non licet ad præsens in „præcipiendo jure Metropolitico Ecclesiis, & personis per nostram provin- „ciam constitutis, hoc eis saltem, ut ipsam constitutionem ratione æquitatis „& Justitiæ observent, præsentibus indicamus. Nulli ergo omnino hominum „liceat hanc præsentem paginam nostræ constitutionis, voluntatis & dispositionis legitimæ infringere vel ei ausu temerario contraire; quisquis autem „hoc attentare præsumpserit, ultra præmissa indignationem omnipotentis Dei „& beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus ac S. Martini nostri Patroni se „noverit incursurum. Datum XI. Kal. Decembris anno Domini Millesimo „Trecentesimo quinquagesimo quinto.

Et hujus Gerlaci constitutionis observationem Scholastici in Ecclesiis Mo- „guntinis jurato promittere tenebantur, & legitur in statutis Ecclesiæ Bin- „gensis S. Martini a. 1403. renovatis: „item de Domicellis ante mei installa- „tionem Corporalem ad Scholasteriam receptis, & admissis non me intromit- „tam, sed stabunt ad gratiam Capituli, item non vocabo Domicellos ad cu- „ram & provisionem meam, nisi sim ad minus in ordine subdiaconatus con- „stitutus, & nisi continuam personalem residentiam faciam in curia meæ „Scholasteriæ. Item de redditibus & proventibus Domicellorum absentium „me non intromittam propter pænam absentiæ, ne duplici pæna graventur, „item Domicellos sub jugo meo existentes in Disciplina & morum honestate „dili-

bata Doctrina & cantu vel ad emancipationem decernendam præsentatus fuit ab ipso Scholastico Capitulo, *b*) vel ad requisitionem Capituli *c*) de manu ac potestate

„diligenter informabo, pro excessibus & negligentiis charitative corrigere „& emendare curabo, eisque, qui apud me sunt, in victu, vestitu, & „aliis necessariis secundum honorem Ecclesiæ sufficienter providebo, nec „non ordinationem Domini Gerlaci Archi-Episcopi Mogunt. quoad Domicellos juxta cuilibet meritum inviolabiliter observabo.„ Et neo-Canonici in „prima admissione ibidem jurare debebant: *item obedientiam Domino Scholastico, qui nunc est., & pro tempore existenti, & Canonice intranti in licitis & honestis, & ab hac hora in antea ero sub jugo ipsius Domini Scholastici servando statuta, & ordinationes Reverendissimi in Christo Patris olim Domini Gerlaci Archi-Episcopi Mog. & consuetudines Ecclesiæ ipsum concernentia, & concernentes, quousque ab eodem Domino Scholastico fuero emancipatus.*

In statutis Ecclesiæ Equestris S. Albani Mogunt. in JOHANNIDIS *script. rer. Mogunt.* T. II. p. 777. habetur: *item similiter ac pariformi modo tenor.* (Scholasticus) *ac volo servare cum mediis fructibus præbendæ cujuslibet Domicelli duorum annorum fabricæ & anni defuncti, si contingit me aliquem Domicellum libere dimittere, emancipare, & Capitulo meo, ut moris est præsentare. Item quod quilibet Domicellus Ecclesiæ nostræ S. Albani, qui nunc est, vel in futurum fuerit, poterit se in primo anno suæ adeptæ pacificæ possessionis, vel expost, quandocunque sibi placuerit, a me & Jugo Scholasteriæ meæ redimere cum triginta florenis Rhenanis, ac fructus præbendæ suæ & præsentias ad se recipere, sublevare, & in usus suos convertere, ac tunc onera præbendæ & præsentiarum per se supportare contradictione mea quacunque non obstante.*

Ex constitutione BRANDI Cardinalis Placentini legati Martini V. pontificis visitatoris & reformatoris pro Ecclesia Moguntina & totius Allemaniæ de a. 1422. in LUDWIGII *reliquiis manuscript.* T. XI. p. 398. in Capitulo Metropolit. Mogunt. non ultra annum 17mum sub Scholastici cura & disciplina teneri non debuerat Domicellaris.

b) Prout patet ex statutis Ecclesiæ Trajectensis, quorum excerpta extant in MATHÆI Libro *de Nobilitate* p. 622. ubi de officio Scholastici habetur: *ad ipsum Canonicos nostros Scholares examinare tam in scientia, quam in moribus & ætate, & cum habiles reperti fuerint, Decano & Capitulo nostro emancipandos præsentare spectat*; licet de cœtero prædicta statuta tempore vitæ communis non fuerint condita, servata tamen ibi est consuetudo, quæ antiquissima fuit in Ecclesia Trajectensi ac recepta jam tempore vitæ communis. Conf. *Statutum* GERHARDI II. Archi-Episc. Bremens. de a. 1244. in LÜNIGII *Arch. G. Spicil. Eccles. Cont.* III. p. 952. n. 64. quo determinatur munus Scholastici.

c) Scholastici enim sæpius ob privata commoda differebant petitas emancipationes, unde a Capitulis emancipatio sæpius fuit injuncta, & ideo etiam voluit Salmannus Episcopus Wormat. in Decreto de a. 1347. condito apud SCHANNAT. *hist. Wormat.* p. 171. *Quodsi Scholasticus moram traxerit in emancipando, & Capitulum decreverit Canonicum emancipandum, tunc si*

testate Scholastici in ipsa, quam antea frequentaverat Schola cum certis ritibus *d*) emancipabatur, pro quo emancipationis actu certa Scholastico solvenda erant

intra 8. *Dies Scholasticus non emancipaverit, Canonicus habeatur pro emancipato.* In statutis Capituli S. Alexandri Einbeccensis in LUDEWIGII *reliquiis Manuscript.* T. X. p. 101. seq. §. 9. legitur: *Si in sacris non fuerit* (Canonicus) *installatio differetur usque dum sacros ordines receperit, & post receptionem mittetur Scholastico, vel Rectori Scholarum, & recipietur per alterum eorum ad disciplinam, & quamdiu intra Scholas fuerit, duplex stipendium Scholastico dabit, & postquam ad ordinem Subdiaconatus promovendus fuerit, emancipabitur per Scholasticum ad requisitionem Decani & tunc recipiet sacrum subdiaconatus ordinem, quo recepto de licentia Decani jurabit consuetudines & statuta servare.*

d) Emancipatio nihil aliud est, quam actus, quo declaratur Canonicum ex potestate & disciplina Scholastici esse dimissum, & capacem, ut ad majora promoveri possit; ritus autem emancipationis pro diversitate Ecclesiarum & provinciarum fuit varius, pauca quædam de emancipatione Canonicorum in Capitulis Germaniæ, licet non sufficiente quoad omnia notitia instructus protulit BUDERUS *in symiktis observat. & opusc. ex monumentis &c. erutarum.* L. 1. p. 1. seq. & cum plerumque illi ritus antiquissimi ad hodiernum usque diem sint servati, sic optime ex recensione diversarum Ecclesiarum consuetudinum addiscuntur. In variis Ecclesiis emancipandus nigris indutus vestibus virgam manu portans ad terram in formam crucis se prosternere tenebatur cantantibusCanonicis Psalmum: *Deus misereatur nostri* ac durante collectæ lectione jacens trina vice feriebatur virga.

Alibi a Scholastico & coætaneis Domicellaribus in linea stantibus virgisque instructis in signum pristinæ obedientiæ & disciplinæ nudus tergore adinstar militum lineam transiens excipiebatur virgis, qui ritus in Franconiæ Ecclesiis obtinuit, & adhuc hodie superest in Ecclesia Cathedrali Würceburg. & equestri ad S. Burckardum ibidem, de qua consuetudine mira sunt, quæ varii scriptores protestantes potissimum rei non satis gnari proferunt: BUDERUS l. c. p. 15. in nota O. omnia ad fabulosa refert. ZEOCHIUS im Europäischen Herold. T. I. p. 343. ritum illum in Ecclesia Cathedral. Würceburg. ideo introductum esse ait, ut principes & comites a prædicto Capitulo arcerentur, verum falsa hæc sunt, ritus enim ille adhuc vigens merum est antiquitatis vestigium ex consuetudine receptum, nam secundum dicta viguit ille ritus non solum in Ecclesia Cathedrali Würceburg. & probabilius in omnibus Franconiæ Ecclesiis, sed et specialiter in Ecclesiis novi Monasterii, & in Haugia Würceburg. ubi demum a. 1740. dum indecorum videbatur, ut vir quidam Canonicatu ob merita donatus ætate & dignitate gravis venerabile tergus denudatum virgis & spectatoribus præberet expositum, ritus ille ad hodiernos mores haud quadrans auctoritate Episcopali fuit sublatus, quam abolitionem adprobavit, & laudavit BENEDICTUS XIV. summus Pontifex in tract. *de synodo Diœcesana* p. 118. de cetero non mirandum est, ritum illum descriptum adhuc ex parte vigere in prædictis Franconiæ Ecclesiis, fuit enim & adhuc est universalis Francorum Orientalium consuetudo, ut vigen-

erant Jura ad hodiernum usque diem servata; peracta emancipatione plerumque adhuc emancipatus mittebatur ad sic dictam disciplinam *e*) dum in certo

 separa-

vigentes adhuc in omnibus pagis emancipationis actus Scholarium elapso anno Scholastico ante ferias autumnales fiant adhibitis verberibus, quod vulgo dicitur das Auspfeffern. In Ecclesia Osnabrug. in actu emancipationis observatur der sogenante Kappengang hac ratione; consanguinei scilicet emancipandi in domo Capitulari petunt emancipationem, ubi ante omnia emancipandus præstare debet Juramentum, quod annum numeret ætatis 21*mum* ac exhibere Testimonium Studii Academici legitime absoluti, & si nullus ratione qualitatum adsit defectus, Candidatus facta ad emancipationem admissione remittitur ad Scholas, ubi Scholasticus de Doctrina illum examinari curat, examine peracto Canonicus induitur Cappa manutenens virgam, & in hac pompa a Scholastico ducitur ad Capitulum facta de studiis bene finitis testimonii perhibitione, quibus præviis Canonicus ad locum Disciplinæ remittitur, subjiciturque pænitentiæ, cujus relaxationem & reconciliationem denuo petunt consanguinei, & dum Camerarius interea soluta esse emancipationis Jura significavit, Capitularibusque in admissionem consentientibus disciplinatus ac emancipandus tecto Capite, & nudis pedibus in nigris virgam manu portans accedit Capitulum, ubi prostratus in terra in forma crucis extensus tamdiu permanet, donec Decanus & Canonici Psalmum, *Deus misereatur nostri* cum collecta & versiculo legerunt, & inter legendum Decanus trina vice prostratum virga percutit, quibus peractis Canonicus redit ad locum disciplinæ, ac indutus vestimentis suis ordinariis accedit Capitulum, ubi locus neo-Capitulari assignatur præstito Juramento, quod omnia sigillo majori signanda servare velit. Eadem fere observari in Ecclesia Paderbornensi constat ex DECRETO *Concilii Imp. aulici* de a. 1754. in causa Baronis de Wenge contra Baronem de Fürstenberg, ubi formalia: werden die von &c. zugefertigte Befehle und *rescripta*, und was darauf mit dem Kappengang und *Emancipation* des Freyherrn von Fürstenberg vorgenommen worden, *authoritate Cæsarea* hiermit *Cassirt*.

In Ecclesia Merseburg. petita emancipatione intra 6. Septimanas certus pro emancipatione assignabatur dies, ubi Scholasticus eum emancipavit hac formula: *ego N. Te N. qui Juribus, & consuetudinibus Scholasticis, vel alii potestate hactenus subjectus fuisti, emancipo, & ab his liberum pronuncio in nomine Patris &c.* quo prævio assignabatur locus in Capitulo.

In Diœcesi Moguntina nullus fere emancipationis ritus singularis est cognitus, sed petita emancipatione, solutisque juribus a Scholastico emancipationis testimonium expeditur.

e) De hac ad disciplinam missione in statutis Ecclesiarum frequens fit mentio, ex observantia quorundam Capitulorum spatio 6. Septimanarum detinendus est emancipandus, ut, siquis Canonicorum vel cum neo-Canonico vel ejus parentibus de juribus & præstationibus Canonicis exhiberi solitis lites habeat, hæ interea componantur, & hisce controversiis amice compositis demum dimittitur.

ſeparato clauſtri loco debuit degere certo tempore in ordinem pœnitentium redactus, certo etiam indutus veſtimento, ac ſpiritualibus vacare exercitiis, quo tempore elapſo quaſi iterum reconciliabatur a Decano, ac reliquæ communitati reſtituebatur. Peractis hiſce emancipatus ad ordines majores promovendus examinabatur denuo a Scholaſtico *f*) vel ab illis, qui pro hoc deputati fuerunt examine, & adprobatus pro ordinatione præſentabatur Epiſcopo: ordine majori Diaconatus, vel etiam Subdiaconatus, ubi ſuffecerat, imbutus, obſervatis obſervandis, humili plerumque pro receptione ad Capitulum ſupplicatione prævia, facta capituli deliberatione *g*) & admiſſione, præſtitoque Juramento de promovenda Eccleſiæ utilitate, præſtanda obedientia, & ſervandis ſtatutis ac conſuetudinibus cum certis denuo ritibus *h*) in Majorum Canonicorum conſortium

f) Supereſt hujus rei veſtigium hic Moguntiæ, ubi Scholaſticus Eccleſiæ Metropol. vel ejus officialis plebanus Eccleſiæ Metropol. adhuc eſt præfectus ſcrutinio ſeu examini ordinandorum, unde omnes ad ordines majores aſpirantes pro admiſſione ad examen debent illi offerre ſupplicam: examinatores ſunt Profeſſores Theologiæ, & variorum ordinum Lectores, munus actuarii peragit Ludimagiſter Scholæ Metropolitanæ Reverendiſſimo Scholaſtico ſubjectus.

g) In Eccleſiis Cathedralibus, dum Epiſcopus & Canonici Cathedrales adhuc in communi vivebant, ad recipiendum ad Capitulum & plenam præbendam tam Epiſcopi quam Capituli requirebatur conſenſus, & exinde etiam evenit, cur expoſt diviſione cum Epiſcopo facta per 6. Menſes collatio præbendarum plerumque relicta fuerit Epiſcopo & per 6. Menſes Capitulo.

h) Ritus conſueti in admiſſione ad Capitulum ex vita communi ſervati ſunt plerumque in Eccleſiis, & addiſci poſſunt ex ſtatutis Capitulorum, ſic in ſtatutis Capituli S. Alexandri Einbeccenſis, de quibus jam ſupra, habetur Can. 6. *quando aliquis Canonicorum eſt Decano & Capitulo legitime præſentatus, hoc modo procedendum: Decanus cum Canonicis præſentibus ſtabit vel ſedebit in loco Capitulari vel alibi, & recipiendus ſtabit ante eos, tum Decanus recipiet eum ad præbendam vacantem per verba ad hoc apta, videlicet: ad præbendam iſtam vacantem per mortem talis vel reſignationem liberam vel ad præſentationem N. & N. patronorum noſtrorum vice mea & Capituli recipio Te in Canonicum & in fratrem in Nomine Patris &c. deinde recipiet eum Decanus ad oſculum, extunc receptus faciet Decano obedientiam debitam ad Juſtitiam & gratiam, deinde deponat Juramentum in ſanctis Evangeliis in hæc verba: promitto me ſervaturum Juſtas & utiles conſuetudines Eccleſiæ, & ſtare pro Jure Eccleſiæ iſtius, in quantum ſcio, & valeo, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia: deinde inſtalletur per Decanum in Choro prædeceſſoris ſui.*

In ſtatutis Eccleſiæ Swerinenſis in Ernesti Joachimi de Westphalen *monument. ined.* T. II. p. 1974. legitur: *item quilibet Canonicus, cum primum recipitur in Canonicum & fratrem Eccleſiæ Swerinenſis, faciet obedientiam Decano*

tium admittebatur, assignato ipsi in Capitulo loco ac sede in Choro, ad plenam quoque admittebatur ab illo tempore præbendam Canonicalem, dum sua ipsi cellula in dormitorio fratrum, & mensa communis in Canonicorum refectorio assignabatur *i*) reliquorum emolumentorum, quoad vestes, consolationes &c. Capitularibus propriorum particeps.

§. XI.

An certus Capitularium & Domicellarium numerus determinatus fuerit illis temporibus.

Circa numerum Canonicorum Ecclesiarum tam Cathedralium quam Collegiatarum varia fuit disciplina, in aliis enim haud certus determinatus fuit numerus, sed pro circumstantiis ille augebatur, *a*) vel minuebatur, *b*) in aliis mox in

T 3

cano per osculum religione indutus ad gratiam & Justitiam complexis manibus, vel idem potest recipi per Seniorem Canonicum Decano absente, qui sibi stallum in Choro & locum in Capitulo assignabit, nec aliquis recipietur in Canonicum a Decano sine consensu Capituli, nec aliquis per Capitulum sine Decani præsentis.

i) Nullæ enim, prout ex monumentis fide dignis eruitur, tum temporis aliæ erant mensæ in plerisque fere Monasteriis Canonicorum, quam mensa capitularium, cui & Vicarii seu Capellani siqui aderant, accumbebant, & mensa Domicellarium in separato refectorio, & sic ab hac mensa quis translatus fuit ad illam.

a) Sic de Hincmaro Rhemensi scribit FLODOARDUS L. 3. c. 10. *præceptum Caroli de via, quæ impediebat ad claustrum Canonicorum S. Rhemensis Ecclesiæ amplificandum, quoniam & numerum eorundem Canonicorum augmentaverat, idem Dominus Hincmarus obtinuit.*

b) Ingenti sæpe numero fuerunt Canonici, sic testatur PETRUS BLESENSIS *Epist. VII. optatissimum sibi esse, nec se desperare, quin rursus Ecclesia Blesensis sua Collegialis ad priscum reflorescat numerum Canonicorum* 80. Et quidem tanto facilius erat, ut excresceret numerus eo tempore, quo in communi res Ecclesiæ possidebantur, & quo vitæ communis societas, frugalitasque paucis contenta, pluribus fratribus sufficiebat, adeoque se res habuit sicut in monasticis congregationibus, ubi nullo certo numero præfixo complures ob merita digni recipiuntur. INNOCENTIUS etiam TERTIUS in *Cap. X.* x. *de concess. præb.* manifeste commonstrat fuisse suo ævo Ecclesias, in quibus nec sectæ ab invicem erant præbendæ, nec certus & fixus numerus Canonicorum, ibi enim habetur: *utraque pars confessa est, quod in prædicta Ecclesia non erant distinctæ præbendæ nec Canonicorum numerum erat certus.* Unde & in Ecclesia Hastenensi jussit pontifex novos recipi Canonicos, si suppetant Ecclesiæ facultates, & sic patet tot admittendos fuisse Canonicos, pro quot reditus sufficiebant.

in prima fundatione *c*) vel saltem expost certus stabilitus fuit numerus ex Sectione præbendarum vel ex statuto, quod extorserat necessitas ea declinandi detrimenta, quæ ex nimio Canonicorum numero proficisci poterant.

§. XII.

c) In multis Ecclesiis neo-fundatis ab initio mox certus Canonicorum numerus determinatus fuit, sic, ut exempla allegem domestica, a Friderico Archi-Episcopo Moguntino Ecclesiæ S. Petri Moguntinæ constituti sunt XXI. Canonici, prout habetur in DIPLOMATE SIFRIDI I. Archi-Episcopi Mog. in JOHANNIDIS *Tom. II. Script. rer. Mog.* p. 460. Willigisus pro Ecclesia S. Stephani ordinavit Canonicos 36. conf. JOHANIDIS l. c. T. II. p. 514. & in *Diplomate* RUTHARDI l. c. p. 518. dicitur, quod Willigisus in Ecclesia S. Stephani honestum numerum fratrum constituerit. Theodoricus præpositus Ecclesiæ metrop. Mogunt. & postea Archi-Episcopus Trevirens. fundavit Ecclesiam S. Gangolphi pro 12. fratribus Deo famulantibus. Ecclesia S. Martini Bingensis fundata fuit pro præposito, & 12. Canonicis, Henricus Landgravius Hassiæ a. 1366. fundavit Ecclesiam collegiat. Cassel. pro 12. Canonicis, permisit tamen Capitulo ex bonis noviter acquisitis augere numerum Canonicorum, vel exinde meliorare 12. præbendas originarias testante diplomate in Kuchenbeckeri Anal. Hass. Collect. V. p. 39. in C. 9. de *Concess. præb.* INNOC. III. agit de Ecclesia, ubi numerus ex fundatione præfinitus fuerat, dum ibi dicitur: *primam ordinationem ejusdem Ecclesiæ fuisse, ut in ea 13. essent personæ, præpositus scilicet cum 12. fratribus.*

Concilium Ravenatense de a. 1317. ambitionem sive avaritiam execratur illorum, qui Carnalibus affectibus ducti agnatos suos intrudebant Cathedralibus Ecclesiis, Monasteriisque, prohibetque, ne quisquam ibi intra proximum triennium admittatur, nisi Episcopi vel Metropolitani licentia, voluitque, ut interim definiatur numerus Canonicorum & attemperetur modo facultatum Ecclesiæ. & Can. V. habetur: *præsente approbante concilio statuimus, quod de cætero nullus instituatur vel recipiatur in fratrem & Canonicum alicujus Cathedralis Ecclesiæ vel Collegiatæ vel Monachum alicujus Monasterii vel Canonicum regularem sine licentia speciali ordinarii loci ac Metropolitani. hoc statutum durare volumus usque ad triennium seu sequens concilium, infra quod æstimationes bonorum & redituum fient, ita, quod eorum facultatibus competens numerus ministrantium poterit taxari & statui, prout jura requirunt.* Ex quo Canone observare licet 1.) de admissione agi Canonicorum, perinde ut de Monachorum. 2.) Penes utrosque in Communi adhuc possessas fuisse res omnes. 3.) Tam apud Monachos, quam Canonicos eum præfigi numerum, qui modo facultatum respondeat. 4.) Ideo & subsequente *Can.* 8. mox sancitur, si Canonicorum regularium seu Collegialium Ecclesiarum fixus sit numerus, multo æquius esse, ut in Cathedralibus figatur, ita ut augeri deinceps non possit: *nisi Justa de causa, & de licentia ordinariorum suorum.* nec imminui, nisi ejusdem providentia, qui eo Jure utetur solus, ubi id Juris habet, ut solus eo fungatur munere: *ubi ad eos solos spectat.* Ubi moris erat ab Episcopis institui Canonicos, ibi Ecclesiæ plerumque nimio Canonicorum numero gravabantur: Itaque hoc Canone irritabantur Institutiones Canonicorum ultra

§. XII.

An vigente adhuc vita Communi in Ecclesiis Cathedralibus ac Colleg. occurrant Capitula Clausa?

Ex Descripto hactenus ex genuinis antiquitatum ecclesiasticarum monumentis statu Ecclesiarum Cathedralium & collegiatarum vigente adhuc vitæ Communis instituto satis jam evincitur incognita tum temporis plane fuisse Capitula sic dicta *clausa*, quorum conceptus supra §. I. propositus fuit, nec illa ad istius ævi disciplinam bene quadrasse, licet enim certus etiam esset Canonicorum seu fratrum in Ecclesia numerus, omnes tamen in regula Juniores seu Domicellares debitis instructi requisitis, Jure, ut suam peterent emancipationem & receptionem ad Capitulum, quæsito gaudebant, ita ut contingeret sæpius, prout adhuc hodie se res habet in Ecclesiis ratione Capituli non Clausis, ut nullus quandoque ad tempus plane adesset Domicellaris, sed omnes inter Capitulares numerarentur, quo in Casu etiam per tempus Scholastici quiescebat officium, donec vacantibus iterum præbendis novi crearentur Domicellares.

§. XIII.

Quando Cessarit Vita Communis Canonicorum?

Cum igitur durante vita Communi incognita fuerint Capitula Clausa, sic prona fluit consequentia origines illorum demum in temporibus sublatæ iterum vitæ Communis Disciplinæ quærendas esse, adeoque resolvenda erit prius quæstio præjudicialis, quando cessarit vita communis Canonicorum in Germania? verum nec generalis eatenus dari potest responsio, nam successive demum, prout paulatim Zelus primævus refrigescebat, hujus vitæ institutio desiit, & non eodem in omnibus Ecclesiis tempore; circa medium

tra præfixum semel numerum susceptæ, jubebanturque Episcopi suis expensis sustentare eos, quos contra hanc legem intruserint. Idem sancitum est in CONCILIO PALENTINO a. 1322. *Cap.* 9. *in Ecclesiis tot secundum Canones instituendi sunt clerici, quot possunt de earum reditibus commode sustentari.* Quod eodem sæculo XIV. necdum in omnibus Ecclesiis certus Canonicorum numerus determinatus fuerit, & in variis adhuc debuerit obtinuisse vita communis, patet ex CLEMENTIS V. Pontificis Bulla data Archi-Episcopo Magdeburg. Burcardo a. 1308. vi cujus illi concessit Privilegium in omnibus Ecclesiis suæ provinciæ conferendi præbendam in JOH. CHRISTOPH. DE DREYHAUPT Beschreibung des Saal-Creyses p. 818. n. 249. ubi conceditur facultas conferendi præbendam *in illis Ecclesiis, in quibus certus Canonicorum numerus, & distinctio præbendarum existunt, . . . in illis vero, in quibus hujusmodi Canonicorum & præbendarum distinctio non habetur, faciendi hujusmodi personis taliter ibidem receptis de communibus eorundem Ecclesiarum proventibus, sicut aliis illarum Canonicis provideri.*

dium Sæculi X. nonnullos ad vitam singularem abjecta vita Communi convolasse, ex illius ævi monumentis constat, *a*) & in specie de Germaniæ Ecclesiis scribit TRITHEMIUS in Chron. Hirsaug. ad a. 977. *anno isto moritur Theodoricus Archi-Episcopus Trevirens. sub quo Canonici Majoris Ecclesiæ ibidem abjecta regulari vita, quam hucusque in eadem Ecclesia majores eorum continuaverant, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & conversatione sæculares, quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirensis, & S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses & Wormatienses & complurium aliarum Ecclesiarum diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu regularem vitam abjecerunt.* Hos successive alios secutos fuisse scriptores sæculi XI. & XII. abunde testantur veluti IVO CARNOTENS. *Epist.* 60. STEPHANUS TORNACENSIS *Epist.* 160. in aliis autem Ecclesiis serius vita Communis deposita fuit, *b*) & quod in specie in Ecclesia Metropolit. Mogunt. & reliquis Ecclesiis Collegiatis Mog. cessarit demum Sæculo XIII. vita Communis, deduxit D. PRÆSES in allegata *commentatione de Moguntino S. Martini Monasterio* §. 20. p. 33. licet autem circa medium Sæculi X. vita communis in variis Germaniæ Ecclesiis potissimum Cathedralibus cessarit, non tamen exinde sequitur illo adhuc sæculo mox introducta fuisse Capitula *Clausa.* an

a) Conf. ALEXANDER NATALIS. T. VI. *hist. Eccles.* p. m. 136. edit. Paris. de a. 1730. sublatio vitæ Communis in Ecclesiis Cathedralibus pedetentim facta, ab initio enim Episcopi cum Capitularibus eadem mensa utentibus se separarunt a Capitulo, dum Episcopis singularis mensa propriis reditibus instructa fuit, & illi sua assignata sunt bona mensalia, vulgo Kuchen-Güter; alia autem Ecclesiæ bona pro separato Capitularium in Communi tamen adhuc viventium patrimonio determinata fuerunt tandem & Capitularibus displicuit vitæ Communis disciplina, & illi separatas habitationes prætulerunt, prætendentes Communionem esse matrem rixarum.

b) Quod in Ecclesia Cathed. Frising. adhuc circa medium Sæculi XII. viguerit vita communis, patet ex statutis OTTONIS FRISINGENSIS de a. 1158. in LUNIGII *Spicil. Eccles.* P. II. p. 233. ubi ait prædictus Præsul: *consultis venerabilibus D. Henrico Ajacyntio R. E. Cardinalibus & legatis, qui hoc tempore in regno Teutonico legatione fungebantur, & eorum adhibita auctoritate... antiquas & rationabiles Ecclesiæ consuetudines, quæ, ut dicitur, legem imitantur, volumus, ut a fraternitate vestra, videlicet modum Psallendi in Choro, reverentiam in Capitulo, dormiendi in dormitorio ab omnibus observari exceptis infirmis & his personis, quæ speciali jure exemtionem defendere possunt. Contemtores regulari disciplinæ subjaceant... de stipendiis, quæ ad communem præbendam pertinent... ad communem fratrum utilitatem deputentur.* Pariter in *statutis* Ecclesiæ cathedr. Mindensis de a. 1230. in LÜNIGII *Spicil. Eccl.* 3ten Theil. Fortsetzung *Contin.* 3tæ p. 57. Statuitur, *quod præcipue in choro, refectorio & dormitorio honeste, modeste & disciplinate se habeant, qui autem aliter se habent, a Decanis pro qualitate commissi graviter puniantur.*

an Sæculo XI. vel XII. quædam jam extiterint? ex defectu monumentorum mihi determinare non licet, interim clarissima capitulorum clausorum vestigia Sæculo XIII. occurrunt, & vetustissimum quidem ac primum, quantum mihi multa adhibita industria indagare licuit, deprehendi vestigium in STATUTIS Ecclesiæ Cathedral. Swerinensis de a. 1238. in TOBIÆ ERNESTI DE WESTPHALEN *Monum. ined.* T. II. p. 1974. in qua Ecclesia tum temporis vitæ communis institutum jam cessaverat, de cœtero ibidem legitur: *item Cellarius ministrabit de reditibus ad panes præbendales deputatis XII. præbendatis, scilicet Præbenda in Rubenow, præbenda Domini Episcopi, & X. præbendis Majoribus per Ducem instauratis qualibet septimana, nulli tamen dabitur panis præbendalis, nisi habenti proprias expensas Swerini, & in propria curia residenti, nec non tres servientes videlicet Scholarem, unum servum, & unum coquinarium secum tenenti.... item receptus in Canonicum non intererit Capitulo, nisi in majoribus ordinibus, & in* PRÆBENDA, CUI HOC COMPETAT, *constitutus*, ex quibus verbis manifestum est 1.) quod tempore prædictorum statutorum a. 1238. jam cessarit vita communis, cum separatam Canonicorum œconomiam inhabitatio propriæ curiæ, & obligatio tenendi pro servitio Scholarem, servum, & coquinarium satis probent. 2.) aderant in prædicta Ecclesia plures Canonici, verum ex illis tantum duodecim habebant præbendas majores, & panes præbendales ac votum in Capitulo exclusis reliquis a voto Canonicis, dum expresse dicitur, *quod receptus in Canonicum non debeat interesse Capitulo, nisi sit in præbenda, cui hoc competat.* Adeoque nullus ex Domicellaribus, nisi una ex prædictis 12. majoribus præbendis provisus ad Capitulum potuit aspirare, quod magis adhuc confirmatur per ea, quæ subsequuntur: *item Canonicus nondum ad Capitulum receptus poterit, si voluerit, ratione Canonicatus ad summum altare celebrare, cantare, ac legere in ambone*, ex quo denuo fluit, quod Canonici licet in majoribus constituti, tamen non fuerint recepti ad Capitulum, nisi simul unam ex prædictis 12. præbendis majoribus obtinuerant. Denique ibi disponitur: *item nullus eligetur in præpositum vel Decanum, nisi habeat vocem in Capitulo*, ex quo denuo patet, quod licet ex Canonicis extra-Capitularibus capaces extiterint, tamen non nisi ex Capitularibus eligi poterant præpositus vel Decanus. in eodem Sæculo XIII occurrunt varia alia exempla Capitulorum clausorum in Diœcesi Mogunt., dum eodem ævo Capitula in Ecclesia Metropol. Mogunt. & in variis collegiatis fuere clausa, & quod in Ecclesia Metropol. Trevirensi aliisque Ecclesiis ejusdem Diœceseos Sæc. XIII. vel saltem sub initium Sæculi XIV. pariter introducta sint Capitula clausa, ex variis rationibus suspicari licet. *c*)

§. XIV.

c) In SYNODO *Colon. autumn.* de a. 1338. C. 3. in HARTZHEMII *Collect. Conc. Germ.* T. IV. p. 419. pariter occurrit vestigium Capitulorum clausorum in Diœcesi Colon. dum dicitur: *cum in quibusdam nostræ Diœcesis collegiatis Ecclesiis, in quibus nonnullæ minores, & quædam majores præbendæ existe-*

§. XIV.

Quid tempore secessus a vita Communi intuitu Capitularium & Domicellarium obtinuerit?

Dum vita communis canonica sublata fuit, bona Ecclesiæ plerumque in tres *a*) licet non semper æquales divisa sunt portiones; quarum una assignata fuit pro Ecclesiæ fabrica, altera pro pauperibus, tertia pro sustentatione Canonicorum: & quidem pro fabrica Ecclesiæ providere eo magis fuit necessarium, cum non solum omni ævo de templis & rebus ad cultum divinum necessariis prospexerint Canones, *b*) sed & Sæculo XI. & sequentibus Basilicæ, quæ magna ex parte adhuc supersunt more quidem gothico, sed tamen satis splendidæ conditæ fuerint, nec non suppellex Ecclesiastica pro cultu divino destinata, & in Thesauris multarum Ecclesiarum usque ad novissima tempora conservata pretiosa satis fuerit, pro quorum omnium conservatione, uti & cera, oleo, ac similibus haud exiguis opus fuit impensis. II. & sua quoque pauperibus merito assignata fuit portio, durante enim adhuc vita communi, quia bona Clericorum superflua semper pro bonis pauperum habita sunt, sic multi laici pauperes & peregrini sua, sicut in Monasteriis, ita & in claustris Canonicorum accepere alimenta *c*) & inde

existere dignoscuntur, & ad Majores peripsas minores gradatim ascensus consuevit haberi sic quod senior in gradu minores obtinentium præbendas Majorem præbendam vacantem adoptare potest secundum consuetudinem ibi hactenus observatam. Multa adhuc accuratius circa hoc argumentum determinari vel saltem illustrari potuissent, si antiqua Ecclesiarum talium quoad Capitula clausarum Protocolla, & Bullas Pontificum seu Episcoporum confirmatorias licuisset inspicere, nullam vero talem Bullam confirmatoriam in amplissimis, quas sædulo pervolvi rerum Ecclesiasticarum Collectionibus deprehendi, nec ullius potui impetrare copiam.

a) In plurimis enim Ecclesiis Cathedralibus, prout didicimus ex veteribus monumentis, plerumque jam ante cessantem vitam communem sua portio jam extradita erat Episcopo, qui separatam suam jam instruxerat mensam, de quo supra, unde in nullam amplius venit divisionis partem. De cætero de hoc argumento conferri etiam potest JOH. PHILIP. SLEVOGT in Diss. *de Origine bonorum mensæ Episcopalis.*

b) Conf. VAN ESPEN in *J. Eccles. univ.* P. II. T. 16. c. 5. n. 1. seq. & ex protestantibus hoc argumentum attigerunt J. H. BOEHMER in Diss. *de sanctitate Ecclesiarum.* LYNCKER *de Juribus templorum.* CARRACH *de Jure condendi Capellas.* & REINHARD *de Jure Basilicarum.*

c) In *regula* CHROGANGI c. 34. agitur de Matriculariis, qui erant pauperes in Ecclesiæ Matricula descripti, ut aliquid exinde ad victum acciperent: & illis in Ecclesia Metensi per mensem duabus vicibus ad tertiam Lectionem & Instructionem sacram venientibus distribuebantur panes & certum pondus lardi

de plerumque penes Ecclesias Cathedrales & majores erecta sunt pro pauperibus, infirmis, ac advenis Nosocomia, & reges Francorum ac Germanorum tanquam advocati speciales, quibus in genere ex Jure advocatiæ proprio Jus ad alimenta, seu albergariæ competebat, suo nomine ex hoc titulo ad Monasteria & Ecclesias Canonicorum præsentarunt laicos pauperes vel milites decrepitos, ut suam ibidem acciperent sustentationem. *d*) alibi pro pauperibus laicis certæ fundatæ sunt præbendæ, cujus rei vestigia aliqui superesse credunt in Ecclesia Cathedrali Spirensi, ubi adhuc supersunt præbendarii laici sic dicti: die Stuhl Brüder. *e*) Alibi accepere pauperes certa Ecclesiæ prædia fruenda per modum precariarum. *f*) Dum igitur vita communis cessavit, sic pauperibus antea ab Ecclesia sustentatis sua quoque ex bonis Ecclesiæ assignata fuit portio: & hujus rei indubitata denuo deprehendimus monumenta in Ecclesia Metropol. Moguntina, ad quam olim spectavit adhuc hodie superstes *hospitale ad S. Spiritum*, quod alias exstructum erat penes Ecclesiam majorem in immunitate ejus, dictumque fuit *hospitale infirmorum*, quod autem eodem fere tempore, ubi cessavit vita communis in Ecclesia Metropolitana Mogunt., a Sifrido III Archiepiscopo Mog. a. 1236. cum consensu Metropolitani Capituli translatum fuit ad ripam rheni juxta Capellam S. Gereonis cum suis reditibus, & quia pro pio more illis temporibus recepto Nosocomia spiritui sancto dedicata fuerunt: *g*) Sic postea induit nomen *hospitalis ad S. Spiritum*, & nomen Eccle-

U 2 siæ

lardi vel casei, quæ latius prosequitur CALMET dans *l'histoire Eccles. & civile de Lorraine.* T. I. p. 523.

d) Et in hisce latet genuinum fundamentum Juris Imperatoris, quo adhuc hodie certa ratione gaudet, dandi litteras oblationis vel alimentorum collativas ad certa monasteria, & Ecclesias Canonicorum vulgo *panis* Brieff, de quo Jure in Gallia pariter recepto agit VAN ESPEN l. c. P. II. Tit. 25. c. 9. n. 24. seq. Conf. PFEFFINGER *in Vitriario Illustr.* Tom. III. p. 86. MOSER in dem Staats-Recht L. 2. c. 33. & ejus additam. nec non Tom. I. *Diss. miscell.* von dem Recht der Römischen Kayser *panis* Brieff auf die Stiffter und Clöster im H. R. Reich zu ertheilen p. 2. & LUDEWIG in Diss. *de Jure valetud. milit. emerit.* verum necdum pro rei dignitate excultum est elegans hoc argumentum, unde illud opportuniori reservamus tempori.

e) In Diplomate Caroli IV. dicuntur *Elemosinarii* S. R. I. quæ autem præbendæ non tam ex reditibus Ecclesiæ Cathedralis Spirensis, quam potius ab ipsis Imperatoribus fuerunt fundatæ, de quibus infra adhuc erit loquendi occasio.

f) Conf. COMMENTATORES ad Tit. XIV. Juris Canonici & MUSBURRET *de Precariis.* JANUS in Diss. *de affictu* & de hisce omnibus ex professo egerunt THOMASINUS l. c. P. III. L. 3. c. 26. seq. JOH. LAUNOJUS *de cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus* OPERUM T. II. P. II. p. m. 568. seq.

g) Ut scilicet spiritus S. Septem suis donis succurreret varia ratione infirmis, & potissimum spiritus pacis regnaret inter tot variæ indolis homines, sit spiritui

siæ S. Gereonis oblivioni datum fuit; vestigium autem nexus hujus hospitalis cum Ecclesia Metrop. Mog. adhuc hodie superest, dum illud subest Reverend. Capitulo, & Reverendissimus Scholasticus p. t. ejus est provisor. pro peregrinis fundatum similiter *hospitale S. Catharinæ*, curæ Reverendissimi Ecclesiæ Metropolit. Decani commendatum est, & *S. Alexii hospitale* pro moribundis famulis fundatum, pariter adhuc a Reverendissimo dependet Capitulo. Quod denique III*tiam* concernit bonorum Ecclesiæ partem, sic illa pro sustentatione Canonicorum fuit destinata, ac in primis ædes, quæ ad Ecclesiam spectaverant, seu curiæ pro habitatione singulis designatæ sunt Canonicis, sustentationis loco autem partim fundi ad Ecclesiam spectantes per modum præbendarum inter Canonicos sunt distributi relicta cuivis cultura, ac administratione, partim autem res non bene divisibiles veluti Decimæ, census & fructus alii ab officiali colligendi inter Canonicos pro numero præbendarum, distribuendi erant; sicut autem integræ præbendæ assignatæ sunt Capitularibus, sic sua quota pro sustentatione assignata quoque fuit Domicellaribus, ratione quorum autem non una in omnibus Ecclesiis facta est dispositio, in aliis enim minores præbendæ *b*) illis sunt assignatæ, in aliis præbendæ dimidiatæ, ut dimidiam præbendæ capitularis partem acciperent, in aliis denique æquales præbendæ omnibus tam Capitularibus quam Domicellaribus sunt assignatæ, ita ut hi saltem a voto in Capitulo & Stallo in Choro certisque emolumentis Capitularium essent exclusi: Sicut autem cessante vita communi tam Capitularibus, quam Domicellaribus de præbendis fuit prospectum, sic dignitatibus in Ecclesia stabilitis veluti præposito, Decano, Scholastico &c. plerumque separati sui assignati sunt reditus cum certis curiis, nec non eodem tempore vel primitus fundatæ vel plures superadditæ sunt vicariæ, & cuivis vicariorum sua quoque assignata fuit præbenda. Certa deni-

ritui S. dicata sunt Nosocomia, unde adhuc hodie per Germaniam & Italiam tot hospitalia hoc titulo sunt insignita, & inde etiam Sifridus Archi-Episcopus Mog. in Diplomate desuper concesso disposuit, ut Ecclesiastici pariter ac Sæculares in prædictum hospitale recepti *S. Spiritui quoad vixerint, in religionis habitu, famulari debeant*, & inde etiam hospitalis hujus Magistrum olim simulacrum S. Spiritus togæ suæ affixum gestasse in antiquis domus ordinationibus annotatum legitur. Conf. SERRARIUS cum Notis JOHANN. p. 82. sigilla etiam Nosocomiorum referre spiritus S. imaginem satis innotescit.

b) Unde & in plurimis Ecclesiis adhuc hodie tenuiores habent reditus pro præbenda Domicellares, & spe saltem gaudent, fore ut suo tempore ad senium & Capitulum pervenientes majores acquirant reditus, & eandem ob causam Domicellarium præbenda tantum est causativa fructuum, quin ob non residentiam procedi possit ad privationem beneficii, & nolentes haud adstringantur ad residentiam, prout bene annotavit NELLER in cit. Diss. *de varietate resident. Canon.* §. 21. in nota.

denique fructuum portio pro distributionibus quotidianis reservata fuit; & hæc est genuina vitæ communis sublatæ series fidei historicæ innixa: licet autem in Ecclesiis more recensito respectu Capitularium facta divisione cessarit plane vita communis, non tamen illa mox cessavit indistincte quoque ratione Domicellarium, sed respectu horum in multis Ecclesiis servata fuit per tempus saltem pristina disciplina, ut Scholasticus præbendarum Domicellarium haberet procurationem, & in communi illos sustentaret, vel saltem necessaria alimenta illis procuraret. *i*)

§. XV.

De Canonicis in herbis & floribus variarum Ecclesiarum Germanicarum.

Præter recensitos hactenus Canonicos Domicellares suis præbendis Domicellaribus instructos datur in Germania adhuc alia species Canonicorum quasi expectantium, qui vulgo *Canonici in herbis* dici solent: Sublata scilicet vita Communi & distributis inter Canonicos Ecclesiæ fundis ac reditibus, plures sæpe quasi supernumerarii admittebantur Canonici ad officium & ministerium Eccles. locumque in Choro & Capitulo, quam adessent præbendæ, unde in duas sæpe dividebatur partes præbenda, ac inter duos distribuebatur, dum cuivis per modum præbendæ dimidia dabatur portio vel alter eorum ad tempus spe obtinendæ primum vacaturæ præbendæ sustentabatur. *a*) Istæ vero expectativæ vel præbendarum Sectiones, quæ origineтenus augendo tantum ad majorem Ecclesiæ splendorem Canonicorum numero inserviebant, nec ullis obliquis suspicionibus aut reprehensionibus obnoxiæ videbantur, tanto successu temporis ob ambitionis & avaritiæ perversitatem aliosque abusus exponebantur despectui,

i) Imo adhuc Sæculo XV. Scholastici in variis Ecclesiis fruebantur præbendis Domicellarium, & illos exinde sustentarunt, prout patet ex *statutis* Ecclesiæ Equestris S. Albani Mog. a. 1442 a Theodorico Archi-Episcopo Mog. confirmatis in JOHANNIDIS *script. rer. Mog.* T. II. p. 777. ubi habetur: *Item quod si continget me Scholasticum infra primos duos annos aliquem Domicellum in domum meam evocare, ex tunc etiam teneo, & teneor ac volo dimidios fructus illorum duorum annorum Domino nostro Archi-Episcopo Mogunt. p. t. existenti pro rata exsolvere sine damno dicti Domicelli sic per me vocati. de residuis vero fructibus & super extantibus dictæ præbendæ Domicellaris, & de cottidianis distributionibus teneor ac debeo, ac volo eundem Domicellum in meis expensis decenter tenere, ac vestire & Calceare, si vero idem Domicellus aliquid de præsentiis neglexerit, hoc tenetur mihi tanquam debitum legitime contractum resarcire.*

a) Exinde enata est realis distinctio inter *Canoniam & præbendam*, dum antea omni Canoniæ annexa fuerat præbenda vel minor vel major, cujus etiam mentio fit in Constitutione Alexandri. IV.

ut Decretis Synodalibus multarum provinciarum provisum, cautumque fuerit, ne amplius præbendæ in Ecclesiis dividerentur, nec ullus amplius locus esset expectativis, & ne incertus; sed fixus certusque in quavis Ecclesia esset Canonicorum: numerus *b*) CONCILIUM GENERALE LATERANENSE III. a. 1179.

b) Sic ARNOLDUS Archiep. Mog. in *diplomate* a. 1160. Ecclesiæ S. Martini Bingensi concesso in L. B. DE GUDENUS *Cod. Dipl.* T. III. p. 1059 *liberam electionem firmam & in perpetuum stabilem in fratribus eligendis & suscipiendis* tantum cum vacaverint præbendæ, *eidem Ecclesiæ donavit:* adeoque expresse inhibuit expectativas. Et in STATUTIS *Ecclesiæ Mindens.* de a. 1230. in LUNIGII *Spicil. Eccles.* 3ten Theils Fortsetz. *Contin. 3tiæ* p. 57. legitur: *item statuimus, ut numerus* 24. *Canonicorum majorum inviolabiliter servetur, ita, quod nullus nisi vacante præbenda quavis astutia eligatur ibidem, nec ad vacantem eligatur aliquatenus nisi unus; quodsi una vacante plures fuerint electi votis fratrum in plures divisis, ille præbendam obtineat, quem sententia ab ordinario promulgata dictaverit obtinere, vel qui solus remanserit cedentibus aliis sine lite, omni pactione, omni arbitrio & quovis alio modo penitus relegatis.* Et VOLQUINUS Episc. Mind. a. 1279. l. c. p. 58. Statuit, ut nullus admittatur in Diœcesi Mind. ad præbendam non vacantem. In CONCILIO apud Castrum Guntherii celebrato a. 1231. *Can.* 6. seq. disponitur, *quod, ubi non est certus numerus Canonicorum, statuatur, ne fiat Ecclesiarum Sectio, vel præbendarum, sed cum integritate conferantur, nec aliquis de cætero in Ecclesia Cathedrali instituatur ad vacaturam præbendam.* Eadem Statuta innovavit CONCILIUM *Salmuriense.* a. 1253. quod concernit concilia Germanica sic in CONCILIO COLONIENSI de a. 1260. celebrato in HARZHEMII *Collect. Concil. Germ.* Tom. III. p. 588. C. 13. ordinatum fuit: „Illis „Ecclesiis, quæ plurium clericorum receptionibus ad vacatura beneficia sunt „gravatæ, secundum Constitutionem Alexandri Papæ quatuor ex receptis „ante ipsam provisum de præbendis, quæ post constitutionem prædi„ctam vacaverunt, vel vacabunt; ubi necdum quaternarius est com„pletus, alii ultra numerum ipsum existentes habeantur pro cassatis, „nec aliquo modo ex tali receptione a præposito, Decanis & Capitulis „Ecclesiarum pro Canonicis vel præbendariis admittantur.„ In CON„CILIO PROVINC. MOGUNT. a. 1261. celebrato l. c. T. III. p. 596. C. 29. statuitur: *nullus in Canonicum eligatur beneficio non vacante, nisi Justa necessitas vel utilitas Ecclesiæ id postularit, & tunc unum tantum & non plures adsumi permittimus.* Id quod ex Concilio Aschaffenburg. adductum confirmatum fuit in *Statutis Synodal.* PETRI Archiepiscopi Mog. de a. 1310. in LUNIGII *Archivio J. Spicil Eccles.* Contin. II. p. 48. In SYNODO PRAGENSI 1355. habita in Harzhemii T. IV. p. 381. C. 30. prohibetur, *ne Capitulum Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ aliquem non vacante præbenda in canonicum recipiat, nisi evidens Ecclesiæ utilitas id exposcat, quam suo Episcopo exponere tenebitur* in STATUTIS SYNOD. *Nicodemii Episcopi Frising.* a. 1440. conditis in LUNIGII *Spicileg. Eccles.* P. II. *Archiv. Imp.* T. 17. p. 241. §. 8. habetur; „Ne per receptionem Canonicorum præbendis „non vacantibus alienæ mortis votum turpiter ingeratur, statuimus, ut de „coete-

a. 1179. ſub Alexandro III. Pontifice celebratum *Can. 8.* relatum in Cap. II. x. *de conceſſ. præb.* prohibuit ſimpliciter: *ne Eccleſiaſtica Miniſteria ſeu etiam beneficia vel Eccleſiæ alicui, antequam actu vacarent, tribuantur, ſeu promittantur, ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium crediderit ſucceſſu-*

„cœtero nullus recipiatur in Canonicum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, nec „alicujus alterius collegiatæ noſtræ Diœceſis, niſi vacaverit præbenda, „quæ illi, qui aſſumitur in Canonicum aſſignetur, alioquin receptio in Con„trarium facta nulla ſit ipſo facto, niſi facta fuerit de licentia noſtra Spe„ciali.„ Et in *Synodo* a. 1451. a THEODERICO Archiepiſcopo Mog. celebrata in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccleſ.* contin. II. p. 84. inter corruptelas adducitur, *quod in nonnullis Eccleſiis provinciæ Mogunt. tam Cathedral. quam collegiatis peſſimæ & juri divino & poſitivo ac rationi contrariæ vigeant, & ex corruptela introductæ ſint conſuetudines præſertim in nominando perſonas ante vacationem beneficii & ſæpe puero ſine diſcretione ante quartum decimum annum, habendo minime reſpectum ad Eccleſiam & Dei cultum, ſed potius ad carnem vel aliud commodum &c.* & hæc conſuetudo ibidem damnatur.

In *Statutis Synod.* a. 1480. a SIXTO Epiſc. Friſing. conditis in LÜNIGII l. c. *Spicil. Eccleſ.* Cont. III. p. 1058. *ne per receptionem Canonicorum præbendis non vacantibus alienæ mortis votum turpiter ingeratur, ſtatuitur, ut de cetero nullus recipiatur in Canonicum Eccleſiæ cathedr. in aliqua collegiata dictæ Diœceſis, niſi prius vacaverit ſtipendium præbendale, quod illi, qui aſſumitur in Canonicum aſſignetur, alioquin receptio in contrarium facta nulla ſit ipſo facto, niſi facta fuerat de licentia Epiſcopi ſpeciali.* Denique in *ſtatutis Synod.* Cardinalis & Epiſcop. Conſtans. MARCI SITTICI de a. 1568. in LUNIGII l. c. *Spicil. Eccleſ.* Cont. II. p. 560. C. X. diſponitur: „Cum gratiæ illæ, quas „expectativas vocant, ad Canonicatus & beneficia vacatura per ſacrum Con„cilium Trident. ſublatæ ſint, ita ut amplius nemini, etiam Collegiis, uni„verſitatibus, ſenatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine in„dulti, aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi, nec hacte„nus conceſſis cuiquam uti licere, atque non ſolum noſtra cathedralis, ſed „& quædam collegiatæ Eccleſiæ Epiſcopatus noſtri, certum exſpectantium „hujusmodi numerum habere conſueverint. Ut igitur ejusdem concilii De„creta debite exequamur, nos ejusmodi exſpectantias omnes, in Eccleſiis „Collegiatis, hac noſtra conſtitutione tollimus & volumus, ut impoſterum „Canonicatus Vacantes nonniſi adultis & juxta Decreta Sacrorum Canonum, „& præſertim Concilii Tridentini qualificatis conferantur: alioquin Collatio „aliter facta ſit nulla & invalida.' Attamen Capitulo Cathedralis Eccleſiæ no„ſtræ, ob protectionem & favorem Catholici ordinis Equeſtris, quibus ean„dem Eccleſiam noſtram hactenus proſecutus eſt, & impoſterum, ut ſpera„mus, proſequetur, ſub ſpe approbationis Sanctiſſimi Dni noſtri Papæ per„mittimus, ut eum numerum exſpectantium, quem hucusque habuit, reti„neat, ea tamen conditione, ut tales Exſpectantes Clerici ſint, atque in Se„minario noſtro vel in aliqua Univerſitate Catholica ſtudeant, bonisque Lit„teris incumbant.„

cessurum; cum enim id etiam in ipsis gentilium legibus inveniatur prohibitum, turpe nimis est, & divini plenum animadversione Judicii, si locum in Dei Ecclesia futuræ successionis expectatio habeat, quam etiam damnare ipsi gentiles homines curaverunt. Decretum hoc occasione litis circa præbendam Ecclesiæ Tridentinæ enatæ inter Canonicum quendam & Capitulum Trident. ex parte modificavit INNOCENT. III. Pontifex in *Decretali* data a. 1210. & relata in Cap. 8. Tit. cit. ubi, cum quis in Canonicum Ecclesiæ Trident. sed sine præbenda receptus petivisset præbendam provocando ad possessionem Canoniæ, & quod hucusque locum in Choro & Capitulo habuerit, Capitulum vero excepisset, in Ecclesia Tridentina certum esse Canonicorum numerum, & receptionem Canonici actoris tanquam exspectativarii factam esse contra prædictam Concilii Lateranensis Constitutionem, Decrevit pontifex, ut actori Canonico, quum primum se facultas obtulerit, præbendale beneficium in Tridentina Ecclesia conferatur, *cum, ex quo receptus est in Canonicum, non deberet Carere præbenda.* Adeoque Innocentius III. promotiones ad vacatura beneficia & expectantias Canonicorum non præbendatorum ad præbendam certo modo approbavit, & similis fere casus occurrit in Cap. 14. *x. de concess. præb.* ubi pariter approbatur promotio ad vacaturam præbendam alicujus ad Canoniam tantum admissi, ex ratione, quam pariter assignat Innocentius III. Pontifex, quod aliud sit prælatum promittere beneficii collationem, *cum poterit,* aliud *cum vacabit,* cum in multis Casibus facultas se offerre posset, in quibus collatio non esset in expectatione vacaturi beneficii differenda. Adeoque mens Innocentii III. eo redit, quod valeat promissio *in genere* conferendæ præbendæ vacaturæ, *cum poterit,* non vero valeat promissio *certæ præbendæ* Titii vel Sempronii, *cum vacabit; c)* cum autem per hanc Innocentii III. expectativarum permissionem, nimium cresceret Canonicorum expectantium numerus (prout conqueritur ALEXANDER IV. Pontifex in Bulla *execrabilis quorundam ambitio* data a. 1254. quæ extat in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* contin. III. p. 493.) & in nonnullis Ecclesiis decem, in aliquibus XX., in aliis vero pauciores & plures

c) Idem INNOC. III. Pontifex in *Bulla* ad Archiepiscopum Mog. SIFRIDUM II. data a. 1209. in LUNIGII *Arch. J. Spicil. Eccles. Contin.* II. p. 36. urgebat, ut Petro Viterbiensi conferatur possessio præbendæ in Ecclesia Metropol. Mogunt., cujus expectativa concessa fuerat a prædicto Archi-Episcopo, dum ait: „dilectus filius Magister Petrus Viterbiensis ..., proposuit, quod, cum „olim tu ... pro familiari gratia ... præbendam quæ primo vacaverit post cu„stodiam in Ecclesia Mogunt., ipsi liberaliter concessisti, „eoque de ipsa per „librum propriis manibus investito ad osculum pacis recepisti eundem in Ca„nonicum Mogunt. Stallum in Choro, vocem in Capitulo., locum in mensa „& integrum ei stipendium conferendo „ ac deinde hortabatur Pontifex prædictum Archi-Episcopum ad promissa servanda & ad concedendam possessionem corporalem. Verum non venit ad effectum hæc concessio partim ob defectum nobilitatis partim ob non servatam residentiam.

res Canonici fuerint recepti, numerus ille expectantium ad *quaternarium* fuit redactus, cassatis omnibus expectativis ultra prædictum numerum extantibus: cumque hæc constitutio data esset executioni in Ecclesia Metropol. Bremensi, dimissi autem expectantes nollent acquiescere Capitulum Bremense molestantes; contra illos ab eodem ALEXANDRO IV. data fuit BULLA dehortatoria a. 1257. quæ extat apud LUNIG. l. c. p. 954. n. 68. & CLEMENS IV. Pontifex a. 1267. expresse cassavit 6. expectativas illegitimas in eadem Ecclesia testante BULLA l. c. p. 956. n. 72. verum cum hac ratione motibus vix esset finis positus, cessarentque haud abusus, sic Bonifacius VIII. Pontifex, correxit Decreta Innocentii III allegata & ab Alexandro IV. modificata ac simpliciter omnes quocunque modo concedendas exspectativas & promotiones ad vacaturas præbendas inhibuit, easque datas tanquam nullas cassavit in Cap. 2. *de conceß. præb.* in 6to., cujus constitutio innovata fuit per *Tridentinum* Sess. 24 c. 19. *de reform.*

Præsuppositis hisce de Jure Ecclesiastico statutis, sicut jam tempore Innocentii III. pontificis contigit in Ecclesia Trident., sic pariter in multis aliis Germaniæ Ecclesiis obtinuit, & ex antiqua consuetudine adhuc hodie est receptum, ut admittantur Domicellares vel sine omni præbenda & reditibus, qui exspectativa Gaudent, & spe obtinendi suo tempore præbendam, & quia nudi saltem sunt expectativarii, sic plerumque nec frequentant Chorum, nec ministerium exhibent, cum tantum habeant Jus ad Canoniam, vel etiam, quod in paucis saltem obtinet Ecclesiis *d*) actu admissi ad Canoniam sine præbenda & in ordinibus majo-

d) Sic in Ecclesia Cathedrali Leodiensi multi tales dantur Canonici in herbis voto etiam in Capitulo gaudentes, sed sine præbenda, ratione cujus sunt expectantes. Quod etiam in Ecclesia Halberstadiensi fuerint Canonici mere expectantes sine præbenda minore seu Domicellari, patet ex *Statuto* de a. 1357. in LÜNIGII *Spic. Eccles.* P. II. Im Anhang p. 43. n. 43. ubi legitur: *in antea nullus Canonicorum nostrorum emancipari debet, nisi habeat ordinem Subdiaconatus & actu minorem præbendam: nec præsentiæ seu distributiones quotidianæ aliter conferri debent vel assignari, nisi primo ad minorem præbendam expectanti.* In *Statutis* Ecclesiæ S. Gangolphi Magdeburg. de a. 1624. in JOH. CHRISTOPH. DREYHAUPT Beschreibung des Saal-Creyses T. I. p. 342. habetur n. 3. Die beyde *Canonici*, welche keine *Corpora* haben, sondern derofelben allererst fähig werden, wenn ein jeder *ad mediam præbendam per ascensionem* ordentlich gelangen thut 2c.

In Ecclesia Metrop. Magdeburg. pariter præter Domicellares minori præbenda provisos erant *immatriculati* seu expectantes sine præbenda, qui in Capitulis generalibus vel aliis se sistere debebant, exhibere litteras nobilitatis & solvere pecunias Statutorum, præstareque Juramentum, prout discimus ex *statutis* Ecclesiæ Magdeburg. in JOH. CHRISTOPH. DREYHAUPT l. c. T. I. p. 485. n. 27. Sic pariter in Ecclesia Magdeburg. S. Nicolai fuerunt Canoni-

majoribus constituti admittuntur ad Capitulum, & ad stallum in Choro, adeoque actuales sunt Canonici Capitulares, gaudentque exspectativa, quod suo tempore, si ordo senii illos tetigerit, & præbendæ vacaverint, reditus & præbendam sint accepturi & tales descripti Domicellares, vel etiam respective capitulares,

ei expectantes sive immatriculati, prout patet ex ejusdem Ecclesiæ *Statutis* de a. 1699. in J. C. DREYHAUPT Cit. l. T. I. p. 490. ubi dabantur præbendæ majores & mediæ pro Capitularibus, minores pro Domicellaribus & denique admittebantur expectantes, qui in album Capituli referebantur & quorum primus & proximus ex hoc titulo vacantem impetrabat præbendam minorem: & Jus habuerunt ascendendi in turno prout ibi refertur: quoad ritum observabatur, ut soluta pecunia statut. flexis genibus ante mensam Capitularem in conclavi Capitulari procumbenti a Decano imponeretur biretum pronunciata formula: *eligo & recipio te in Canonicum hujus Ecclesiæ expectantem in nomine patris &c.* quibus finitis ad sedulitatem in precibus ad Deum fundendis, & ad diligentiam in discendis litteris & bonis artibus puer admonebatur, itidemque ad probitatem & obedientiam erga parentes, sive tutores & præceptores. In *statutis* Ecclesiæ Colleg. B. V. Wurcensis Dioecef. Misnens. de a. 15;5. n. 4. in LÜNIGII *Spicileg. Eccl. Contin. I.* p. 841. de expectantibus ejusdem Ecclesiæ hæc notatu digna leguntur: „Item statutum est, quod cum electio „seu receptio Canonicorum Generalis seu specialis in dicta Wurcens. Ecclesia „imminet facienda, Decanus, qui pro tempore fuerit, vel vacante Decanatu, seu Decano absente seniore de Capitulo indicere debet Capitulum super „hujusmodi electione seu receptione facienda de consensu Canonicorum vo-„cem in Capitulo habentium & ibidem præsentium, & ad certam diem con-„vocare absentes, qui sunt vocandi de jure & consuetudine & si in termino „assignato aliqui non venirent, nihilominus receptio & electio fieri poterit „per præsentes & tenebit ipsis omnibus consentientibus. Si vero unus con-„tradiceret, tunc fieri non debet, nec debebit receptio aut electio, nec in „speciali electione aut receptione plures recipi debeant aut eligi unavice, nisi „duo tantum, in generali tamen electione aut receptione quilibet prælatorum „& Canonicorum suum dabit, & illi omnes simul recipi possunt, & facta re-„ceptione aut electione in omnibus casibus prædictis nomina receptorum aut „electorum & cognomina scribantur in matricula post alios prius per capi-„tulum receptos quandocunque, ut nullo modo prius receptis debeant ante-„ferri. Matricula vero, in qua expectantes describuntur, debet sigillo Ca-„pituli esse sigillata. In generali autem receptione, aut electione, in qua „quilibet de Capitulo dare consuevit suum expectantem, tum præpositus, si „præpositus non esset Canonicus primo dabit suum, deinde Decanus, demum „antiquior Canonicus in Capitulo vocatione & ex assecutione præbendæ ma-„joris, & deinceps secundum ordinem quilibet suum dabit expectantem: & „secundum eundem ordinem in matricula prædicta debent vacaturas seu va-„cantes præbendas assequi, ita quod nullus alteri in assecutione præbendæ „præferatur ... volumus etiam, ut secundum consuetudinem hactenus incon-„cusse observatam expectantes gradatim assequi debeant præbendas ita: pri-„mus expectans ordinarius primam assequatur, & habeat juniorem primo va-„cantem ex morte vel resignatione, demum majorem.

lares, simplices autem Canonici in Germania dicuntur *Canonici in herbis*, illi autem, qui præbenda simul fruuntur in talibus Ecclesiis, dicuntur *Canonici in floribus aut fructibus.*

Si hæ expectativæ hactenus descriptæ ac observantiæ secundum rigorem *Capituli 2. de concess. præb.* in 6. & *Tridentini* unice dijudicandæ forent, utique tanquam nullæ ac illicitæ habendæ forent, verum cum illæ Ecclesiæ Germanicæ, in quibus tales expectativæ vigent, 1) pro se habeant *Jus Decret.* Gregorii IX. in cit. Cap. 8. & 14. *de concess. præb.* ubi permittuntur expectativæ generales intuitu illorum, qui solam obtinuerint canoniam in Ecclesia quadam nec non constitutionem Alexandri IV. & cum 2) non obstante constitutione Bonifacii VIII. pontificis tanquam Derogatoria Decretalium Gregorii IX. vetus illa consuetudo prædicto Jure Canonico antiquo suffulta illibate fuerit conservata, adeoque leges illæ noviores Eccles. receptæ haud fuerint, *e*) lex autem non recepta non obliget. 3) sequentes Bonifacium VIII. pontifices etiam scientes consuetudines prædictarum Ecclesiarum privatarum memoratæ sæpius observantiæ se haud opposuerint, 4) denique consuetudo etiam contra Jus commune ab antiquo retenta subsistat, *f*) sic patet expectativas quæstionis in variis Germaniæ Ecclesiis ab antiquissimis retro temporibus introductas pro nullis hodie haberi non posse, ubi autem adhuc notandum venit, quod nec in Germania valeant simplices promotiones præbendarum necdum vacantium, nudæ promissiones ac datæ expectativæ, sed solennis secundum mores receptos (*g*) requiritur admissio in numerum Domicellarium ad Ecclesiæ Canoniam a Capitulo facta.

X 2 §. XVI.

e) Constat inter omnes in Gallia nec VI*tum Decretalium* Bonifacii VIII. conf. ALEXANDER NAT. *hist. Eccles.* T. VII. edit. Paris. de a. 1730. p. 37. nec *Tridentinum* quoad Decreta reformatoria fuisse recepta, unde nec mirandum, quod in Germania unum vel alterum caput prædictorum Jurium non sit receptum, sic e. g. Decreta Tridentini quoad ætatem promovendorum ad beneficia, circa residentiam Canonicam, quoad ordines majores recipiendorum ad Capitulum, ac immunitatem Eccles. non ubique sunt recepta ne dicam mentem Tridentini quoad prohibitionem expectativarum, prout varii volunt, ad Domicellares haud collimasse.

f) Simile exemplum habemus in *precibus Episcopalibus*, quæ licet de se meræ sint expectativæ ad beneficia, justa tamen consuetudine in Germania introductæ merito sustinentur, de quo argumento alia occasione ex professo agendum erit, pariter huc certo modo spectat *Nominatio utilis*, cujus quoque juris vindicias nobis reservamus.

g) In Ecclesiis Cathedralibus, ubi requiritur nobilitatis deductio, debent tales expectantes solenniter mediante sponsione jurata nobilitatis vulgo Aufschwörung ad possessionem Canoniæ Domicellarem vel expectativam recepti esse.

§. XVI.

In regula & de Jure Ecclesiast. Communi Domicellares debita requisita habentes possunt petere admissionem ad Capitulum.

Si hodierna spectemus Jura communia Canonica, ut volentes aspirare ad Capitulum, prout per se patet, ante omnia possessionem Canonicatus vel præbendæ Canonicalis vacantis in Ecclesia legitime obtinuerint, necesse est: quænam autem sint requisita, ut quis præbendam in Ecclesia obtinere possit, dependet potissimum a consuetudinibus & statutis Ecclesiarum admodum variantibus: quod ante omnia noviter intrare volens Ecclesiam exhibere teneatur *titulum*, cujus vigore se recipi, & in Canonicum Ecclesiæ adscribi flagitat, veluti resignationem, provisionem papalem vel Episcopalem, præsentationem, patroni, vel alterius legitimi collatoris, preces Imperiales vel Episcopales &c. res ipsa loquitur, quod autem concernit qualitates Candidati 1) omnis irregularitas Domicellaris cessare debet, a) & potissimum in Germania in considerationem venit irregularitas ex vitio Corporis proveniens, dum statutis plurimarum Ecclesiarum potissimum Cathedralium arcentur gibbosi, monoculi, claudi, cœci, aut alia notabili corporis macula, aut animi deformitate laborantes: b) nec eatenus admittitur dispensatio Pontificia, prout constat ex famosa controversia in Ecclesia Cathedrali Constantiensi a. 1696. ratione Philippi L. B. de Berleps enata, cujus acta exhibet FABRI Staats-Canzley. P. II. p. 37. seq. c) similem

a) De hac materia integra prostant volumina veluti PAULI BORGARSII Tract. *de irregularitate, & impedimentis ordinum & beneficiorum Eccles.* Fr. FELICIANI *enchiridion de censuris Eccles. irregularit. &c.* SIMON. MAJOLI Tract. *de irregularitate & aliis Canonicis impedimentis.* VAN ESPEN *J. Eccles. Univ.* P. II. Tit. X.

b) In statutis Ecclesiæ Metrop. Trevirensis provide dispositum fuit, „quod, „siquis hujusmodi defectibus ignoratis nominatus, receptus & admissus fue-„rit, talis receptio, seu admissio pro inani, inutili ac nulla habenda sit, & „pro majori assecuratione ut huic malo seu errori imposterum mature oc-„curratur, si recipiendi in persona propria non comparuerint, solicitatores, „seu procuratores pro ipsis possessionem acceperint, statutum fuit, ut tem-„pore receptionis absentium procuratores eorum manu fide data nomine suo-„rum principalium stipulantes promittant, si in tempore receptionis suæ no-„tabilis aliquis defectus occultatus, & postmodum deprehensus fuerit, quod „receptio hujusmodi nulla, & receptus sine contradictione cedere, & a Canonicatu desistere debeat.„ Itidem in *statutis* Ecclesiæ Magdeburg. S. Nicolai statuitur: *omni corporis labe, defectu, & macula tam naturali, quam accidentali careat, cum primis etiam integræ mentis sit, atque animi eclypsin non patiatur.*

c) Nec dispensatio pontificis contra statuta Ecclesiarum Germ. cum contraria sit concordatis, etiam ex plenitudine potestatis in Cap. IV. X. *de concess. præb.* fun-

lem controverfiam in Ecclefia Verdunenfi refert PITAVAL *dans les causes celebres & interessentes avec les jugemens, qui les ont decidées.* T 8. p. 262. feq. pariter huc fpectat, fiquis alias habeat qualitates licet indifferentes, quæ in ftatutis illum excludunt ab impetratione Canonicatus, fic in *Statutis* Capituli Cathedralis Halberftad. de a. 1324. In LÜNIGII *Spicileg. Eccleſ.* P. II. Jm Anhang p 39. difponitur: *Item nullus de cætero eligetur in Canonicum Ecclesiæ nostræ, qui habeat fratrem in Ecclesia, etsi Episcopus fuerit frater ejus.* fic pariter in Ecclefia Metrop. Mogunt. duo fratres non poffunt eodem tempore habere præbendas: ratio fundatur in evitatione factionum, id quod magis adhuc elucefcit ex ftatuto GERHARDI II Archi Epifcopi Brem. de a. 1245. in LÜNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccl.* Contin. III. p. 953. n. 45. ubi legitur: *Quia multa solebant scandala, & inimicitiæ in Ecclesia nostra sæpius exoriri pro eo, quod aliqua prebenda in Ecclesia vacante carnalitatis affectu divisa fuerint vota, nos ad hujusmodi evitanda discrimina...sancimus, ne de cætero duo fratres carnales sive uterini in Ecclesia Bremensi in Canonicos assumantur:* quod ftatutum etiam confirmavit Pontifex INNOC. IV. eodem anno tefte Bulla l. c. n. 66. modificatum illud autem iterum fuiffe patet ex STATUTIS *Ecclesiæ Brem.* de a. 1617. in LÜNIGII l. c. p. 960. ubi ordinatur: *non admittantur imposterum ultra duos fratres Carnales vel uterini.* In prædicta Ecclefia Cathedrali Halberftad. per *Statutum* de an. 1593. excluduntur præterea illi, qui jam ante præbendam in eadem Ecclefia habuerunt, fed refignarunt, & 2) qui ante acquifitionem Canonicatus matrimonium contraxerant. Conf. LÜNIG l. c. p. 62. n. 80. in ejusdem LÜNIGII *Spicileg. Eccleſ.* P. II. p. 1058. extat confirmatio a Sixto IV. pontifice a. 1475. data *Statuti*, vi cujus in Ecclefia Cathedrali Auguftana excluduntur cives Auguftani, & eorum filii; & in Ecclefia Fritzlarienfi habetur ftatutum, quod Canonicus debeat probare per 4. generationes, fe non effe progenitum a parentibus, qui profeffionem artis illiberalis exercebant. In Ecclefia Metrop. Magdeburg. debet fimul gaudere præbendandus vitæ anteactæ honeftate, & illæfæ famæ teftimonio, & in STATUTIS *Synod. Magdeburg* de a. 1266. in LÜNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccleſ.* Contin. II. p. 252. excluduntur *Captivatorum & detentorum personarum Eccleſ. omnes posteri usque ad quartam generationem per lineam rectam tam masculinam quam fœmininam descendentes ab omni beneficio Eccleſ., nisi præstiterint satisfactionem debitam & congruam.* II. requiritur legitimitas ratione natalium per teftimonium legitimum in regula ex Protocollo Parochiali defumptum probanda, imo in quibusdam Ecclefiis potiffimum Diœ-

 cefeos

fundata in Germania admittitur, de cœtero de illa plenitudine poteftatis conferri poffunt, PETRUS DE MARCA *de concordia sacerdotii & Imp.* L. V. c. 25. §. 5. feq. LAUNOJUS P. III. *Epist.* 3. VAN ESPEN *de Dispensat.* c. II. §. 4.

ceseos Trevirensis legitimitas in quatuor generationibus *d*) probanda, quod maximas sæpius creat difficultates aspiranti ad Beneficium. III. cum præbenda donandus debeat esse in numero clericorum, sic per testimoniales seu sic dictas *formatas litteras* ordinantis probanda est saltem primæ tonsuræ collatio. *e*) Quoad ætatem quidem de Jure requiritur IV. pubertas, sed in plurimis Germaniæ Ecclesiis non observatur. *f*) IV. in Ecclesiis Metropoliticis, Cathedralibus, & Eque-

d) Ratio talium statutorum quærenda est in illis temporibus, ubi concubinatus vitium penes clerum adeo grassabatur, ad arcentos a beneficiis spurios Clericorum filios. In aliis Ecclesiis, etiam legitimati per subsequens matrimonium excluduntur, sic in statutis Ecclesiæ Cathedralis Lubecens. in ERNEST. JOACH. DE WESTPHALEN *monum. ined.* T. II. p. 2434. Tit. 15. legitur: *Statutum est solenniter, quod nemo in Canonicum recipiatur, nisi sit de legitimo matrimonio procreatus, & cujus parentes sui conceptus tempore matrimonialiter copulati extiterint.* In Ecclesia Metrop. Trevirensi excluduntur *spurii, vulgo nati aut illegitimi quicunque, etiamsi authoritate Apostolica, vel Imperiali legitimati fuerint. In statutis* Ecclesiæ Magdeburg. S. Gangolphi cit. Disponitur: Die Persohnen, so *eligirt* werden... sollen ihre Geburts-Brieff vorzeigen.... daß sie vom Vatter, und Mutter, auch vom Grosvatter, und Grosmutter ächt, und recht, und in der Ehe gezeuget, und gebohren. In confirmatione Privilegiorum & Statutorum Ecclesiæ Colleg. S. Martini Casselensis ab Henrico Landgraviæ Hassiæ facta. a. 1473. in KUCHENBECKERI *Analect. Hassiac. Collect.* IX. p. 222. n. 47. legitur: Wir wollen auch, daß sie (Canonici) alle Ding nach Stiftswiese redelich untereinander halten, und fort nymands zu gledemasen desselben Stiftis vor *Canoni*ken uffnemen sollen, der oder die nit echt und recht geboren weren, es were dann ein *Bastart* von Hessen.

e) Ex qua ratione prima tonsura vi antiquæ Ecclesiæ disciplinæ ab aliis ordinibus haud sejuncta separata fuerit, egregie deducit VAN ESPEN *Jur. Eccles. Un.* P. I. Tit. I. c. 1. n. 1. seq. Limitanda tamen adhuc est posita Thesis, nisi ex fundatione vel statuto certus & major forsan requiratur ordo in illo, qui vult impetrare præbendam: sic HENRICUS *Landgravius Hassiæ* in noviter fundata a. 1366. Ecclesia Colleg. S. Martini Cassel. nonnisi *præbendas sacerdotales* instituit, voluitque, ut admittendi Canonici sint præsbyteri *vel infra annum a tempore assecutionis præbendæ se faciant ad sacerdotium promoveri.* Testante diplomate in KUCHENBECKERI Anal. Hass. Collect. V. p. 29.

f) Vi STATUTORUM *Ecclesiæ Metrop. Brem.* de a. 1617. Illustris persona, Princeps, Comes vel Baro præbendam impetrans debebat ad minimum VII. esse annorum, Nobilis autem XIV. in statutis Magdeburg. Ecclesiæ S. Nicolai legitur: *Majorennis, an adhuc in minore ætate constitutus sit, nihil referto, modo septimum ætatis annum compleverit, quod ex aspectu pueri dignoscere moris est, nec adeo acurata indagatione opus est.* Adeoque hoc pariter exemplum est, ubi in Germania licet cum magno disciplinæ detrimento Tridentinum haud est receptum.

stribus probanda est nobilitas avita g) 4. 8. vel 16. Majorum illustris vel equestris seu militaris prosapiæ pro diversitate statutorum. h) Vel ubi Doctoralis digni-

g) De hujus instituti origine diversas Doctorum virorum sententias recenset, & suam tandem exponit Joh. Georg. Cramer in comment. *de Juribus & prærogativis Nobilitatis avitæ, ejusque probationibus ex institutis germanorum priscis & hodiernis.* T. I. c. 2. §. 9. c. 3. per totum, cui operi insigni varia Capitulorum Cathedralium statuta & privilegia subjuncta sunt. Conf. etiam Titius §. 28. Diss. *De Jure Nobilitatis Lutheranæ ad immediata Germaniæ Capitula & Canonicatus*, add. Author. des Bedenckens: ob im H. R. Reich die hohe Ertz- und andere Stiffter beständiglich in ihrem *esse* und Weesen zu erhalten. p. 13. seq. & p. 60. seq.

h) in aliquibus Ecclesiis requiritur, ut non solum omnium ascendentium nobilitas sit avita, sed & ut omnes fuerint ex Nobilitate equestri immediata; in Ecclesia Cathedrali Würceburgensi requiritur, ut omnium ascendentium Nobilitas sit immemorialis. in *statutis* Ecclesiæ Cathedr. Argentin. de a. 1713. revisis & a Galliarum rege Ludov. XIV. confirmatis in Joh. Georg. Crameri Tract. *de Nobilitate avita* p. 541. respectu neo-Canonicorum German. disponitur: „Nemo germanus inter Canonicos argentinenses annumeretur, qui „in linea recta paterna non ostendat patrem, avum, proavum & abavum & „in linea recta materna pariter matrem, avum, proavum & abavum princi-„pes esse aut comites, potiendi jure vocis & Sessionis in Generalibus Impe-„rii comitiis capaces, in linea vero collaterali singulos gradus & singula ca-„pita nobilia esse ad minimum, & in aliis Imperii Capitulis nobilibus admissa, „aut admittenda.„ de cætero ad dicteria plebejorum referendum ad Ecclesiam Metrop. Salisburg. nonnisi comites J. admitti, cum & ibi sufficiat avita nobilitas. Sæpius etiam prognati ex ordine illustrium, principum &c. vel simpliciter vel ad certum numerum excluduntur: sic in *statutis* Ecclesiæ Metrop. Magdeburg. dispositum fuit: *plures quam duo ex illustri principum, comitum, & Baronum familia prognati inter 8. majores Canonicos moribus & legibus antiquis ne recipiuntor, unus duntaxat e duobus ex familia illustri & illustrissima prognatis Canonicis ad capitularem residentiam admittitor.* De cætero de modo probandi nobilitatem avitam, & disponendi stemmata per avita insignia ex professo egerunt Pontus Heuterus in appendice ad *Genealogias præcipuarum aliquot e Gallia Francica, ac belgica familiarum.* Christinæus *in observationibus Eugenealogicis* L. 2. c. 16. Franc. Joseph. Merlet in Diss. *de nobilium avorum probatione vulgo* von der adelichen Ahnen beweissung. Argent. 1732. 4. Estor in 2. Dissert. pragmatice admodum scriptis *de Probatione nobilitatis avitæ & veteri & hodierna ab illis potissimum, qui dignitatem Eccles. appetunt, expedienda.* Marb. 1744. 4. & *de ratione usitata in demonstrando nobilitatem proavitam.* 1745. 4. ac tandem in integro Tract. 1750. edito 4. sub tit. Practische einleitung zur Ahnen prob. Knorr *de probatione nobilitatis per Instrumenta.* Hildebrand *de probatione per stemmata Genealogica* Lynckius *de probatione per insignia & arma gentilitia.* De cætero nec dispensatio Pontificis quoad hanc qualitatem admittitur, & qualis controversia Pontificem inter & Capitulum Cathedrale Wor-

dignitas *i*) sufficit, necessaria est, de hac quoque qualitate pariter docendum erit. VI. Solvendæ sunt pecuniæ statutariæ ad varios fines deputatæ, ubi sunt receptæ. *k*) VII. Denique præstandum etiam plerumque est a neo-Canonico Juramentum, quo varia observanda promittuntur. *l*) Hisce præmissis in Thesi

Do-

Wormatiense ratione Jacobi de Baville non sufficiente nobilitate ornati enata sit, exhibent acta in FABRI Staats-Canzley Tom. V. p. 104. seq.

i) Ubi autem requiritur qualitas Doctoralis, non sufficit, siquis per Bullam vel a comite palatino creatus sit Doctor, sed ut dignitas illa Academica in Universitate approbata collata fuerit, necesse est, unde SIXTUS IV. Pontifex in *Bulla* de a. 1474. statuit, ut VI. Canonicatus Ecclesiæ Metrop. Colon. duntaxat Doctoribus & Licentiatis in Theologia vel altero jurium *in aliquo studio generali cum rigore examinis promotis conferantur*. de cætero licet JOANNES WAMMESIUS *Consil. de Jure Pontif.* T. I. *Consil.* 18. deduxerit, in concessione præbendæ Doctoralis requiri, ut jam actu gradu academico quis sit ornatus, id, etiam in Belgio forsan observetur, in Germaniæ tamen Ecclesiis non adeo rigorosis sufficit, si neo-præbendandus proxime ad gradum suscipiendum sit dispositus & eatenus se obliget.

k) In STATUTIS *Ecclesiæ Swerinensis* iterato jam allegatis l. c. legitur: *Item Canonicus de novo receptus habet facere & dare tenetur: 1) dabit cappam de serico valentem XX. marcas Lubec. intra tempus ad hoc statutum vel unum sericum juxta ordinationem & æstimationem Thesaurarii, & Capituli, dummodo valor non excedatur. Item Episcopo 4., præposito, Decano, Scholastico, cantori, Thesaurario, cellario Swerinensi, cuilibet ipsorum duas stopas vini, cuilibet Cononico unam stopam, cuilibet vicario dimidiam stopam, quartale vini cuilibet Lectori Chori tenebitur erogare. Item dabit camerario vestes, quibus tempore suæ receptionis est indutus, si vero puer fuerit, dabit eidem, cum ad annos discretionis pervenerit, vestes decentes, variæ denique refectiones & convivia dare injungebatur.* Similiter *in* STATUTIS *Ecclesiæ Cathedralis Halberstadiensis* de a. 1326. dispositum fuit, *ut nulli ad Canonicatus sive minores vel majores præbendas admittantur, nisi ipsi admittendo per prius statuta dictæ Ecclesiæ videlicet 16. marcas argenti puri Halberstad. harandiæ, ad Cappas & ornamenta Capitulo ibidem exsolvant, alia vero pro camerariis, & cæteris dictæ Ecclesiæ dari solita, juxta consuetudinem antiquam exsolvantur.* In LÜNIGII *Spicileg. Eccles.* P. II. im Anhang p. 40. & de certa mensura vini boni Elsatici danda cuivis Canonico statutum a. 1366. l. c. p. 46. n. 48. Vi STATUTI *Ecclesiæ Metrop. Bremensis* de a. 1617. illustris ad præbendam admissus solvit Pecunias statut. in duplo, quadringentos scilicet aureos rhenenses, in auro & pondere justo & ducentos Thaleros Imperiales, simplum autem solverunt nobiles & Doctores.

l) Notatu dignum est Juramentum, quod neo-Canonici in Bingensi Ecclesia S. Martini vi statuti de a. 1403. præstare tenebantur, ubi inter alia jurato promisit Domicellaris: „Item quandocunque fuero emancipatus, non instabo pro Capitulo infra annum a die præsentis meæ admissionis com„putando, nec in sedibus me collocabo, quousque ad Capitulum fuero re„ceptus, item non petam vel peti procurabo me ad Capitulum recipi, nisi in

„præ-

Domicellares possessione Canonicatus in Ecclesia gaudentes debitis provisi qualitatibus, ac præstitis secundum statuta præstandis finita potissimum residentia stricta pro Ecclesiæ observantia suam petere possunt emancipationem ac admissionem ad Capitulum cum reliquis Juribus Capitularibus annexis, *Capitula* enim *clausa* extra ordinem contra Jus commune sunt statuta, & ex parte odiosa, adeoque sicut in aliis capitibus, sic & in hoc pro Jure communi est præsumptio, nec incumbit onus probandi Domicellari Capitulum non esse clausum, sed hæc exceptio, & legitima Capituli clausi constitutio in dubio probanda erit a Capitulo.

§. XVII.

Quænam necessaria sint requisita ad Capitulum?

Si autem quæratur, quænam necessaria sint requisita, quibus provisus debet esse Domicellaris, si ad Capitulum admitti cupiat? Categorica haud dari potest responsio, sed variant denuo eatenus Ecclesiarum Consuetudines ac statuta, plurima autem in eo conveniunt, quod I. Candidatus certam debeat habere ætatem, & quidem annum ætatis vel 20mum vel 21mum cœptum, prout se res habuit in Ecclesia Cathedrali Lubec.; vel completum, pro varietate statutorum, de quibus destatur ANTONIUS MATHÆUS *de Nobilitate* p. 623. in Ecclesia Metrop. Trevirensi requiritur annus ætatis 23tius inchoatus, in Ecclesia Brem. annus 23tius completus; statutum Ecclesiæ Wurceburg. de an. 1541. ab Episcopo CONRADO IV. confirmatum, vi cujus a Capitulo excluduntur omnes, qui annum ætatis 24tum haud compleverunt, exhibet LUNIG *in Spicileg. Eccles.* P. II. p. 1027. Tom. XVII. *Archivii.* Ex quo notanda ratio statuti, dum dicitur:

„præbenda mea sim quietus, & donec 24. annorum ætatem compleverim, & „ad ordinem Diaconatus sim promotus; item non impetrabo aut procurabo „litteras ambassiatas, aut preces a principibus, prælatis, nobilibus vel aliis „quibuscunque pro me scribi vel fieri, per quas Juribus, statutis & consue„tudinibus Ecclesiæ ordinatis & ordinandis, observatis & observandis quo„modolibet obvietur, nec eis utar quovis modo, item dabo tres marcas ar„genti puri ad fabricam Dominorum. . . item præstabo Dominis de Capitulo „sufficientem Cautionem infra mensem a tempore admissionis meæ compu„tando per 4. personas honestas, & graves, qui una mecum litteram hujus„modi Cautionis dictis Dominis meis dabunt, & sigillabunt secundum formam „mihi per eos præsentandam, de reddendo ipsos simpliciter indemnes occasio„ne meæ præbendæ. Item non permutabo, nec in alium transferri procu„rabo meos Canonicatum, & præbendam absque Consensu, & voluntate Ca„pituli. Item nullatenus me ad romanam Curiam transferam sine Capituli „licentia speciali. Item non impetrabo, nec impetrari quidquam procurabo „in præjudicium Ecclesiæ vel personarum ejus, aut me ab hoc Juramento ab„solvi, vel super eodem mecum Dispensari, nec utar ejusmodi impetratis.

tur: *considerantes, quod eorum, qui minoris sint ætatis, consilium fragile sit, & infirmum multis Captionibus & insidiis expositum, quodque Ecclesiæ, quibus personæ præficiuntur minus idoneæ scientia, moribus vel ætate, gravia propter hoc tam in spiritualibus, quam temporalibus interdum perferant detrimenta, volumus futuris incommodis, quantum in nobis est, obviare:* & hoc non solum probandum per extractum baptismalem, sed & in quibusdam Ecclesiis adhuc Juramento confirmandum. *a*)
II. Quod modo in statutis præscripto absolverit *residentiam claustralem* seu *strictam*, a qua in regula nulla excusat Causa; referunt quidem plerumque Canonistæ inter Causas etiam ab hac residentia liberantes 1.) si talis neo-Canonicus sit a latere Pontificis vel Episcopi vigore Cap. 7. & 15. *de Cleric. non resident*, prout putat etiam AUGUST. BENED. MICHAELIS in Diss. *de beneficio a latere*, 2). Si pontifex vel Episcopus dispensarit, verum sicuti Ecclesiæ Germaniæ nullam secundum dicta circa sua statuta admittunt dispensationem, sic nec in hoc Capite, neque qualitas *beneficii a latere* pro excusatoria Causa admittetur, prout novissimum in Mogunt. Ecclesia Colleg. ad gradus B. V. habuimus exemplum concluso Judicii Imper. aulici firmatum. Variat autem pro diversitate statutorum hæc residentia, dum alibi more antiquo est annalis, alibi semestralis, *b*) alia minoris temporis, alibi pecunia, redimibilis,

a) prout *e. g.* se res habet in Ecclesia Cathedrali Monasteriensi ratione anni ætatis vigesimi completi. In allegato autem statuto Ecclesiæ Cathedralis Herbipol. ratione probationis disponitur: „idque legitimis documentis, puta ad minus „duobus testibus hominibus fide dignis, in quorum numero parentes, avia, ob„stetrices, & similes non excluduntur, probet, & doceat, vel ex ipsius Ca„nonici, qui ad Capitulum sese admitti petit, aspectu appareat, illum supra „annos 24. natum.„ In *statuto* Ecclesiæ Cathedralis Halberstad. de a. 1564. in LUNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang p. 58. n. 72. disponitur: *quod posthac nullus Canonicus ad residentiam & Capitulum admittatur, nisi* 20. *ætatis suæ annos exegerit, atque in majoribus ordinibus constitutus .... idque per formatas ut vocant, litteras probaverit.* Et quod eatenus novioribus temporibus varii commissi fuerint abusus, discimus ex querelis CONCILII MOGUNT. de a. 1549. sub Archi-Episcopo Sebastiano celebrati. art. 86. in LUNIGII *spicil. Eccles.* P. I. T. XVI. *archivii Imp.* p. 126. ubi labem Capitulorum non alio magis ex Capite profectam esse, quam ex eo, asseritur, quod in Capitula, & suffragii Jus admissi fuerint juniores Canonici, qui Domicellares appellantur: *hactenus in Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis saltem ex ea parte, qua majores nostri non sine magna ratione juniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non statim, ut beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub Jugo prælatorum detineri voluerunt, satis negligenter advigilatum esse, non sine Ecclesiarum pernicie sentimus.*

b) In Ecclesia Cathedrali Trevirensi residentia minor durat 6. mensibus, & si quis accedat Capitulum aliam 6. mensium strictam tenetur servare residentiam.

lis, c) alibi præcisa & irredimibilis, d) alia requirit unius per diem horæ Canonicæ præsentiam. e) Alia ad omnes horas est adstricta, ita ut residens, qui venit post *Gloria* versus primi *Deus in adjutorium &c.* aut post finitam *Epistolam Missæ* de novo inchoare debeat istam residentiam solvendis denuo Juribus statutariis, omnes vero requirunt continuam pernoctationem in domo Canonicalis immunitatis, aut saltem in eadem civitate. conf. NELLER in diss. *de varietate residentiarum* §. 31. in Nota III. Legitime debeat esse emancipatus, ubi vel emancipatio cum ipsa ad Capitulum admissione est conjuncta. (f) vel emancipa-

c) Dum taxa fabricæ communiter applicanda per statuta est determinata vel a Capitulo præfigitur, prout se res habet in Ecclesia Cathedrali spirensi, & passim fere in Ecclesiis colleg. Diœceseos Mogunt.

d) Sic e. g. in Ecclesiis Metropol. Trevir. & Cathedrali Würceburg. redimi haud potest residentia stricta.

e) Statutis hujatis Ecclesiæ S. Stephani est provisum: „ Omnis Canonicus noviter ingressus... obtenta possessione Canonicatus, & præbendæ, si participare fructus annuos cum aliis velit residentiam suam annalem hic in loco personaliter, sine incursione suspensionis chori & forensi extra civitatem pernoctatione totaliter facere tenetur, ut per frequentatam horam in Choro (quam horam Canonicam eligere penes ipsum est) in pulveribus extra subsellia stando inchoatam, finito officio Divino, in loco consueto MEMORIA dicto, præsentibus Ecclesiæ personis indicet, & sic per annum integrum singulis diebus Dominicis & festis fori ac Chori per horam Canonicam frequentando Chorum non interruptam continuet. Quam sic per annum integrum completum, in antedicto loco consueto edicere tenetur. „

f) Prout observatur in Ecclesia Cathedrali Monasteriensi, ubi hac ratione proceditur: petito a Decano pro actu emancipationis separato Capitulo, exhibitisque quietantiis solutorum Jurium emancipationis, testimonio studiorum ultra alpes, testimonio ætatis 20. annorum & primæ tonsuræ, si nullus horum omnium occurrat, defectus, Scholasticus curat examinari emancipandum per Patrem præfectum de Doctrina & per succentorem probari in Cantu, & datis ab hisce de sufficiente qualitate Capitulo testimoniis, Emancipandus per Scholasticum ducitur ad Capitulum, ubi flectens Præsidi Capituli præstat Juramentum tactis Sacris Evangeliis: quod de nobili & militari genere ex utroque parente, de legitimo matrimonio secundum probata sit procreatus, annum ætatis 20mum compleverit, tenor testimonii studiorum exhibiti veritati sit consentaneus, ac pro posse & nosse procurare velit utilitatem Ecclesiæ, nec non observare statuta, privilegia & honestas Consuetudines: quo prævio præstat obedientiam, quibus peractis a præside assignatur emancipato sedes in Capitulo, duciturque ad Chorum & summum altare, ubi consuetæ a neo-Capitulari fiunt preces cum offertorio. Quomodo emancipatio conjuncta sit admissioni ad Capitulum in Ecclesiis Cathedralibus Paderbornensi, & Osnabrugensi expositum fuit supra, idem obtinet in Ecclesia Cathedrali Halberstadiensi, ubi a. 1357. statutum est „quod in antea nullus canonicorum eman- „cipa-

cipatio privatim a Scholastico cum certo ritu adhuc peragitur, g) vel sine ritu h) solutis emancipationis Juribus i) nudum datur a Scholastico vel Decano, ubi receptum est, emancipationis documentum, & in hisce ultimis Casibus emancipatio probanda est per sic dictas *litteras emancipationis* a Scholastico vel Decano, ubi receptum, subscriptas. k) IV. requiritur, ut *studium* vel *annale* vel *bien-*

„cipari debeat, nisi habeat ordinem subdiaconatus, & actu minorem præbendam„ in LUNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang p. 43. n. 43. pariter in Ecclesia Metropol. Bremensi emancipatio conjuncta erat cum admissione ad Capitulum, prout discimus ex STATUTIS dictæ Ecclesiæ de a. 1617. Cap. 2. ubi disponitur: *Canonicus Brem. qui Canonicatum vel præbendam suam .... Obtinuerit, non emancipatur, nec locus in Capitulo assignatur, nisi a tempore adeptæ possessionis triennio elapso, qui anni carentiæ vocantur, in quibus non gaudet residentia voto nec optionibus: excepto Canonico, qui si forsan postulatur, ut in Decanum eligatur: nam ex tunc statim emancipatur, ad Decanatum provehitur, & ad bona Decanatui annexa sine optione admittitur.*

g) Prout supra exempla de Ecclesia Cathedrali Würceburg. allegata fuerunt, & in Ecclesia Trevirensi adhuc observatur.

h) Et ita se res habet in Diœcesi Moguntina: ratione temporis emancipationis variant etiam Ecclesiarum consuetudines, sic in Ecclesia Metropol. Trevir. & passim fere in nostris terris emancipatio fieri potest immediate post finitam residentiam strictam; in cathedrali Würceburg autem Domicellaris haud emancipatur, nisi ordine, dimidium Domicellarium numerum superarit. Quid in Ecclesia Bremensi obtineat, paulo ante recensitum fuit.

i) Salmasius Episcopus Wormatiensis in *Decreto* circa emancipationem Canonicorum de a. 1347. in SCHANATTI *Historia Episcopatus Wormat.* Cod. prob. n. 197. p. 171. præcepit, *ut gratis fierent Canonicorum emancipationes*, & vi citatæ supra *Constitutionis* BRANDÆ *Cardinalis Placentini* visitatoris & reformatoris pro Ecclesia Moguntina, & totius Allemanniæ de a. 1522. in LUDEWIGII *reliquiis Manuscript.* T. XI. p. 398. mandavit reformator: *addimus etiam, ne pro emancipatione Domicellorum aliquid penitus prædicti scholastici audeant recipere sub pœna dupli ejus, quod receperint.* Verum hæc dispositio nec in Diœcesi Moguntina nec in reliqua Allemannia fuit recepta. Variant etiam sæpius pecuniæ emancipationis pro conditione emancipandi veluti in Ecclesia Metropol. Trevir. & Cathedrali Spirensi, ubi emancipandus Baro solvit simplum Taxæ, Comes duplum, princeps triplum. Vi statutorum Ecclesiæ Brem. emancipandus Nobilis non Doctor Capitulo solvit X. aureos rhen., V. Marcas Brem. Camerario, & Capitulo secundum morem antiquum convivium, illustris præstat duplum.

k) Studium hoc academicum Canonicorum hasce habet origines: dictum fuit supra studia Canonicorum antiquitus penes scholasticum fuisse peracta, fundatis autem per Italiam, & Galliam Academiis studiorum generalium frequentationem permissam fuisse Canonicis Junioribus; dum autem circa Sæculum XII. & sequentia Scholæ Canonicorum vilescere cœperunt partim ob universitates

sitates passim conditas, partim ob injuriam temporum, & desidiam Prælatorum, & in scholas puerorum passim Conversæ fuerunt, vel plane extinctæ. conf. VAN ESPEN *Jur. Eccles. univ.* P. II. Tit. XI. C. 1. §. 6. THOMASINUS l. cit. P. IV. L. 2. C. 35. cujus rei vestigia quoque habemus hic Moguntiæ de scholis Metropol., B. V. ad gradus, & S. Stephani, dum schola S. Joannis plane evíluit: Sic statutis, & observantia Capitulorum definita fuerunt tempora, per quæ litterarum studiis opera danda esset in academiis a Junioribus Canonicis. Statutorum horum intentio primitus fuerat: ut scientiis, & in specie Juri Canonico, nec non Theologiæ, per tempus congruum operam navantes Juniores Canonici ad Ecclesiæ munera eo melius disponerentur, sed cum ipsa vita Canonica a rationibus pristinæ disciplinæ deflectere cæperit, evenit, ut emenso litterarum studio non tam de studiorum fructibus in academia Collectis, quam potius de observata statuti lege & tempore præcise transacto quæratur, de quo abusu jam Sæculo XIV. prospexit Capitulum Osnabrugense, cujus contenta retulit GEORG. LUDOV. BOEHMER. in programmate: *de tempore studiorum legitimo a Canonicis observando* §. XVI. & inde quoque in Ecclesiis Cathedralibus Monasteriensi, & Paderbornensi absoluto studio academico ante emancipationem Canonici examinantur de Doctrina per P. Præfectum. Statutum etiam antiquum circa studium biennale, sed non bene observatum innovavit jam Canonicis S. Severi Erfordiensibus GERLACUS Archi-Episcopus Mogunt. a. 1356., cujus diploma edidit BUDER *in symictis observat. & opusc.* L. I. p. 11. nec defuerunt varii Episcopi pro bono Ecclesiæ Zelosi abusibus circa studia Canonicorum ferre medelam, sic ALBERTUS IV. Archi-Episcopus Magdeburg. in Synodo a. 1489. celebrata in LÜNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* Contin. II. p. 294. ordinavit: „recolentes altis cum suspiriis Ecclesiam nostram metropoliticam alias„que Ecclesias cathedrales collegiatas... ceteraque quam plurima beneficia „provinciæ nostræ virorum litteratorum non solum decore inclyto, sed eo„rum auxilio & consilio destitutas, qui fidem sacrosanctam, Ecclesiarum li„bertates, jura & personarum Privilegia antequam, quam milites rempub. „armata militia, sunt potentes defensare; unde sacro approbante Consilio sta„tuimus & ordinamus, ut pro quolibet tempore affuturo Decanus & Capi„tulum nostræ Ecclesiæ Metropol. deputet & habeat habiles ad proficien„dum in studio privilegiato de gremio Capituli nostri, seu alias de Ecclesia „unum in sacra pagina proficientem, alterum in jure Can. & tertium in Le„gibus. Ecclesiæ vero aliæ Cathedrales duos, unum in Theologia, reliquum „in Jure Can. vel in Legibus proficientes; Ecclesiæ vero collegiatæ & mo„nasteria unum in Theologia seu in Jure Can. proficientem, quibus præben„darum suarum Corpora juxta Canonum præcepta, ad triennium integre mi„nistrabunt & si prædicti Studentes de Ecclesiis Cathedr. nostræ provinciæ, „& collegiatis non habeant ab Ecclesia ratione dignitatis personarum, vel „officiorum, si quas obtinent, & ultra Corpus suæ præbendæ, unde possunt „in studio victum habere decentem & amictum & libros necessarios compa„rare; volumus eis subvenire per Decanos & Capitula eorum ad valorem „corporis præbendarum suarum de communi; & GEORGIUS Episc. Leod. in Synodo a. 1548. habita in LÜNIGII l. c. Spicil. Eccles. Contin. III. p. 1106. ait: volumus etiam & mandamus, „ut in Universitate oppidi Lo„vaniensis, aut alia quacunque, nulli nisi ad studia Litterarum idonei, &

 „illa-

biennale vel alio termino vi statutorum circumscriptum *l*) in Studio quodam generali vel Universitate approbata vel etiam in certa determinata Academia,

„illarum Gratia principaliter se ad universitatem conferentes, in supposita & „ad usum Privilegiorum hujusmodi universitatis recipiantur, aut suorum „beneficiorum fructibus eo prætextu gaudeant, nec recepti, ipsis privile-„giis pro beneficiorum fructibus uti sinantur, nisi quamdiu causa studii „permanserint, & spes sit, quod ex studio suo fructum uberiorem in Eccle-„sia Dei sint parituri. Qui vero desides & otiosi comperti fuerint, ab eo-„rundem Privilegiorum usu & fructuum perceptione repellantur. OTTO „Cardin. & Episc. August. in statutis synod. a. 1567. conditis apud LÜNIG l. c. Spicil. Eccles. Contin. II. p. 359. Ait. „ Juniores quoque Canonicos „nonnisi ad Scholas & Universitates Cathol. mitti volumus, quibus serio „injungatur, ut sub pœnis a nobis vel Capitulo, cujus sunt Canonici, infli-„gendis, vitam studiosis atque Canonicis dignam agant, ibidemque habitu „Clericali omnino utantur. Hi, cum ad studia dimittuntur capitulis suis suf-„ficientem cautionem præstent, sese in ordine Clericali permansuros. Quodsi „mutato proposito, ab ordine Eccles. resilierint, & ad matrimonia seu ne-„gotia Sæc. se transtulerint, ad restitutionem omnium fructuum & sumtuum „Eccles., quos interea perceperint, teneantur & compellantur. In statutis „Synod. Cardinalis & Episc. Constans. Marci Sittic. de a. 1568. apud LÜNIG l. c. p. 560. C. XI. de studio juniorum Canonicorum disponit. „ ne juvenes „otio & desidia torpescant, eorumque ingenia, quæ sæpe numero, si exer-„cerentur, optima & felicissima haberent, ullatenus negligantur, tam cathe-„dralis quam collegiatarum Ecclesiarum civitatis & Diœcesis nostræ juniori-„bus Canonicis, ejusdemque Ecclesiæ nostræ expectantibus, atque etiam iis „Clericis, quibus beneficia in Ecclesia nostra, quæ Scholasticorum præben-„dæ dicuntur, vel jam collata sunt, vel imposterum conferentur, injungi-„mus & mandamus, ut ad eas dignitates & gradus, ad quos aspirant, se „assiduo studio usque ad 25tum ætatis suæ annum præparent, dignosque & „idoneos reddant, & sub pœnis a Capitulo, cujus ii sunt Canonici, expectan-„tes vel beneficiati, infligendis, atque etiam si incorrigibiles esse pergerent, „sub pœna privationis canonicatuum ac beneficiorum suorum, jurisque, quod „ad eandem consecuti sunt, quam a nobis expectat, absque nostra & Capi-„tulorum suorum permissione & consensu, nusquam alibi, quam in Semina-„rio nostro, vel in aliis Cathol. & approbatis Gymnasiis, in Sacra Theolo-„gia, jureve Can. vel Philosophia studeant, habitumque clericalem in iis ge-„stent, ac vitam Canonicis, Clericis & studiosis dignam agant, & præterea „singulo quoque anno nobis vel vicario nostro & Capitulis suis, ubi alibi, „quam in Seminario nostro studuerint, diligentis studii sui Testimonium exhibeant. Denique HENRICUS V. August. Episc. in Synodo a. 1611. celebrata apud LÜNIG. l. c. p. 411. eadem fere repetiit. De studiis Academ. Canonicis per modum pœnæ quandoque injunctis mentionem fecit ESTOR in denen neuen kleinen Schriften T. II. p. 368. Von der geistlichen Straf Studirens halber auf eine Universitæt zu ziehen.

l) Statuta Ecclesiarum Osnabrugensis, & Halberstadiensis requirunt annum & Sex septimanas, qui erat annus integer saxonicus.

mia, *m*) vel ultra montes fuerit absolutum, id quod per litteras Rectoris Universitatis testimoniales probandum, *n*) de cœtero in computando hoc studiorum tempore, initium haud numeratur, ex quo tempore in universitate studiorum auspicia facta, vel in Academicorum numerum relatus quis fuit sed ab illo demum tempore, ubi quis pro inchoando studio biennali vel annali adductis testibus in separatam matriculam fuit relatus. *o*) Tempus autem studiorum ut exactissi-

m) In statutis sæpius etiam academiarum ratio habita fuit, & in magna existimatione erant academiæ Parisiensis, de qua conferri meretur BULÆUS in *Hist. Acad. Paris.* & Bononiensis, in quibus per annum studiis incubuisse sufficiebat, credebant enim Majores nostri, verum ibi esse scientiarum fontem, ex quo citius Doctrina hauriri posset, seu Clima magnum habere influxum, dum e contra in Academiis Germanicis non ita æstimatis per biennium, vel triennium vel longius tempus studiorum causa versari oportebat Domicellares. Sic in statutis Ecclesiæ Hildesheimensis d. a. 1419. statuitur: *Item Canonici nostri intra scholas, seu Domicelli debent adire studia privilegiata & ibidem studere, si fuerit Allemanniæ per triennium, & si extra Allemanniam per unum integrum annum.* Et in Ecclesia Cathedrali Monasteriensi adhuc hodie doceri debet de studio ultra Alpes. In *Statutis* Ecclesiæ Cathedralis Lubecensis in ERNESTI JOACH. DE WESTPHALEN *monum. inedit.* T. II. p. 2438. tit. 22. habetur. *Statutum est de beneplacito omnium, ut, qui Parisiis student, bursa præbendæ suæ gaudeant duobus annis, & Sex septimannis, & non amplius videlicet tribus hebdomadis ad eundum, & tribus ad redeundum, & duobus annis ad standum.* In aliis autem Ecclesiis e. g. Bingensi S. Martini studia ultramontana & peregrinationes ultra alpes, nisi specialis accesserit Capituli consensus, non sine causa expresse inhibebantur ac petens licentiam eundi ad curiam Rom. vel studium Privilegiatum jurare debebat: „quod fidelitatem Ecclesiæ Bingensis & personarum ejusdem... prius juratam exercere „velit honorando & promovendo Dnos Decanum & Capitulum ac singulares Canonicos & personas Ecclesiæ prædictæ, ubicunque possit ipsosque „de damnis & periculis eorum, si quæ eis communiter vel divisim imminere „perceperit, pro suis visibus defendat & præmuniat, nec quidquam attentet „vel impetret, aut impetrari procuret, quod cedere possit in ipsorum seu dictæ Ecclesiæ conjunctim vel separatim damnum, præjudicium vel gravamen, aut per quod Privilegiis statutis, ordinationibus & consuetudinibus „ejusdem Ecclesiæ quomodolibet obvietur, quodque eadem privilegia, statuta, ordinationes & consuetudines observare velit, nec ipsis contraveni„re quovis modo.

n) Dum in quibusdam academiis e. g. Coloniensi per Pedellum Universitatis tantum subscribuntur testimonia studiorum, sic in quibusdam Ecclesiis veluti Halberstad. requiritur, ut ab ipso universitatis Rectore facta fuerit subscriptio.

o) Receptum scilicet est, ut volens inchoare studium biennale jam immatriculatus universitati adductis duobus testibus, solutisque certis Juribus penes Rectorem vel Prorectorem se curet inscribi separatæ Matriculæ, & finito tempore studii biennalis elapsisque aliquot adhuc diebus, adductis pariter duobus

ctissime absolutum sit, necesse est, ne dies absit, completum autem constat, si & ultra præfixum tempus per aliquot dies in studio fuerat Canonicus. *p*) Tempus etiam studiorum plerumque in eadem Academia absolvendum est, nisi divisionem studii permittant statuta. *q*) V. requiritur in regula, ut admittendus ad

bus testibus, qui de studio, & quod Candidatus durante studiorum tempore non extra civitatis mœnia pernoctarit, testimonium perhibeant, solutis pariter Juribus de finito studio biennali docere debet, quod pariter in Protocollo notatur, & ad petitionem, solutaque taxa consueta litteræ testimoniales studii biennalis per Syndicum universitatis expediuntur, adeoque non procedit sententia LEYSERI in *Medit. ad pand.* Spec. II. Med. V. defendentis, *quod triennium, quod Canonici vel alii ex statuto impendere debent studio Juris, currere incipiat non a die, quo quis in Album studiosorum relatus est, sed quo in Academiam commigravit.*

p) Unde & inseritur litteris testimonialibus, Candidatum per integrum e. g. biennium & *ultra* studiis navasse operam.

q) In statutis Magdeburg. Ecclesiæ S. Gangolphi de a. 1624. cit. requiritur, ut producatur testimonium studii in una eademque academia per triennium continuati. Idem obtinet in Ecclesia Metropol. Magdeburgensi vi statutorum. Imo alia adhuc in statutis Ecclesiarum circa petendam a Scholastico licentiam inchoandi studium biennale, assignationem Academiæ, circa modum studiorum, vel si jam ante adeptum Canonicatum absolutum fuit, jam denuo inchoandum &c. disposita leguntur, sæpius non licet in loco Ecclesiæ, licet ibi habeatur simul academia, absolvere biennium, in aliis Ecclesiis præcise post residentiam minorem debet servari biennium &c. & hæc optime iterum illustrantur exemplis: sic vi *statutorum* Ecclesiæ Cathedralis Trevirens. Domicellariis ante omnia absolvere tenetur primam suam residentiam Canonicalem „dimidii anni continuam, illaque absoluta emancipatur a Scholastico, accipitque licentiam proficiscendi ad Catholicam Universitatem: & si velit facere „biennale studium, tempus quando ad studium proficisci & locum seu universitatem ubi studere voluerit, antequam eo se conferat, indicare tenetur, integrum autem biennium ita absolvere, ut nulla nocte degat extra locum dicti studii, nec illi prodest, si antea ratione alterius Ecclesiæ biennium absolverit, seu satis litteratus fuerit, quæ omnia probanda per testimonium „universitatis, nec biennium fieri potest in loco, ubi beneficium possidet, nec „illo durante residentiam aliorum beneficiorum complere potest. In statutis Mogunt. Ecclesiæ collegiatæ S. Stephani disponitur: „Studium biennale vel „hic vel alibi in universitate Catholica cum expresso scitu, & consensu Decani & Capituli, a Canonico Domicellari, ad id a Rectore Universitatis immatriculato incipiendum, & continue, ac non interrupte sine externa pernoctatione in superioribus vel de consensu Capituli in inferioribus Classibus per duos annos & aliquantulum ultra peragendum, & conficiendum est, „super quo, uti prærequiritur, peracto biennio Canonicus Domicellaris testimonio universitatis ad ingressum suo tempore Capituli se habilem reddere „tenetur. Siquis in antea, ante adeptum Canonicatum & præbendam studium „bien-

ad Capitulum in majoribus adeoque ad minimum Subdiaconatus ordinibus sit constitutus, quod per *litteras* sic dictas *formatas* probandum, statutum hoc fuit per *Clement. 2. de ætate & qualitate & ord. præfic.* innovatam per *Tridentinum* Sess. 22. c. 4. *de reform.* quod pariter per multa Concilia particularia tam in Gallia, quam Germania *r)* fuit confirmatum. Conf THOMASINUS l. c. P. I. L. 3. C. X. n. 3. & 4. in quibusdam Ecclesiis ordo Diaconalis præcise requiritur, *s)* in aliis autem saltem respectu certarum præbendarum etiam presbyteralis. *t)* In quibusdam tamen Germaniæ Ecclesiis Cathedralibus etiam sine ordinibus majori-

„biennale (in quo non attenditur, in qua ætate & an in inferioribus an superioribus Classibus factum sit) debito modo & sine defectu compleverit, obtento Canonicatu ad id denuo complendum non tenetur: potest tamen si adhuc junior & indoctior existat, sicuti & alii Domicellares melioribus moribus & eruditione indigentes a Capitulo ad ulteriora studia, quando & quamdiu consultum videbitur, transmitti. „ Cœterum cum illi, qui studiorum Causa ex superiorum indulgentia absunt, Juribus præsentium Canonicorum & fructibus beneficii in absentia perfruantur. c. 5. x. *de Magistris.* VAN ESPEN l. c. P. I. Tit. VII. C. X. n. 4. seq. AYRER in Diss. *de beneficio a latere* §. 24. sic pariter idem Juris beneficium habent Canonici Juniores, ut per legitimum studiorum curriculum & ultra percipiant fructus præbendarum minorum, quæ solent Domicellis obvenire: dummodo studiorum prosecutionem legitimo doceant testimonio. Sed hæc de fructibus ex corpore beneficii & præbendæ intelliguntur, neque enim iis obveniunt distributiones quotidianæ, quarum ea est ratio, ut iis tantum in regula obveniant, qui vere intersunt officiis divinis.

r) In Concilio Trevirensi Provinciali a. 1227. celebrato C. VII. in HARTZHEMII *Collectione Concil. Germ.* T. III. p. 256. statuitur de Canonicis, *ut omnes faciant se ordinari in Subdiaconos, Diaconos vel sacerdotes.*

s) e. g. In Ecclesia Metrop. Trevirensi, idem obtinuerat in Bingensi S. Martini Ecclesia.

t) Sic illi, qui obtinent præbendas Doctorales, ubi adhuc vigent, plerumque debent simul esse presbyteri, & in Ecclesia Metrop. Moguntina 4. sunt præbendæ *Presbyterales*, de quibus infra adhuc fiet mentio, in Diplomate fundationis novæ præbendæ Canonicalis, in Ecclesia Cathedrali Lubecensi ab Henrico II. Episcopo Lubecensi a. 1332. in LÜNIGII *Spicil. Eccles.* P. 2. p. 341. T. 17. *Arch. J.* disponitur: *quod de Canonicatu & præbenda non providebitur alicui, nisi aut presbytero, aut saltem in tali ætate constituto, quod infra annum a tempore provisionis sibi factæ possit in presbyterum ordinari.* De cœtero licet aspirans ad Capitulum necdum ordinibus requisitis sit provisus, tamen solet admitti, si ad ordines capax vel intra annum proximum vel brevius tempus in statutis plerumque determinatum recipere possit; in Ecclesia Metrop. Trevirensi hoc casu certum tempus, infra quod se ordinari curabit, sub pœna rejectionis præfigitur.

joribus Canonici ad Capitulum admittuntur, qui in Electione tamen Episcopi voto activo destituuntur. *u*) VI. ubi Capitulum clausum introductum, de quo mox pluribus, exigitur, ut quis sit respective Senior inter Domicellares. VII. denique varia particularia in una vel altera Ecclesia adhuc exiguntur, sic e. g. in statutis Ecclesiæ Metrop. Trevirensis requiritur, *ut admittendi ad Capitulum parentes, fratres & nepotes per se vel per alios, personas, vel bona Ecclesiæ non invaserint, aut contra eorum salutem & prosperitatem machinati fuerint, aut hæc fieri non curaverint, seu ad ea facienda consilium vel auxilium dederint, nisi persona recipienda ex meritis suis gratiam a Capitulo meruerit obtinere.* In *statutis* Ecclesiæ Lubec, sæpius allegatis disponitur, ne quis recipiatur ad Capitulum, *nisi ad minus per duos annos receptionem aut provisionem hujusmodi suam præcedentes, cum Ecclesiasticis personis clericaliter & laudabiliter conversatus fuerit.* Et quidem laudabile hoc statutum ubique introducendum foret, ut omnes neo-Canonici, qui plerumque cum solis vestibus nigris non induunt mores Eccles. tenerentur degere per unum vel plures annos in Seminariis, ut ibi ad institutum & disciplinam Clericis convenientem perducerentur.

§. XVIII.

Quænam ab aspirante ad Capitulum observanda sint quoad formalia?

Quoad formalia ab aspirante ad Capitulum observanda variant denuo Ecclesiarum consuetudines, & quidem 1) quoad tempus in variis Ecclesiis nihil est præscriptum, sed quam primum Domicellaris omnibus provisus est requisitis, separatam Capituli petere potest convocationem, ut emancipetur & simul ad Capitulum admittatur. *a*) In aliis Ecclesiis expectandum est proximum Capitulum Generale. *b*) In aliis potissimum, ubi Capitula clausa simul vigent, intra certum tempus in statutis expressum a tempore vacantis præbendæ Capitularis computandum petenda est admissio. *c*) 2) Quoad personam admittendi in plurimis Ecclesiis Domicellaris impeditus legitime per Mandatarium petere potest admissionem ad Capitulum, in aliis Ecclesiis debet præcise in propria compare-

u) Prout secundum supra dicta observatur in Ecclesiis Cathedralibus in Westphalia.

a) Ita se res habet in Ecclesiis Cathedralibus Westphalicis Paderbornensi, Osnabrugensi &c.

b) Hoc observatur in Ecclesiis Diœceseos Moguntinæ, Würceburg. & aliarum.

c) In Ecclesia Metropol. Trevirensi tres menses a Die vacantis præbendæ Capitularis præfixi sunt. vi statutorum Magdeburg. Ecclesiæ S. Nicolai terminus 21. Dierum præscriptus est, alias proximo, aut sequenti cuivis rite vigilanti admissio conceditur.

parere persona. *d*) 3) Plerumque observatur in Diœcesi potissimum Moguntina, quod ab ambiente aditum ad Capitulum die Capitulum generale immediate præcedente ante meridiem, in præsentia alterius cujusdam Domicellaris & vicarii ejusdem Ecclesiæ singulis tunica talari incedentibus petitio admissionis ad Capitulum penes omnes, & singulos Capitulares ostiatim facienda sit: in absentium Capitularium vero ædium vel hypocaustorum januis petitio inscribenda. 4) Capitulo Generali altera die inchoato præsentiam suam capitulo per Ministrum ejusdem Capituli indicare, & vocatus suo tempore ad Capitulum admissionem in locum Capituli in præsentia duorum Ecclesiæ Vicariorum qua testium ipsemet repetere tenetur, simulque exhibere testimonia super requisitis §pho ante notatis. 5) Si peccuniæ statutariæ *e*) occasione receptionis ad Capitulum sint solvendæ vi Ecclesiæ statutorum, hæ quoque solvendæ sunt: & si nullus horum omnium occurrat defectus, supplicans ad consueti præstationem Juramenti *f*) ad-

d) Hoc viget in quibusdam Ecclesiis Metropoliticis, & Cathedralibus, ut pateat, an non laboret defectu Corporis admittendus, veluti in Ecclesia Metropol. Trevirensi, ubi si intra tres menses Senior inter Domicellares in propria persona non comparuerit, tum in ordine possessionis subsequens usque ad ultimum in persona propria comparens, si qualificatus fuerit, recipitur, pariter in Ecclesia Metrop. Brem. admittendus ad Capitulum debuit se sistere in propria persona.

e) In variis Ecclesiis ante actualem receptionem ad Capitulum solvendæ sunt peccuniæ statutariæ, in plerisque autem post admissionem demum solvuntur, varia etiam sæpius alia præstanda: sic in STATUTIS *Ecclesiæ Lubecensis* sæpius allegatis disponitur: *quicunque præbendam de novo assecutus fuerit, Cappam unam vel X. marcas Lubecenses monetæ loco ejusdem ad ipsius ornamenta infra 6. Menses a die assecutionis computandos dare, & resolvere eidem Ecclesiæ debet, ... pariter infra tres menses solvere tenetur XV. marcas denariorum Lubecens. in Libertatis ipsius Ecclesiæ defensionem, & onerum Ecclesiæ supportationem sub excommunicationis pœna latæ sententiæ.* In Ecclesia Cathedrali Halberstadiensi a. 1366. statutum fuit, *ut pro exoneratione debitorum Ecclesiæ & ornamentorum & indumentorum sacrorum refectione sive de novo comparandorum neo-Capitularis præter 12. marcas consuetas adhuc X. marcas argenti sub marcarum 6. pœna apposita exsolvere teneatur.* in LÜNIG. *Spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang p. 44. n. 46. In Diœcesi Moguntina præter id, quod solvitur ad fabricam Ecclesiæ cuilibet Capitulari vinum admissionis, in quibusdam Ecclesiis etiam Domicellaribus, aliisque ad Ecclesiam spectantibus vinum lætitiæ præstandum, vi statutorum Ecclesiæ Brem. admittendus ad Capitulum tenetur dare obligationem Capitulo sub forma concepta & usitata, de conservandis aggeribus in terra Stedingiorum, item constituere negotiorum procuratores ad hoc & alia in absentia suo nomine peragenda.

f) Contenta horum Juramentorum iterum variant pro varietate Ecclesiarum; quidnam juretur in Ecclesiis Cathedralibus Westphal. expositum fuit supra, ut

admittitur, quo præstito, si receptum sit, neo-Capitularis Decano debet præstare obedientiam, *g*) & tandem sedes in Capitulo, & Stallum in Choro a Decano assignatur, observatis more recepto solennitatibus.

§. XIX.

De effectibus factæ admissionis ad Capitulum.

Effectus admissionis ad Capitulum sunt admodum insignes, variant tamen iterum pro varietate Ecclesiarum, in eo plurimarum saltem Ecclesiarum *a*) conveniunt observantiæ, quod 1) neo-Capitulares, dum antea qua Domicellares vel nullas plane habuere præbendas, vel dimidiatas vel exiguas vel saltem Capitularibus quoad reditus haud æquales erant, post admissionem ad Capitulum accipiant demum respective præbendam Capitularem vel integram, vel saltem Domicellari præbenda pinguiorem vel denique participent de emolumentis & reditibus solis Capitularibus propriis. *b*) 2) Accipiunt

ut & quid in Ecclesia S. Alexandri Einbeccensi obtinuerit. In *statutis* Ecclesiæ Swerinensis sæpius allegatis legitur: *Item Canonicus & ad Capitulum admissus debet Jurare de secretis Capituli celandis & de consuetudinibus Ecclesiæ servandis.* Particulare Juramenti caput statuitur in *statuto* Ecclesiæ Cathedralis Halberstad. de a. 1326. in LÜNIGII *Spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang. p. 40. item omnes admittendi inter cœtera Ecclesiæ statuta jurent: *quod infra 8. Dies a tempore admissionis hujusmodi computandos procuratorem idoneum in Ecclesia ipsa beneficiatum, qui diutius absentibus onera sibi ratione præbendæ, dignitatis, personatus, officii, vel administrationis hujusmodi incumbentia sufferre in manibus Capituli promittat constituere, deputare, & assidue habere velint, aut super præmissis servandis in defectu procuratoris sufficientem faciant cautionem.* conveniunt autem omnia fere Juramenta in eo, quod jurans statuta, consuetudines, conclusa &c. Capituli admittere & servare, nihilque secreti alteri extra Capitulum revelare & commoda Ecclesiæ quocunque modo promovere velit.

g) Ritus etiam in nostris terris observatus ex statutis Magdeburg. Ecclesiæ S. Nicolai addisci potest: *Soluta pecunia statutaria flexis genibus supposito pulvinari ante mensam Capitularem in conclavi Capitulari procumbito e vestigio vacantis præbendæ possessionem, assignationem, ac traditionem a Decano vel eo absente a Seniore per Bireti impositionem adipiscitur hisce verbis: assigno tibi possessionem . . . præbendæ . . . in nomine Patris &c. ad hæc receptus in Canonicum vicissim exsurgito, & omnibus porrigendo manum Decano & Canonicis congregatis . . . . monstratam & assignatam tum sedem in Capitulo statim occupato.*

a) Dictum fuit *plurimarum*, in quibusdam enim, secundum supra notata, Ecclesiis German. *e.* g. Cathedrali Leodiensi dantur Canonici etiam Capitulares sine omni præbenda,

b) Sic *e.* g. in Ecclesia Metrop. Moguntina præbendæ Domicellares, quoad sic dictum *Corpus* Capitularibus sunt æquales, sed Capitulares habent præcipua 1.) majo-

cipiunt in regula locum & vocem in Capitulo, c) & quidem, si in majoribus sint constituti ordinibus, ad omnes concurrunt actus Capitulares, d) suffragiumque ferunt in negotiis, quæ sine Capitularium consensu expediri nequeunt: &

 potis-

majores præsentias. 2.) Sic dictum *reminiscere*, & 3.) reditus ex elocatis in sic dicto Paradiso tabernis in aliis Ecclesiis omnes Domicellares a sic dictis *præsentiis* sunt exclusi & demum ad Capitulum admissi de illis participant. In aliis veluti hic in Collegiata S. Stephani Senior saltem Domicellarium actu presbyter vel intra anni spatium ad suscipiendum sacerdotium habilis de distributionibus quotidianis participare potest reliquis exclusis. Denique participare possunt tales neo-Capitulares de distributionibus, divisionibus seu portionibus in certis diebus fieri solitis, nec non manualibus prout dicuntur sic dictis obedientiis, quæ in Ecclesiis Brem. Magdeburg. Osnabrug. &c. obtinent & vulgo Obleyen, dicuntur ubi sunt recepta, licet elapso plerumque a tempore receptionis in Capitulum triennio; 3) optare possunt *Curias Capitulares &c.* a qua optione in regula exclusi sunt Domicellares, sic in *statuto* Ecclesiæ Lubecensis in LUNIGII *spicil. Eccles. P.* 2. im Anh. p. 60. n. 74. disponitur: *cæterum Canonicus vel canonici minori præbenda præbendatus vel præbendati, si hic apud Ecclesiam vivere volet, vel volent, pro vere residente vel residentibus quoad participationem minime reputatur, unde nec ad optionem Curiarum, residentialium admittetur vel admittentur, sed optione Curiarum, quas absentium vocant, de Corpore minoris præbendæ tunc herali semella, quotidianis secundum ordinationem pro Domicellis in Choro distributionibus, denariis offersorialibus & cellarii divisionibus duntaxat contentus vel contenti esse debeat, vel debent.* In *Diplomate* Henrici II. Episcopi Lubecensis de a. 1330. in LÜNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. p. 337. n. 84. T. 17. *archivii J.* disponitur: *quod panes triticæ præbendales Canonicis integratis aut percipiendis distribui debeant.* Si autem in Ecclesia præbendæ Capitulares quoad reditus sint inæquales, *e. g.* præbendæ integræ, mediæ, & minores, prout in Ecclesia Lubecensi, per se patet neo-Capitularem accipere præbendam minorem cum spe per gradus ascendendi. De distributione Halecum per modum præsentiæ in Ecclesia Cathedr. Halberstadiensi vid. *diploma* in LÜNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. im Anh. p. 57. n. 57.

c) Variant tamen Consuetudines ecclesiarum, in variis *e. g.* hic Moguntiæ in Collegiata ad gradus B. V. neo-Capitulares habent quidem votum, sed intra annum sine facultate contradicendi, cum tales debeant prius addiscere mores, & consuetudines Ecclesiæ; in multis Ecclesiis Cathedralibus per triennium neo-Capitulares non habent votum, nec etiam participant de oblegiis sic dictis, nisi absoluto hoc triennio, in aliis Ecclesiis durantibus annis Carentiæ cessat votum, in aliis Ecclesiis, ubi Capitulares ad strictam residentiam obligantur, durante hac residentia etiam cessat votum, in aliis autem Capitulis gaudent tales residentes voto, sed sine contradictione. Sic in statutis Ecclesiæ Magdeburg. legitur: *residens Canonicus statim a die intimatæ residentiæ suffragio quidem suo in sessione Capitulari gaudeto, sed contradicendi votum intra annum ne habeto.*

d) Pront se res habet in illis Ecclesiis Cathedralibus, ubi sine ordinibus majoribus ad Capitulum admittuntur Canonici.

potissimum admittuntur ad turnum in conferendis ecclesiæ præbendis ubi obtinet, vel ad denominationes utiles vel Canonicorum Electiones. 3) Gaudent de officiis, honoribus, Privilegiis ac prærogativis solis plerumque Capitularibus propriis, *e. g.* quoad residentiam, ubi obtinet, exemptiones ab oneribus in Choro, & similia. 4) Promoveri & eligi possunt ad dignitates solis Capitularibus convenientes. *e*)

5) Ac-

e) Veluti ad præposituras & Archidiaconatus, ubi viget consuetudo, sic in variis Ecclesiis, sicut olim in *Bingensi* S. Martini habentur statuta, quod respective præpositi, Decani, Scholastici &c. præcise ex gremio Capitularium eligendi sint. in STATUTIS *Ecclesiæ cathedr. Mind.* de a. 1230. in LUNIGII *spicil. Eccles.* 3tem Theil Fortsetz. *Continuationis tertiæ* p. 57. Archidiaconatus & præposituræ S. Martini & S. Joannis reservantur majoris Ecclesiæ Canonicis Capit. Similiter Capitularibus Ecclesiæ Metrop. Brem. tantum conferri potuit præpositura Wildeshusana vi diplomatum GERHARDI II. Archiep. Brem. de a. 1231. in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* Contin. III. p. 949. & 951. Uti & præpositura Ecclesiæ Buccensis, conf. ejusdem *diploma* l. c. p. 951. n. 65. & in STATUTIS *Ecclesiæ Brem.* C. 2. stat. 10. legitur: *Canonicus emancipatus* (admissus ad Capitulum) *non residens modo sit* 25. *annorum potest obtinere Capellanatus ex provisione Archiepiscopi, videlicet summam Bremensem, item Buccensis & Wildeshusensis Ecclesiarum prout & alias ex libera electione Collegiorum & Monasteriorum dependentes.* & C. 3. stat. 8. stabetur: *canonici residentes, & pro residentibus reputati, dummodo justæ ætatis videlicet* 25. *annorum, possunt obtinere prælaturas in Ecclesia Bremensi, ut sunt Archidiaconatus, Cantoria, Thesauraria, Scholasteria, & præpositure, quæ de jure vel consuetudine per Canonicos Bremenses regi debent.* In STATUTO *Ecclesiæ Cathedralis Halberstadiensis* de a. 1422. in LUNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang p. 52. n. 58. disponitur: „ut de cœtero dignitates, personatus, administrationes, & officia solum Canonicis majori „præbenda præbendatis, emancipatis, ac ordinem dignitatibus, & personatibus annexum habentibus quacunque authoritate conferventur.„ Ibidem obtinebat, quod certa beneficia nonnisi Canonico Ecclesiæ majori præbenda præbendato Capitulari conferri potuerint ab Episcopo, alioquin collatio erat nulla; conf. STATUTUM de a. 1427. in LUNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. im Anh. p. 77. n. 95. & ALBERTUS Episc. Halberstad. jam in Diplomate de a. 1328. Capitulo Halberstad. concesso in LUNIGII l. c. p. 41. n. 41. inter alia promiserat: „beneficia etiam in dicta Ecclesia nostra vacantia, & ad nostram collationem spectantia., quæ hactenus ipsis Canonicis ejusdem Ecclesiæ a prædecessoribus nostris conferre consueverunt, vobis Canonicis infra juris terminum conferemus.„ In STATUTIS *Ecclesiæ Coll. S. Martin. Bing.* de a. 1403. renovatis tit. *de disposit. Benefic.* legitur „sciendum, quod D. noster „Archiepiscopus Mog. p. t. habet conferre præposituram Ecclesiæ Bingensis „uni Dominorum Canonicorum Capitularium Ecclesiæ majoris Mogunt. quem „ad hoc duxerit eligendum, qui ex tunc erit Capellanus Archiepiscopi ministrando sibi & baculum pastoralem respiciendo, quando Pontificalibus ince-

„dit

5) Accipiunt Stallum in Choro, *f*) dum Domicellares extra subsellia *in pulvere*, prout loqui solent, stare tenentur &c. sicut autem recensiti hactenus effectus non nisi commoda ferunt, sic & alii effectus sunt ex parte onerosi, dum neo-Capitularibus certa imponuntur onera, *g*) & ubi receptum est inchoanda residentia

„dit ornamentis.„ Quod autem a tempore sublati Capituli Bing. cessat. Pariter obtinet variis in Diœcesibus, quod præpositi Ecclesiarum Collegiatarum ex Canonicis Ecclesiæ Cathedralis eligi debeant, prout e. g. obtinet Würzeburgi: ubi in Ecclesiis, in Haugis & novi Monasterii præpositi eligi debent ex Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, pariter omnes præpositi Ecclesiarum Diœceseos Leodiensis eligendi sunt ex gremio Ecclesiæ Cathedralis, prout discimus ex *Bulla* SIXTI IV. Pontificis de a. 1479. Ecclesiæ Leod. concessa in LUNIGII *Archiv. J. spicil. Eccles.* contin III. p. 1099. ubi inter alia refert: „Et cum, sicut accepimus... in ipsa Ecclesia sit antiqua & „approbata hactenus a tanto tempore, de cujus initio memoria hominum non „existit, pacifice observata consuetudo, quod Majoris officia, & illius etiam „major ac principalis aliarum civitatis & Diœcesis Leod. Collegiatarum Ec-„clesiarum dignitates fere omnes, & præpositura Ecclesiæ S. Romuldi „Mechliniensis Camerar. Diœcesis aliis quam Canonicis actu præbendatorum „ipsius Ecclesiæ majoris conferri aut commendari nequeant cum effectu.„

In STATUTIS *Ecclesiæ Metropol. Magdeburgensis* de a. 1660. in JOH. CHRISTOPH DREYHAUPT Beschreib. des Saal-Creyses. T. I. p. 484. legitur: „Reliquæ præter præposituram & Decanatum dignitates, & prælaturæ, nem-„pe Thesauraria, Cantoria, vice Dominatus, Cameriatus, & cellaria, „Scholasteria, Archi-Diaconatus, præpositura in collegiatis templis S. Se-„bastiani, S. Nicolai, S. S. Petri, & Pauli, & Thesauraria S. Gangolphi, „nec non oblegia, desolata & ejus generis beneficia ad Capitulares juxta se-„nium & tempus residentiæ intimatæ ordine devolvantur.

f) In variis Ecclesiis Capitulares in tres ordines in Choro dividuntur: 1.) Presbyterorum. 2) Diaconorum & 3.) Subdiaconorum, cum effectu, ut licet omnes sint præsbyteri, tamen quivis secundum suam classem officium peragere debeat qua Diaconus vel Subdiaconus: sic in Ecclesia Bingensi S. Martini in Capitulo ex 12. consistente Canonicis 4. Seniores debebant esse presbyteri, 4. sequentes Diaconi, 4. ultimi Subdiaconi. In *diplomate* fundationis novæ præbendæ in ecclesia cathedrali Lubec: dato ab Henrico II. Episcopo Lubecensi a. 1332. in LUNIGII *spicil. Eccles.* P. 2. p. 341. habetur: *de Canonicatu & præbenda non providebitur, nisi actu presbyter, . . . Et Canonicus eandem præbendam tenens p. t. vocem in Capitulo & Stallum in Choro habere ascendendo de gradu in gradum juxta ejusdem Ecclesiæ consuetudinem seu officium facere debeat juxta gradus sui exigentiam, & sic quod, postquam attigerit Stallum Subdiaconorum ejusdem Ecclesiæ, Subdiaconi, & Diaconorum Diaconi, & Sacerdotum Sacerdotis exerceat officium.*

g) In STATUTIS *Ecclesiæ Lubecensis* habetur: „Item quilibet Canonicus primo „anno receptionis frequens erit in Choro & dormitorio, ut diligenter discat „consuetudinem Ecclesiæ, quicunque de cœtero novissimam præbendam ad-„eptus

dentia stricta Capitularis, *b*) & solvendi sunt fructus biennales, seu annatæ Episcopales, ubi obtinent. Licet autem in regula quis ad Capitulum legitime fuerit receptus, varia tamen a perceptione redituum & etiam voto impedire possunt, & quidem si introducti sint in Ecclesia *anni Carentiæ*, ratione quorum autem variant Ecclesiarum Consuetudines, in aliis quis debitis requisitis provisus admittitur quidem ad Capitulum, accipitque votum, sed ab omnibus vel saltem certis præbendæ reditibus per tempus duorum, trium, quatuor vel quinque annorum excluditur, sic in Ecclesia Metropol. Magdeburgensi ad Capitulum admissus

„eptus fuerit; altare B. Virginis quod ad radicem dicitur, tenebitur officiare, „& singulis diebus ibidem missam de B. Virgine per se vel per alium celebra-„re, quod de singulis Canonicis de novo intrantibus & novissimum locum „tenentibus est observandum." In aliquo Ecclesiis Moguntinis impositum fuit Juniori Capitulari solvendi quotam pro sustentatione universitatis Mogunt.

h) *E. g.* in Ecclesia Metropol. Trevirensi, in STATUTIS *Ecclesiæ Metropol. Magdeburgens.* in J. C. DREYHAUPT Beschreibung des Saal-Creyses T. I. p. 485. ordinatur: „Ad residentiam noviter admissus & in Capitularem Ca-„nonicum receptus annum Claustralem juxta morem Ecclesiæ Magdeburg. „subire, & ante diem Mauritii absolvere tenetur: durante anno claustrali ne per „unicam quidem noctem residenti vel urbe vel extra locum fori novi dormi-„re liceto. Singulis diebus ad minimum una vice atque sic vel matutinis vel „promeridianis horis Canonicis in Ecclesia Magdeburgensi adesto, atque sub „Muteta choralium statim ad psalmi 2di cantum chorum ingreditor Solennia „anni claustralis non rite observans denuo istum inchoare & absolvere tene-„tor, finiens annum claustralem, cui semestre continuum destinatum, per „Decanum in loco Capitulari a legitima completione istius absolvitor, & ex „tabula, cui dies inchoatæ residentiæ inscriptus, deletor." De cætero ex observantiis Ecclesiarum & statutis didicimus, quod in variis Ecclesiis annus claustralis non post adeptam præbendam, sed demum post admissionem ad Capitulum obtineat, veluti in Ecclesiis Metrop. Magdeburg. & Brem. in aliis Ecclesiis veluti Metropol. Trevir. annus est divisus, dum 6. mensibus stricta residentia tenenda post obtentam præbendam, & 6. mensibus post admissionem ad capitulum: quoad perceptionem fructuum tempore strictæ residentiæ Capitularis etiam variant consuetudines, in aliis enim Ecclesiis nihil plane accipiunt residentes, in aliis ad certa tantum admittuntur emolumenta: sic in STATUTIS *Ecclesiæ Metrop. Bremensis* sæpe allegatis C. IV. stat. 4. disponitur: *Canonicus residens primo suo anno residentiæ, qui annus disciplinæ antiquitus nominatus, promereri potest Corpus præbendæ cum XX. Marcis Brem. ex bonis præpositurae, item in Vigilia Nativitatis tres & dimidiam Marcam, & in Vigilia purificationis 4. Marcas & trecentos haleces & manualia, in reliquis vero non participabit: hoc anno vero elapso omnibus reliquis proventibus, divisionibus & emolumentis, ut cæteri Canonici gaudebit.* In Diœcesi autem Moguntina talis residentia stricta Capitularis est incognita.

sus per quinquennium continuum ab intimata residentia capitulari computandum excluditur a perceptione certorum redituum Capitularibus alias Communium, & finito demum quinquennio ad plenam perceptionem admittitur. conf. J. C. Dreyhaupt in der Beschreibung des Saal-Creyses. T. I. p. 487. in aliis Ecclesiis veluti Metrop. Bremensi & potissimum Dioeceseos Trevirensis, & Wormatiensis Domicellariis, licet qualitatibus provisus non admittitur ad Capitulum, nisi antea annos Carentiæ & residentiam continuam expleverit, de cœtero de hoc argumento tanta accrevit subsidiorum ex perlectione Diplomatum, statutorum, & conciliorum seges, ut separatæ materiam *de annis Carentiæ* necdum pro sufficientia deductam, ut limites Dissertationis in pagellis haud excedamus, reservemus disquisitioni.

§. XX.

In multis successive Ecclesiis tam Cathedralibus, quam collegiatis introducta sunt Capitula clausa.

Licet autem secundum supra deducta ante Sæculum XIII. nihil de Capitulis clausis in Germania constiterit, successive tamen a temporibus sublatæ vitæ Canonicorum communis ob repetitas identitatis rationes fuerunt multiplicata tam in Ecclesiis cathedralibus quam collegiatis, & una Ecclesia potissimum ob necessitatis causas secuta fuit exemplum alterius, & dubio procul successu temporis justis accedentibus rationibus numerus adhuc magis augebitur: de cœtero non idem fuit in omnibus Ecclesiis ratione introducti capituli clausi modus, in aliis enim capitula clausa pro certis saltem circumstantiis, quousque scilicet necessitatis exigeret ratio, ad tempus cum permissione superiorum fuerunt stabilita, & hæc dicuntur capitula *clausa definita*, *seu temporalia*, in aliis autem Ecclesiis indefinite pro omnibus futuris temporibus sine addita limitatione capitula clausa sunt introducta & hæc dicuntur *Capitula clausa indefinita seu perpetua*; in effectu autem interest, quod in primo casu cessante ratione Legis specialis vel elapso tempore definito, cessare quoque debeat ipso Jure capitulum clausum, & omnibus Domicellaribus debitis secundum statuta requisitis instructis facultas competat ad capitulum aspirandi: *a*) in secundo autem casu perpetuo duret capitu-

a) De cœtero in primo casu contingere sæpius solet, ut ob privata commoda occultentur litteræ Capituli clausi confirmatoriæ, cum mutatis circumstantiis, quæ cum manifeste subreptitie & in fraudem aliorum fiant, superior Ecclesiasticus etiam ex officio instituere poterit visitationes ac suppositis saltem certis circumstantiis introductam pro tempore clausuram Capituli, potissimum si omnes Ecclesiæ Canonici congruam habere possint, cassare iterum poterit ac annullare: & hisce ordinariorum visitationibus eo minus se subtrahere possunt Capitula, quo certius constat, quod vi Tridentini Episcopi qua delegati sedis

pitulum clausum, donec per conclusum particulare & respective cum consensu omnium illorum, quorum interest, aliud stabiliatur.

§. XXI.

Quanam fuerint occasiones, & rationes introductorum capitulorum clausorum.

Si occasiones introductorum in Ecclesiis Capitulorum clausorum acuratius examinentur, nullæ aliæ occurrunt, quam necessitatis rationes omni Jure Justificabiles, dum scilicet Canonicorum reditus temporum injuria vel bellorum motibus ita fuerunt diminuti, *a*) ut omnes ad Ecclesiam spectantes Canonici, & ad Capitulum ac æqualem fructuum participationem admissi haud haberent congruam, melius autem esset, ut certi numero & pauciores congruam haberent sustentationem, quam ut omnes egerent modica portione provisi, sic necessitas exegit, ut certo saltem numero pro Ecclesiæ facultatibus determinaretur capitulum, reliquis autem Domicellaribus a Capitulo exclusis parvæ assignarentur præbendæ addita spe, ut suo tempore vacante præbenda Capitulari, congruam quoque adipisci possent sustentationem. *b*) Sæpius etiam ipsa Ecclesiæ

sedis Pontificiæ ipso Jure constituti contra exemta etiam, & maxime privilegiata Collegia visitando procedere possint, dummodo tales visitationes fiant ex vero pro disciplina Ecclesiastica Zelo & omnis cavillationum absit intentio.

a) Potissimum calamitosis sic dicti *Interregni magni* temporibus, ubi fere fuit bellum omnium in omnes, nec Ecclesiasticis bonis parcebant avidi rerum alienarum raptores, ita ut illa, licet sanctorum Tutelarium Dominio dicata (conf. BUDER *de Dominio directo Sanctorum Tutelarium Ecclesiarum Germaniæ*, in *Symmictis Observat.* L. 2. p. 68.) Immunia haud essent ab hominum impiorum insultibus. conf. *Lamentationes Pontificis de damno Ecclesiæ ex Interregno in Epistolis* URBANI IV. Pontificis in LEIBNITII *Cod. J. Gent. Dipl. prodr.* p. 13. imo ipsi sæpius Ecclesiarum advocati ex defensoribus abierunt in Spoliatores, prout ex gravaminibus cleri illorum temporum contra suos advocatos licet colligere. conf. VADIANUS *de Monast.* L. 2. p. 103. append. GOLDAST. T. 2. *Rer. Alleman.* ut taceam ipsos Ecclesiarum Præpositos & Abbates, prout ex monumentis fide dignis constat, turpes sæpius fuisse bonorum Ecclesiasticorum dissipatores. 2do exitiosa fuerunt plurimis Ecclesiis fatalia introductionis plurium in Germania Religionum tempora, ubi ex permissa novorum reformatorum licentia bona Ecclesiastica continuis exposita erant spoliis, reditusque Canonicorum multis in locis, si non plane ablati, saltem valde fuere accisi.

b) Optime hæc illustrantur ex STATUTO *Ecclesiæ Cathedralis Halberstadiensis*, quo a. 1564. introductum fuit Capitulum clausum in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* P. 2. im Anhang p. 58. n. 72. ubi habetur: „Atque ut decen-„tius

siæ vel reliqua Monasterii seu claustri ædificia per bella, incendia, terræ motus, vel diuturnitatem temporis collapsa vel deformata de novo non nisi immensis expensis restituenda erant, ubi autem cum pro paupertate ævi, neque excitata sæpius etiam per indulgentiarum concessiones *c*) laicorum liberalitas, neque pauci fabricæ reditus sufficerent, *d*) alia adhibenda erant remedia pro sustinendo tanto onere sufficientia, dum vel extinguebantur præbendæ quædam, quarum reditus fabricæ Ecclesiæ ac persolvendis debitis applicabantur, vel cum durum ac iniquum hoc videretur, impingeretque contra fundatorum mentem, *e*)

 intro-

„tius & convenientius Canonici residentes juxta præsens statutum recepti „sustentare se hisce caris & periculosis temporibus possint, & valeant, cum „Ecclesia Mariana damna hactenus in suis reditibus, & obventionibus passa „sit, & adhuc patiatur indies, hoc Statuto ordinamus, & concludimus, „quod non plures, quam 14. Canonici, juxta Ecclesiæ consuetudines qualificati „in majoribus ordinibus constituti, & majoribus præbendis præbendati ad residentiam, & omnia singulaque emolumenta, item divisiones Capitulares, „admitti debeant. Quodsi ultra hunc numerum præfinitum plures residere „velint, (quod nemini denegatur) contenti erunt (completa tamen prius sua „secundum Ecclesiæ consuetudines & Statuta Residentia) quotidianis in Choro distributionibus, item offertorialium denariorum, cellariique divisionibus nec non fructibus absentium præbendis assignatis una cum semellis præbendalibus. Eodem modo siquis ex 14. assumptus & receptus alio in loco „residere, aut alias se per unum vel plures annos absentare voluerit, tunc „residenti & residentiam intimanti prior pateat suus locus, poterit autem in „abeuntis vel in alio loco residentis locum proximus qualificatus secundum „Ecclesiæ consuetudines & Statuta, modo numerus 14tus non sit plenus, senii, & turni prærogativa recipi." In STATUTIS *Ecclesiæ Cathedralis Argentoratensis* a. 1713. revisis & a LUDOVICO XIV. Galliarum Rege confirmatis etiam stabilitum fuit Capitulum clausum, & pro ratione assignatur: *quod annui Capituli reditus solvendis omnibus Capitularium & Domicellarium portionibus impares sint.*

c) Testantur illud innumera diplomata in collectionibus Diplomatum passim occurrentia. conf. *Litteræ indulgentiarum* concessarum iis, qui adjutrices manus porrexerint Ecclesiæ S. Martini Casselanæ in KUCHENBECKERI *Analect. Hassiac. Collect.* V. p. 27. & 39. & p. 81. n. 32. de cœtero de abusibus a quæstoribus elemosinarum sæpius commissis, ut agatur, instituti ratio haud permittit.

d) Cum illa quæ communiter curantur plerumque communiter negligantur, sic experientia docuit reditus fabricæ negligentius sæpius fuisse curatos, mali administratores etiam frequenter per suam desidiam plus nocuerunt Ecclesiis, quam ipsi hostes.

e) Ipsi etiam Episcopi sæpius diminutionem Canonicorum, quorum numerus plerumque mysticum simul exhibuit symbolum, expresse inhibuerunt, prout patet ex *Diplomate* ARNOLDI Archi-Episcopi Mogunt. Ecclesiæ Bingensi S. Mar-

introducti plerumque sunt anni carentiæ, dum respectu omnium postea vacaturorum beneficiorum, de quibus supra facta est mentio, vel certi reditus ex decimis, censibus, sylvis, aliisque in Canonicorum emolumentum alias cedentes proventus pro Ecclesiæ necessitatibus deputabantur, cum autem hæc omnia sæpius haud sufficerent, inter reliqua opportunius visum fuit remedium, si numero Canonicorum ordinario haud diminuto non omnes, sed certi numero ad Capitulum, & præbendam integram fructuum perceptionem admitterentur, reliqui autem certis minoribus reditibus instructi tam diu expectarent, donec ordo ad Capitulum & præbendam integram illos vocaret, reliqua autem redituum hisce subtractorum portio assignata fuit fabricæ. De cœtero negari tamen vix poterit quoad hocce caput, sicut in omnibus fere, quandoque commissos fuisse abusus, dum necessitas forsan tanta non fuit, ut Capituli clausi institutio indispensabiliter esset necessaria, sed forsan sæpius commodum Canonicorum frugali sustentatione non amplius contentorum singulare ac privatum, ut lautiores pro majori luxu, vel aliis impensis ordini Canonicorum non convenientibus, acquirerent reditus, clausuram Capitulorum, & obreptitiam superiorum confirmationem promovit. *f*) verum miranda hæc non sunt, cum in omnibus Ecclesia-

S. Martini concesso a. 1160. in L. B. DE GUDENUS *Cod. Diplom.* T. III. p. 1059. ubi ait ARNOLDUS: „Animadvertens jacturam Bingensis Ecclesiæ, „quod per ætatis incrementum degeneri successione florem, & decus Juven-„tutis suæ perdidisset, ad reformandam ejusdem Ecclesiæ pulchritudinem ob „respectum divinæ gratiæ, ob debitum quoque curæ pastoralis me totis ani-„mi viribus accingere curavi. Habito itaque . . . consilio liberam electio-„nem firmam & in perpetuum stabilem in fratribus eligendis & suspiciendis ... „eidem Ecclesiæ donavi: ea tamen lege præfinita, quod, ut Canonicis decretum „est institutis, congregatio 12. fratrum ejusdem Ecclesiæ (*ex prima fundatione „enim præpositus Christum, & 12. Canonici 12. Apostolos præsentabant,*) nullius „interpositione vicarii imminueretur. Sed Canonicus libere & Canonice electus, „& susceptus ibidem ad serviendum Deo communi Jure cum reliquis fratribus „conversaret.„ JOANNES VII. Episcopus Lubecens. a. 1432. dum in Ecclesia „Uthinensi 12*mum* fundavit Canonicatum, ait in *Diplomate* in LÜNIGII *Archiv. S. Spicil. Eccles.* P. 2. p. 439. „Nos... in eandem Ecclesiam... in qua solum „XI. sunt præbendæ, titulo, & honore duodenarii, ac perfecti, & aposto-„lici numeri duodecimi scilicet præbendam desiderare, & Canonicatum „12*mum* superaddere cupientes, ut adinstar 12. Apostolorum, qui universali „Ecclesiæ salubriter præfuerunt, amodo 12. Canonici præbendati & non „plures huic particulari Uthinensi Ecclesiæ utiliter præsint. &c.„ CONRADUS I. Archiep. Mog. in *Diplomate* de anno 1163. de Capitulo Ecclesiæ B. M. V. in campis statuit: *Fratres autem in Decennario numero permanebunt.* in JOHANNIDIS Tom. II. *Script. Rer. Mog.* p. 687.

f) Rationes pro pallianda & excusanda beneficiorum pluralitate inservientia sæpe inserviebant quoque pro introducendo Capitulo clauso.

ecclesiasticæ disciplinæ partibus a pravis hominibus contra mentem Canonum commissi fuerint abusus, qui autem hinc inde commissi tollere non possunt capitulorum legitime clausorum usum.

§. XXII.

In plurimis fere Germaniæ Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus & equestribus introducta fuerunt Capitula clausa.

Si singularum Ecclesiarum Metropolitanarum Cathedralium, ac denique Equestrium, quæ iisdem fere utuntur institutis, consuetudines a) quoad hocce caput

A a 3

a) Materia consuetudinum & Jurium Ecclesiarum Germanicarum, necdum a quopiam attacta, ne dicam pro rei dignitate deducta fuit, licet enim consuetudines & jura pro varietate Ecclesiarum varient, attamen exinde sicuti in nostro Jure Germ. privato se res habet, Systema Juris Eccles. German. universale theoreticum deduci potest, & quidem tale Opus eo magis exoptandum foret, quo certius præter leges & fœdera circa Ecclesiastica condita ac libertates universales cleri germ. consuetudines & Jura Ecclesiarum constituunt potissimum & vere pragmaticum Juris Publ. Eccles. Germanici Caput: ediderunt quidem varii veluti CHRISTOPH. CONRAD. FRIDERICI Gründliche Abhandlung von der Freyheit der teutschen Kirche, derselben besonderen Rechten, und Verfassung. Lipsiæ 1761. 8. & novissime GEORG. LUDOV. BOEHMER aliorum studiis, prout gloriatur, provocatus, *Principia Juris Canonici speciatim Juris Ecclesiastici publici & privati, quod per Germaniam obtinet.* Göttingæ 1762. 8. verum præter materiam religionis, & allodria cuivis nota nihil fere de *Jure Ecclesiastico publico German.* in hisce scriptis occurrit: de cœtero cum alii adhuc *Systemata Juris publici Eccles. Germanici* promiserint, eos salva pace commonendos duximus, ut prius omnes perlegant Scriptores coævos, Concilia German. & quotquot in Ecclesiasticis inveniri possunt diplomata, ut exinde Statum Eccles. publicum Germaniæ medii ævi bene illustrent, & hodiernum exinde deducant, pervolvant prius omnes Scriptores Historiarum Ecclesiarum Germaniæ privatarum, acta publ. & conclusa Consilii Imp. Aulici, addiscant prius multo labore consuetudines, Statuta, Capitulationes, Jura, & Privilegia in omnibus disciplinæ canonicæ partibus omnium Ecclesiarum, quantum possibile est, tam Cathedralium, quam collegiatarum, vix enim exstat Ecclesia, ubi non particularitas quædam occurrit, & juncta Historia Ecclesiastica Germanica & necessaria litteratura *Systema Juris publici Ecclesiastici secundum ordinem Decretalium*, sed non nisi Germanico-Ecclesiastica, sine allodriis, continens nobis edant, & sic Reipublicæ litterariæ expectationi satisfacient. Ediderunt quidem, quod haud negandum, protestantes multas Dissertationes de exquisitissimis Juris publici Eccles. Argumentis agentes, secundum hodiernum etiam litteratorum gustum elaboratas, verum utilia ab inutilibus separanda, partim enim ex falsis fundamentis & principiis Jura illa Ecclesiast. deduxerunt, partim plurima falsa immiscuerunt, partim innumeros, dum Jura Eccles. Catholicorum nequidem intellexerunt, errores cumularunt.

caput examinentur, patet Capitula clausa in maxima illarum parte fuisse introducta, facile etiam assignari poterit uniformis hujus in illis consuetudinis ratio, cum enim majora plerumque essent illarum Ecclesiarum ratione Electionum, fabricæ, sustentationis officialium &c. onera, & membra illarum Ecclesiarum ex ordine illustrium vel nobilium selecti majoribus pro sua sustentatione status conditioni convenienti opus haberent expensis, sic justum quoque videbatur, ut lautioribus fruerentur præbendis, quæ autem non alia ratione magis opportuna, quam si numerus Capitularium participantium certo includeretur numero, poterant augeri; conduxit præterea, quod plerumque idem Canonicus plurium Ecclesiarum cathedralium seu equestrium esset membrum, & sic facile consuetudines quoad hocce caput in aliquibus nonnisi Ecclesiis vigentes, in aliis quoque per statuta introducebantur. *b*)

§. XXIII.

Recensentur Ecclesiæ Metropol. & Cathedrales, in quibus capitula clausa sunt introducta.

In recensione autem Ecclesiarum Metropolitanarum, & cathedralium germaniæ, ubi introducta sunt Capitula clausa, merito initium fit ab ECCLESIA METROP. MOGUNTINA reliquarum Ecclesiarum Germaniæ principe, ubi *XLI. præbendæ Canonicales* existunt, reverendissimum Capitulum autem in regula *a*) numero 24. Capitularium clausum est, reliquis XVII. Domicellaribus

b) De Politia Ecclesiarum Germaniæ immediatarum ex professo quidem egerunt JAC. WILLHELM IMHOFF *in Notitia S. R. I. Procerum tam Ecclesiasticorum, quam Sæcularium a* KOEHLERO *Supplementis aucta* T. I. CHRISTOPH. LAURENT. BILDERBECK in dem teutschen Reichsstaat P. V. ANTON FRID. BUSCHING der neuen Erdbeschreibung P. III. J. J. MOSER des Staats-Rechts 34. Theil Sect. IV. p. 333. seq. verum nequidem attigerunt prædicti authores propriam politiam Ecclesiasticam prædictarum Ecclesiarum: pauca sunt, quæ illi collegerunt ex Schematismis aularum maxima ex parte descripta; plura voluit quidem præstare J. J. MOSER in denen Chur-Maynzischen, Trierischen, Cölnischen, Constanzischen rc. Staats-Rechten, verum plurimis illa Scripta, *sicut omnia Moseriana*, scatent erroribus. De cætero optandum simul foret, ut sicuti nuper AUG. BEN. MICHAELIS edidit Einleitung zu einer vollständigen Geschicht der Chur- und Fürstlichen Häußer in Teutschland, sic etiam succincta legitimis tamen probationibus suffulta prodiret *Historia Ecclesiarum Germaniæ immediatarum.*

a) Dictum fuit in REGULA, numerus enim quandoque augetur, quod hac ratione accidit, ut utar verbis JOHANNIDIS *in Notis ad Serrarium* p. 47. „In numero scilicet Capitularium Ecclesiæ Metropol. 4. sunt Canonici sive „præbendarii presbyterales, his id peculiaris est commodi, ut præsbyter „hujusmodi quis fieri, & in Capitularium Collegium cooptari possit, si rite „fuerit

bus in ordine extracapitularium constitutis. *2do* in ECCLESIA METROPOL. TREVIRENSI numerus Canonicorum quondam vi primævæ Institutionis fuit Sexagenarius, redactus autem postea ad quadragenarium, ex quibus juxta privilegia Apostolica desuper concessa 16. tantum ad Capitulum admittuntur, reliqui ad Domicellarium classem spectant. *3tio* in ECCLESIA METROPOL. COLONIENSI extant Capitulares numero 23. quorum ultimi octo sunt ex ordine Doctorum vocem etiam quoad Electionem Archi-Episcopi in Capitulo habentes, 16. autem sunt Domicellares. *4to* in ORDINE TEUTONICO pariter est species Capituli clausi, dum tantum 13. commendatores majores voto gaudent in magno Capitulo ordinis ac eligunt supremum ordinis Magistrum. *b*) *5to* in ECCLESIA CATHEDRALI IMPERIALI BAMBERG. Capitulum clausum consistit ex XX. Capitularibus, Domicellares sunt numero XIV. *6to* in ECCLESIA CATHEDRALI WÜRCEBURGENSI 24. sunt Canonici Capitulares, Domicellares 28. *7mo* in ECCLESIA CATHEDRALI WORMATIENSI 13. sunt Capitulares & 8. Domicellares. *c*) *8vo* in ECCLESIA CATHEDR. EYCHSTADIENSI 15. sunt Capitulares, & 11. Domicellares. *9no* in ECCLESIA CATHEDRALI SPIRENSI 15. numerantur Capitulares & 12. Domicellares. *10mo* in ECCLESIA CATHEDR. ARGENTORATENSI 12. numero sunt Capitulares & totidem Domicellares. *d*) *11mo* in

„fuerit nominatus ad præbendam presbyteralem obitu cujusdam ex 4. istis va„cantem, & prius, quam Capitularium Collegium init, annuam absolverit „residentiam: dum vero talis neo-præbendatus absoluta residentia per saltum „quasi Capitularium aggregatur Collegio, simul cum ipso in ordine Domicel„larium primus capax ad Capitulum admittitur, ut adeo tunc Capitularium „sint 25., quodsi igitur contingeret, plures successive vacare præbendas „presbyterales e. g. tres, tunc non solum tres neo-presbyteri, sed & toti„dem ex Domicellaribus ordinariis simul ingrederentur Capitulum, ut adeo „tu sic essent Capitulares numero 27, quo casu autem constitutum est. 1). „ut si postea in Capitularium Collegio præbendam non presbyteralem vacare „contingat, Domicellarium nemo succedat, donec Collegium hocce ad or„dinarium numerum 24tum redierit. 2.) Ut omnes Domicellares ante talem „Canonicum presbyterum, qui mox accessit Capitulum, præbendati ad Capi„tulum, suo tempore admissi ordine Sessionis præcedant.

b) Conf. ESTOR in denen neuen kleinen Schriften T. II. p. 209. von der Wahl des Hoch- und Teutsch-Meisters.

c) De hac Ecclesia scribit BUDERUS *Opusc.* p. 431. *sunt ibi 5. dignitates, præpositura scilicet, Decanatus, Custoria, Scholasteria, Cantoria, & 8 Canonicatus fructiferi Capitulares, & 9 Canonicatus infructiferi Domicellares nuncupati, præter hos reperiuntur duæ præbendæ Regalis, & Episcopalis, ac 13. Vicariæ.*

d) Conf. STATUTA Ecclesiæ Cathedralis Argentoratensis in JOH. GEORG CRAMERI Comment. *de Jure & Prærogativis Nobilitatis avitæ*, p. 549.

in ECCLESIA FRISINGENSI 13. extant Capitulares, & 9. Domicellares. 12mo in ECCLESIA denique RATISBONENSI 14. numerantur capitulares, & 9. Domicellares, neque in aliis Ecclesiis ad protestantes translatis defuerunt, imo adhuc supersunt capitula clausa, veluti in METROPOL. MAGDEBURGENSI, e) LUBECENSI f) CAMINENSI g) & MINDENSI h) in variis tamen Ecclesiis Germ. cathedralibus, veluti SALISBURGENSI, CONSTANTIENSI, HILDESHEIMENSI, PADERBORNENSI, MONASTERIENSI, OSNABRUGENSI, PASSAVIENSI, TRIDENTINA, BRIXINENSI, BASILEENSI, LEODIENSI, & denique OTTOMUCCENSI, ut et in Ecclesiis præposituraram immediatarum veluti BERCHTOLSGAD. BRUCHSALIENSI &c. capituli clausi formula haud fuit recepta.

e) Quod in Ecclesia Metropolitica Magdeburgensi fuerit Capitulum clausum, eruitur ex STATUTIS de a. 1660. in JOH. CHRISTOPH. DREYHAUPT Beschreibung des Saal-Creyses T. I. p. 484. ubi disponitur: „ex Canonicis majori „præbenda præbendatis, quorum sunt 18. non plures, quam 12. duntaxat ii„demque tempore priores & habiles juxta receptam legem & morem Capituli „inveteratum ad residentiam Capitularem admittuntor. 2.) reliquis sex Cano„nicis extra numerum duodenarium constitutis residere quidem in Choro, sed „non æque in Capitulo fas esto. 3.) iidem præterquam de pastibus & distri„butionibus quotidianis nihil participanto. Domicellis autem, sive Canoni„cis minore præbenda præbendatis, quorum novem sunt, residere nullatenus „liceto, in casu tamen necessitatis & personæ habilis inter 6. majores non „existentis dispensare Capitulo liberum esto.

f) Quod in Ecclesia Cathedrali Lubecensi viguerit Capitulum clausum, patet ex *recensione statutorum, privilegiorum, & jurium ejus* in ERNESTI JOACH. de WESTPHALEN *monum. ined.* T. II. p. 2422. ubi tit. I. recensentur reditus assignati pro XV. senioribus Canonicis, & alii pro XII. minoribus, adeoque Capitulum fuerat clausum numero 15. Capitularium, reliqui erant Domicellares, & hoc adhuc magis confirmatur, dum tit. 8. dicitur, quod Canonicus certæ præbendæ *optare possit præbendam majorem, & tam diu prioris percipere fructus, donec præbendæ majoris fuerit particeps.* Ibidem fit mentio certarum præbendarum, *quarum possessores recipiebantur quidem in Canonicos ad summum altare, & in Choro, suo autem loco & voce in Capitulo non utentur.* §. 17. statuitur, *ut voce in Capitulo & Stallo in Choro & majoris præbendæ assecutione, nunc & in futurum cæteros antecedat, cum apud Ecclesiam nostram prius fuerat, & fuerit successuris temporibus minoris præbendæ perceptio assignata . . . & primo per 4. minores præbendas ascenditur ad Christianam, & tunc ad incorporatas præbendas gradatim ascenditur.*

g) In STATUTIS *Ecclesiæ Cathedralis Caminensis* de a. 1578. in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* 3ten Theil Fortsetzung *cont.* III. p. 29. legitur, quod ab initio XV. majores fixæ & certæ præbendæ & 4. minores constitutæ fuerint, adeoque & sibi fuerat Capitulum clausum.

h) In Statutis *Ecclesiæ Mindensis* de a. 1230. apud LUNIG. l. c. p. 57. habetur: *Item statuimus, ut numerus 24. Canonicorum majorum inviolabiliter servetur.*

cepta. *i*) Uti nec in ECCLESIA CATHEDRALI WERDENSI ad Protestantes modo translata, ubi 15. erant canonici, ex quibus 5. Seniores tenebantur esse *presbyteri*, 5. subsequentes *Diaconi*, & 5. juniores *Subdiaconi*, prout eruitur ex LÜNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles. contin.* I. p. 897.

§. XXIV.

Pariter in multis Ecclesiis collegiatis Germaniæ introducta sunt Capitula clausa.

Sicut autem in plurimis Ecclesiis cathedralibus introducta sunt capitula clausa, sic & idem institutum introductum fuit in plurimis Ecclesiis collegiatis: optavissemus quoque completum Ecclesiarum collegiatarum, in quibus vigent capitula clausa, omnium Germaniæ Diœcesium producere potuisse elenchum, verum partim brevitas temporis, partim denegata nobis datis litteris responsa hoc nobis haud permiserunt alio forsan tempore supplendum; interim illa, quæ partim ex propria scientia, partim ex notitiis fide dignis didicimus, hoc loco subjungere lubet: & quidem in DIOECESI MOGUNTINA in *Ecclesiis Equestribus* S. ALBANI extra muros Moguntinos & S. FERRUTII in *Bleidenstadt*, nec non Ecclesiis collegiatis S. STEPHANI, & S. PETRI Moguntiæ, & Ecclesiis SS. PETRI & ALEXANDRI *Aschaffenburg*, & S. PETRI *Fritzlariæ* occurrunt Capitula clausa. In DIOECESI TREVIRENSI 8. numerantur Ecclesiæ Capitulis clausæ, nempe *Collegiata* ad S. CASTOREM *confluentiæ*, S. FLORINI ibidem, S. CLEMENTIS *Majoniæ*, ad GRADUS B. V. *Wesaliæ superioris*, S. LUBENTII *Dietkirchii*, B. M. V. *Wetzlariæ*, S. PAULINI *Treviris*, & S. SIMEONIS ibidem. *a*) in DIOECESI COLONIENSI nulla, excepta Ecclesia Metropolitana extare Capitula clausa, litteris redditi sumus certiores. In DIOECESI WÜRCEBURGENSI Capitula clausa occurrunt in Ecclesiis equestribus ad S. BURCARDUM *Würceburgi*, & *Comburgi*, nec-non in collegiata ad utrumque S. JOANNEM in *Haugis*, & ad S. P.

i) In aliquibus tamen veluti Constantiensi quilibet Domicellaris, antequam accedat Capitulum debet absolvere 5. annos careptiæ & annum residentiæ, & ideo dicuntur Domicellares ibidem *expectantes*, quibus annis elapsis demum expectans debitis requisitis provisus accedere potest Capitulum.

a) In Diœcesi Trevirensi Domicellares in Ecclesiis, ubi Capitulum clausum non est, dicuntur *expectantes*, qui absolutis annis carentiæ & residentia mox accedunt Capitulum, in Ecclesiis autem, ubi Capitula sunt clausa, dicuntur *extra-Capitulares*, qui absolutis licet annis carentiæ & residentia non possunt accedere Capitulum, sed expectare tenentur, donec præbenda Capitularis vacet.

S. JOANNEM EVANGELISTAM *Novi Monasterii*. In DIOECESI WORMATIENSI Capitulum clausum extat in ECCLESIA B. V. *Wormatiæ b*)

§. XXV.

Etiam in Capitulis Clausis exceptio est ratione certarum Præbendarum Doctoralium, presbyteralium, specialiter Privilegiatarum &c. quarum possessor mox ad Capitulum admittitur.

Licet autem in regula in Ecclesiis, ubi Capitula clausa sunt introducta, nullus Domicellarium licet absolutis annis Carentiæ, ubi obtinent, & residentia peracta, omnibusque provisus qualitatibus Capitulum accedere nequeat, sed exspectare teneatur, donec præbenda Capitularis vacet, & ipsi in ordine proximo concedatur aditus, hæc tamen regula suas patitur exceptiones, dum Domicellares certarum possessores præbendarum debitis requisitis provisi, præstitisque secundum statuta Ecclesiæ præstandis accedere possunt Capitulum, acsi illud haud esset clausum, & quidem 1) huc spectant præbendæ sic dictæ Doctorales, quorum possessores plerumque mox accedunt Capitulum, ideo autem hæ præbendæ, particulariter sunt privilegiatæ, quia Ecclesiarum particularium intererat, ut certus Canonicorum graduatorum, qui præsumptionem eruditionis pro se habebant, numerus semper extaret in Capitulo, qui Episcopo vel Decano suis assisterent consiliis, *a*) & ideo clausura Capituli hosce præbendatos haud stringit, sed ille, qui præbenda Doctorali provisus, ceterisque pro exigentia Ecclesiæ ornatus est qualitatibus, ad Capitulum mox debet admitti. *b*) Et quidem ad hoc magis adhuc contribuit conciliorum Ecclesiæ universalium & Pontificium pro Doctoribus favor: cum enim inter Causas depravati Cleri Sæculis XIII. XIV. & XV. referretur crassa ejus ignorantia, inter remedia reformationis pro hoc malo tollendo per legatos nationis

b) In ECCLESIA COLLEGIATA B. V. *in Wurtzen* Misnensis Diœceseos pariter quondam fuit Capitulum clausum, prout eruitur ex *Statutis* prædictæ Ecclesiæ nunc sæcularisatae de anno 1505. n. 4. seq. in LUNIGII *Spicil. Eccles. Contin.* I. p. 841.

a) Hæc etiam fuit ratio, cur in Belgio Constitutis a PHILIPPO II. Hispaniarum Rege novis Episcopatibus ordinati simul fuerint *Canonici graduati*, quorum beneficia ab omnibus reservationibus, expectativis &c. sunt exemta, testante ESPENIO *in J. Eccles. univ.* P. I. T. X. c. 1. n. 7.

b) Dicuntur tamen extare Ecclesiæ quædam, ubi Capitula clausa sunt introducta, quin præbendati Doctorales præ reliquis habeant prærogativam, sed more reliquorum Domicellarium in suo ordine expectare teneantur, consequenter ubi hoc specialiter est receptum, observantia pro norma inservit.

nis Teutonicæ in *avisamentis Constans. c)* propita proponebatur quoque Doctorum ad Canonicatus potissimum Cathedrales admissio; satisfactum quoque fuit nationis petito a patribus, ac in statutis generalibus de Ecclesiæ reformatione determinatum fuit, ut gradus Doctoratus vel Licentiæ in S. pagina, Jure Canonico, vel civili pro quacunque Nobilitate reputentur. 2.) In dignitatibus primis post pontificalem in Cathedralibus vel principalibus Collegiatis, & aliis Jurisdictionem habentibus doctoratus vel licentia divini vel humani Juris requiratur, in cœteris dignitatibus sufficiat Baccalaureatus cum lectura Triennii. 3.) In qualibet Cathedrali Ecclesia non solum nobiles & militares, sed & Magistri in Theologia, Doctores & graduati vel indifferenter, vel ad certum numerum, sed non pauciores, quam 4. admittantur. Conf. HERMANN von der HARD *actor. Concil. Constans.* T. I. P. X. C. 35. p. 638. hæc quoque confirmata sunt in Concilio Basileensi, uti patet ex *Decreto* in favorem graduatorum die XI. Dec. 1435. condito, quod extat in CONCILII BASILEENS. *appendice prima* T. XII. *collect. Concil. Labbai* n. 19. p. 822. quæ de admittendis Doctoribus ad Canonicatus statuerunt Constantiense & Basileense concilia, restrinxerit ad Doctores Theologiæ & Juris Canonici. CONCILIUM TRIDENT. sess. 24. C. 12. *de reform.* disposuitque, ut omnes dignitates vel saltem dimidia pars Canonicatuum in Ecclesiis Cathedralibus & collegiatis conferantur Doctoribus Nec Pontificum variorum pro Doctoribus defecit studium: sic Bonifacius VIII. pontifex dedit Ecclesiæ Cathedrali Halberstad. privilegium, quod extat in LUNIGII *Archiv. J. spicil. Eccles.* P. 2 im Anh. p. 35. ut nullus admittatur in Canonicum prædictæ ecclesiæ: „nisi de nobili vel ad minus militari ge„nere ex utroque parente procreatus vel saltem in S. Theologia professus, aut „in Jure Can vel civili Licentiatus & Doctor existat. Confirmavit hocce privilegium Eugenius IV. a. 1446 cujus *bulla* extat l. c. p. 52. similiter Sixtus IV. pontifex a. 1474. statuit, *nequis ad 8. prabendas presbyterales in Ecclesia Metropol. Coloniensi admittatur, nisi Doctor S. Theologia vel Decretorum aut legum vel saltem licentiatus. Bulla* extat in JOH. GEORG. CRAMERI Comment. *de Juribus & prarogativis Nobilit. avita* T. I *in append.* n. 14. & in BULLARIO M. T. IX. p. 283. pariter Sixtus IV. a. 1476. ordinavit, nequis imposterum in Misnensi, Naumburgensi, & Martisburgensi Ecclesiis Cathedralibus inter Canonicos cooptetur: nisi nobilis de militari genere ex utroque parente & de legitimo matrimonio procreatus, aut in Theologia utroque vel altero Jurium Doctor vel Licentiatus, vel Medicinæ Magister existat. BULLA extat l. c. n. 15.

Quem Concilia generalia & pontifices favorem Canonicis Doctoribus exhibuerunt, eundem & Imperatores cum statibus Imp. declararunt, cum enim in

c) Legi possunt in GOLDASTI *Constit. Imp.* T. I. p. 391. & in GEORGII *gravamin. nationis germ.* p. 194.

in congressu Pacis Westphalicæ urgeretur Doctorum ad Capitula Cathedralia admissio, variaque desuper agerentur, prout demonstrant *acta* in MEJERI T. III. p. 163. 187 427. 437. T. IV. p. 91. 119. 182. &c. tandem Communi paciscentium consensu in utroque instrumento admissio Doctorum ad Canonicatus fuit confirmata, & quidem art. V. §. 17. *Inst. Osnabrug.* & §. 47. *Monasteriensi*, ubi sancita in art. V. & VII. *Instrum. Osnabrug.* generaliter approbantur. *d*) Verum hisce suppositis non tamen in omnibus regni Germ. Ecclesiis prædicta Pontificum privilegia, conciliorumque decreta effectum habuerunt. Nobilitas enim Germ., quorum majores ad fundationes & dotationes Ecclesiarum multum contulerant & Capitula Cathedralia, & equestria tanquam nobilitatis Seminaria respexerunt, de excludendis, vel plane non admittendis Doctoribus haud nobilibus statuta fecerunt, quæ vel ab ipsis etiam pontificibus, vel longa observantia sunt confirmata: & contra conciliorum prædictorum Decreta firmata. *e*) in multis tamen Germaniæ Ecclesiis Cathedralibus & equestribus immedia-

d) Ex protestantibus de hoc argumento egerunt BUDERUS in program. *de gratiis ad obtinendas præbendas Doctoribus academicis concessis.* & in Diss. *de jure Doctorum ad Canonicatus.* Et GEORG. LUDOV. BOEHMER in program. *de Jure Promotorum asperandi ad beneficia Eccles.* ex parte Catholicorum huc spectant *acta Canonicatus Constans. Caspari Siberi* 4. edita.

e) Sic in Ecclesia Metropol. Moguntina exclusis semper Doctoribus non nobilibus, nonnisi ex ordine illustrium vel nobilium ad præbendas Canonicales fuere admissi, id quod sequentibus firmatur argumentis: 1) quales motus a nobilitate jam Sæculo X., dum WILLIGISUS humilioris conditionis ab OTTONE II. Imp. creatus fuit Archi-Episcopus Moguntinus, excitati sint, paucis refert DITMARUS MERSEBURG. in LEIBNITII *Script. rer. Brunswic.* T. I. p. 342. 2.) Patet ex Elencho Canonicorum Metropol. Ecclesiæ in JOHANNIDIS *Script. rer. Mogunt.* T. II. p. 212. ubi licet occurrant multi Doctores & Licentiati, fuere tamen illi omnes statu nobiles. 3.) Stabilitur ex eo, dum pristina consuetudo etiam contra Decreta Conciliorum Constans. & Basileensis fuit servata 4.) Illud patet ex BULLA ALEXANDRI Pontificis a. 1501. rogatu BERTHOLDI Hennebergici Electoris Mogunt. concessa in L. B. de GUDENUS *Cod. Dipl.* T. IV. p. 540. seq. ubi habetur, *quod juxta statuta & consuetudines Ecclesiæ Moguntinæ, ac privilegia & indulta per Sedem Apostolicam concessa, & ab antiquissimo tempore observata. -- in dicta Moguntina Metropolitana & insigni nulli ad illius, nisi de illustrium, Ducum, Principum, Comitum, & Baronum seu Nobilium genere, qui ad minus ex 4. ascendentibus* (quod postea ad 16. gradus extensum) *& ex illo gradatim descendentibus nobilibus-antecessoribus suis recta linea ac Militari genere sint procreati, admittantur.* Nec in ECCLESIA METROP. TREVIRENSI admittuntur Doctores; quomodo Ecclesiæ Cathedralis Argentoratensis Capitulum jam Sæculo XIII. prætenderit, nonnisi nobiles admitti ad suam Ecclesiam posse, licet se opposuerit GREGORIUS IX. Pontifex, eruitur ex cap. 37. X. *de præb. quod a tanto tempore, cujus initii memoria horum non exi-*

mediatis ad effectum deductæ sunt, vel ab antiquo servatæ sunt admissiones Doctorum, in quorum Capitulis Doctores Theologiæ & Juris rite promoti certo numero non solum stallum in Choro, sed locum quoque, paucis exceptis, *f*) in Capitulo obtinuerunt, & ad dignitates scholastici, custodis, aliasque imo antiquoribus temporibus ad Episcopalem dignitatem ascenderunt. *g*) quia autem

existit, nullus in Canonicum Ecclesiæ Cathedralis Argentinensis recipi possit, nisi de militari genere, & legitimo Thoro ex utroque parente procreatus existat, refert, & hanc consuetudinem confirmat JULIUS II. Pontifex in BULLA, quæ extat in JOH. GEORG. CRAMERI Comment. *de jure & prærogativis Nobilit. avitæ*. append. p. 533. adeoque & in ECCLESIA CATHEDRALI MONASTERIENSI nunquam recepti fuerunt Doctores. Id quod confirmavit BONIFACIUS IX. testante BULLA l. c. p. 538. seq.

f) Sic *e. g.* non habent votum passivum in Electionibus Episcoporum &c.

g) Si perlustremus Ecclesias Metropol. & Cathedrales Germaniæ, in quibus adhuc Doctores ad præbendas admittuntur, primo loco occurrit Ecclesia Metropol. Coloniensis, ubi VI. Canonicatus presbyterales vi Bullæ SIXTI IV. conferendi sunt Doctoribus; duos autem Canonicatus confert universitas Coloniensis, de quibus ultimis fusius egit BUDER in cit. program. *de gratiis ad obtinendas præbendas Doctoribus Academicis concessis.*

a.) Quod in 12. Ecclesiis Suffraganeis Ecclesiæ Metropol. Moguntinæ veluti WORMATIENSI, HERBIPOLENSI, SPIRENSI, EUCHSTETTENSI, CONSTANSIENSI, ARGENTORATENSI, CURIENSI, HILDESIENSI, VERDENSI, PADERBORNENSI, AUGUSTANA, & HALBERSTADIENSI, præter nobiles, & de militari genere procreatos Magistri in Theologia aut in utroque seu altero jurium Doctores seu Licentiati admissi fuerint Sæculo XVI. patet ex cit. BULLA ALEXANDRI Pontificis de anno 1501. & testimonio BERTHOLDI HENNEBERGICI Electoris Moguntini, qui tanquam Metropolitanus optime scivit Ecclesiarum suarum Suffraganearum consuetudines, ibidem adducto in L. B. de GUDENUS COD. DIPL. T. IV. p. 540. seq. & in specie de admissione Doctorum ad ECCLESIAM HALBERSTADIENSEM supra allegata sunt Diplomata Pontificia, & CONSTANTIENSES CANONICI DOCTORES memorantur in *actis Synod.* Episcopi MARCI SITICI a. 1567. in LUNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* cont. II. p. 482. nec alia eatenus deficiunt testimonia. Verum ratione prædictarum Ecclesiarum ingens post illa tempora facta est mutatio, dum nonnisi in paucissimis antiqua servata est consuetudo, sic in Ecclesiis Wormatiensi, Herbipolensi, Spirensi, Eichstettensi, Argentorat., Hildesheimensi, & Paderbornensi nullos hodie admitti doctores, eosque per recentiora statuta exclusos fuisse, extra omnem positum est controversiam, quin etiam talia Statuta Pontificia authoritate confirmata fuerint, vix erit dubitandum. In Constantiensi, Curiensi, & Augustana Ecclesiis autem adhuc ad hodiernum usque diem admittuntur certo numero Doctores.

ß.) Quod ad ECCLESIAM METROP. BREMENSEM admissi fuerint quondam Doctores, docuit JOH. SCHENCKING in *Libello ad omnes S. R. I. & singularum* pro-

tem pauci plerumque numero servati sunt Canonici Doctores in Ecclesiis Cathedralibus, & pro illis militabat ratio, ut a consiliis semper essent in Capitulo, sic introductis successive Capitulis clausis, vel illi ad introducendum Capitulum clausum respectu præbendarum Doctoralium haud consenserunt, vel sponte hoc illis emolumentum, cum aliis carerent, fuit relictum, ut non obstante respectu aliorum Capitulo Clauso illi debitis requisitis instructi ad illud mox reciperen-

provinciarum ordines ipsosque Canonicos Monaster. adversarios. a. 1576. edito p. 153. clarissime autem probatur ex STATUTIS *Ecclesiæ Brem.* de a. 1617. in LUNIGII *Archivio Imp. Spicil. Eccles.* Contin. III. p. 960. uti C. I. statuitur: „*ut in posterum nemo assumatur vel eligatur in Canonicum Bremensem, nisi sit illustris, nobilis vel graduata persona, nimirum Doctor aut utriusque Juris Licentiatus.*. Et statuto 6*to* injungitur præbendato Doctori, *ut solvat statuta ut nobilis, nisi Capitulum ex singulari quadam gratia & causa rationabili super statutis solvendis pro toto vel parte cum illa dispensare voluerit.*

4.) In BRIXINENSI ECCLESIA Cathedrali plures Canonicos Jurium Doctores postea Episcopos electos ex regestis Archivii PH. PSAERTL A SOMMERSBERG Cancel. aul. & archiv. commemoravit **in der Beschreibung des Fürstlichen Hochstiffts und Bistums Brixen** in LUNIGII *Spicil. Eccles.* 3*tia & ult. cont.* p. 686. seq. ibi etiam adhuc hodie admittuntur Doctores. conf. IMHOF *in Notitia procerum Imp.* p. 179. inter Basileensis Ecclesiæ canonicos pariter Doctores recenset IMHOF l. c. p. 183.

5.) In ECCLESIA FRISINGENSI admittuntur quoque Doctores. conf. MEICHELBECK *in Hist. Frising.* T. II. p. 155. & 208.

6.) Inter Canonicos ECCLESIÆ Cathedralis RATISBONENSIS Doctores quoque numerat IMHOF l. c. p. 163.

7.) Quod ad Ecclesiam Cathedr. Leod. admittantur Doctores, patet ex *Bulla* SIXTI IV. Pontificis confirmatoria Privilegiorum Eccles. Leod. de a. 1451. in LUNIGII *Arch. J. Spic. Eccl. Contin.* III. p. 1099. ubi habetur: *& cum sicut accepimus, inter alia statuta & ordinationes Ecclesiæ Leod. caveri dicatur, quod nullus in ipsius Ecclesiæ Canonicum recipi possit, nisi de militari genere procreatus, aut Doctor vel Licentiatus existat.*

8.) Quod in Ecclesiis Cathedralibus MISNENSI, NAUMBURGENSI, & MARTISBURGENSI admissi fuerint Doctores, constat ex allegata SIXTI IV. *Bulla* de a. 1476. & in Specie de Ecclesia Martisburg. Hoc confirmatur ex *Epistola* MICHAELIS Episcopi Martisburg. d. d. Dom. Trinit. a. 1551. ad facultatem Theologicam Moguntinam exarata, & adhuc in archivio universitatis asservata pro Philippo Arbogasto, cui canonicatus cum Præbenda in Ecclesia Martisburgensi fuerat collatus, ut mox promoveretur in Theologiæ Licentiatum, ubi legitur: „sed cum Statuto Ecclesiæ a possessionibus Canonicatuum arceantur, qui aut nobiles aut in Doctrinarum dignitatibus & gradibus constituti non sunt, eundem Philippum ad R. D. V. misi, ut licentia theologiæ insigniretur: „ denique in ECCLESIA PRÆPOSITURÆ IMMEDIATÆ ELLWANGENSIS præbendæ quædam Doctoribus sunt deputatæ.

rentur. IIdam exceptionem constituunt præbendæ Canonicales *professuris Juris* potissimum *Canonici* in Academiis annexæ, quibus provisi non obstante Capitulo clauso præstitis de cœtero præstandis ad Capitulum & præbendæ perceptionem admittuntur. *b*) Et quidem privilegia hæc stabilitis jam professuris vel in ipsis Capitulorum clausorum statutis postea conditis vel in confirmationibus Episcopalibus & pontificiis, cum nihil in detrimentum prædictorum præbendatorum pro bono publico laborantium & eatenus in specie privilegiatorum statui potuerit, fuerunt reservata, vel in concessis noviter universitatibus privilegiis hoc beneficium professoribus, quibus Salarii & sustentationis loco præbendæ Ecclesiarum plerumque fuerunt assignatæ, authoritate Episcopali vel pontificia expresse fuit concessum. IIItiam faciunt exceptionem *Canonicatus* sic dicti *presbyterales* vulgo Priester-Præbenden, in variis Ecclesiis Metropol. & Cathedralibus stabiliti, quibus provisi absoluta residentia & presbyteri ordinati non obstante Capitulo clauso præ omnibus aliis Domicellaribus, qui priorem canonicatuum possessionem obtinuerunt, per saltum ad Capitulum, & integram præben-

b) Universitati Trevirensi in quavis Diœceseos Trevirensis Ecclesia Collegiata assignata fuerat a Pontificibus præbenda, verum paucæ venerunt ad effectum: Professor tamen Juris Canon. ibidem adhuc fruitur Canonicatu & præbenda in Ecclesia S. Simeonis Trevirensi, ac non obstante Capitulo clauso absolutis annis carentiæ ac residentia consueta accedit capitulum. Dum SIXTUS IV. Pontifex a. 1477. noviter fundatæ Universitatis Moguntinæ constitutis Professoribus sustentationis loco assignavit Canonicatus & Præbendas in omnibus Diœceseos Moguntinæ Ecclesiis Collegiatis, licet in variis jam tum temporis fuerint introducta Capitula clausa, assignatus tamen est mox a tempore adeptæ possessionis integrarum perceptio præbendarum, & statuitur in BULLA: „prædictæque personæ postquam ad eorundem Canonicatuum, & „præbendarum possessionem fuerint admissæ, statim illorum fructus, reditus, „& proventus percipere possint cum integritate„ & injungitur Diethero Archi-Episcopo Moguntino: „ut professoribus post collatam possessionem „mox in Canonicos recipi, & in fratres stallo sibi in choro, & loco in Ca„pitulo singularum cum plenitudine Juris can. assignari, & de ipsorum Cano„nicatuum & præbendarum sibi collatarum fructibus, reditibus, proventibus „juribus & obventionibus universis integre ministrari.„ In Statutis Ecclesiæ Cathedralis Lubecensis, ubi secundum supra deducta vigebat Capitulum clausum, in ERNST. TOB. de WESTPHALEN *monum. ined.* T. II. p. 2431. tit. 9. legitur: „Præbenda una de majoribus deputata est per sedem Apostolicam „perpetuis futuris temporibus pro Magistro, & Lectore in Theologia in Ec„clesia Lubecensi... & statutum est per Episcopum & Capitulum & per Se„dis Apostolicæ confirmationem, quod Magister vel Baccalaureus, quam ci„to prædictam præbendam assequitur, debet statim in sua receptione omnes „& singulos fructus ipsius præbendæ sine aliqua diminutione integre percipe„re cum omnibus Juribus, reditibus, emolumentis, stallo, loco, & gradu, „prout Senior incorporatus Canonicus habere consuevit.„

bendam admittuntur. *i*) Ratio hujus instituti in eo est posita, ut cum reliqui Capitulares plerumque tantum in Subdiaconatus ordine essent constituti, contingeretque nullos sæpe inter illos numerari presbyteros, tales tamen indispensabiliter ad sacra in festis solennioribus a Canonicis ex officio peragenda *k*) essent neces-

i) Præbendæ tales presbyterales 4. extant in Ecclesia Metrop. Moguntina, & quænam particularia circa illas observanda sint, jam supra fuit expositum: de cœtero unus ex prædictis 4. Canonicis presbyteris ARCHIPRESBYTERI Ecclesiæ, & civitatis Moguntinæ fungitur munere. quod a *Rmo* Ecclesiæ Metropol. Præposito confertur, cujus fundamentum, cum plurimis sit incognitum, hoc loco notandum, quod præpositus Ecclesiæ Metrop. Mogunt. (qui fuit Archidiaconus Civitatis Mogunt. & magni tractus Diœceseos Mog. cis Rhenum usque ad limites Diœcesium Trevir. & Metensis. conf. Diploma in AUGUSTINI CALMET *preuves de l'histoire Eccles. & Civile de Lorraine* p. CCCXXXVIII.) qua Archidiaconus Civitatis Mogunt. constituerit olim Archipresbyterum civitatis Mogunt. sicut præpositus Ecclesiæ S. Martini Bingensis qua Archidiaconus prædictæ civitatis constituit Archipresbyterum prædictæ civitatis testantibus statutis Ecclesiæ Bing. & hoc unicum adhuc hodie superest pristini Archidiaconatus R*dmi* præpositi Ecclesiæ Metrop. Mogunt. vestigium. De cætero licet hic Moguntiæ Archipresbyteratus non, sicut in aliis Ecclesiis obtinet, referatur ad dignitates Ecclesiæ Metropolit. & eatenus nulla competat proëdria, olim tamen amplioribus gaudebat prærogativis Ecclesiæ Metropol. Archipresbyter, dum scilicet Jurisdictio Ecclesiastica in Diœcesi Moguntina in prima Instantia adhuc exercebatur per Archidiaconos seu præpositos Ecclesiarum Collegiatarum nomine Archidiaconi civitatis Mogunt. ex potestate delegata Jurisdictionem Ecclesiasticam in prima Instantia per civitatem Moguntinam exercuit Archipresbyter Moguntinus a Præposito Ecclesiæ Mog. secundum dicta constitutus, præsertim beneficiorum intuitu, suumque eatenus habuit officialem: monumentum hujus rei exhibet GUDENUS *in Cod. Dipl.* T. III. p. 884. dum memorat a. 1327. circa collationem beneficii in Capella S. Stephani (quæ erat contigua Ecclesiæ S. Agnetis, & postea evanuit beneficio ad Ecclesiam S. Agnetis translato) controversiam ventilatam fuisse inter Capitulum Ecclesiæ S. Joannis, & hæredes Dapiferi Sifridi puncto Juris Patronatus coram officiali Archipresbyteri Moguntini, & Sententiam in favorem Johannitarum latam fuisse. De Archipresbyteratu civitatis Bingensis Christiani Archiepiscopi Moguntini Constitutio extat apud GUDENUS l. c. p. 1116. & aliud Diploma de a. 1291. p. 1172. ab hisce Archipresbyterorum & respective Archidiaconorum Judiciis appellabatur ad *Judices S. Sedis Moguntinæ* seu hodiernum Vicariatum generalem, de quo alibi erit agendi occasio. Sicut autem immutata Diœceseos Moguntinæ politia Ecclesiastica sublatis Judiciis Archidiaconorum substituti sunt in Provinciis sic dicti Commissariatus Archiepiscopales pro prima Instantia, sic evanuit quoque Archipresbyterorum & Archidiaconorum Jurisdictio, quibus saltem tanquam vestigium pristini Juris facultas dandi investituram beneficiorum simplicium remansit.

k) Sic in Ecclesia Metropol. Moguntina Archipresbyter in festis solennioribus Archiepiscopo sacrificanti assistit, vel nomine ejus summum celebrat sacrum.

necessarii, sic certis præbendis assignatum fuit onus, ut eorum possessores essent aut presbyteri, illique ad perpetuam & strictissimam tenerentur residentiam *l*) quod onus per illud commodum sublevatum est, ut obtenta mox præbenda, præstitis more consueto præstandis ad Capitulum, & integram præbendam admittantur tales præbendati. *m*) IV*to* excipiuntur *præbendæ* quoad hocce caput specialiter *privilegiatæ*, sic JOHANNES III. Episcopus Lubecensis a. 1266. fecit STATUTUM, ut præsentandi ad præbendas noviter fundandas in Ecclesia cathedrali præ reliquis expectantibus non obstante Capitulo clauso gaudeant prærogativa, ut mox accedant Capitulum, *n*) in verbis: „sane cum nonnulli divinæ „illustrationis gratiam adepti cupientes in Ecclesia Lubecensi perpetuam memo„riam assequi, de suis possessionibus & rebus mobilibus salubriter disponant, „præbendas novas instaurare, & numerum personarum Deo obsequentium ta„liter augmentare, nos eorum pia devotione provocati de consensu totius Capi„tuli decrevimus statuendum, ut siqui ad hujusmodi beneficia de novo instituta „Canonice fuerint recepti, gratiam in Ecclesia assequantur specialem, videlicet „ut stallo in Choro, voce in Capitulo, integrationis quoque supplemento uni„versis expectantibus quacunque authoritate receptis nondum percipientibus „sine impedimento quolibet præferantur.„ in conformitatem prioris statuti idem JOHANNES III. a. 1269. speciale concessit *privilegium* intuitu præbendæ fundatæ a Sifrido de Borcholt cive Lubecensi. *o*) ubi habetur: „præterea nos sinceritatis & devotionis dicti Sifridi pensata circa nostram „Ecclesiam benevolentia, de consensu & voluntate nostri capituli ipsum „specialis gratiæ privilegio duximus honorandum. Ipse & Margare„tha uxor sua sublata persona, quam olim præsentaverint, quo adjunxe„rint alium, quem decreverint, præsentabunt, quem sine difficultate qualibet „instituemus, & eum in Canonicum & fratrem in Ecclesia nostra recipi facie„mus, ad quod peragendum eisdem viventibus successores nostri similiter te„nebuntur.„ Denique in Diplomate fundati ibidem novi Canonicatus dato ab HENRICO II. Episcopo Lubecensi a. 1332. *p*) disponitur, *quod Canonicus eandem præbendam tenens pro tempore vocem in Capitulo, & stallum in Choro habere debeat.*

l) Hæc Residentia ita est captiosa plerumque, ut neglecta residentia sine debita dispensatione ipsa amittatur præbenda.

m) In Ecclesiis Cathedralibus, ubi adhuc extant præbendæ Doctorales *e. g.* in Coloniensi, qualitas presbyteralis cum onere perpetuæ residentiæ hisce præbendis plerumque fuit adjuncta.

n) Extat in LÜNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles.* P. 2. p. 316.

o) Extat. l. c. n. 55. p. 317.

p) L. c. p. 341.

debeat. Vto denique excipiuntur Canonicatus, *quibus cura animarum seu Parochia est annexa*, horum enim possessores non obstante capitulo clauso mox ad Capitulum & integram præbendam admittantur, cum enim curam animarum exercentes congruam debeant habere sustentationem, sic non poterant illi Canonici parochi ad ordinem canonicorum expectantium reduci & hæc egregie illustrantur ex STATUTIS *Ecclesiæ collegiatæ B. V. in Wurtzen* Misnensis Diœceseos in LÜNIGII *Archiv. J. Spicil. Eccles. Cont. I.* p. 842. ubi hæc leguntur §. 12. „Item statuimus, quod quandocunque contingeret vacare per mortem, sive „subitaneam cessionem præbendam Domini Ludolffi Parochiam in Pouch, quod „ex tunc plebanus in Pouch debeat cum plenitudine Juris Can. dici & esse Ca„nonicus Ecclesiæ Wurcensis, & similiter habere pensionem cum parochia, „prout bene experti fuimus, ipsum & fuisse ab antiquo & sicut Dominus Ot„to Scholasticus piæ memoriæ suam Parochiam in Wurcen pari modo dignosci„tur ante incorporationem habuisse, & idem Canonicus debet habere stallum „in Choro, vocem in Capitulo secundum ingressum suum & quando in loco „vel servitio fuerit Divino, tunc debet recipere cum aliis Canonicis in manua„libus sive cotidianis distributionibus æqualem portionem tam in denariis, quam „in pane, & septimanis ipsum ex ordine suo contingentibus summas vel primas „missas in festivitatibus observare, similiter in providendo, legendo, aut can„tando per se ipsum aut alium Vicarium horam & ordinem suum recipere te„nebitur, & etiam in ejusmodi constitutionibus debet ut alter Canonicus suffi„cienter providere, ne aliqua negligentia divini officii vel confusio ex suo no„mine oriatur, qui per Dominum Præpositum ut plebanus debet institui cura „animarum, & investiri, & ejus mandata ratione Parochiæ recipere, & exe„qui, per Decanum vero & Capitulum in Canonicum recipi debet & installari, „& debet etiam Decano in omnibus & singulis licitis & honestis ratione præ„bendæ, sicut alii Canonici obedire, nec non ejus mandata recipere, quando „& quoties fuerit requisitus.„ *q*) De cœtero tamen Domicellares capaces & volentes habebant Jus quæsitum, ut ad illam præbendam curatam præ extraneis admitterentur, quod patet ex subjunctis, dum dicitur: „prædicta etiam paro„chia in Pouch debet per D. Decanum nomine unius præbendæ conferri, & as„signari uni sacerdoti de minoribus præbendis volenti eam pro sua præbenda „acceptare, vel qui infra annum possit promoveri, vel etiam extra Ecclesiam „cuicunque idoneæ personæ volenti, & valenti infra terminum Juris in sacerdo„tem promoveri: tamen de consensu Capituli & Decanus vel Senior super hu„jusmodi collatione debet Capitulum indicere. Si nullus de Canonicis expectan-

tibus

q) Exemplum quoque hujus rei se jam sistit in Ecclesia Collegiata Moguntina S. Petri, respectu cujus novissime Capitulum clausum fuit stabilitum, & inter cujus præbendas Canonicales occurrit præbenda, cui annexa est Parochia Altavillana in Rhingavia.

„tibus decrevit ipsam parochiam pro sua præbenda acceptare, quod tamen non „debeat ei in Jure ad assecutionem aliarum præbendarum suo loco in aliquo „præjudicare.

§. XXVI.

Commoda, incommoda & effectus Capitulorum clausorum.

Sicut autem omnia fere per recentiorem disciplinam Ecclesiasticam introducta non solum sua numerent commoda, verum illa etiam vel per accidens vel contra superiorum intentionem ac finem institutionis sua habent incommoda, ac sinistros sæpe producunt effectus, sic idem merito dicendum de *Capitulis clausis:* & quidem commoda Capitulorum clausorum eo redeunt; quod 1) illorum introductio opportunum fuerit, & adhuc sit remedium, quo necessitatibus Ecclesiarum secundum supra exposita subveniatur. 2) Quod adhibito hoc remedio numerus præbendarum & titulorum antiquus conservetur illibatus, nullumque contra mentem fundatorum extinguatur beneficium. 3.) Quod Canonici Capitulares talium Ecclesiarum non solum congruam, sed & plerumque lautiorem habeant sustentationem, & licet per tempus sint exclusi, suo tamen tempore eo pinguiores nanciscantur præbendas. 4.) Capitula in suo statu Canonicorum pristino conserventur, nec facile innovatio quædam sit metuenda. Verum sua quoque haud deficiunt vario respectu incommoda; a) nam 1.) receptus ad præbendam in Ecclesia, ubi introductum est Capitulum clausum, vix assequitur vita, ut ad Capitulum & integram præbendæ perceptionem deveniat, nisi in prima Juventute vel infantia præbenda donetur. b) Ubi autem 2.) destinantur sæpius ad statum Ecclesiasticum infantes, ac pueri, qui ad maturam pervenientes ætatem nullam ad statum Ecclesiasticum vocationem sentiunt, sed ob facilem ex reditibus Ecclesiasticis sine labore sustentationem, ordinem, cui a parentibus destinati sunt, amplectuntur, adeoque 3.) in talibus Ecclesiis nec Jus Can. commune, nec Tridentinum in adipiscentibus beneficia Ecclesiastica pubertatem eo fine requirens, ut suam tales inquirere possint a Deo factam vocationem, cum detrimento Disciplinæ Ecclesiasticæ haud observetur, cum-

a) Non mihi suscipietur, prout confido, in malam partem, si cordate libertate quadam Ecclesiastica & academica recenseam ea pro materiæ necessitate, quæ non solum veritati sunt consentanea, sed & cuivis in Rebus Ecclesiasticis perito sufficienter innotescunt.

b) Nisi forsan, quod rarius contingit, varii ætate vel morbis fracti numerarentur inter Capitulares, & plurimi Domicellarium ob deficientes qualitates aspirare haud possent ad Capitulum, ubi ultimus Domicellarium debitis qualitatibus provisus, qui brevissimo expectavit tempore, prout hic Moguntiæ aliquoties contigit, vacante præbenda Capitulari ascendere possit ad Capitulum.

cùmque Domicellares talium Ecclesiarum longissimo tempore sine reditibus congruis expectare teneantur locum in Capitulo, sic exinde enascitur 4*tum* incommodum, necessitas scilicet, & occasio plura quærendi beneficia, & dum suo tempore accedit admissio ad Capitulum cum præbenda, sic adest in eadem persona cumulus præbendarum Canonibus adeo invisus.

§. XXVII.

Si autem Capitula Clausa legitime fuerint introducta, in regula impugnari nequeunt.

Verum omnibus hactenus recensitis incommodis per accidens sæpe resultantibus non obstantibus, si in Ecclesia quadam Capitulum clausum legitime, prout supponitur, & cum debitis requisitis *a*) introductum fuerit, dubio procul

a) Quænam requirantur ad Capitulum clausum in Ecclesia legitime introducendum, ex corpore Juris Canonici addisci haud potest, nullum enim in eo, quantum nobis omni licet adhibita solertia indagare licuit, de Capitulis clausis occurrit vestigium, licet enim ibi de certo numero Canonicorum Ecclesiarum hinc inde fiat mentio, non tamen Capitulum clausum exinde inferri potest; ex quo simul confirmatur stabilita supra Thesis, quod Capitula clausa veteri Ecclesiæ Disciplinæ incognita fuerint, & ad recentioris disciplinæ instituta referri debeant. Pariter si concilia diversarum Nationum provincialia pervolvamus, vix aliquam de Capitulis clausis mentionem deprehendemus, adeoque omnia circa hanc materiam principia ex sola Juris communis Canonici Analogia & Statutis Ecclesiarum desumenda sunt. Quid autem in genere Juris sit circa Statuta Capitulorum, deduxit VAN ESPEN *in J. Eccles. univ.* P. I. T. VII. c. V. n. 12. fruuntur scilicet universitatum Ecclesiasticarum Juribus Capitula, & sic Jure pollent collegiali statuendi de illis, quæ ad rem Capituli pertinent, dummodo quoad modum legitime procedatur; quia autem per Canones servere inhibetur Capitulis talia statuere, quæ inæqualitatem tanquam matrem rixarum sapiunt, & ut verbis TRIDENTINI Sess. 24. c. 14. de reform. utar, *conditiones, deductiones ex fructibus, compensationesque illicitas, turnorum lucra &c. complectuntur*, sic ad capitulum clausum legitime constituendum requiritur 1.) Manifesta Ecclesiæ necessitas, & quia omnia, quæ concernunt Jura Ecclesiæ vi Canonum legitime ab Ecclesiæ membris determinanda sunt, sic requiritur 2.) Conclusum Capituli legaliter conditum, quia etiam 3) variis veluti Domicellaribus ante tale statutum admissis Jus quæsitum afferri nequit, sic pro circumstantiis requiritur consensus illorum, quorum interest, vel si tales consentire, & Juri quæsito renunciare nolint, statutum non nisi salvo horum Jure pro futuris temporibus condi poterit. Cum etiam Capitulum clausum ad statuta Juri communi contraria referendum sit, sic opus est 4.) Causæ cognitione a legitimo superiore per modum Commissionis forsan instituenda. Et 5.) denique vigore C. 8. & 9. x. *de constit.* & C. 9. x. *de Consuetud.* Confirmatio Episcopalis vel Pontificia requiritur. Quæ requisita si adsint, non

cui hocce Capituli institutum ad legitimas Ecclesiarum observantias & consuetudines honestas referendum venit, consequenter ex nullo prætextu a quopiam in regula *b*) impugnari poterit, adeoque sicuti Imperatores & Germaniæ Reges tanquam advocati nati etiam particularium germaniæ Ecclesiarum vi Capitulationum *c*) statuta Ecclesiarum *d*) & laudabiles consuetu-

non est dubium, quin hodie data occasione, prout novissime hic Moguntiæ cum Ecclesia S. Petri contigit, Capitula clausa vel perpetua vel ad certum tempus introduci possint.

b) Dictum fuit *in regula*, secus autem foret, si sufficienter, quod Capitulum clausum non legitime fuerit introductum vel pro certis saltem circumstantiis, quæ cessant, ad tempus saltem stabilitum, ab iis, quorum interest, probari posset, quæ etiam circa hoc caput Episcopo competat facultas, supra jam fuit monitum.

c) In *Capit. Noviss.* Art. XIV. promisit Imperator: sein bestes Vermögen anzuwenden, daß .... die *Concordata* .... aufgerichtete Verträge, wie auch eines jeden Ertz- und Bischöfen, oder deren Dhom *Capitulen* absonderliche *Privilegia* und Gewohnheiten beobachtet, und dargegen ... in keine Weis gehandelt werde. *Et* §. *III.* auch darab und daran zu seyn, daß die vorgemelte *Concordata* und aufgerichtete Verträge, auch *privilegia*, *statuta* und Freyheiten gehalten, und gehandhabet werden rc. conf. Moser ad Capit. Carol. VII. l. c.

d) Statuta, cum quibus parem vim habent observantiæ, ad Jura cujuslibet Ecclesiæ propria pertinent, conspirant quidem in plurimis, in aliis tamen capitibus admodum ab invicem discrepant: conveniunt plerumque in iis, quæ de vita, moribus, institutis, rebus & bonis Canonicorum stabiliuntur, & eorum non infimam partem faciunt ea, quæ qualitates in numerum Canonicorum admittendorum, eorum ætatem, studia, natales, nobilitatem, & id genus alia concernunt: & hæc statuta plerumque inter secretissima Capitulorum relata summa Cura plus quam fasti penes Romanos occultari solent, verum alterum forsan ago Gnæium Flavium, nec inutilem navabo operam, si Elenchum statutorum Ecclesiarum multo labore a me conquisitorum ex quibus omnia Capitulorum arcana addisci possunt, hoc, loco ordine chronolog. subjungam, indicemque opera, quibus illa inserta deprehenduntur. Et quidem 1) statuta *Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis* condita a celebri chronographo Ottone *Frisingensi Episcopo.* A. 1158. & antiquissima, quæ legi, extant in Lünigii *archiv. J. Spic. Eccles.* P. II. p. 233.

2) Statuta *Ecclesiæ Cathedralis Mindensis* de a. 1230. extant in Lunigii *spicil. Eccles.* 3ten Theil Fortsetzung *contin. III.* p. 57.

3) Statuta *Ecclesiæ Cathedralis Swerinensis* de a. 1238. extant in Ernesti Joach. de Westphalen *monumentis ineditis rerum germ. præcipue cimbricarum* T. II. p. 1970.

4) Statuta & Privilegia *Ecclesiæ Cathedralis Lubecensis* extant ibidem p. 2422.

ſuetudines in genere defendere tenentur contra illegitimos quorumcumque impetus, ſic in ſpecie quoque, ut Capitulorum clauſorum ſtatuta ex eodem fundamento ſarta tecta conſervent, muneri eorum convenit. Agnovit etiam hocce ſuum advocatiæ officium Imperator LEOPOLDUS *in reſcripto* 3. die Mart. 1696.

5) STATUTA *Eccleſiæ Cathedralis Halberſtadienſis* de a. 1410. exhibet LUNIG. *in Spicil. Eccleſ.* im Anhang. p. 77.

6) STATUTA *Eccleſiæ Collegiatæ S. Alexandri Einbeccenſis* ex Sæculo 14. & 15. inſeruit LUDEVVIGIUS *reliquiis Manuſcript.* T. X. p. 101.

7) STATUTA *Eccleſiæ B. M. V. in Wurtzen Miſnenſis Diœceſeos* de a. 1505. extant in LÜNIGII *Contin. I. Spicil. Eccleſ. p.* 839.

8) STATUTA & PRIVILEGIA a LEONE X. pontifice data a. 1519. neo-fundatæ *Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ* leguntur in LUDEVVIGII *reliquiis Manuſcript.* T. XI. p. 422. ſeq.

9) STATUTA eidem Eccleſiæ conceſſa ab ALBERTO *Brandeburgico Cardinali* a. 1520. exhibet JOH. CHRISTOPH. VON DREYHAUPT in der Beſchreibung des zum Herzogthum Magdeburg gehörigen Saal-Kreyſes. T. I. p. 891. n. 268. & ſtatuta additionalia de a. 1531. p. 919.

10) STATUTA *Eccleſiæ Cathedralis Caminenſis* de a. 1578. extant in LUNIGII *Spicil. Eccleſ.* 3ten Theil Fortſetzung *contin. III.* p. 12. ſeq.

11) STATUTA *Eccleſiæ Metropol. Brem.* a. 1617. a JOANNE FRIDERICO Archi-Epiſc. confirmata extant in LÜNIGII *Archiv.* Ʒ. *Spicil. Eccl.* contin. III. p. 960. ſeq.

12) STATUTA *Eccleſiæ collegiatæ S. Gangolphi* in civitate Magdeburgenſi de a. 1624. exhibet pariter cit. DREYHAUPT l. c. p. 341.

13) STATUTA *Eccleſiæ metropol. Magdeburgenſis* de a. 1660. extant ibidem p. 482. n. 139.

14) STATUTA *Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicolai* civitatis Magdeburg. de a. 1699. ibidem p. 489. de cœtero licet illa ultimo allegato ſtatuta *Caminenſia* & *Magdeburgenſia* a Canonicis proteſtanticæ religioni jam addictis condita fuerint, exhibent tamen illa antiquiſſimas illarum Eccleſiarum adhuc orthodoxarum conſuetudines.

15) STATUTA denique *Eccleſiæ Cathedralis Argentoratenſis* de a. 1713. a Rege galliarum LUDOVICO XIV. confirmatæ adjunxit JOH. GEORG. CRAMER *Comment. de Nobibilitate avita.* p. 544. ſeq.

16) STATUTA Eccleſiæ Bingenſis S. Martini quoque proxime publicabuntur a viro in Hiſtoria noſtra patria verſatiſſimo, & pro ejus illuſtratione ſtudioſiſſimo amico noſtro, & alia forſan adhuc publicavit D. Præſes. Quam egregie autem ad illuſtrandum ſtatum Eccleſiarum germanicarum hæc ſtatuta inſerviant, ſpeciminis loco ex præſenti Diſſertatione deſumi poteſt, vix etiam Caput quoddam in ſtatutis Eccleſiarum hodiernis occurrit, cujus non poſſit hauriri notitia in uno vel altero ex citatis a me ſtatutis.

1696. dato in Causa controversiæ Constantiensis in FABRI Staats-Cantzley P. II. p. 33. seq. ubi ait: und da uns beynebens in Krafft unseres höchsten Kayserl. Amts forderist oblieget, nicht nur bemelte des Stiffts .... sondern auch aller übriger hoher Ertz- und Dhom-Stiffter *Jura* aufrecht zu erhalten, und was denenselben zu einigem Nachtheil gereichen kann, auf alle Weis und Weeg abzuwenden ꝛc.

Adeoque in Casu contravenientiæ & impugnati injuste Capituli Clausi Imperatoris tanquam protectoris Ecclesiarum germ. imploratur auxilium, & a Consilio Imp. aulico, cum hæc materia concernat Imperatoris reservata, quæ unice coram consilio Imperii aulico fundant forum, Mandatum vel rescriptum de non contraveniendo statutis vel observantiis Ecclesiæ S. C. petitur, & Imperator quoque, prout quotidiana docet praxis, per mandata dehortatoria, inhibitoria, Denegationem executionis, & pro circumstantiis per remonstrationes, Capitula clausa in suo vigore illibata conservabit.

§. XXVIII.

Dum locus est vacans in Capitulo clauso, ille, qui primus inter Domicellares debitis qualitatibus est provisus, accedit Capitulum.

Si in Ecclesia, ubi introductum est Capitulum Clausum præbenda Capitularis vacet, quod variis modis contingere potest, vel per mortem Capitularis, vel per resignationem, vel derelictionem, vel privationem &c., tunc senior Canonicus non Capit. seu expectantium juniorum Canonicorum in ordine primus debite qualificatus, si intra debitum tempus *a*) vel in propria persona, vel per pro-

a) Tempus pro varietate statutorum variat: in Ecclesia metropolitana Trevirensi, vel terminus trium mensium a die obitus secessus computandus est præfixus. In statutis Ecclesiæ Metropoliticæ Magdeburg. de a. 1660. in alleg. DREYHAUPT T. II. p. 484. disponitur: „ præbenda majore in mense Capitulari per obitum vacante proximior in ordine Domicellorum succedito, „ad minorem vero in quocunque mense vel ordinario vel capitulari vacante „proximus ex immatriculatis & electis ascendit, possessionis traditionem in„tra tempus canonicum 20 nempe dies & unum urgeto, cœteroquin sequen„ti in ordine eo uti liberum esto, & succedenti in præbenda majore post ela„psum 20 & unius diei spatium bini menses ad possessionis adeptionem defini„ti sunto. Si canonicus Capitularis ex 12. majoribus residentibus præben„dam, quam nactus est, resignaverit, resignatarius locum ejus non subin„trato, sed ultimum inter 18. majores obtineto.„ In statutis Ecclesiæ collegiatæ B. M. V. Wurcensis de a. 1505. §. 6. in LÜNIGII *spicil. Eccles. contin.* I. p. 841. disponitur: „ Item volumus, quod optare volens majorem præ„bendam secundum consuetudinem Ecclesiæ hoc facere debet per se, vel si „præsens non fuerit, per procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, „quem

procuratorem *b*) comparuerit, & locum hujusmodi sibi dari petierit, præstitis de jure præstandis ad Capitulum & in regula ad præbendam Capitularem *c*) admittitur, si vero senior in propria persona, ubi id requiritur, præsens non fuerit, vel admissionem haud petierit, aut alias qualificatus non extiterit, tunc in ordine possessionis subsequens usque ad ultimum debite comparens, si qualificatus fuerit observata semper senii prærogativa recipitur; si nullus autem qualificatus inter Domicellares existat, locus in Capitulo tam diu manet vacans, donec capax subjectum se offerat, ubi tamen ratione ordinum in quibusdam Ecclesiis est receptum *d*) quod, si nullus in ordinibus sacris constitutus comparuerit, ex tunc senior, etiamsi ordinatus non fuerit comparens, & locum Capitularem petens admittatur, ipsique locus vacans addicatur, ita tamen, ut eidem certum tempus, intra quod se ordinari curet, sub pœna rejectionis præfigatur. Dum autem quæritur: qualis ordo observetur in Capitulo inter Canonicos ordine possessionis Canonicatus priores, sed post alios possessione quidem Juniores ob capacitatem autem ad Capitulum prius admissos? antequam respondeatur, prænotandum, quod in genere circa ordinem in Capitulo varient Ecclesiarum observantiæ, nec una assignari possit norma, in variis enim Ecclesiis *e*) ordo Capi-

„quem in loco habere debet infra 8. dies, postquam sibi vel procuratori suo „vacatio præbendæ innotuerit, & si hoc sic facere neglexerit, sit ipse pro hac „vice optione hujusmodi privatus, & si sibi super optata præbenda hujusmo„di lis mota fuerit, illam defendere teneatur. &c.„

b) In Ecclesia Trevirensi debet in propria persona comparere.

c) Ad Capitulum admissus non tamen semper admittitur ad perceptionem fructuum, sed expectare debet, ubi receptum, annos carentiæ: sic in statuto Ecclesiæ Cathedralis Lubec. de a. 1564. in LUNIGII *spicil. Eccles.* im Anh. p. 59. habetur: *si vero ex* 14. *assumptis unum Deo ita volente vita excedere contigerit, proximo in ordine & turno subsequens admittatur, sub hoc pacto & modo, quod post annum gratiæ prius defuncti Canonici finitum ultra supra assignatas divisiones, & obventiones ad divisionem refectorialem in annona tantum ad biennium admittatur, quo elapso plenarie ad cætera omnia Capitularia, &* 14. *residentibus admissis assignata & debita emolumenta veniant, & sine contradictione recipiantur.* Et clarius in statuto de a. 1575. l. c. p. 60. ordinatur: „quod Canonicus vel Canonici majori præbendæ præbendatus vel præbenda„ti anno residentiæ rite completo in numerum 14. residentium Canonicorum „surrogatus vel surrogati non nisi elapso biennio, utilia, ædilia, ac omnia „& singula alia emolumenta & divisiones Capitulares habeat, vel habeant, „sed biennio ipso contentus vel contenti esse debent, vel debent semellis quo„tidianis in Choro distributionibus, offertorialibus denariis, cellarii divisioni„bus, & refectorii fructibus duntaxat, non obstante consuetudine antiqua.„

d) Velut in Ecclesia Metropol. Trevirensi.

e) Prout obtinet in Ecclesia S. Bartholomæi Francofurtensi, in statutis Ecclesiæ Cathe-

Capitularium & præcedentia in Capitulo dimensurari solet a tempore receptionis ad Capitulum, in aliis autem, prout in diœcesi Moguntina passim fere obtinet, Canonici secundum ordinem obtentæ possessionis, & non admissionis ad Capitulum locum in Capitulo nanciscuntur: hisce suppositis in Ecclesiis, ubi Capitula clausa vigent, ubique fere receptum est, ut ex Domicellaribus ad qualitates aliis incapacibus prælatus concedere debeat præcedentiam in Capitulo illis, qui ante ipsum prius in Ecclesiæ Canonicos erant recepti, ita ut quis aliis prælatus longo tempore maneat sæpius in Capitulo ultimus hoc interea beneficio donatus, quod longo forsan tempore reditus Capitulares præ aliis perceperit. *f*)

§. XXIX.

Quid sit Juris circa precistam Imperialem vel Episcopalem, nec non Præbendatum Regium in Ecclesiis, ubi introducta sunt Capitula clausa.

Constat inter omnes Imperatorem seu regem germaniæ gaudere Jure primariarum precum in omnibus germaniæ Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, unde Q. quid ratione precistæ in Ecclesia, ubi Capitulum clausum viget, Juris sit? si perlegamus codicillos Imperiales primariarum precum collativos, injungitur collatio proxime vacaturæ præbendæ - *ponendo eum* (præcistam) *in pacifica & quieta possessione stallum in Choro, & locum in Capitulo ei assignando cum plenitudine Juris Canonici & fructuum perceptione qualibet contradictione cessante.* - consequenter nulla eatenus videtur esse difficultas: cum enim (1) precista vi precum Imperialium habeat Jus quæsitum ad proxime vacans beneficium cum annexo loco in Capitulo & stallo in Choro, imo & ad alias dignitates simul cum tali præbenda vacantes, sic videtur sequi, quod Capitulum clausum illi nullatenus obstet, quin mox capitulum accedere possit, dummodo de cœtero debitis requisitis sit instructus, ac præstanda v. g. residentiæ intuitu præstiterit, si autem quis necdum omnibus ad Capitulum pro consuetudine Ecclesiæ qualitatibus instructus obtinuerit preces, optare quidem possit præbendam primo vacantem, sed a Capitulo tam diu saltem maneat exclusus, donec debitis quo ad residentiam, ætatem, studium biennale, ordines &c. requisitis sit

Cathedralis Halberstadiensis de a. 1410. statuitur: *item quilibet Canonicorum, quantumcunque potens sit in Domini Episcopi nostri consilio, tamen in Capitulo nostro locum juxta introitum & receptionem obtineat.*

f) Exemplum hujus rei habemus in Ecclesia Metrop. Moguntina, ubi Canonici presbyteri potissimum per saltum aliis prælati, iis quoque debent cedere locum in Capitulo: in Capitulo tamen Metropol. Trevir. viget observantia, ut ordo in Capitulo non a tempore adeptæ possessionis præbendæ, sed a tempore admissionis ad Capitulum determinetur.

sit provisus, quibus instructus, licet sit Capitulum clausum, mox petere possit ad illud admissionem, quin ordinem alias inter Domicellares receptum & senioratum respectu illorum exspectare teneatur: & quidem hoc videtur (2) confirmari ex eo, cum Imperator statutis Ecclesiarum, nisi expresse ab ipso fuissent confirmata, nullatenus teneatur, prout etiam pronuntiavit CONCILIUM IMP. AUL. in *concluso* dato in causa precistæ Cæs. Rothii contra Capitulum Vechtense, quod exhibet AYRER in Diss. *de Jure primariarum precum* in append. n. 48. ubi hæc leguntur: Bevorab da die ... angezogene aber von Kays. *Majestat* nicht *confirmirte* vermeintliche *Statuta* und Gewohnheiten (als welche sonsten jedes Stifft bey sich *pro lubitu in præjudicium 3tii* einführen, auch die *Canonicos* ein Eyd darüber abschwören lassen mögten) das allerhöchste *reservatum cæsareum Majestaticum primariarum precum* (so der Kayserlichen *Majestat* gleich von Zeit der Kayserlichen Crönung anklebet) weder schwächen, noch weniger in einigen seinen *Effectibus* über den Hauffen werffen können, auf die Natur und Eigenschafft dieses allerhöchsten Kayserlichen Vorrechts mit sich bringt, daß selbiges *indistincte in quacunque mense* seinen *effectum plenarium quoad dignitatem*, *personatum*, *administrationem* & *officium* auch besonders *quoad fructuum perceptionem* (wann die *optirte præbende*, wie hier *fructifera* ist, *nulla contradictione obstante* bey allen Stifftern jederzeit vollkommen haben müste, und das *senium* eines oder des anderen *Canonici*, wer andere solche unerhebende Einwendungen nicht entkräfftet werden möge &c. quibus accedit (3) quod celebriores Publicistæ veluti PFEFFINGER in *Vitriario Illust.* T. III. p. 98. TITIUS *Specim. Juris pub.* L. 3. c. 6. §. 81. AYRER in Diss. *de Jure primariarum precum.* p. 188. & prout hic ultimus scribit, *quotquot vel in transcursu attigerunt Jus primariarum precum vel ex instituto pertractarunt*, defendunt id potissimum efficere preces primarias, ut omnibus aliis præferatur præcista utut antiquiorem vel ab Episcopo vel alio legitimo collatore expectativam habentibus, etiamsi contrarium statutum foret. quibus prosuppositis, multo magis videtur cessare quæstionem: an in præjudicium Precistæ Capitulum clausum introduci possit? huic enim nunquam videtur claudi posse Capitulum: sicut enim in thesi Capitula clausa stabiliri non possunt in præjudicium tertii non auditi, sic nec introduci possunt in præjudicium Juris Imperialis & ejus precistæ. Verum hisce non obstantibus magis fundata est sententia Contraria & pro illa tuenda merito concertant Ecclesiæ germanicæ defendentes, quod precista adinstar alterius Canonici de novo recepti statutis Ecclesiæ sicut in aliis Capitibus, sic & quoad hoc Caput se subjicere teneatur: si enim (1) statuta non studio in detrimentum Juris primariarum precum condita, sed alia momenta respiciant & conditiones præscribant, a quovis, qui ad beneficium aspirat, implendas, & ejusmodi statuta pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ ordinata, a legitimo superiore Ecclesiastico prævia causæ cognitione sint confirmata, precista quoque Imperialis

rialis se illis accommodare tenetur; sicut enim provisi a sede Apostolica statutis Ecclesiarum se conformare tenentur, sic & vi precum ab Imperatore provisi. (2) *Instrumentum Pacis* art. V. §. 18. & 26. totum exercitium Juris primariarum precum Cæsarei ad normam statutorum & observantiæ Ecclesiarum expresse adstrinxit, adeoque illis contraveniri salvis Imperii legibus non potest. (3) Quod etiam Imperator quidquam contra statuta Ecclesiarum suscepturus sit eo minus metuendum, quo sanctius in Capitulatione sua advocatiam, vi cujus omnia eorum Jura, statuta & consuetudines intemeratas se servaturum & defensurum obstrinxit, omnibus Ecclesiis promisit. (4) Confirmat hanc Sententiam inconcussa hujus rei observantia, vix enim ullum allegari poterit exemplum de Precista Imperiali ad Capitulum clausum mox admisso, sed tales Precistæ in ordine Domicellarium fiunt ultimi, nec per saltum promoventur ad Capitulum, sed si priores ordine Domicellares capitulum accesserint, & ordo ipsos tangat, ad Capitulum demum admittuntur, id quod continua docet praxis in Ecclesia metropol. Moguntina & in Ecclesiis S. Stephani Moguntina, Aschaffenburgensi, & Fritzlariensi. Idem observatur in Ecclesiis Capitulorum clausorum Diœceseos Trevirensis, Wormatiensis, & Würceburgensis, & in statutis Ecclesiæ metropol. Magdeburgensis sæpius allegatis disponitur: *precibus primariis, itemque bullis papalibus in forma authentica productis locus esto, postremum tamen locum inter 6. majores (extra Capitulum) impetrans obtineto. & documenta isthæc, quamvis prælaturæ, & dignitatis quoque mentionem faciant, nil tamen ulterius, præter solius præbendæ consecutionem nulla vel collativæ, vel Electivæ dignitatis habita ratione, operuntor.* Plura adhuc eatenus argumenta admodum solida produxit BRAND in Diss. *de Jure Cæsareo primariarum precum.* C. V. §. X. p. 157. quin, ut ad argumenta in contrarium allata respondeatur, sit operæ pretium, verba enim Diplomatum Cæsareorum reducenda sunt ad terminos habiles, & ex analogia Juris explicanda (2) præjudicium allatum loquitur de alio plane Casu, nec huc quadrat. (3) auctoritas Doctorum potissimum protestantium Jura Ecclesiastica non satis intelligentium nullius est ponderis, & hæc quæ dicta sunt, non solum obtinent, si ex antiquo Statuto vel consuetudine longinqua Capitulum Clausum sit introductum, sed & si novo statuto hodierno ævo tale introducatur, prout novissimum extat exemplum hic Moguntiæ in Ecclesia S. Petri, nam nec novus Precista contra tale statutum agere potest, supponitur enim illud legitime prævia causæ cognitione ab Episcopo vel Pontifice fuisse confirmatum, adeoque spectat ad statuta Ecclesiarum legitima, quæ indistincte Imperator vi Capitulationis, ubi haud distinguitur, an nova sint, an antiqua, defendere tenetur, multo minus contra illa ipse agere potest. Nec (4) de tali statuto, quod in præjudicium tertii latum, adeoque nullum sit, dici potest, nam illud haud stabilitur ex intentione in odium & præjudicium precistæ, sed ob necessitates Ecclesiæ onus futurum indistincte imponitur omnibus ad Eccle-

ſiam admittendis Canonicis, jam autem ſicut omnes reliqui neo-Canonici illud debent ſupportare, ſic & preciſta Imperialis in futurum præſentandus, per accidens enim eſt, quod ſentiat ſimile cum reliquis ſociis præjudicium, cui ſe eo minus ſubtrahere poteſt, cum ſit onus commune omnibus pro bono Eccleſiæ impoſitum, nec privilegium exemptionis eatenus prætendere poteſt, *a*) nec (5) Imperator Jus habet vel poteſtatem confirmandi ejusmodi ſtatuta Eccleſiarum, quorum cognitio, & confirmatio vi principiorum Juris Canonici ad ſuperiorem Eccleſiaſticum privative ex ſua natura ſpectat, conſequenter nec ſub prætextu non factæ ab Imperatore confirmationis illis derogari poteſt. Et hæc quæ hactenus expoſita ſunt, partim Juri communi partim Juris analogiæ ſecundum probata ſunt conſentanea, habent tamen ſuam denuo limitationem, niſi aliud in Eccleſia quadam receptum ſit. Sic in ſtatutis Eccleſiæ Magdeburgenſis S. Nicolai, ubi Capitulum clauſum viget, legitur: *preces quoque primariæ, vulgo panis-Brieff b) modus ſunt acquirendi beneficium ſive præbendam inſtar aliarum Collationum, præ quibus iſtæ etiam gaudent prærogativa, ut debito tempore inſinuatæ præbendam majorem in quocunque menſe proxime vacantem afficiant eandemque preciſta conſequatur ..... ſi vero quis per preces præbendam majorem conſequitur, peccuniam ſtatutariam in Duplo ante receptionem perſolvat, cum in adipiſcendo beneficio præ reliquis omnibus compendium temporis iſte faciat, & æſtimari etiam poſſit tanquam gratis adeptus beneficium.* Et hæc quæ de precibus Imperialibus dicta ſunt cæteris paribus applicanda quoque ſunt ad preces Epiſcopales legitime in diœceſi introductas, niſi aliud obſervantia ſtabilivisſet. *c*)

Quod denique concernit *præbendatos regios* in germania, ſic conſtat Imperatores, & reges germaniæ (præterquam quod multas integre fundarint Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas, quæ in ſpecie elogium *Eccleſiarum Imperialium* vel *Capellarum regiarum* obtinuerunt) fundaſſe in variis Eccleſiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis præbendas Canonicales, quæ dicebantur *præbendæ regiæ*, vulgo die Königs Pfründe, quorum beneficiorum collatio ſpectavit ad Imperatores qua patronos, & fundatores talium beneficiorum, harum præbendarum adhuc variæ usque ad hodiernum diem ſunt ſuperſtites, quarum collatio etiam Imperatori ſeu regi germaniæ adhuc competit: *d*) hiſce ſuppoſitis, ſi foret in tali

a) Secus foret, ſi jam ante præſentatus preciſta adeſſet nullo autem beneficio adhuc proviſus, in hujus enim præjudicium, cum Jus quæſitum habeat ob intimatas jam preces, claudi non poteſt Capitulum, niſi libere conſentiret.

b) Male ibi confunduntur preces primariæ, cum ſic dictis panis-Brieff.

c) Elegans de *precibus Epiſcopalibus* argumentum necdum plane eſt deductum, ex profeſſo de illo in Diſſertatione ſeparata aget D. PRÆSES.

d) Jus præſentandi ad tales præbendas vacantes ſede Imperiali vacante confer-

tali Ecclesia, ubi extat *prabenda regia Canonicalis*, Capitulum clausum, præbendato haud præjudicaret illud, sed debitis requisitis provisus accederet Capitulum. *e*) Illustre hujus rei exemplum habuimus in nostra Ecclesia Metrop. Moguntina, ubi fundata fuerat talis *prabenda regia Canonicalis*, cujus possessor *Regis* fuit *Capellanus* & Imperatori sacra peregit in *Capella regia moguntina* prout ex scriptoribus coævis didicimus, et licet illo tempore, ubi adhuc viguit talis Canonicatus, jam fuerit Capitulum clausum, mox tamen *Canonicus regius* accessit Capitulum eo modo, prout hodie adhuc se res habet cum Canonicis Presbyteris; quod autem, cum variæ circa qualitates talium Canonicorum regiorum enatæ essent controversiæ, cum consensu Imperatoris fuit immutatum & loco *prabendæ Canonicalis* constituta fuit *prabenda vicarialis* inter reliquas in ordine *prima* Imperatoris Collationi reservata, cujus possessioni inter reliquos vicarios, qui secundum annos nactæ possessionis collocantur, gaudet præcedentia. *f*) pariter in Ecclesia Cathedrali Wormatiensi fundata fuit præbenda regia Canonicalis ab Imperatore, cujus possessor adhuc hodie ab Imperatore denominatur, & stallum in Choro ante reliquos Canonicos habet, sed exclusus a voto in Capitulo inter vicarios tantum reputatur a Capitulo, quales autem controversiæ desuper enatæ sint ex actis proponit BUDER. l. c. §. 15. In Ecclesia Cathedrali spirensi duas pariter præbendas fundarant Imperatores ad eorum collationem spectantes. conf. MELCHIOR GOLDASTUS *in politic. Imperiali.* P. XXIII. p. 1042. hodie autem superest saltem *vicaria regia* sicut in Ecclesia Metrop. Moguntina. De XII. viris vulgo Stuhl-Brüder, quorum præbendæ ab Imperatoribus & regibus fundatæ sunt in Ecclesia spirensi. conf. PHILIPPI SIMONIS Capituli Cathedralis spirensis Secretarii historische Beschreibung aller Bischöffen zu *Speyer* in Procemio. p. 2. Tales præbendas Imperatoribus in Ecclesiis Collegiatis quoque competiisse constat, velut *in Ecclesia B. Gertrudis Nivellis* Leodiensis Diœceseos

fertur per A. B. tit. V. §. 1. vicariis Imperii. Conf. SCHILTER in *Inst. Juris Pub.* L. 1. c. 18. §. 3. &. BUDER in Diss. *de S. R. I. vicariorum Jure præsentandi ad beneficia Eccles.* in opusculis p. 457. consequenter si vicariæ regiæ in Ecclesiis Metropol. Moguntina, & Cathedrali Wormatiensi, & spirensi sede Imperiali vacante vacarent, illas adhuc hodie conferret palatinus Elector. conf. Das Churpfälzische gegenbedencken *pro* des *Vicariats* quod a. 1714. prodiit, ubi in adjuncto sub N. 24. memoratur exemplum de Friderico Comite Palatino, qui nomine patruelis sui impuberis Electoris Philippi absente Friderico III. Imperatore tum Romam profecto ad præbendam regiam spirensem hoc Jure præsentandi usus est.

e) Licet hodie vix occurrat exemplum, dum præbendæ regiæ Canonicales passim fere mutatæ sunt in vicarias regias.

f) Conf. GUDENUS *in Cod. Dipl.* T. II. p. 129. & BUDERI *Historia Canonicatuum Imperialium regumque Germaniæ, sive præbendæ regiæ.*

ſeos *prabendam regalem* conceſſere RUPERTUS PALAT. & RUDOLPHUS II. conf SCHILTER *Inſtit. Jur. pub.* T. I. Tit. 18. §. 3. & JOH. FOPPENS *in ſuplemento ad diplomata Miræi.* p. 919. in quadam Eccleſia Saxonica etiam occurrunt *vicarius regis* & *vicarius reginæ.* Verum præter memoratas paulo ante præbendas regias adhuc alia habetur ſpecies *præbendarum regiarum*, ſicut enim germaniæ Reges Canonici ſunt diverſarum Eccleſiarum Cathedralium honoris Cauſa. *g*) Sic etiam vel poſt Coronationem *h*) vel alio tempore opportuno, dum forſan in locum Eccleſiæ venerunt Imperatores & reges germaniæ, *i*) inter Canonicos variarum Eccleſiarum præſtito Juramento conſueto, ſolutisque Juribus ab antiquo *k*) ſunt recepti

g) Rationes particularis hujus conſuetudinis, erant 1) quod gloriæ ſibi duxerint Eccleſiarum Capitula in ſuo gremio inter fratres & Canonicos numerare ipſum Imperatorem vel regem. 2) Specialem hac ratione intendebant Regum pro ſuis Eccleſiis protectionem, ac contra omnes inſultus validam defenſionem ob præpotentiam principis accedente ejus juramento ſperare poterant. 3.) Reges, qui tum pro ſua erga clerum & Eccleſias pietate, dum adſcripti ſunt gremiis ex nobilibus vel Equeſtribus conſiſtentibus oblatos acceptarunt Canonicatus, plerumque per donationes Eccleſiis talibus factas aliquod ſuæ pietatis monumentum reliquerunt. Conf. ANT. MATHÆI *de Nobilitate* L. 2. c. 48. 4) Frequens hoc fuit in medio ævo, ut laici variis ex cauſis vel ob merita vel dum omnia ſua donarant Eccleſiis ſuſtentationis ergo, in canonicos admitterentur, & miſſis plurimis exemplis extraneis aſſertum confirmo exemplo domeſtico, dum Capitulum S. Stephani Moguntinum Landgravio Thuringiæ Ludovico in gratitudinem ob bene præſtita in Thuringia in vindicandis reditibus officia contulit præbendam ſuæ Eccleſiæ teſtante Diplomate in JOHANNIDIS T. II. *Script. rer. Mogunt.* p. 520.

h) Sic adhuc hodie poſt coronationem German. Imperator recipitur in Canonicum Eccleſiæ B. V. aquisgranenſis, qui etiam ſolvit eatenus *peccunias* ſic dictas *Statutarias* cum vino lætitiæ, conſtituitque ſuo nomine duos vicarios, qui Choro & Capitulo nomine Imperatoris interſunt. Conf. MOSERI *Jus Pub.* der Reichsſtadt Aachen §. 59. & in ſpecie de Carolo VI. recepto in Canonicum aquisgran. Conf. FABRI Staats-Canzley T. 18. p. 632. & ejus *Diarium Electionis* p. 62. Conf. FEY *de Imperatoribus præbendatis regiis, ac Canonicis nonnullarum Eccleſiarum.*

i) Sic olim ad Eccleſiam Metropoliticam Colonienſem, & Ultrajectinam admiſſos inter Canonicos fuiſſe Germaniæ Reges, deduxit BUDER in Diſſ. *de Canonicatibus Imperatoris Aug. ac præbenda regia* §. 12. conf. FREHERUS ad L. II. *P. de Andlo Notit. Imper.* C. VI. p. 179. THUANUS hiſt. L. 32. p. 907. Henricum V. in Collegium Leodienſe receptum fuiſſe teſtatur ANT. MATHÆI *de Nobilitate.* L. 2. c. 48.

k) Originem hujus inſtituti Henrico II. Sancto adſcribit BOEHMERUS *in Jure Eccleſ. Proteſt.* L. 3. T. I. §. 88. quod ille ad Capitulum argentoratenſe receptus fuerit, teſtatur MUTIUS L. 14. *Chron.* p. 109. & JAC. DE KÖNIGSHOFFEN in *Chron. Alſat.* c. II. §. 163. mentionem quoque facit SCHÖPFLINUS *in Alſa-*

recepti in Canonicos Laicos & honorarios, cum autem Imperatores in persona officiis Canonicorum in Capitulo, & Choro fungi haud possent, sic constituerunt unum vel plures vicarios, qui præbenda Imperiali fruerentur ac præstanda adinster reliquorum Canonicorum præstarent: & talibus quoque *præbendatis regiis* regem ipsum præsentantibus non obstaret Capitulum Clausum, licet alias in tali Ecclesia, ad quam receptus fuit Imperator, foret introductum.

§. XXX.

Quid sit Juris circa reditus Domicellarium seu Extra-Capitularium.

Circa reditus Extra-Capitularium, prout supra in genere de Domicellaribus fusius fuit expositum, certum suppeditari nequit principium; totum enim dependet ab Ecclesiæ instituto, an ibi habeant corpora Domicellares, vel præbendas, & quales *a*), an vero nullas? an & quatenus participare possint de distributionibus quotidianis? dependet pariter a statutis Ecclesiarum, in quibusdam Ecclesiis omnes Domicellares frequentantes Chorum admittuntur ad præsentias, in aliis tantum senior, seu sic dictus stans ante Januam Capituli expectans proximum vacaturæ, & admissionis casum *b*) quo incapace proximus in

Alsatia illustrata idem quoque disposuit, ut Vicarius ejus nomine frequentaret Chorum, id quod dedit ansam, quod talis Vicarius nominaretur Kor-König, quæ compellatio Chor-König, usque ad hodiernum diem fuit servata, & inde provenit die Kor-Königs-Pfründ. conf. cit. Jac. de Königshoffen l. c. & Schilter in Notis ad eundem p. 767. Estor in denen neuen kleinen Schriften Tom. I. p. 531.

a) Sic in Statutis *Ecclesiæ Cathedralis argentoratensis* de a. 1713. in Joh. Georg. Crameri comment. *de nobilitate avita.* p. 549. statuitur: „Annui Capituli reditus procul dubio solvendis omnibus Capitularium & Domicellarium portionibus impares sunt, & satis æquum videretur, ut Domicellares a residentia, ad quam non nisi novissimis temporibus admissi sunt, „usque ad meliora tempora excluderentur, verum tamen ut procuretur major residentium numerus, quo non mediocriter ornatur Ecclesia, atque „ut faveatur magis educationi juventutis, quæ, ut nobilitate, pietate, & „doctrina præfulgeat, summopere optandum est, portio Domicellarium, „quæ ex 4ta parte præbendæ Capitularis constituitur, solvatur iis solummodo, qui in Collegio sive seminario Episcopali argentoratensi ita degunt, ut „annuis dicti Collegii aut Seminarii exercitiis incumbant, & diurno Ecclesiæ officio in templo Cathedrali Dominicis diebus, & festis adsint frequenter, aut iis, qui per 7. annos ibidem commorati, aut in universitate Parisiensi, vel in alia aliqua celebri gradum Baccalaureatus adepti Ecclesiæ inservire per tres menses, uti moris est, contendant.„

b) Sic in Ecclesia Collegiata S. Stephani hic Moguntiæ Canonicus Domicellaris senior & ad Capitulum proximus actu presbyter vel intra anni spatium ad susci-

in ordine Chorum frequentans de distributionibus quotidianis participare potest. c)

suscipiendum sacerdotium habilis de Jure, seniore autem hoc defectuoso & inhabili subsequens in ordine & de facto senior, uti præfertur, habilis solus & semper unicus exclusis ceteris sine contradictione admittitur ad præsentias quotidianas deserviendas.

c) Quibus modis cesset Capitulum clausum, facile determinari potest, sublato enim 1) Capitulo, cessare Capitulum clausum, per se patet: 2) cessabit, si per conclusum Capituli vel 3) authoritate superioris Ecclesiastici clausura tollatur, vel 4) si elapsum sit tempus, cessantibusque circumstantiis, intuitu quarum Capitulum ad tempus fuit certo numero inclusum.

pLaCeat IVDICIVM.



Animadversiones Editoris.

Ad §. IX. not. a. Vigente quoque vita communi Canonicorum nonnisi ingenuos admissos fuisse in eorum societatem ait Autor: id quidem ita esse admiserim, ut servilis videlicet conditionis excluderentur, non tamen atque si ex eo capite civici postea generis vita etiam communi abjecta illico a Canonicatibus etiam in Ecclesiis Cathedralibus et Metropolitanis arcerentur: nam ingenuos non solum nobilitati nostrae hodiernae inferiori originem dedisse, sed et ex iis plurimos in Civitates in Germania paulatim frequentius erigi coeptas commigrasse, atque ex iis civicas deinde familias propagatas fuisse ostendit de SELCHOW de *Juribus ex statu ingenuorum in Germania pendentibus C. 1. §. 3. seqq.* in ejus *Electis Juris Germanorum publici et privati 1771. Exercit. 2.* Nequidem vetustissimis temporibus servi omnino a dignitatibus etiam Ecclesiasticis repellebantur: ita enim inquit THEGANUS (*Scriptor sec. IX. de quo vide Commentar. Crit. P.* SCHÜTZ *S. J. ad hanc vocem p. 448.*) *de gestis Ludovici Imperatoris: jam dudum illa pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices fierent: Hattonem* Archi-Episcop. Moguntinum, qui apud *Ludovicum Infantem* maxima valebat authoritate, obscuro genere natum dicit WIDECHIND. CORBEJENSIS *edit. Meibom. p. 635.* quanquam rem istam querelis ansam dedisse ex loco THEGANI citato appareat: Item de *Willegiso* Moguntino inquit DITMARUS MERSEBURG. *L. 3.* de celebri *Annone* Coloniensi idipsum affirmat LAMBERT. SCHAFNABURG. *p. m. 229.* sec. 11. de *Nicero* Episcopo Frisingensi HUNDIUS *in Metrop. Salisburg. p. 72.* sec. 12. de *Noberto* Mag-

Magdeburgensi *Chron. Magdeb. edit. Meibom. p. 36.* aliis tamen reluctantibus: Sec. 13. de *Leone* Episcopo Ratisbon. HUNDIUS *Tom. 1. p. 136.* eodem sec. *Semeca* celebris ille etiam a juris Canonici tum obtinentis peritia et glossis in Decretum *Gratiani* conscriptis Praepositus Ecclesiae Cathedralis Halberstad. ignobilis fuit teste HEINECC. *in Antiq. Goslar. p. 253.* unde id saltem elucet civico genere ortos hoc aevo necdum a praebendis Ecclesiarum Cathedralium exclusos fuisse, nam antea enumeratos atque adeo e servili propagine fuisse nequaquam asseverare volo. Quod autem dixi patet adhuc uberius ex eo, quod habet L. B. de GUDENUS *Tom. 1. p. 605.* Scholasticum Ecclesiae Moguntinae anno 1249. occurrere *Ludovicum de Colonia*, atque, uti in nota subjicit, civicae originis tum signum fuisse, si agnomen vel a loco nativitatis vel Baptismi adjiceretur. Hoc eodem tamen sec. 13. paulatim aliquas in Germania Ecclesias noluisse admittere, nisi militari propagine, uti tum dicebatur, satos elucet ex *Cap. 37. de Praeb.* quod de Ecclesia Argentinensi loquitur, ubi reprobat Pontifex, quod ea Ecclesia ignobiles quosvis a suis praebendis excludere velit. Ex sec. 14. in Ecclesia Moguntina exemplum omnino notandum exhibui jamdum in *Petro* Electore Moguntino, de quo *vide animadversionem meam Tom. 2. Thesauri hujus p. 555.* ubi varia ex celeb. WÜRDWEIN *Tom. 1. Subsid. diplomat.* circa eundem notavi: eodem sec. 14. de *Burchardo Grelle* Archi-Episc. Bremensi scribit WOLTERUS *in Chron. Brem. edit. Meibom. p. 64.* ipse enim *fuit homo pulcer et literatus et bonae vitae natus de Civitate Bremensi de divitibus parentibus nobilis plus virtute, quam parentibus.* Capitulum Ecclesiae Cathedralis Paderbornensis in Remonstratione exhibita C. Basileensi apud SCHATEN. *Annal. Paderborn. L. 16.* ad annum 1434. id tantum asserit, NB. a *centum et ultra annis in ea Ecclesia non recipi, nisi sit de Baronum aut nobili aut saltem de militari genere, aut alias Doctor vel Licentiatus in Jure Canonico vel civili seu Magister in Theologia.* Ne sec. quidem 15. passim adhuc ignobiles prohibitos fuisse patet ex iis, quae habet STRUBEN *in Obs. Jur. et Histor. German. Obs. 1.* ubi ex *Chronico Ms. Renneri* apud *Mushardum in monumentis nobilitatis Bremensis et Verdensis* id ait in Ecclesia Bremensi factum ad annum 1511. *a Joanne de Rhode* Archi-Episcopo: item ad annum 1504. inquit in documentis adhuc occurrere in Ecclesia Cathedrali Hildesheimensi Canonicos ignobiles, neque eos gradibus Academicis insignitos: et in *Defensione jurium Capituli S. Andreae* id asseritur in usu fuisse usque ad annum 1573. Anno autem 1527. atque adeo *Balthasarem Merchlin* Episcopum Principem Hildesheimensem obscuro, sed honesto tamen loco natum fuisse idem affirmat. *L. B. de* GUDENUS *Tom. 2. p. 771.* de Vicaria S. Afrae in Metropolitana Moguntina ita ait: *Cum non suppetant alia, saltem hoc apponere volui, qualiter provisum de ea fuerit anno 1530. per Decanum Joannem ab Ehrenberg Jodoco Hotfeldero, qui deinceps virtute sua, industria et laboribus ad Episcopatum Lübecensem, cui dignitas adhaeret S. R. I. Prin-*

cipis evectus est: Osnabrugae humili loco natus seculo valedixit Romae 1551. Conf. quoque HAEBERLIN *Hist. Tom. IX. p. 45. et seq.*

Ad §. IX. not. k. Addere adhuc juvat ex *Statutis Ecclesiae S. Dionysii Leodiensis*, quae Autor non solet citare, apud CAROLUM LUDOVICUM HUGO *in sacrae antiquitatis monument. Tom. 2. p. 447.* juramentum scholastici: *primo quod verbum Capituli in Capitulo et extra per se vel per alium proferet. Item quod literas Capituli eodem modo dictabit et scribi faciet.* Item *quod secreta Capituli tenebit et non revelabit*, item *quod alia ad quae tenetur ratione officii sui adimplebit, videlicet quodsi absens fuerit ab Ecclesia ipse loco sui instituet Canonicum idoneum ad proferendum dictum verbum et dictandum et scribi faciendum dictas literas Capituli, assignandum locum Canonicis et audiendum lectiones in choro, et caetera faciendum, ad quae ipse scholasticus tenetur, et quod dicto Canonico de salario competenti arbitrio Capituli moderando, anno quolibet satisfaciet, de promptioribus fructibus ipsius scolastriae. Et quod observabit pro posse suo fundum scolastriae suae, ac jura solita solvi Ecclesiae per praedecessores suos exsolvet.* Item *quod anno quolibet tempore debito videlicet Paschae Capitulo praesentabit Magistrum scolarum de idoneitate per ipsum Capitulum examinandum, et si idoneus inveniatur admittendum.* Adjicitur dein adhuc quaedam obligatio scholastici de certa summa pecuniae solvenda Ecclesiae singulis annis, ex quibusdam bonis, quod huc non spectat. Alia ex Cl. WÜRDWEIN *subsid. Historico-diplomat. Tom. 1.* adduxi jamdum in *Animadv. ad Lucubrationem de Monasterio S. Martini Mogunt.*

Ad §. X. not. a. Constitutio *Gerlaci Archi-Episc. Moguntini*, quam hic Autor affert, etiam nunc extat impressa *in Subsid. Historico-diplomat.* celeb. WÜRDWEIN Tom. 1. N. XIV.

Ad §. *XV. not. b.* Quae ad dicta Autoris hic accommoda recens edidit WÜRDWEIN l. c. vide in *Diss. mea de varietate Praebendarum C. 1. §. 4.*

Ad §. XVI. n. 2. Quod hic inquit Autor de Statuto cives Augustanos et eorum filios a praebendis Cathedralibus in Ecclesia Augustana excludente, ita ex *Menckenio*, *Fuggero*, *Müllero* et aliis narrat HAEBERLIN *Histor. Tom. VII. p. 394. seqq. Johannes* II. Episcopus ex consensu Capituli sui illud statutum conceperat, atque confirmationem a *Sixto IV.* 1475. obtinuit. Res ab initio secreto tractata: sed dum anno 1481. *Fuggerus* quidam et *Arztius* praebendas in Ecclesia Cathedrali ab *Innocent. VIII.* obtinuere, sub aliis primum praetextibus, atque Magistratu rem urgente demum obtentu Statuti antea dicti, *Bullaeque Sixtinae* eos admittere Episcopus atque Capitulum recusavere. Magistratus causam inde suam apud Caesarem egit, qui etiam ejusdem patrocinium suscipiens rescripsit, tale quid non mereri insignia familiarum patritiarum

rum in Ecclesiam Augustanam merita, praesertim cum et alii inferioris conditionis non rejicerentur (his verbis ante a me dicta confirmantur, nisi fors Caesar haec de praebendis Doctoralibus intellexit.) Res eo evasit, ut cum plebs ejusmodi Statutum aegerrime ferret, Episcopus una cum Capitulo suo urbe exiret. Pacem exinde pluribus restituere satagentibus, Magistratus quidem securitatem Episcopo atque Clero addixit, plus vero quicquam juris sui, ut putabat, cedere renuit: Episcopo vicissim pollicente, ad praebendam ex civibus Augustanis unum admittendum, ita tamen, ut Capitulum nunquam ei accedere fas esset. Neque huic Episcopi promisso, neque decisioni *Innocent. VIII.* ut saltem uno eodemque tempore non ultra quinque ex civibus Augustanis locum in Capitulo obtinere possent, Magistratus, qui id juris pro civibus suis sine ulla limitatione praetendit, acquiescendum sibi putavit. Res demum sub Episcopo *Friderico* delata fuit ad Comitia Norimbergensia anno 1487. quae Episcopo potius et Capitulo favorem suum addixerunt, atque datis 30. Jun. ad Pontificem literis ita rem decidi petierunt, ut quidem ad praebendas locus pateret civium Augustanorum filiis, neque ab iis omnino excluderentur; a negotiis tamen Capitularibus abstinerent, quae potius a Canonicis extraneis solis pertractarentur. Hodie soli nobiles aut gradu Academico insigniti ad eam Ecclesiam admittuntur. In utraque vero transactione urbis cum Episcopo et Clero, quarum prior de anno 1548. extat apud LÜNIG *Tom. 5.* des Reichs-*Archiv Part. spec.* unter den geistlichen Reichs-Fürsten p. 484. et altera de anno 1582. p. 852. nihil amplius de hac controversia habetur.

Ad eundem §. not. h. Recentiora, quae huc spectant, apud MOSERUM *Tract.* von den Kayserl. Regierungs-Rechten und Pflichten *P. 1. C. 14. p. 307. seqq.* haec sunt: 1755. 11. Iul. per conclusum Senatus Imperialis Aulici rejectus est recursus ad magnum Magistrum Melitensem sumptus in causa controversa requisitae nobilitatis vi statutorum Ordinis equestris Melitensis L. B. *Ludovici Caroli de Schauenburg.* Idem confirmatum 19. Oct. 1756. Anno 1751. 9. Jul. per simile conclusum Canonico de *Particella* injuncta probatio debitae nobilitatis intuitu Ecclesiae Cathedralis Frisingensis. 1755. 19. Sept. pronuntiatum in simili causa von *Ezdorff* contra das Ober-Münster zu *Regenspurg.* 1727. 6. Dec. rejectum fuit statutum Ecclesiae principalis Thorensis (Thorn) ut non admitterentur nisi prognatae ex prosapia antiquorum S. R. I. Comitum tanquam contrarium fundationi, nec a Majestate Caesarea confirmatum. Ex *L. B. de* KREITMAYR Anmerkungen *ad Cod. Civ. Bav. p. 2023.* ibidem adductae sunt literae praecelsae cujusdam Aulae ad aliam, in quibus prior conqueritur in certis Ecclesiis praesertim Moguntina non admitti nisi progenitos ex nobilitate Imperii immediata, atque si ea res in praejudicium nobilitatis mediatae, statuumque, in quorum territoriis nonnisi mediatos nobiles reperi-

perire est, vergeret; in iis ex eo capite 1732. quendam *de Reck a Steinfurt*, Comitem *de Plettenberg-Lehnhausen*, item *L. B. de Fürstenberg* et Comitem de *Nesselrode* ad praebendas admissos non fuisse memoratur.

Ad §. *XXV*. De Praebendis Doctoralibus, materia plane illustri aliqua Autori uberius addere juvat. Et quidem

a) Recte inquit Pontifices summos nunquam non suum gradu Academico insignitis favorem addixisse; adeo quidem, ut celebris ille Religionis Catholicae desertor *Paulus Vergerius*, cujus nunc epistolas edidit Le BRET in dem Staats-Magazin *Tom. 2. et 3.*, hunc Curiae Romanae favorem, quemadmodum oculi livore suffusi omnia aliter repraesentant, atque adeo insignem quandam interpretatus fuerit pro adjungendis sibi arctius literatis astutiam. *Conf.* BUDER *Diss. de jure Doctorum ad Canonicatus* §. *XXVII*. Canonicatus a Pontificibus Universitatibus uniti, quorum elenchum Autor tum hic, tum in *Diss. de Annis Carentiae* suo loco huic Thesauro inserenda 1772. §. XIX. sistit, tantopere iis commendati fuere, ut illos vix unquam celeberrimis eo aevo gratiis exspectativis et reservationibus ipsimet comprehendi vellent; ita in documento Universitati Parisiensi concesso apud VAN DER HARDT *Tom. 4. Act. C. Constant. P. 12.* disponit *Martinus V. Pontifex: et cum in eodem studio hujusmodi honorem* (Theologiae et in Decretis Doctores) *gradum et gradus receperint, in assecutione beneficii seu beneficiorum, quae vigore gratiarum eis in dicto rotulo factarum expectant, vel in antea expectabunt, nulli alii sive alius sub quacunque data pari aut majori, qui ab eodem Domino nostro gratias exspectativas sub quacunque forma verborum obtinuerint, seu in futurum obtinebunt, etiamsi per eas et earum auctoritate quarumcunque Ecclesiarum Canonici creati aut in eis in Canonicos sub exspectatione praebendarum recepti existant, praejudicare valeant, nec eis quoquo modo praeferri.* In Bullis *Johannis XXIII. et Martini V.* Academiae Lipsiensi concessis apud BUDER *l. c.* §. *XXXVI.* hae occurrunt clausulae, ut *si Canonicatus in Capitulis indicatis* (Naumburgensi, Cizensi, Misnensi, et Merseburgensi) *vacare contingat tam extra Curiam Romanam, quam successive alia qualibet vice, per cessum vel decessum, sive privationem sive quamvis aliam dimissionem nominatis a Rectore et Universitate Magistris et Doctoribus Juris conferantur:* item liberantur Canonici Academici a solutione pecuniae in admissione et receptione per Statuta Capitulorum determinatae, unde passim die Statutengelder appellantur.

Quod nunc b) Nationem nostram Germanicam concernit in Avisamentis Constantiensibus apud VAN DER HARDT *in Prolegom. C. 15.* id postulavit inter alia: *Statuat et ordinet hoc sacrum Concilium reservandi pro viris literatis quartam partem omnium ecclesiasticorum beneficiorum majorum videlicet, quae taxam decem marcarum argenti videantur excedere: sic videlicet, ut in qualibet Ecclesia Cathedra-*

thedrali quarta pars Canonicatuum et praebendarum reservetur pro Doctoribus sacrae Theologiae Juris Canonici et Civilis aut Licentiatis in eisdem. In singulis vero Collegiatis Ecclesiis, quae saltem praebendas majores et dictam taxam excedentes habent, similiter quarta pars Canonicatuum, praebendarum pro dictis Doctoribus, Licentiatis aut in Medicina Doctoribus (de quo vide *animadversionem meam Tom. 1. hujus Thesauri p. 315.*) *Magistris in Artibus et in dictis Facultatibus Theologiae Juris Canonici et Civilis et Medicinae Baccalaureis reserventur:* et in protocollo Reformatorii in C. Constant. apud VAN DER HARDT *Tom. 1.* praemissa etiam acriori in nobiles ejus aevi censura decernitur: *Omnes consuetudines seu constitutiones quantumcunque servatas, etiamsi tanto tempore, cujus contraria memoria non extat, etiam per Sedem Apostolicam confirmatas, quod ad Episcopatum dignitates seu praebendas, aut Monachatum nisi nobiles vel illustres recipiantur, declarat haec sancta Synodus non valere, sed reputandas corruptelas, nisi forte in ipsa fundatione et Ecclesiarum seu beneficiorum probari possit, ex voluntate patroni sic fuisse statutum, quo casu ex Ecclesiae tolerantia servari possint:* subjungitur dein: *gradus etiam Doctoratus vel Licentiae in sacra pagina Jure Canonico vel civili pro quacunque nobilitate reputentur:* adde Cap. 34. ejus Reformatorii. In Concordatis ipsis Constantiensibus ita decernitur: *de qualificationibus beneficiandorum SS. D. N. Martinus V. .... de consensu et beneplacito Nationis Germanicae ordinat et decernit, quod deinceps in Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis Nationis Germanicae ejusdem sexta pars Canonicatuum et praebendarum sit pro Doctoribus aut Licentiatis in sacra pagina vel altero Jurium vel in Theologia Bacalariis formatis aut Magistris in Medicina, qui per biennium aut Magistris in Artibus, qui per quinquennium post Magisterium in Theologia aut altero Jurium studuerunt in studio generali: sic videlicet, quod ubicunque non fuerit saltem sexta pars Canonicorum praebendatorum in Metropolitana aut Cathedrali Ecclesia taliter graduatorum, ibi quicunque deinceps vacaverit Canonicatus aut praebenda, quacunque etiam Apostolica aut alia auctoritate nonnisi taliter graduatis conferatur, quousque dicta sexta pars compleatur taliter graduatorum ..... ubi autem soli consueverunt illustres, aut de Comitum vel Baronum genere, vel ex utroque genere militares in Canonicos admitti, taliter graduati, qui acceptare voluerint, si taliter nobiles, ut praemittitur, fuerint, in Ecclesiis caeteris etiam nobilibus saltem usque ad dictum numerum praeferantur.* De Decreto deinde circa hanc eandem rem edito in C. Basileensi, atque speciatim in Germania acceptato vide Cl. NELLER *Diss. de Decretis Basileensibus &c. Tom. 1. hujus Thesauri C. 2. §. 12. l. cit. p. 300.* item *Concordata Nation. German. integra Tom. 1. p. 108.* ubi in Instrumento acceptationis etiam haec limitatio adjicitur: *caeterum quod in Natione nostra in Gratiis, quas Dominus Papa adhuc facere habeat, praeferatur Theutonicus non Theutonico in Ecclesia Theutonicali, praesertim parochiali.*

Sensa Nationis Germanicae c) in P. W. ex hisce breviter elucent. Die 9. Jan. 1646. urgebant Osnabrugi Legati Protestantes in ulteriore sua declaratione compositionis gravaminum admissionem Doctorum ad Capitula quoque Cathedralia apud de MEIERN *Tom. 3. p. 163. bis verbis:* Dieweilen auch von etlich hohen Stifftern adeliche Geschlechter in Städten, Doctores und andere qualificirte Personen ausgeschlossen werden wollen, welches aber denen Fundationen zuwider, als sollen dieselbe hinführo nicht weniger als andere adeliche und hohe Standes-Personen zugelassen werden. Reposuit Comes *Trautmansdorffius* Legatus Caesareus 20. Jun. 1646. in mediis propositis l. cit. *Tom. 3. p. 187.* die Patritii und Doctores solten in die Stiffter mit eingenommen werden, in welchen solches herkommen. Eodem anno mense Augusto postulatum suum repetebant Protestantes, et celebris ille Sueciae Legatus ADLER SALVIUS et ipse Jurium Doctor qui scientiae suae potius quam natalibus summos, ad quos eluctatus est, honores debuit, desideria haec repetiit in dem Auffsatz über den *punctum gravaminum Tom. 3. p. 427. Ad quaelibet autem beneficia non minus Doctores, Patritii, et aliae personae idoneae, quam nobiles et Magnates admittantur, ubi id fundationi et consuetudini convenit.* Urgebant idem Catholici mense Novemb. *Tom. 3. p. 437.* adde acta *Tom. 4. p. 91. p. 119. etc. Tom. 5. p. 566. Tom. 6. p. 141.* Tandem communi consensu haec verba inserta sunt Instrumento pacis Art. 5. §. 17. *operaque detur, ne Nobiles, Patritii, gradibus academicis insigniti, aliaeque personae idoneae, ubi id fundationibus non adversatur, excludantur, sed ut potius in iis conserventur.* Ex quo nunc sequela plane notanda id conficitur, cum statuta Capitulorum de novo conficienda, consuetudo aut alia legem hanc pragmaticam Imperii evertere nequeant, Doctores Canonicos ubi adhuc residui sunt, ejusmodi mediis amplius excludi non posse.

Quod nunc d) jura horum Canonicorum attinet, ita statuendum esse existimo; illos, nisi speciali quodam titulo in casu peculiari eos exclusos esse probari possit, in thesi omnium jurium tum activorum tum passivorum, ne dignitate quidem Episcopali excepta, capaces esse. Praesumptio enim inprimis militat pro quovis, qui Collegii cujusdam membrum legitimum est, aequalia illi quoque cum aliis ejusdem membris jura competere: solos vero nobiles, uti ex animadversione antea adjecta elucet, tum praebendarum Cathedralium, tum dignitatum esse capaces neque juri communi conforme, immo ab hoc atque adeo non satis probari videtur, neque ipsi fundationi, si fortassis paucas quasdam Ecclesias excipias: adde contrarium obtinuisse olim, ipsamque Nationem Germanicam nunquam non viris scientia perspicuis favorem suum addixisse. Sed quid si longissima jam observantia obstare videatur? tum equidem ita discernendum esse mihi videtur inter id nimirum, an fortasse a pluribus jam Seculis Cano-

ıonicus Doctor Episcopus electus non fuerit, quin jus vocis passivae in con- rersiam unquam adductum fuerit? an vero idipsum in quodam eventu a Ca- icis nobilibus negatum fuerit Doctoribus, hisce posterioribus saltem tacite uiescentibus. Priori quidem casu necdum observantia obstare videtur Do- ·ibus, quippe in quo per accidens solum ob vota majora nobilium exclusi re intacto alias vocis passivae jure: notum est enim observantiam niti tacito rius consensu in eo eventu, ubi contradicere et potuisset, et debuisset, quod applicari nequit: in altero casu eam obstare facile cuivis apparet.

Demum e) hæc omnia intelligenda tantum esse de iis, qui in Academiis re in iis recepto præmissis speciminibus eruditionis suæ gradum Doctoris secuti sunt, vel ex ipsis verbis apparet, ubi in textibus antea allatis mentio *NB. de gradu Academico insignitis.* De creatis a Comitibus Palatinis Cæsa- ı *Pius V.* in Constitutione de anno 1568. quam JOANNES MIDDENDOR- US Academ. Colon. Procancell. refert L. 1. *de Academiis universi terrarum s*, ita queritur, *quam plurimos tam Laicos, quam Clericos tam in Jure Civili, m Canonico et Theologia nullo aut debito examine praevio indoctos et inhabiles Do- 'es, Licentiatos, Magistros creasse et promovisse, uti ad dignitates caeteraque eficia ecclesiastica facilius assumerentur, et de iis provideretur in animarum suarum ıram et quam plurimorum scandalum* &c. decernit dein: *eos, qui a Comitibus moti fuerunt, quoad dignitates cæteraque beneficia ecclesiastica nulla gradus praro- iva frui et gaudere posse vel debere.*

Ad §. XXVII. Elencho statutorum Ecclesiarum Germanicarum, quem variis operibus hic conficit Autor, ubi impressa legi possint, addi adhuc sunt 1.) statuta Ecclesiae collegiatae S. Dionysii Leodiensis 1330. die 18. rt. Aliud statutum de anno 1387. Nova statuta super habitu Canonico- ı, Capellanorum et choralium Ecclesiae Leodiensis de anno 1360. apud ROLUM LUDOVICUM HUGO *Abbatem Stivagii in sacrae antiquitatis mo- ıentis historicis, diplomaticis, dogmaticis Tom. 2. a p. 439. seqq.* 2.) Statuta lesiae Collegiatae in Flanheim apud WÜRDWEIN *Tom. 1. Commentat. de bi-Diaconat. Archi-Dioecesis Mogunt. p. 111. seqq.* 3.) Statuta antiqua Ec- iae Francofordensis S. Bartholomaei apud *eundem in Subsidiis diplomaticis ad cta Juris ecclesiastici Germaniae et historiarum capita elucidanda Tom. 1. N. 1.* Statuta Ecclesiae Bingensis apud WÜRDWEIN *Tom. 2. Subsid. cit.* qui mo- dum haec scribo in manus meas pervenit. N. 62.



VI. IPSIUS

Schmidt, Anton

VI.

IPSIUS EDITORIS DE VARIETATE PRAEBENDARUM IN ECCLESIIS GERMANICIS DISSERTATIO.

Heidelbergae 1773.

CAPUT I.
De Præbendis generatim.

§. I.

Ingressus. Actum agerem, quodsi de varietate præbendarum in Ecclesiis præcipue Germanicis aliqua pro modulo ad illustrandum Jus Ecclesiasticum Germanicum dicturus, multa prius de sustentatione Ministrorum Ecclesiæ ex disciplina hac in re primæva, enatis deinde ad morem hodiernum præbendis beneficiisque differerem: quare primas nonnisi rei hujus lineas duxisse sufficiat.

* Nemini sane non constat argumentum istud a THOMASSINO, et ESPENIO satis jam diffuse pertractatum; ab aliis vero dein ex his fontibus liberali manu haurientibus regustatum fuisse: potissima quoque ipsemet in *Institutionibus Juris Ecclesiastici Part. III. Cap. I.* §. 1. *seqq.* jamjam retuli.

§. II.

Sustentatio Clericorum primæva. Clerici primis Ecclesiæ seculis sustentabantur rebus a Fidelibus sponte oblatis, quas inter eos dividere pro gradus immo & meritorum diversitate in potestate Episcopi fuit. Cum dein Ecclesiæ bonis quoque stabilibus paulatim ditarentur, eorum quædam subin Episcopus iisdem, ut eorundem fructibus gaudere liceret, ex munificentia tamen potius sola concessit, neque successor in officio,

officio, Antecessoris eo ipso bona reditusque prætendere jure quodam suo potuit.

* Huc spectat, C. Agathense *Can.* 59. *et Can.* 23. *si Episcopus humanitatis intuitu vineolas vel terrulas Clericis vel Monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas &c.* C. Epaon. an. 517. *Can.* 14. *Quisquis Clericus de munificentia Ecclesiæ, cui servierat, adeptus ad summum sacerdotium alterius est aut fuerit ordinatus, quod dono acceperit, reddat.* In C. Aurelian. 3. an. 538. *Can.* 17. *de Munificentiis sacerdotum id observandum, ut siquid præsenti tempore a Clericis de decedentium munificentiis habetur vel possidetur, deinceps a successoribus nullatenus auferatur .... de munificentiis vero præsentibus, quas unusquisque Clericis pro sua gratia eorum obsequiis æstimat conferendas, sicut in arbitrio dantis est, ut tribuere, quibus voluerit debeat &c.* Idcirco etiam *Precariarum* nomen hic quoque adhibitum, quasi ad preces Clericis petentibus concessarum, ut in C. Epaon. *Can* 18. et C. Tolet. *VI. Can.* 5. relato in *Can.* 72. *Caus.* 12. *Q.* 2. *Quapropter providenter decernimus, ut siquis Clericorum stipendium de rebus cujusdam Ecclesiæ cujusdam Episcopi percepit largitate sub Precariæ nomine debeat professionem scribere, ut nec per tentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclesiæ, & quæcunque in usu perceperit, debeat utiliter laborare.* in C. Aurel. *III. Can.* 34. *titulus quoque misericordiae* occurrit.

§. III.

Quando dein firma quadam & individua ratione certi fructus officiis Ecclesiasticis annexi fuere, ad servitia Ecclesiæ præstita compensanda; Beneficia inde Ecclesiastica ex Analogia quadam Feudorum, Jurisque feudalis enata fuisse, itaque nuncupata pervulgatissimum est: * quare, uti & in Feudis, in his quoque investituræ speciem quandam fuisse adhibitam, immo hodie quoque persæpe in usu esse, exinde pariter reperi debet.** Beneficia.

* Ad hanc rem ait Espen *Part. II. Tit. XVIII. Cap. I. §. X. Quemadmodum Principes sua bona jure beneficiario dabant iis, qui servitium militare aliaque obsequia præstarent: similiter Episcopi bona Ecclesiae possidenda vel utenda, vel potius jus percipiendi eorum fructus dabant Clericis, ut Ecclesiæ militarent seu officium exhiberent, quisque secundum vocationem suam:* speciem inde quoque homagii, adinstar hominii ita dicti feudalis ab iis præstitum fuisse ex variis monumentis constat: neque dubito ex eadem ratione prognatum fuisse, ut dein Patroni, qui saltem ad Beneficium præsentarent, simile hinc inde juramentum exigerent: Sane profert tale et quidem multis ex capitibus paradoxum Cl. Nellerus *in Repetit. discursiv. ad Cap.* I. *de Juram. Calum. Part. poster. Trev.* 1762. *f.* 23. ex quo aliqua recito: Ich Heymannus Sartoris Clericus Meynzer Bysthyms bekennen mich das der Vest Juncker Eberhard von Hüsesstamm myn lieber Juncker mir die Pfar zu Grevenhusen.... gelühen hait..... hiemit sal und wyl ich Jnnen und Jren Erben gedreu und holt sie vor eren Schaden warnen und Besten werben ꝛc In manu quoque mea fuere literae de anno 1476. ubi Vicarius Parochiæ Abbatissam patronam, cujus Monasterio Parochia unita fuerat vocat seine Lehen-Frau.

** Ad hanc investituram symbola varia adhibita fuere, uti *Liber*, *Panis*, *osculum*, *ingressus in Ecclesiam*, *tactus pessuli aut ostii*, *funes campanarum*, *aspectus pinnaculi*, *osculum altaris majoris*, *tactus libri dicti Missalis*, praecipue *Birretum*, de quibus vide praeter citatos *in Instit. meis Part. I. §. LX.* AYRER *de symbolica Canonicorum et Canonicarum investitura*, 1768. KOHLIUM *de natura et indole investiturae per Birretum tum ad feuda atque allodia, tum ad honores ecclesiasticos aeque ac seculares accommodatae*, LACKMANN *Diss. de symbolica investiendi ratione per pileum:* notanda quoque adhuc investitura per *Cappam*, unde der Cappengang in quibusdam adhuc Germaniae Ecclesiis, uti in Paderbornensi. Vide *selecta Juris publici novissima Part. XXXII.* BUDER *in Symmictis de Emancipatione Canon. Part. I. Obs. I.* Residuus inde etiam in Ecclesiis aliis *Annus Capparum* in Ecclesia Metropol. Mogunt. Equestri ad S. Albanum et S. Ferrutium in Bleidenstadt, cujus privilegium in eo consistit, ut Canonicus Capitularis una vice integro anno abesse possit ab Ecclesia sua, si Fabricae (quondam pro Cappa procuranda) solverit 60. Flor. teste DÜRR in *Diss. de Annis Gratiae Mogunt.* 1770. *f.* 25.

§. IV.

Praebendae Canonicorum.

Quod Canonicos in specie concernit, notum est denuo post laudatissimum *Chrodegangi Metensis* Institutum diu ab his vitam communem ductam fuisse, donec ex variis illa causis sec. jam X. paulatim deseri caeperit. * Quando dein separati in sua quisque Curia (*Canonicali* inde dicta immo & ex veteri instituto *claustrali*) habitarent, distincti quoque reditus cuique praebiti fuere, unde Praebendae nomen jam antea usitatum, istis Canonicorum reditibus frequentius tribui consuevit. ** Porro quoniam reditus isti ea qua ante ratione communem vitam agentibus, ita nunc separatim degentibus non amplius suffecere, aut numerus etiam Canonicorum ita adauctus fuit, ut singulis de praebenda provideri non posset, invaluit inde quoque, ut *Canonica* distingueretur a *praebenda;* prior videlicet denotaret jus, quod Canonico propter statum suum in Ecclesia vel Cathedrali vel Collegiata competeret; *praebenda* vero denotaret ipsum stipendium Canoniae ut plurimum adhaerens. ***

* Praeter eos, quos recitavi *in Instit. meis* Part. II. §. CLXIV. seqq. plures alii materiam istam illustrarunt, quos vide apud *Celeb.* DÜRR *de Monast. S. Martini Mogunt. Cap. II. §. XI.*

** In *Capit. Carol. M.* apud BALUZ *Tom. I. p.* 1177. *addit.* 3. *C.* 112. *jamdum dicitur: Canonici Clerici, qui in Civitatibus vel Monasteriis degunt, qui beneficia habent, unde victum & vestitum habere possunt, ut hoc juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores hi, qui assidue in praedictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explent officium, vitam sustinent, nequaquam absumant ..... siquis haec statuta contemserit utrisque careat i. e. beneficio & praebenda, atque si gradibus fruitur ecclesiasticis, his privetur.* Distinctio hic fieri videtur inter beneficium & praebendam, ut beneficia potius hic designarent reditus annuos; praebenda id, quod certis

tis temporibus, uti singulis diebus, mensibus, certis Festis ex ciborum generibus variis, vestibus, similibusque ad vitam sustentandam necessariis porrigeretur. *Præbenda* inde *quotidiana* occurrit apud L. B. de Gudenus *Tom. I. Cod. Diplom. f.* 49. *in Ordinatione Præpositi ad S. Severum Erfordiæ de anno* 1121. *Cotidiana vero præbenda talis est septem panes sigalini: Dominicis diebus album panem per annum, in jejunio vero cotidie. Et isti panes tam albi, quam nigri ad Convivia pertinentes, equales sint panibus, qui dantur ad scam Mariam in magnitudine & albedine. Carnes vero hiemales & estivales equales sint carnibus, que dantur ad S. Mariam. In secunda feria dimidius caseus et tria ova... Cervisia equalis sit Cervisie que datur ad S. Mariam. In festo S. Martini inter Gallos et gallinas duodecim unicuique. In jejunio unicuique becharium* (instrumentum ad formam calicis) *unum de pisis ad duos dies et quotidie duo allecia* (pisciculus ad salsamenta idoneus Gudenus l. cit. et du Fresne ad hanc vocem) *& quinque ratices. De porro* (ollio) *quoque quantum vir unus ambobus manibus potest comprehendere. Hec autem sunt convivia. Primum in festo S. Severi II. in festo omnium sanctorum..... In unoquoque autem convivio IIII. fercula.... in die S. Walburgis duo Camisalia* (interulæ) .... *in festo S. Marie unicuique phaltinam* (Cappam tunicatam) ..... *& duo tunicalia .... in festo S. Michaelis II. pelles ovinas ad calceos, in festo S. Martini II. soccos de Cotto* (calceamenta hyemalia, de quorum forma vide du Fresne) *in festo S. Thome duo plaustra lignorum &c.* Conf. etiam Harzheim *Tom. IV. CC. German. p.* 613. Apud eundem de Gudenus *Tom. V. f.* 230. in charta de anno 1355. occurrit *panis præbendalis triticeus* in die anniversario fundatoris Canonicis distribuendus: ibid. f. 255. Legatum de anno 1383. ad meliorandos *panes præbendales* Canonicorum Ecclesiæ Wetzlariensis. *Tom. III. f.* 356. Molendinum, quod præter alia solvere teneatur Ecclesiæ Aschaffenburgensi *duos panes præbendales: areæ item duæ solventes redditus annuos & perpetuos XI. solidorum Hall. duorum pullorum carnis privialium* (a carni privio item carnis privio tempore, quo carnibus privari & abstinere incipiunt fideles ante jejunia quadragesimæ) *& duorum panum prebendalium. In Statuto Capituli Cathedralis Mindensis de anno* 1317. *apud* Harzheim *Tom. IV. f.* 596. de distributione panis præbendalis decernitur: *ut singulis annis, quibus Obedientiarius* (erat tum apud Canonicos tum Monachos destinatus ad administrandos reditus, item ita dictas obedientias, in Ecclesiis etiam Canonicorum residuas; subin & Advocatum aut defensorem Monasterii designabat) *annonam, de qua per circulum anni, certis & statutis ad hoc temporibus panem præbendalem ministrare debebit, infra festum Martini & festum B. Thomæ Apostoli ad claustrum nostrum* (nomen ex vita communi residuum, uti & annus claustralis Canonicorum & similia) *& ad locum ad hoc deputatum integraliter & absque diminutione adduci faciat.* & in C. Coloniensi *anno* 1400. *C. XXV. ibid. f.* 559. *Meringæ Canonicorum* in pane vel in vino seu pecuniis, seu aliis rebus quibuslibet sine imminutione distribui jubentur. *Meringam* denotare augmentum Salarii ibidem subjicit in not. Harzheim. Demum singulares quasdam acceptiones hujus vocis: *Præbenda*, quæ ad scopum modo nostrum non faciunt, vid. apud du Fresne ad eandem vocem.

*** Præbenda inde in Statutis Ecclesiæ Equestris Wimpinensis Cap. XVII. apud DÜRR *Diss. de Annis Carentiæ Mog.* 1772. *f.* 6. dicitur *plena perceptio fructuum: Statuimus pariter & ordinamus, quod quicunque Canonicus in plena perceptione fructuum sive præbendæ extans decesserit* &c. Apud L. B. de GUDENUS *Tom. III. f.* 1059. in Diplomate, quo *Arnoldus* reformat Ecclesiam Bingensem de anno 1160. *Canonica* idem denotare videtur ac *præbenda* his verbis: *si vero* (Canonicorum quidam) *ab eadem Ecclesia ad aliam serviendum se transferret, seu quacunque occasione producta Canonicam suam contumaciter neglexerit, stipendiis Canonice sue, quousque ad Canonicam satisfactionem Ecclesie obediret, penitus privaretur...... placuit quoque reformare & renovare id, quod ab inicio in eadem Ecclesia statutum est; videlicet, quod Dnus Prepositus ejusdem Ecclesie ibidem nullam haberet Canonicam, sed tertius decimus super duodecim Fratres stipendiis sue Prepositure contentus vicem Xpi amministrare juxta humanum modum satageret:* adde DU FRESNE ad hanc vocem, uti in charta an. 1061. ex *tabulario Ecclesiæ Abrincatensis: Canonici omnes sub Episcopi Priore sunt: & Canonicas id est præbendas, cum vacuæ fuerint, distribuere debet; & Servasius Dorobernensis: in diminutionem nostram & omnium suorum præjudicium successorum de Ecclesiis suis simul & nostris præbendas fecit vel Canonicas,* quanquam in hoc loco *fors Canonica idem sit, ac Collegium Canonicorum.*

Cæterum hæc res etiam in Germania satis frequens impingere videtur in prohibitionem ita dictarum *exspectativarum in cap.* 2. *de Concess. præb. in* 6. repetitam in *Trident. sess.* 24. *C.* 19. *de Reformat.* immo et interdicta alia plura, quibus tum ab Episcopis tum Archi-Episcopis, tum Conciliis etiam Germanicis vetatur, ne ultra consuetum præbendarum numerum ad alias necdum vacantes alii recipiantur, quæ interdicta familiari sibi plane in rebus Ecclesiarum Germanicarum eruditione recenset DÜRR *in Diss. de Capit. Clausis Mog.* 1763. §. *XV. Bullam* ALEXANDRI IV. quæ ibidem ex LÜNIGIO citatur, denuo edidit in *Subsidiis Diplomaticis ad selecta Juris Eccles. et Histor. Capita* 1772. Vir pariter de rebus Ecclesiasticis Germaniæ optime meritus mererique pergens Celeb. WÜRDWEIN *N. XVII. T. I.* adjecto simul *Brevi* ejusdem ALEXANDRI ad Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ *S. Guidonis* Spiræ, in quo mandat, ut auctoritate Apostolica curent, *ne de cetero adversus Capitulum Ecclesiæ ad Gradus B. V. M. Moguntiæ per Censuras procedant Executores eo fine, ut quondam ab ipsis summis Pontificibus vel Legatis ad præbendas necdum vacantes in ea Ecclesia ultra quaternarium numerum nominati, tanquam quæ nominationes a se irritatæ fuissent recipiantur.* In C. FRIDESLARIENSI *an.* 1246. *Can. VI.* constitutum quoque fuit, ut *non solum hæ nominationes ipso jure irritæ essent, sed et Episcopis loci tot præbendæ sint reservatæ, ad quot Capitula necdum vacantes contra hanc prohibitionem nominare ausa fuissent:* documenta hujus rei sunt apud cit. WÜRDWEIN *N. XVIII. et XIX. ubi Petrus* Archi-Episc. Moguntinus postquam tale quid in Ecclesia *S. Joannis* Moguntiæ a Visitatoribus factum fuisse deprehensum fuit, vi illius statuti totidem præbendas sibi reservatas declarat, et deinde confert. Consuetudinem nihilominus in pluribus Ecclesiis Germaniæ hisce Constitutionibus contrariam, legitimam esse indubium videtur, tum quod abusus, qui olim prohibitionibus istis ansam dedere, ne vide-

videlicet pro lubitu præcipue Canonicorum numerus augeretur, aboliti sunt, certo saltem etiam pro *Exspectantibus* istis numero definito, tum quod ratio illa, quam alias etiam a CC. Germanicis adhibitam fuisse negari nequit, de occasione captandæ mortis alterius removenda, uti inter alia in *Synodali Constitutione Mindensi de anno* 1279. apud HARZHEIM *Tom. IV. p.* 659. & LÜNIG *Spicil. Eccles. Continuat. III. pag.* 58. moribus Germanorum convenire minus videatur, uti vel primis Morum Jurisque nostri Germanici lineis tincto constat ex valore *pactorum successoriorum* a Germanis semper agnito, secus atque ex eadem ratione principia Romani Juris volunt. Id omnino extraordinarium, quod habet DÜRR l. c. in Ecclesia Cathedrali Leodiensi non solum ad Canoniam præbenda destitutam plures admitti, sed ad ipsum quoque Capitulum; usque suffragii in eo ferendi. Quibus subin nominibus appellentur in Ecclesiis Germaniæ Canonici præbenda omni adhuc destituti Cap. sequenti animadvertemus.

CAPUT II.

De Præbendis Capitularibus & Domicellaribus.

§. I.

Vita communi Canonicorum quoque adhuc vigente juniores Canonici, qui et *domicelli, damicelli, pueri nobiles* dicti, ad graviora negotia suffragiis examinanda, decidendaque cum senioribus admissi non fuere * : uti et alias subselliis in choro humilioribus, refectorio, dormitorio, habitatione ab ipsis distincti ** a scholastico aliisque sub scholastico praeceptoribus, scientiis eorum statum decentibus, instruebantur, donec dein ex ejus disciplina debitis jam dotibus rite praediti dimitterentur. *** Canonici juniores durante adhuc vita communi.

* *Domicelli*, item *Damicelli*, quasi minores Domini, eademque ratione *Domicellæ* dicebantur olim Regum, Principum, Magnatum filii, item liberi *militum* in sensu aevi medii ita dictorum necdum militari seu equestri cingulo donati; uti apud WÜRDWEIN *de Archi-Diac. Comment. II. p.* 382. in charta de anno 1340: *Hermannus dictus Hirte miles de Sauwitheim pro se et domicello fratre suo armigero etc.* & apud HOFFMANN Sammlung ungedruckter Nachrichten *Part.* 1. 1736. *p.* 250. *Nos Otto Dei gratia Domicellus de Brunswic et Luneborg etc.* ad imitationem autem horum juniores Canonici, Canonicae item seculares, *Domicellae & Dominae*; & apud L. B. de GUDENUS *Tom. I. f.* 660. in Diplomate de anno 1261. & *quia domus scholasteriæ ad hoc exiftit originaliter fabricata . . . ut in ea pueri nobiles Canonici Moguntini sub virga constituti* (qui hoc miratur, legat NELLERUM *in Exercit. jurid.* 1769. 10. *Maii f.* 11. *de Capitulis culparum seu disciplinæ* inter adultiores etiam Canonicos) *debeant sub scholastici regimine educari*. In diplom. *Conradi Archiep.* an. 1190. ibid. f. 295. *scholares* dicuntur: *in Chron. Limburgensi* apud Ill. de HONTHEIM *Hist. Trev. Prodrom. f.* 1064. *Novitii et minores* his

his verbis: Demnach so ward der neuwe erwoehlet *investitus Canonicus* dem *Sholmeister*, der jetz *Scholasticus* genent wird unter Henden gegeben zu lernen, und zu unterweisen in der Stiffts-Ordnung und *Disciplin*, ehe daß er *Capitularis* werde: dem dan nit ohngleich die Ordnung, so jetz noch mit den *Novitiis* und *minoribus* zu *Springesbach* im Erzstifft *Trier* gehalten wird. Daher auch noch bey diesem Stifft zweyerley *Formuln juramenti*, eins *Novitiorum*, das andere *Capitularium*: *in charta sententiæ inter Capitulum & Scholasticum Wormatiae a Capitulo Cathedrali Spirensi* in arbitrum assumpto latae apud SCHANNAT *in Histor. Episc. Wormat. de an.* 1455. *in Cod. probat. f.* 241. *Junckeren Canonicken*: Hierumb denn also nach entscheiden wir sie also: das es by dem *statut* der Kirchen zu Worms bliben soll, das da will: was *Junckeren Canonicken* in demselben Stifft zugelossen, und noch nit *emancipert* sin, so ein neuwer *Scholasticus* zugelossen wirt, die solln steen in des *Capitels* Henden zu *emancipiren*, nachdem auch solichs bisher in selben irem Stifft gehalten ist. *Baccalarios* etiam subin dictos advertit de SELCHOW ex CARPENTIER Juristische *Bibliotheck* 2. Band. *f.* 683. Quibus nominibus hodie adhuc hinc inde vocentur, deinde illustrabitur.

** Rationem educandi juniores Canonicos erudiendique sub cura scholastici fusius hic prosequi a scopo nunc meo alienum est: Conf. de hac re jam satis pertractata ESPEN *Part. I. Tit. XI. Cap. IV. et VI.* THOMASSIN. *L. I. P. II. c.* 96. MABILLON. *in Praefat. ad sec. III. Benedictin.* DÜRR *de Monast. S. Martini p.* 25. *seqq.* item *de Episcopo puerorum* §. *XVIII.* inter Protestantes præcipue FLOERKE *de Scholastici nomine, origine, officio, dignitate et praebenda* 1734. Id magis huc spectat, penes scholasticum quoque fuisse, ut ex reditibus pro sustentatione juniorum (aut uti dicitur in *charta de anno* 1190. apud *L. B. de* GUDENUS *Tom. I. p.* 295. *si in pane essent Dominorum gratis* i. e. Canonicorum seniorum) *necessaria procurare debuerit.* In Ecclesia Moguntina cum de hac re dissidia enascerentur *in Diplomate Henrici Archi-Ep. apud eund. l. cit. p.* 180. *circa ann.* 1146. decretum, ut hanc curam Canonici seniores porro haberent. anno 1190. in diplomate *Conradi* eadem iterum demandata scholastico, ibid. p. 295. Recitare juvat modum ibi præscriptum, ut appareat quantum tempora mutentur: *in vestitu istam damus formam, ut eos vestiat in pelliciis agninis, & pannis lineis, & laneis secundum Ecclesie consuetudinem sufficientibus, & de quibus non vult habere curam vestiendi, dummodo sint adulti, denarios omnes de carne Magister recipiet* (dum ex fundatione vel consuetudine cibus peculiaris praebendus erat, a Magistro coquinæ subin denariis redimebatur inter Canonicos distribuendis) *& de pisce refectiones, porcos de nativitate* (sub festa natalitia distribuendos aut etiam pecunia redimendos) *& denarios, qui dantur ad supplementum panis* (subin melioris, albi, siliginei, aut de sigala, sicalo, sigale uti apud de GUDEN. *ibid. f.* 51.) Magister retineat. *Alios vero denarios eleemosinares* (ex peculiari item fundatione dispertiendos) *& denarios de vestibus* (ad meliores comparandas) *scolares recipiant, & si Magister voluerit plus eis largiri, non sit ei successoribusque suis præjudicium.*

*** De Emancipatione ipsa Canonicorum juniorum Conf. inter alios BUDER *in symmictis Part. I. Obs.* 1. videtur huic scriptori fabulæ simile §. XIV. in not. eum ritum emancipationis in Ecclesiis Wirceburgensibus obtinuisse, ut dor-

sum

sum etiam nudum Canonici tum a Scholastico tum ab aliis Canonicis percuteretur; sed tale quid in usu fuisse patet ex eo, quod de hac controversia ex BENEDICTI *XIV. Lib. de Synodo Diœcesana animadverti in Instit. meis Part. II. §. CLXXV.*

§. II.

Vita communi Canonicorum adhuc vigente, quod pro sustentatione juniorum designatum fuerat, horum præbenda dicebatur, * certus porro numerus, quibus jus esset suffragii in Capitulo, tum necdum ita determinatus fuit: ** communi vita vero abjecta in pluribus immo si numerum ineas, plerisque Germaniæ Ecclesiis paulatim invectum, ut nonnisi certus numerus ad Capitulum admitteretur, aliis, etsi omnibus etiam conditionibus, quas jus commune aut statuta Ecclesiarum requirerent, satisfecissent, exspectare coactis, donec uno ex numero Capitularium abeunte locus ipsis in Capitulo præberetur, unde Capitula ejusmodi clausa vocitata sunt, alia non clausa: solennior item inde *Capitularium & Domicellarium* distinctio quoque invaluit. *** Distinctio in Capitulares & Domicellares.

* Immo vero *Præbendæ* nomen videtur vocabulum quam maxime vitæ communi Canonicorum proprium fuisse, cum in Diplomatis apud L. B. de GUDENUS illa durante frequens de emendatione præbendarum mentio occurrat, non item postquam ea jamdum cessare caepit: factum id fuisse in Ecclesia Metropolitana Moguntina ad annum 1253. conjicit DÜRR *in cit. jam Comment. de Monasterio S. Martini f.* 33. idem advertit de GUDENUS *Tom. II. f.* 762. eoquod ex instrumento ibi adducto anno 1254. *officium portæ* sive *portenarii* quondam Canonico proprium mutatum fuerit in Vicariam, quae exinde hodie adhuc *janitoris* dicitur. De hoc officio *Portenarii*, aliisque apud Canonicos consuetis *Magistri Coquinæ*, *Caniparii &c.* eorumque reliquiis in Ecclesiis nostris peculiaris lucubratio maxime utilis esset. In diplomate *Conradi Archi-Episc.* itidem paulo ante adducto an. 1190. atque ita vita communi adhuc obtinente dicitur: ut *omnes de cetero scholares Canonici tam presentes, quam futuri in Ecclesia Moguntina usque ad emancipationem cum suis prebendis in procuratione sint Magistri* &. in alio de an. 1190. apud de GUDENUS *Tom. I. p.* 297. ubi Capitulum Metropolitanum instruit *Petrum* scholasticum, quid scholaribus tribuere debeat dicitur: *quid vel quantum de prebendis ipsorum illis deberent relinquere, ut se vestirent; & deinde Dnus Decanus in presentia nostra de facto isto, quidquid vidit & audivit a XXX. annis retro de se & de aliis, sicut asserit, scholasticum instruendo narravit de* NB. *Panis in hunc modum*: hoc igitur etiam nomine tum compellari sueverunt: plura notatu digna vide de vestitu præscripto & aliis in ipso Diplomate & notis adjectis.

** In pluribus Ecclesiis numerus Canonicorum in ipsa jam fundatione determinatus fuit: ita apud WÜRDWEIN *in subsid. diplomat. cit. N. XII.* in Instrumento institutionis Decani & ordinationis circa numerum præbendarum *Ecclesiæ Cellensis*, quæ nunc *Universitati* nostræ *Heidelbergensi* unita est, *Eberhardus Abbas Hornbacensis* inquit ab initio *numerum præbendarum fuisse quindecim, ibidemque ob earundem tenuitatem eas reduci ad duodecim reducit*, quod dein alio instrumento. *N. XX.*

N. XX. ibid. tum a *Gerhardo Archiep. Mog.* tum commissariis *Joannis* itidem *Archiep. Mogunt.* denno anno 1413. confirmatum fuit. Apud de Ludewig *Relig. Mſ. Tom. V. f.* 425. in fundatione Eccleſiæ S. Crucis Wratislaviæ duodecim præbendæ præter quinque Prælaturas conſtituuntur: alia ad hanc rem vide apud eundem *Tom. VIII. f.* 409. 529. de Gudenus *Tom. I. f.* 69. *Tom. III. f.* 438. Harzheim *Tom. IV. f.* 657. in ſtatutis Eccleſiæ Mindenſis numerus viginti quatuor Canonicorum majorum præfigitur: antiquiora exempla ex Capitularibus Regum Francorum occurrunt apud Dietterich *in Diſſ. de origine & conditione Eccleſiarum Collegiatarum & Bamb.* 1768. *f.* 26.

*** Materiam *de Capitulis clauſis* elegantiſſima Diſſertatione illuſtravit Dürr *Mogunt.* 1763. quem proinde hac in re conſule.

§. III.

Præbendæ Capitulares & Domicellares.

Capitula clauſa ex ea potiſſimum ratione introducta fuere, *eoquod reditus vita communi deſerta ſeparati pro numero Canonicorum jam non amplius pro præbenda ſaltem æquali cuilibet conſtituenda, eaque ſatis pingui ſufficerent; quare ut & *Domicellares* haberent, unde aliqua ratione ſuſtentationem capere poſſent, aliqui quoque proventus ſtabiles in variis ſaltem Eccleſiis Germaniæ ipſis aſſignati fuere, utut in aliis, quemadmodum paulo ante jam innuimus, re id quidem fieret, ſola Canonia reliquis extra Capitulum Canonicis, aut uti etiam Capitula clauſa non vigent, junioribus relicta: quare præbendæ aliæ *Capitulares*, aliæ *Domicellares* appellantur.

* Has Domicellarum necdum emancipatorum præbendas a ſcholaſticis hinc inde retentas fuiſſe, usque dum eos manumitterent, immo tempore ſtudiorum in Academiis, poſt earundem erectionem frequentiorem, & ſcholaſticorum in munere ſuo peragendo negligentiam, ipſamque manumiſſionem propterea dilatam jam animadverti in *Inſtitut. meis Part. II.* §. *LXXV.* jam cit. ex *Reformatione Cardinalis* Brandae *Legati Apoſtolici* apud de Ludewig *Relig. Mſ. Tom. XI. a f.* 384. *ſeqq.* §. *XXXIV.* ita ibi dicitur: *Eſt in nonnullis Eccleſiis Civitatis & Dioceſis Moguntine preſertim in ipſa Majori Eccleſia conſuetudo, ut ſcholaſticus, qui pro tempore fuerit, aſſumti ad Canonicatum tamdiu prebendam ſibi retineat, quousque ipſum emancipare voluerit. Unde fit ut avaricia ejus retinendi prebendam interdum allectos diutius ſub ſua velit retinere poteſtate. Et quod deterius eſt niſi ſecum de certa pecunie quantitate conveniat, eum emancipare recuſat*: dein in favorem ſtudiorum Academicorum ſtatuitur: *ſi tamen aliquis predicte etatis* (annorum 16.) *ad ſtudium generale de licentia Prelati ſui ſtudendi cauſa ſe transferat, nolumus a ſcolaſtico per retentionem prebende vel alium modum moleſtari*: adde quod apud Würdwein l. c. N. XIV. habetur in Statuto *Gerlaci Archi-Ep. Mogunt. ſuper Statu ſcholaſticorum & promotorum ſeu promovendorum noviter ad præbendas, ex libro antiquo Statutorum Eccleſiæ Collegiatæ Bingenſis ad S. Martinum*: *dudum ſiquidem longævis temporibus juſte provide ac religioſe inſtituta Prælatura ſcholaſteria tam in Eccleſia noſtra Moguntina, quam in aliis Eccleſiis Collegiatis noſtra-*

strarum Civitatis & Diœcesis ipsis Prælaturis annexa fuerint quædam concernentia labores & onera, quædam vero honores & emolumenta, ac inter alia ipsis Prælaturis annexum invenimus, quod Scholastici existentes pro tempore minores promotos ad Canonicatus & præbendas in suum regimen & gubernationem reciperent, ipsosque in scientia, moribus & honestate disciplinæ Ecclesiasticæ suarum Ecclesiarum piis admonitionibus informarent; sed heu quod ordinatum est & fuerat circumspecte ad minorum eruditionem & profectum jam laxatis habenis ultra protrahitur ad majorum & plurimum provectorum gravissimum detrimentum. Hoc enim docet experientia efficax rerum magistra quod plures Scholastici nostris temporibus non in tantum quærunt minorum informationem, sicut avaritiæ cæcitate bursarum suarum repletionem & substantiarum tam minorum, quam provectorum evacuationem. Tanto quoque tempore maxime adultis est interdicta præbendarum suarum administratio, quamvis secundum Leges & Canones inspecta ipsorum ætate tutores seu Curatores eis dandi non essent &c. Statuitur dein quot quisque annis, qui aut infra annum 16. ætatis, aut hoc jam & ulteriori transacto, aut 24. plane jam inchoato Canonicatum obtinuerit, scholastico subjectus usque ad emancipationem esse debeat. Adde Decretum C. Constantiensis apud *van der* HARDT Tom. I. P. XII. p. 671, quod etiam recitat BUDER *Obs. cit.* §. *X.* DÜRR de Capitul. clausis §. X. apud quem & alia quædam huc spectantia reperies.

§. IV.

Præbendæ hæ Capitulares etiam *Majores* vocitantur, aliæ *minores*, inde *Canonici* alii *Majores*, alii *minores*, item *Majores præbendati*, & *minores præbendati*: * alii *integrati*, alii *semi-integrati*, ** *semi-præbendati*; *** *exspectantes*, **** *electi*, ***** *panistæ*, ****** *titulares*, *honorarii*; ******* alii *in herbis*, alii *in fructibus*; ******** *residentes*, non *residentes*. Alicubi etiam Canonici *parvæ mensæ*. ********* Appellatio varia Canonicorum juniorum.

* *Majores* Canonici occurrunt in *Cap.* 10. *de Archi-Diac. quod est* HONORII III. *de anno* 1220; unde colligit STRAUCH *in Amœnitat. Jur. Can. Semest. II. Eclog. VIII. Cap. IV.* jam tum ita dictos fuisse Canonicos, qui vocem in Capitulo haberent: sed ea lectio satis certa non est, teste enim BOEHMERO *in edit. nov. Corp. Jur. Can.* alii Codices legunt: *Majoris Ecclesiæ Senonensis Canonicos*, qui vero vel parum documentorum ævi medii notitia tinctus est, illico novit nomen *Majoris Ecclesiæ*, aut etiam *Majoris* sine additamento Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis concessum fuisse: aliqua tantum affero apud SCHANNAT. *in Histor. Episc. Wormat. in Cod. Probat. N. CV. Ulricus majoris Ecclesiæ in Wormatia Præpositus.* CVII. *Ulricus Major Præpositus, Fratres Capituli Majoris Ecclesiæ*, & alibi passim. N. CXLVII. in ordinationibus & Statutis Rectoribus scholarum præscriptis anno 1260. *Majoris S. Pauli, S. Andreæ, S. Martini Ecclesiarum Wormat. Decani & Capitula* N. CLI. *Majoris, Neuhausensis, S. Pauli* &c. *Ecclesiarum Wormatiensium Decani & Capitula*: similia quoque passim apud alios invenies. *Majores* occurrunt in Ecclesia *Halberstadiensi*, qui constituunt Capitulum clausum, & *minores* sive Domicellares: in *Mindensi* apud HARZHEIM Tom. IV. jam cit. p. 657.

p. 957. *numerus viginti quatuor Canonicorum Majorum:* item in Magdeburgensi tum *majores*, tum *minores*, tum *immatriculati*, qui iidem sunt cum *exspectantibus*. In Merseburgensi itidem tum *majores*, tum *minores*, de quibus jam mentionem facit MARTINUS V. in Bulla, qua aliquot præbendas Universitati Lipsiens. a Johanne XXIII. unitas confirmat apud HOMMEL Diss. *de Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Capitulis Lipsiæ* 1771. §. *XI.* quod idem ex eadem Bulla de *Naumburgensi* & *Cizensi* elucet: in Capitulo *Brandenburgico majores residentes*, & *minores a latere Regis*, & *a latere Capituli* inveniuntur, prout videlicet vel a Rege vel a Capitulo, quantum colligo, designantur. In Ecclesia demum *Merseburgensi* apud de LUDEWIG *Tom. IV. Relig. f.* 454. in Chron. Episcoporum Merseburgensium leguntur Vicarii etiam *majores* & *minores* a diversitate proventuum ita dicti, ab Episcopo anno 1505. abrogati. *Prebendula* vero dicitur congrua Vicarii perpetui apud WÜRDWEIN *Comment. II. de Archidiac. p.* 400. in charta de anno 1342.

** *Integrati*, & *semi-integrati* præter *panistas* reperiuntur in Capitulo *Lübecensi:* priores integra gaudent præbenda, sed sine panibus, posteriores dimidia. DÜRR *de Annis Carent. f.* 61.

*** Præbendæ pinguiores subin in plures divisæ sunt, unde *semi-præbendæ*, de qua sectione mentionem facit *cap.* 8. *de Præbend. & dignit.* alia quoque habet DU FRESNE ad vocem *Præbenda*. In Ecclesia Cathedrali Spirensi Vicarii quoque aliqui sunt *semi-præbendarii*, dimidia Canonicorum præbenda gaudentes: in Ecclesia *Messanensi* Canonici *tertiarii*, qui tertia parte præbendæ gaudent apud DU FRESNE ad vocem *Canonicus:* & apud THOMASSIN. *L. III. C.* 70. *n.* 11. in Ecclesiis Hispanicis, *Portionarii* & *semiportionarii*.

**** *Exspectantes* nullam plane præbendam habent, unde famosæ quoque olim exspectativæ, & anni *exspectantiarum in C. Colon. de anno* 1400. *C. IX.* cujus titulus: si *exspectans moritur antequam fructus percipiat, successor ejus tempora sua continuat, nec denuo tempus inchoat*: *exspectantes* in Ecclesia *Naumburgensi* & aliis apud Protestantes reperiuntur, quos teste BOEHMERO *ad Tit. de Concess. Præb. & Eccles. non vacant. a §. XXVI. seqq.* prohibitiones Juris Canonici non stringunt, ubi plura adhuc de controversiis circa has *exspectativas* apud Protestantes habet.

***** *Electi*, qui in Ecclesia *Halberstadiensi* residui sunt, iidem sunt cum *exspectantibus*, ut vero sit ZINDEL *in Diss. de Eccles. Cathed. Erlangæ* 1763. §. 37. *designati*, sed necdum in numerum Canonicorum recepti. adde BOEHMER. l. cit.

****** In Ecclesia Cathedrali *Lübecensi* ex novendecim Capitularibus decem seniores dicuntur *Panistæ*, quia hi soli percipiunt distributiones panum, si resideant, & proprias expensas (i. e. Oeconomiam) habeant, cum alias hæc distributio reliquis expensas habentibus accrescat: ita DÜRR l. cit. adde quæ capite priori de *panibus præbendalibus* aut *præbendariis* diximus.

******* *Residentes* & *Titulares* numerat Ecclesia *Sionensis* (Sitten) in *Valesia* pro-

provincia Helvetiæ affini & fœderata: *residentes* & *honorarios* Ecclesiæ *Litomericensis* & *Reginogradensis* in Bohemia: in Ecclesia *Curiensi* alii sunt residentes, & præbenda gaudentes, non *residentes* præbenda destituuntur, quod itidem colligo de titularibus & honorariis, nisi fors certis adhuc actibus interesse possint, uti *non residentes* in Ecclesia *Curiensi* electioni Episcopi & Decani: in alio sensu, qui huc non spectat, Principes ipsumque Imperatorem in Canonicos honorarios quandoque assumi solitos alio loco explicabimus.

******** *Canonicos in herbis* dici, qui præbenda destituuntur passim notum est: his jam anno 1209. in Synodo Trajectensi apud HARZHEIM *Tom. III. p.* 490. opponuntur, *Canonici*, qui sunt *in perceptione.*

********* *Canonici parvæ mensæ* sæpius leguntur in *Statutis Petri Albanensis Episcopi, Apostolicæ sedis Legati* super diversis ordinationibus Ecclesiæ Leodiensis de anno 1250. apud HARZHEIM *Tom. cit. f.* 579. seqq. uti: *Statuimus præterea, ut omnes Canonici habentes personatum, quam non habentes necnon & Canonici Sancti Materni & parvæ mensæ, Capellani quoque & Vicarii Ecclesiam ad horas diurnas & nocturnas frequentent*, dein: *Canonici S. Materni, & parvæ mensæ, qui ad supplendum aliorum defectum statuti sunt, parati sint semper supplere defectus, & ordinetur infra mensem per Decanum & quatuor seniores de Capitulo, quod prædicti Canonici grossum præbendarum suarum percipiant, sicut solent & illud quidem, quod habent ultra grossum præbendæ illis, qui interfuerint horis, dividatur*: item *quod in illo Capitulo* (S. Lamberti) fiet, *quoad Canonicos majores, S. Materni & parvæ mensæ* firmum *& stabile permanebit*: & sub finem: *hæc autem, quae de Canonicis majoribus, dicimus de Canonicis S. Materni & parvæ mensæ, & aliis beneficiatis Ecclesiæ, præsertim quantum ad servitium Ecclesiæ, distributiones denariorum pro horis, & ad faciendam residentiam, ad quam tenentur.* Ex his quidem patet hos Canonicos parvæ mensæ opponi majoribus, gavisos tamen fuisse præbenda, participes distributionum effectos; plura nunc de illis dicere nequeo. *Mensa* Canonicorum cæterum dicta fuit pars redituum in commune relicta, etsi a vita communi recessissent, ita in *c.* 9. *de Constit. super excrescentes* reditus mensæ deputasse leguntur Canonici. Conf. STRAUCH *in amœnit. Jur. Can. Semest. I. Eclog.* 2. *C.* 4. *de Excrescentiis autem, Excrescentien*, BOEHMER ad *L. III. Tit. V.* §. 75. & dum SIXTUS Pontifex Ecclesiam in *Alzus* erigeret in Collegiatam præter alia apud WÜRDWEIN *de Archi-Diac. Comment. II. p.* 362. concessit, *bursam* seu *mensam communem, anno* 1479.

CAPUT III.

De Præbendis presbyteralibus, Priester præbenden.

§. I.

Diversi gradus Clericorum ex arbitrio Episcopi.

Dum Clerici adhuc beneficiis ad morem hodiernum necdum erectis gauderent, sed portione ex reditibus Ecclesiæ ab Episcopo ipsis certo tempore distributi solita sustentarentur; * neque alia, quæ deinde, incitamenta ex felicissima illius ævi simplicitate aspirandi ad altiora adessent; insolens non fuit complures in gradu quodam inferiori, uti Sub-Diaconatus, Diaconatus, immo & Ordinum minorum tota subinde vita, aut pro arbitrio Episcopi persistere. **

* Singulis præcipue mensibus id factum fuisse, atque inde *divisiones mensurnas* dictas jam animadverti *in Instit. meis Part. III.* §. *VII.* cui adde, quod deinde apud L. B. *de* GUDENUS occurrit *Tom. II. f.* 312. in charta de anno 1225. in Ecclesia Aschaffenburgensi: *Sifridus D. G. Prepositus Aschaffinb.* .... *Notum sit igitur .... quod diurnum panem siligineum, & XX. panes mensurnos ad instantiam . . Custodis Wortwini eidem & omnibus suis successoribus concessimus in perpetuum; cum dicti panes Prepositure nostre attinuissent.*

** De hac re ait FLEURY *Diss. II. in Hist. Eccles.* §. *VI. edit. latin.* anno 1772. f. 66. *Quilibet Clericorum in suo ordine tamdiu, quamdiu Episcopo expedire videbatur, & aliqui tota vita sua ministrabant. Nemo mirabatur, si videret hominem toto vitæ suæ tempore Ostiarium aut Lectorem, sicut hodie non miramur, si in foro seculari apparitor aliquis aut tabularius nunquam ad judicis officium promoveatur. Non æquales sunt omnibus naturæ dotes ..... Episcopi cum ordinandos eligerent, non privatorum ambitioni satisfacere, sed aptos Ecclesiæ ministros dare cupiebant: hinc admirandi non est locus, quod unumquemque in illo ordine, cujus maxime capax esset reliquerint..... Nemo se ipsum offerebat ordinandum eo modo, quo alii Baptismum vel Pœnitentiam petebant, sed vel populus illius, cujus merita noverat, ordinationem postulabat, vel eum Episcopus consentiente populo eligebat.*

§. II.

Canonici Capitulares debent esse Sub-Diaconi.

Postquam deinde tam pingues persæpe proventus titulis, officiisque Ecclesiæ, Canonicatibus præsertim annexi fuere; equidem fuere hinc inde, qui ita iisdem gaudere vellent, quin propterea ad ordinem majorem gradum facere cogitarent: quare, ne exsaturata longo etiam tempore reditibus istis cupiditate, gratiarum habendarum loco, militia quoque Ecclesiæ deserta cum statu iterum Laico commutaretur, diu jam in Ecclesiis quoque Germanicis constitutum fuit, ut, qui reditus istos præbendis saltem Capitularibus adjectos recipere vellet, Subdiaconatus ad minimum ordine initiaretur.

* Plura

* Plura ad hanc rem Concilia citat THOMASSIN. *Part. I. L. III. C.* 10. In Jure communi id præſcribitur *Clem.* 2. *de ætat. & qualit. & ord. præfic. in Trident. Seſſ.* 22. *Cap.* 4. *de Reformat.* Siquis velit recipi ad Capitulum ordo Subdiaconatus requiritur. Quoad Germaniam apud HARZHEIM *in C. Prov. Trevir.* de anno 1227. *Tom. III. f.* 530. C. VII. ſtatuitur de Canonicis & Beneficiatis: *item præcipimus ut omnes faciant ſe ordinari ſcilicet alii in Subdiaconos, alii in Diaconos, alii in Sacerdotes, ſecundum quod nobis, Decano & ſuo Capitulo viſum fuerit expedire.* In *Statutis Petri Albanenſis Epiſcopi, Legati Apoſtolici* de Eccleſia Leodienſi jam cit. ibid. f. 582. ita dicitur: *Item cum in Leodienſi Eccleſia penuria ſit Subdiaconorum, & Diaconorum Canonicorum, & nimis indecens videatur, quod tantus in tanta Eccleſia defectus ſit, quod non poſſit ad majus altare per Canonicos deſerviri, ordinamus & ſtatuimus, quod ad præſens ſex Canonici ad Subdiaconatum & ſex ad Diaconatum per Decanum & Capitulum in noſtra præſentia eligantur. Alioquin nos eligemus eosdem, quos ad ſuſcipiendum dictos ordines per ſubtractionem beneficii compellimus. Provideatur autem inpoſterum, ne prædictis cedentibus vel decedentibus ſeu ad majores ordines promotis in prædicta Eccleſia quantum ad prædictos ordines ſit defectus, ſed cedente vel decedente aliquo ſeu ad majorem ordinem promoto, ſi Diaconus fuerit, qui ceſſit, vel deceſſit, aut ad majorem ordinem promotus eſt, antiquior Canonicus in minoribus ordinibus conſtitutus, vel infra ſecundum ordinem matriculæ compellatur ſubdiaconatum recipere in primis ordinibus tunc inſtantibus et hoc per ſubtractionem diſtributionum refectorii et horarum* (diſtributiones refectorii ſubin extra ordinem ſub nomine Conſolationum, pictantiarum aut alio Canonicis præberi ſolebant, de quo infra) *Et hoc idem ſervetur cum aliquem de prædictis ſex Diaconis contigerit cedere vel decedere, aut ad majorem ordinem promoveri. Videlicet antiquior ſubdiaconus in primis ordinibus Diaconatum recipiet &c.* *In Statuto Walrami* Colonienſis de anno 1347. decernitur: *Olim bonæ memoriæ Henricus prædeceſſor noſter quoddam Statutum edidit ſub hac forma: Licet canon felicis recordat. Clementis Papæ V. extra de ætate et qualit. ordinandorum qui incipit: Ut hi, inter cætera ſtatuerit &c. verum quia hujus Statuti ſalubris intentio in aliquibus Capitulis ita in oblivionem, immo in diſſimulationem dicitur devaniſſe, quod etiam non exiſtentes in ſacris paſſim cum in ſacris exiſtentibus etiamſi a Decano ſuo & Capitulo minime ſint vocati, immo ut audivimus contra ſui prohibitionem Decani exiſtentibus in ſacris aſſidere præſumunt et tractatibus Capitularibus intereſſe . . . . propter quod volentes eorum periculis, quantum poſſumus, occurrere, præfatum ſtatutum huic noſtro inſertum mandato, de verbo ad verbum, ut deinceps omnibus quorum intereſt pateat, in hoc ſacro Concilio ex abundanti volumus recitari ipſo ſtatuto non eo minus in forma ſtatuti in ſuo robore valituro &c.* apud HARZHEIM *Tom. IV. f.* 462. Statutum ad quod hic provocatur editum fuerat in C. Colon. anno 1321. extatque apud eundem HARZHEIM l. cit. f. 279. in Statutis Eccleſiæ Eimbecenſis apud de LUDEWIG *Relig. Tom. X. f.* 105. dicitur: *ſi vero* (Canonicus) *in ſacris non fuerit, inſtallatio differetur uſque dum ſacros ordines receperit, et poſt receptionem mittetur ſcholaſtico vel Rectori ſcholarum et recipietur per alterum eorum ad diſciplinam, et quamdiu intra ſcholas fuerit, duplex ſtipendium Scholaſtico dabit. Et poſtquam ad ordinem ſubdiaconatus promovendus fuerit, emancipabitur per ſcholaſticum ad requiſitionem Decani & tunc recipiet ſacrum ſubdiaconatus ordinem,*

nem, quo recepto de licentia Decani jurabit consuetudines & statuta servare, prout supra exprimitur, dein per Decanum installetur.

§. III.

Alii item Diaconi, & Presbyteri, unde præbendæ presbyterales.

Ex his sane, quæ modo recitari CC. Germanicorum decretis elucet, Ecclesiam optasse quidem, ut Canonici quoque a gradu subdiaconatus ad altiores etiam ascenderent, quo cultus divinus majori splendore, majestateque celebraretur: fuisse nihilominus Ecclesias, in quibus Canonici ob defectum ordinum sacra sua obire non possent, aut eadem, uti necessitas subin postulabat, etiam Archi-Episcopi aut Episcopi etiam nomine peragere: quare in aliis dein Ecclesiis præcipue Collegiatis per statuta specialia atque adeo Presbyteratum suscipere jussi sunt; * in aliis autem certæ præbendæ erectæ fuere, quæ nonnisi sacerdotii charactere insignitis conferri possent, unde et Presbyterales dictæ, sermone patrio Priester præbenden. In aliis, ubi adhuc vigent præbendæ Doctorales plerumque etiam in Canonicis Doctoribus simul ordo Presbyteratus requiritur: ** demum in aliis pro certis præbendis saltem ordo Diaconatus requisitus fuit. ***

* In Statutis Ecclesiæ Flanheimensis apud WÜRDWEIN *Comment. I. de Archi-Diacon. Dioces. Mogunt. Tom. I. f.* 128. decernitur: *item quilibet Canonicorum & Vicariorum infra annum se ad sacerdotem promoveri procuret, quod si minime fecerit prebendam sive Vicariam ad manus patronorum resignent. Henricus Landgravius Hassiæ* in Ecclesia S. Martini Cassellæ anno 1366. apud KUCHENBECKER *Anal. Hass. Collect. V.* nonnisi præbendas sacerdotales instituit, voluitque, ut admittendi Canonici essent Presbyteri vel infra annum a tempore assecutionis præbendæ se faciant ad sacerdotium promoveri. In Ecclesia Collegiata ad S. Gangolphum Bambergæ teste DITTERICH in *Diss. cit. Cap. II.* §. 8. omnes, qui volunt admitti ad Capitulum Presbyteri esse debent. In Concilio provinciali Salisburgensi anno 1569. Constit. XXIV. Cap. IX. apud HARZHEIM Tom. VII. f. 279. ita præscribitur: *sequi cupientes antiquam hujus nostræ provinciæ laudabilem & sanctam consuetudinem, nec non & renovantes decretum ultimæ præcedentis synodi provincialis Salisburgensis simul atque sacrosancti Concilii Tridentini decreto parere volentes decernimus atque statuimus sub pœna privationis Canonicatuum, quod Canonici tam Cathedralium Ecclesiarum, quam aliarum Collegiatarum, quamprimum ad justam pervenerint ætatem juxta decretum C. Tridentini & laudabilem consuetudinem provinciæ & Cathedralium Ecclesiarum (nisi canonica impedimenta, vel urgentes ac rationabiles causæ pro arbitrio & judicio ordinarii obstent) sacro Presbyterii ordine initientur, mox primitias, ut vocant.* id est, *primam Missam celebrent. idque ultra intervallum sex mensium minime differant.* Videtur hic provocari ad Decretum *Tridentini Sess. XXIV. Cap.* 12. *de Reformat.* ubi inter alia ita statuitur: *In omnibus vero Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem Presbyterii, Diaconatus, aut Subdiaconatus: Episcopus autem cum consilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedi-*

pedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri vero Diaconi aut Subdiaconi; ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, omnino observetur. Hoc vero decretum non ubicunque receptum, atque exemtioni datum fuisse passim notum est.

** In Statutis *Petri Legati Apostolici* apud HARZHEIM l. c. f. 581. in Ecclesia Leodiensi sex *præbendæ sacerdotales* occurrunt, de quibus ita decernitur: Item *præcipimus, quod sex præbendæ sacerdotales non dentur de cætero nisi Presbyteris, vel saltem Diaconis aut Subdiaconis, qui per intervalla possint infra annum ad sacerdotium promoveri: nec dentur nisi personis honestis, quæ sint de legitimo Matrimonio, & quæ sciant competenter legere & cantare, nec aliter, quam diximus, conferantur.* In diplomate fundationis novæ præbendæ in Ecclesia Cathedrali Lübecensi ab *Henrico Episcopo Lübecensi* anno 1332. apud LÜNIG *Spicil. Eccles. Part. II.* p. 341. disponitur: *quod de Canonicatu & præbenda non providebitur alicui, nisi aut Presbytero, aut saltem in tali ætate constituto, quod infra annum a tempore provisionis sibi factæ possit in Presbyterum ordinari.* In Ecclesia Metropolitana Moguntina teste DÜRR *de Capitulis clausis* f. 116. Quatuor præbendæ *presbyterales* extant; atque unus ex quatuor Canonicis presbyteris fungitur officio Archi-Presbyteri Ecclesiæ & civitatis Moguntinæ; nominatur a Præposito Ecclesiæ Metropolitanæ tanquam Archi-Diacono majore, atque tum in, tum extra urbem in certo districtu actus quosdam jurisdictionis exercet pristinæ authoritatis reliquias ait WÜRDWEIN *de Archi-Diac. Comment. I. §. I.* apud quem documenta aliaque huc spectantia vide.

*** Ita in C. Colon. anno 1400. apud HARZHEIM *Tom. IV. f.* 549. *C. II.* Statuitur de Diaconis Ecclesiæ majoris Coloniensis: *item quia in Ecclesia nostra Coloniensi ... dudum fuit & adhuc est evidens Diaconorum defectus, præsertim ex eo, quod Canonici, qui de consuetudine ipsius Ecclesiæ deberent esse Diaconi, & eidem in Diaconatus ordine servire quamvis per Decanum ejusdem Ecclesiæ sæpius moniti distulerunt, & differunt etiam absque rationabili causa ad hujusmodi ordinem se facere promoveri..... nos volentes super hoc de opportuno providere remedio, requirimus & monemus sub pœna suspensionis ab officio & beneficio universos & singulos Canonicos Ecclesiæ nostræ prædictæ, qui juxta præfatam consuetudinem deberent ad dictum ordinem esse promoti, & non sunt, ut.... se faciant promoveri.... Et ne diutius Ecclesia nostra præfata Diaconorum patiatur defectum, volumus.... quod ad minimum quinque vel sex Diaconi ad ministrandum ac serviendum in memorato ordine sufficientes & idonei sint in ipsa Ecclesia continue residentes..... Ut autem ad hoc facilius inclinentur statuimus & ordinamus, quod tales post eorum promotionem nec non alii idonei, siqui inferioris gradus ejusdem Ecclesiæ Canonici jam ad ordinem illum existunt promoti, gaudeant & potiantur in Capitulo & extra omnibus honoribus, emolumentis, & prærogativis, quibus ipsius Ecclesiæ Canonici Diaconi gaudere hactenus consueverant & solent.* Patet ex his verbis Canonicos Diaconos majoribus, quam alii, gaudere emolumentis, vicissim autem ad strictiorem quoque residentiam obligari.

§. IV.

§. IV.

Specialia circa has præbendas.

Præterquam quod, qui præbendam Presbyteralem obtinere cupit Presbyteratus ordine insignitus esse debeat, aut intra annum saltem illum suscipere, strictiori plerumque residentiæ quoque obnoxiæ sunt; * eo verò vicissim privilegio gaudere solent, ut, ubi Capitula quoque clausa obtinent, is, qui in locum defuncti Canonici Presbyteri, præbendam Presbyteralem recepit, illico ad Capitulum admitti soleat. **

* In Statutis jam aliquoties citatis Ecclesiæ Leodiensis apud HARZHEIM l. cit. dicitur: *isti* (qui præbendas sacerdotales habuerint) *autem jurabunt continuam residentiam, & sacerdotis officium exercentes, suas ad majus altare in propriis personis faciant septimanas* (pro ordine hoc mentio fit *matriculæ* in his statutis, & apud WÜRDWEIN *in subsid. histor. diplom. f.* 100. occurrunt Canonici *intitulati* i. e. in tabella ad munus in choro peragendum notati) *nec habebunt Vicarios, sed si aliquis ex iis urgente necessitate fuerit impeditus vices suas supplere poterit per aliquem de amicis, dummodo sit Canonicus... Quodsi Archi-Episcopi vel Episcopi, seu aliqui Prælati majores Coloniensis Ecclesiæ Sacerdotes, Leodiensis Ecclesiæ sint Canonici & præbendas habeant in eadem, Vicarios pro se statuere non poterunt, nisi boni testimonii viros, & qui sint etiam sacerdotes.... Hi similiter Vicarii perpetuo in Ecclesia residebunt & suas septimanas facient ad majus altare, præterquam in diebus solennibus, quibus per unum de majoribus Canonicis Decanus secundum ordinem Matriculæ Missam præcipiet celebrari.* Residentia isthæc solet esse adeo arcta, ut ea debite non observata ipsa etiam præbenda amittatur.

** Conf. apud *L. B. de* GUDENUS Constit. *Joannis Archiep. Mog. Tom.* 4. p. 94. ubi id de præbendis presbyteralibus Moguntinis declarat & decernit.

CAPUT IV.

De Præbendis Liberis Freypræbenden.

§. I.

Servitia ob reditus ecclesiasticus atque inde residentia.

Reditus ecclesiasticos ob servitia vicissim Ecclesiæ præstanda ejus ministris distribui, non est, cur uberius ostendam; quare enatum est exinde tritum illud, *beneficium esse propter officium.* Cum vero servitia isthæc exhiberi nequeant, quin quis in loco beneficii sui præsens moretur: Ecclesia porro nunquam non ægre tulerit, servitia isthæc per alios quacunque ratione, atque eos, qui reditibus gauderent, præstari, inde tot jam antiquis etiam temporibus jamdum ad usque ætatem nostram de *Residentia* ita dicta in loco beneficii Ecclesiæ universæ constitutiones, Conciliorum particularium decreta, Ecclesiarum peculiarium statuta *

&

& Fundatorum ipsorum in literis suis præcepta, quæ modo referre a scopo meo alienum est.

* Satis jam superque id egerunt THOMASSINUS *Part. II. L. III. C.* 30. *usque ad* 58. VAN ESPEN *Part. I. Tit. VII. & alii:* peculiari lucubratione de varietate Residentiarum egit Cel. NELLER, quæ mihi ad manus non est; quare quæ exinde ad materiam præsentem faciunt, afferre mihi non licet: aliam promisit de *Anno Ecclesiastico, residentiarum varietate &c.* DÜRR Diss. de *Annis Carentiæ* f. 64. quam sane a Viro vastissima in rebus Ecclesiarum Germanicarum notitia pluribus jam opusculis de his materiis optime merito bonus quivis avide exspectabit; paucula de præbendis liberis pro fine nunc meo afferre hic sufficiat, cum in re necdum ab ullo, quantum scio, pertractata, necessaria mihi librorum subsidia quæque præsto non esse lubens fatear.

§. II.

Occurrunt quidem jam olim Canonici *Mansionarii* * sive qui residerent, & *forenses*, qui non residerent: verum horum præbendæ ad eum quo hodie occurrunt sensum liberæ, seu residentiæ onere exsolutæ, dici non possunt, quippe qui potius videntur ad residentiam obligati fuisse, siquidem fructibus integris gaudere volebant. ** *Residentes* hodie adhuc alios; alios non *residentes* dici in quibusdam Ecclesiis, sed posteriores præbenda adhuc destitutos esse jam ante animadvertimus. Canonici Mansionarii & forenses.

* a) Hæc vox in monumentis antiquioribus inprimis in sensu etiam profano occurrit *a Manso; Sirmondo est fundus cum certo agri modo, Bignonio: villula coloni unius habitationi propria:* aliis *quantitas terræ, quæ sufficit duobus bobus ad arandum per annum*: aliis *portio terræ duodecim jugerum* DU FRESNE ad hanc vocem; apud HONTHEIM *Tom. I. p.* 274. dicitur: *accepi mansum.... cum Emardo servo & aliis mancipiis ad eundem locum aspicientibus p.* 368. *duodecim mansos totidemque mancipia nobis contradiderunt, p.* 300. *cum mansis & mancipiis;* inde & NELLERO *de Jurisprud. Trevir. sub Germanis in Hist. Trev. Prod. p.* 532. idem quid significat, ac quod deinde *Mansionarius;* item *Mansoarius* apud STRAUCH *Amœnit. Jur. Can. semest. II. Eclog. VII. c.* 15. ex formulis *Marculphi* L. 2. cap. 22. hodie *subditus fundalis*, Grund-Unterthan; & apud HONTHEIM *Tom. I. p.* 684. *Hovet lude*, Hofleute. *Cæsarius* antiquus scriptor Prumiensis in glossis ad librum censuum Prumiensium ad an. 1222. apud HONTHEIM l. cit. p. 662. eos dividit in *Mansos serviles, lediles, & ingenuales:* & p. 664. *Mansionarios* opponit *scarariis* id est *Ministerialibus & Haistaldis*, id est qui non tenent a curia hæreditatem, ad quæ verba notat HONTHEIM, *Haistaldi*, qui Germanis Haußhälter, Haußgesessene, Eingesessene incolæ, qui hæreditatem suam non a Curia i. e. in beneficium seu feudum, sed allodium habebant.

b) In sensu Ecclesiastico hæc vox occurrit jam apud GREGOR. M. *Dial. Lib.* 3. *c.* 25, ubi inscriptio habet: *de Abundio Mansionario Ecclesiæ B. Petri;* quem & deinde custodem ejus Ecclesiæ dicit, & *Dial. L.* 1. *c.* 5. *ait: Constantius* Man-

Mansionarius quadam die, dum in eadem Ecclesia oleum deesset, & unde lampades accenderet, omnino non haberet &c. *In C. Chalced. C.* 2. textus græcus habet: Ει τις Επισκοπος.... προβαλλοιτο επι χρημασιν ἢ οικονομον, ἢ εκδικον, ἢ προσμοναριον: quam ultimam vocem LABBEUS reddit *paramonarium:* si quis *Episcopus propter pecunias promoverit œconomum, Defensorem, vel Paramonariam*: DIONYSIUS EXIGUUS in suo Codice: *Mansionarium;* & apud BINGHAM *de Orig. & antiq. Eccles. Vol. II. p.* 71. in vetusta quadam versione ad marginem adjicitur: *Ostiarium* JUSTELLO *Bibliothec. Jur. Can. Tom. I. p.* 91. *Paramonarii* sunt villici sive actores possessionum. In *Bulla* VICTORIS IV. de anno 1162. *Alsat. diplom. Tom. I. p.* 250. *Mansionarius* idem est ac *Campanarius* his verbis: *Campanarium sive Mansionarium & pistorem sive Villicum Abbas instituet.*

c) Canonici deinde *Mansionarii* dicti leguntur ob residentiam ad quam adstringebantur, atque etiam reipsa peragebant: ita in charta de anno 1130. ex tabulario Carnotensi apud DU FRESNE dicitur: *præterea ab eodem statutum est & ordinatum, ut qui ante hanc institutionem Canonici facti id minus dimidio Mansionarii in vestra civitate non fuerint centum solidos minus, quam Mansionarii annuatim consequantur.* Nomen hoc deinde potius attributum fuit inferioribus præbendatis in Ecclesiis Canonicorum teste THOMASSINO *L. III. C.* 70. n. 11. & apud HARZHEIM *T. IV. p.* 637. in Synodo Tridentina anno 1336. enumeratis Canonicis Tridentinis subjicitur: nec *non honorabilibus Viris Dominis Venturino de Mantua ac Martino de Novaria Mansionariis*, ita etiam post Canonicos occurrunt in Subscriptione p. 649. item l. cit. conjunguntur *Mansionarii* & *Capellani dictæ Ecclesiæ* & C. V. de iis dicitur: *Mansionarios, qui bini unam valore parem ex Canonicalibus præbendis equis percipiunt portionibus annuatim, quemadmodum & suum sibi in choro nostre Kathedralis Ecclesie commissum officium eos artat ad continuam, nisi forte justa & probabilis causa excusaret, eos tunc per substitutos ydoneos astringimus residentiam personalem ..... inviolabiliter statuentes, quod liceat ipsorum cuilibet, ymmo & ipsorum quilibet, qui in sacerdotali sive presbyterali officio, sive presbyterali Mansionaria fuerit constitutus.... omnino teneatur & debeat suam in dicto choro vel alias in dicta Ecclesia per ordinem .... facere septimanam.* Hic occurrit quoque *Mansionaria sacerdotalis*, uti & apud DU FRESNE l. c. item *primus Mansionarius, Mansionarii juniores* &c. In Diplomate *Henrici I. Episcopi Argentin.* circa annum 1190. *in Alsat. Diplomat. N. CCCXLVII. p.* 295. occurrunt etiam *Mensurnarii*, sed SCHOEPFLIN *in not.* eam vocem nullibi occurrere inquit, atque idcirco legendum. *Mansionarii.*

d) Apud de LUDEWIG *Relig. Mss. Tom. VIII. p.* 534. in Histor. Comitum Ardensium & Guisnensium Canonici quoque *Stationarii* leguntur his verbis: *Cuilibet igitur Canonico in villa conversanti & Stationario circa forum & circa novam Ecclesiam* (quam ibidem Comes Ardensis primum fundavit) *mansum dedit & liberum concessit. Postquam vero suos in novam suam Ecclesiam introduxit Canonicos statuit, & tam propriæ manus, quam Capituli Canonicorum juramento confirmavit, quod nullus Canonicorum, qui in propria persona in Ecclesia sua, suam non deserviret præbendam, de præbenda amplius obtineret, quam centum solidos, vicarius autem ejus quicquid amplius valeret.* Sta-

Stationarius tum in ſenſu profano, tum eccleſiaſtico idem quid ac *Manſionarius* hinc inde denotabat; inde in charta *Philippi Auguſti* de anno 1204. apud DU FRESNE ad hanc vocem pro Eccleſia *S. Aniani Aurelian: ut quilibet Eccleſiæ Cantor Stationarius ſit in clauſtro & aſſiduus, & officium Cantoris exhibeat:* item *Stadium* pro certo & definito tempore reſidentiæ Canonicorum, pro *Stagio* voce ſat frequenti, ex qua *Obſtagium*, famoſiſſima illa olim ſpecies fidejuſſionis: *Stagi* primarii quidam Canonici pro moderandis Eccleſiæ rebus neceſſario præſentes. Uberiorem notitiam hujus vocis atque aliarum inde derivatarum vide in der Abhandlung *Christian Ulrich Grupens* von dem *Obſtagio* deſſen Alterthum und Benennungen apud SCHOTT Juriſtiſches Wochen-Blatt 1. Jahrgang f. 52. ſeqq. ubi & de *Stagiis* Canonicorum mentionem injicit. Gallis hodie quoque, *Stage*, reſidentiam Canonicorum denotare vide apud MAILLANE, *Dictionaire de Droit Canonique* 1761. voce *Stage*.

** e) *Manſionariis Canonicis* opponuntur *forenſes* aut etiam *foranei* ita apud DE LUDEWIG l. cit. Nec *Canonicus aliquis forenſis ſuum ibi ſubſtitueret Vicarium*, ſed *tantum Eccleſiæ Decanus juxta conſilium Canonicorum in Eccleſia quotidie converſantium;* unde apparet forenſes tales fuiſſe, qui in Eccleſia ſua non reſidebant. Alias *Presbyteri forenſes* quoque dicti ſunt, qui ex aliena Diœceſi vel Eccleſia erant; ut in *Synodo Romana ſub* LEONE *IV.* anno 853. C. 39. aut qui extra Civitates in agris conſtituti fuere uti in Capit. de anno 806. C. 2. qui & *foraſtici* & *pagenſes*, aut etiam ruris ſubin dicti fuiſſe leguntur.

f) *Canonici foranei aut forenſes* debito tempore non reſidentes mulcta etiam quadam plectebantur, quæ dicta legitur *foraneitas*, ita in ſtatutis Eccleſiæ Trecenſis apud DU FRESNE voce: *Foraneitas* dicitur: *ſi abſentes Canonici reſidentiam non fecerint per medietatem unius anni integre, dicti Canonici, qui dictam reſidentiam non fecerint, tenentur ſolvere* 100. *ſolid. Celerario Eccleſiæ* (i. e. Cellario, quod officium hodie adhuc in pluribus Eccleſiis reſiduum eſt) *totiens, quotiens defecerint in dicta reſidentia facienda. Et ſi defecerint per unam diem de dicta reſidentia facienda nihilominus debent ſolvere* 100. *ſolid. Et vocatur iſta ſervitus, ſeu hujusmodi redhibentia, Foraneitas:* aut id, quod ex præbendis foraneorum i. e. non reſidentium reliquis accreſcebat, *Foraneitas* dicebatur, uti in charta de anno 1217. *ex tabulario Eccleſiæ Carnotenſis* apud eundem: *Nihil autem habeat de pane & vino pro annualibus de foraneitatibus, hoc eſt, de fructibus præbendarum foraneorum Canonicorum. Annualia* hic videtur reditus Canonicorum non reſidentium inter alios diviſi; de *Annualibus* in alio ſenſu agit DÜRR *Diſſ. de Annis Carentiæ* §. *V.*

§. III.

Præbendæ quædam unde liberæ?

Etſi vero Reſidentia etiam in Canonicis nunquam non hac ratione urgeretur, variæ tamen cauſæ fuere, quæ ipſos eadem liberarent: illas tantum commemoramus, quæ ad ſcopum hic noſtrum faciunt; ad certum tempus excuſabantur, qui ſtudiorum cauſa in Academiis abſentes erant, ſed, quas poſſedere, præbendæ ipſæ propterea exinde liberæ non evaſerunt. * Cum antiquiſſimis

jamdum temporibus Clerus Civitatis, & ad summæ potissimum ædis Matriculam spectans Episcopi senatum effecisset: Canonicis aliquibus, qui ab Episcopo assumebantur, ut eidem in Diœcesi regenda assisterent, reditibus præbendæ suæ etiam absentibus frui concessum fuit. Atque hæc mihi potissimum occasio fuisse videtur, cur præbendæ aliquæ in Ecclesiis Cathedralibus residentiæ onere omnino liberæ evaserint. ** Scholasticis porro munus docendi non amplius obeuntibus, atque in ejus locum Academiis publicis succedentibus plures Canonicorum præbendæ pro sustentatione Professorum a summis præcipue Pontificibus destinatæ fuere: *** ob docendi munus Canonicis istis Professoribus injunctum residentia vicissim liberæ exemptæque fuere. **** Demum Canonicis, qui longa jam annorum serie Ecclesiæ suæ deservierunt, in ætatis præmium quoque in pluribus Ecclesiis ea libertas indulgetur: unde & Jubilæi seu Jubilarii appellantur. *****

* De hac re jam satis egerunt VAN ESPEN *Part. II. Tit. XI. C. 1.* GEORG. LUDOV. BOEHMER *in Obs. Jur. Can. de tempore studiorum legitimo a Canonicis observando Obs. VII.* DÜRR *de Capitulis clausis §. XVI. f.* 76. Compendio id dixi *Instit. Jur. Eccles. Part. III. §. XLII.* subin Canonicis per modum pœnæ Studia Academica injuncta fuisse innuit ESTOR in den neuen kleinen Schriften *T. II.* von der geistlichen Strafe studirens halber auf eine *Universitæt* zu ziehen.

** Hujusmodi Canonicorum libertas passim jam ab omnibus Juris Canonici scriptoribus explicata fuit, quare tantum specialia quædam commemoro. In statutis Ecclesiæ Leodiensis jam cit. de anno 1250. apud HARZHEIM *Tom. III. f.* 582. quatuor hujusmodi Canonici socii Episcopo conceduntur, de quibus dicitur: *Item Episcopus de Canonicis residentibus in majori Ecclesia quatuor habere poterit socios, dummodo illi quatuor residentiam fecerint primi anni*, unde & apparet illos non excusari a residentia ita dicta stricta, aut in aliquibus Ecclesiis claustrali: & f. 585. ibid. simile quid ipsis Archi-Diaconis conceditur: *porro cum suos Archi-Diaconatus visitaverint vel pro negotiis Ecclesiæ absentes esse debuerint unum vel duos de Canonicis, si voluerint de licentia Decani assumant ad ipsos juvandos seu ad Consilium sibi dandum; venia autem absentiæ hujus nonnisi ad tempus visitationis ex ipsis verbis restringenda videtur.* Ex libertate autem hujusmodi Canonicis indulta, enatas deinde præbendas liberas, etsi fortassis hic finis ad rigorem non amplius observetur & illud confirmat, quod, uti in Ecclesia Cathedrali Spirensi præbendarum harum collatio sit penes Episcopum, quemadmodum in potestate ejusdem fuit Canonicos ejusmodi socios sive a latere, uti deinde dicti sunt, sibi seligere.

*** Ita Universitati nostræ Heidelbergensi *Bonifacius IX.* anno 1399. univit præbendam in Ecclesia Cathedrali Spirensi, duas Ecclesiæ S. Germani Spiræ, unam Ecclesiæ Cathedralis Wormatiensis, duas Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ Wormat., unam Ecclesiæ Colleg. Neuhusanæ, duas Ecclesiæ Equest. Wimpinens. unam Ecclesiæ Colleg. ad S. Julianum Mosbaci. Bulla extat in deductione cui titulus: *Jus Universitatis Heidelberg. urbi & orbi notum edit.*

edit. Mannheim. 1748. *ſub Lit. H.* Hac item ratione ipſi fundatores præbendas quoque pro ſuſtentatione Profeſſorum deſtinarunt; domeſtico exemplo denuo hic contentus ſum: ita præbendas recens erectæ Eccleſiæ Collegiatæ S. Spiritus Heidelbergæ anno 1413. *Ludovicus III.* Elector Palatinus Univerſitati univit. *Diploma* extat *in Actis Academiæ Theodoro. Palat. Tom. I. p.* 391. Reliquas Univerſitates Germaniæ, ubi ſimile quid factum, tum a Pontifice tum a Fundatoribus recenſet DÜRR in *Diſſ. de capitulis clauſis p.* 114. & in *Diſſ. de Annis carentiæ p.* 82. Quoad pleraſque Univerſitates equidem deinde aut transactione, aut aliunde, uti ex turbis Religionis evenit, ut Profeſſores non amplius præbendis iſtis gaudeant, ſed certum quid ærario Univerſitatis ab Eccleſiis perſolvatur, ſuperſunt tamen in Univerſitate Wirceburgenſi & Trevirenſi præbendæ pro Profeſſoribus Juris Canonici, pro aliis item in Colonienſi, Lovanienſi, Erfurtenſi, Lipſienſi &c.

**** Immunitatis ab onere reſidendi conceſſæ Profeſſoribus aut docentibus veſtigia antiquiora inde usque a *C. Lateranenſi III.* anno 1179. *ſub Alex. III.* & ſequentibus deinde Pontificibus latius perſequitur THOMASSINUS *Part. II. L. III. c.* 71. usque ad *Honorium III*, qui celebri Decretali, ex qua deſumptum eſt *cap.* 5. *de Magiſtris, & ne aliquid pro licentia docendi exigatur*, eam libertatem verbis ſat apertis ratam habuit: *docentes vero in Theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſis integre per quinque annos, de licentia Sedis Apoſtolicæ proventus præbendarum & beneficiorum ſuorum non obſtante aliqua contraria conſuetudine vel ſtatuto; cum donario fraudari non debeant in vinea Domini laborantes;* quæ verba licet aliqui ad docentes in ipſis Eccleſiis pro ejus ævi diſciplina reſtringere velint, comprehendunt tamen ejus Profeſſores Univerſitatum, tum ex ſubjecta ratione his quoque communi, tum quod his magis proprie conveniant eae voces; in *Theologica facultate, in Scholis;* confirmatam deinde hanc *Honorii* Decretalem aliis Bullis Pontificum poſteriorum pluribus in Univerſitate Pariſienſi ex ejus hiſtoria citatus ſcriptor oſtendit. *Nicol. IV.* apud RAYNALDUM *ad an.* 1290. in Bulla erectionis Univerſitatis Ulyſſipponenſis eadem immunitate donavit Profeſſores in *qualibet facultate licita* docentes, quod procul dubio de aliis omnibus, quorum Profeſſores Canonici erant, dicendum eſt; uti in noſtra, in qua atque adeo in Facultate medica prælegiſſe Canonicos Profeſſores animadverti ex *Programmate Cl. Collegæ* FRANCISCI SCHOENMETZEL hic edito 1771. in animadverſ. ſubjectis Diſſ. Cl. NELLERI *de S. Concilii Baſileenſis decretis &c. Tom. I. Theſauri Juris Eccleſiaſtici a me edito* 1772. *f.* 315.

***** Quot anni præbendæ poſſeſſæ requirantur, ut quis *Jubilarius* evadat ex Statutis Eccleſiarum peculiaribus deſumendum eſt. In Eccleſia Metropolitana Moguntina requiri annos 45. colligitur ex inſtrumento apud *L. B. de* GUDENUS *Tom. IV. f.* 619. cujus verba hæc ſunt: *Anno* 1527. *die* 9. *Maii Venerabilis, generoſus ac nobilis D. Henricus ex familia Baronum (Reuſſ.) de Plauen Decan. Colon. & Canonicus Moguntin. completis* 45. *annis poſſeſſionis prebende ſue pro Jubilario admiſſus eſt, & ordo talis obſervatus: pulſatum ad horas diurnas & ad Miſſam, ſicuti in Feſtis Dominorum, demptis veſperis. ſub decantatione primarum predictus Dominus absque crinili & ſerto venit, ſtetitque in ſupremo latere Cantoris. Miſſa vero celebrata & cantata per Canonicos*

nicos de SS. Trinitate in ornatu antiquo Blavio Samathino (Blavus, blaveus, blavius, bloius colorem cœruleum denotant: Samathinus, mihi necdum occurrit, colligo significare holosericum, igitur von blauen Sammet) *presentibus Caduceatoribus. Altare.... mansit in suo feriali vestitu & ornatu. Finitis Missarum solenniis & nona cantata exivit Jubilarius inter duos supremos Prelatos ad locum Memorie* (in Ecclesia Metropolitana ad limen peristylii ita dictus, quia horis vice singula persolutis Canonici & Vicarii illum e choro accedentes defunctorum memoriam faciunt. L. B. de GUDENUS *Tom. II. p.* 861. & apud *eundem l. c. p.* 812. *legitur:* uff der neuen Capellen in der Memorien) *& ad aulam Capitularem, in qua brevis oratio habita per Concionatorem D. Fridericum Nauseam* (postea ad simile munus evocatum *Viennam*, & dein ibidem Episcopum) *Ad prandium autem soli capitulares erant invitati exclusis omnibus aliis. Cuilibet vero persone inclusis famulis Campanatorum, sacristarum, Rectore, Choralibus panis magnus & integrum quartale vini datum est.*

§. IV.

Præbendæ Præpositorum in specie unde liberæ?

Præpositi Ecclesiarum tum Cathedralium tum Collegiatarum libera hodie in pluribus Ecclesiis præbenda gaudent; id inde evenisse videtur, quod cum Præpositorum olim munus esset reditus administrare, atque ex iis suam cuique Canonico præbendam distribuere; * ipsimet sub hoc prætextu residentiam negligere inciperent, quod quidem paulatim tolerari consuevit, ita tamen vicissim, ut & ipsi aliis juribus ipsis alias competentibus exciderent. **

* In *Conc. Colon.* 1260. apud HARZHEIM. *Tom. III. f.* 593. *C. XII.* dicitur: *Cum ipsis Præpositis ea potissime incumbat solertia, quod circa Ecclesiæ exteriora vel ejus temporalia defendenda sint vigiles & cooperantes Capitulis .... & dein: quia de aliquibus Præpositis unum quidem in visitatione comperimus reprehensibile, quod ipsi fructibus suspensarum in Ecclesiis præbendarum, quorum sunt & esse de jure tenentur dispensatores. .... abutuntur.* In Statuto Ecclesiæ Mindensis de anno 1311. apud eundem *Tom. IV. f.* 593. ita decernitur: *Olim prædecessores nostri .... quatuor Villicationes ... Præpositurœ applicuerunt conditionaliter, ut Præpositi qui pro tempore forent, propter augmentum redituum suorum omni occasione deberent Canonicis & Vicariis & Officiatis præbendas suas statutis terminis integraliter ministrare:* ibidem f. 596. in eadem Ecclesia Mindensi ita inter se convenit Capitulum: *quod quicunque inter eos Præpositus eligeretur .... præbendam Fratrum bona fide ministrabit &c.* Apud L. B. de GUDENUS Tom. I. f. 843. extat Ordinatio *Gerhardi II. Archi-Ep. Mogunt.* de anno 1290. circa Ecclesiam Aschaffenburgensem, ut in posterum, *distributio portionum præbendalium* sit penes Capitulum, eoquod Præpositi sub variis prætextibus Canonicis præbendas suas integras non ministrarint, & siquid ex reditibus superfuisset, id usibus suis destinassent; quæ quidem pauca hic sufficiant.

** De Præposito Ecclesiæ Cathedralis Wormat. ait SCHANNAT. *in Histor. Wormat. p.* 71. 72. Omni onere etiam residentia personali est exemptus: sed e contrario nec beneficio turni, nec certis quibusdam aliis emolumentis, quan-

quanquam votum retineat in electione Episcopi: *Præpositus Hildesheimensis* non comparet in Capitulo, nisi dum in causis arduis speciatim vocatur: Decano absente Director Capituli per ejusdem suffragia nominatur uti testatur STRUBEN Rechtliche Bedencken *Tom. II.* 40. Bedencken. in Ecclesia LUBECENSI teste eodem nequidem ad electionem Episcopi admittitur, neque unquam comparet in Capitulo, nisi dum possessionem capit: in Ecclesia *Magdeburgensi*, ut ait FLOERKE in *Observat. ad Schilter. Instit. Jur. Can. p.* 190. Præpositus nullum amplius officium gerit, ipsique nihil juris est circa Capitulum sed suos habet reditus separatos, et jurisdictionem in certos pagos. in Ecclesia *Hamburgensi* simile quid fuisse, solumque Præposito in electione Archi-Episcopi Bremensis suffragium relictum testatur STAPHORST *in Histor. Eccles. Hamburg. Tom. II. p.* 503.

CAPUT V. *

De Præbendis Gratiæ.

§. I.

Quodsi tempora antiquiora consulas, tum equidem variis ex titulis, uti precum ab initio & commendationum, mandatorum dein de providendo, præventionis, gratiarum exspectativarum, reservationum, frequentissimas fuisse quoad beneficia etiam Germaniæ elargienda gratias Pontificias res pervulgata est. Gratiæ Pontificiæ olim frequentes?

* Animadverti id, quod huc spectat, breviter *in Instit. Jur. Eccles. Part. I. §. LXV.* uberior notitia ex authoribus ibidem recitatis siquidem id a fine hic meo alienum est, repeti potest.

§. II.

Modus deinde positus fuit gratiis istis Pontificiis per Nationis nostræ cum Sede Apostolica *Concordata:* restant tamen adhuc in Germania quædam præbendæ, quæ exinde præbendarum gratiæ nomen retulerunt: ita Coloniensi Universitati *Bonifacius IX.* proprium esse voluit Canonicatum tum in Ecclesia Metropolitana, tum in qualibet Collegiata sub nomine præbendæ *primæ gratiæ;* quibus dein alterum adjunxit *Eugenius IV.* sub nomine *gratiæ secundæ*, & demum *Paulus IV. sub tertiæ gratiæ* titulo tertium adjecit. Conferuntur hæ præbendæ a Rectore & Provisoribus sive Defensoribus Universitatis, ita tamen, ut nonnisi qui munus Professoris in Universitate obit, easdem obtinere possit. Restrictæ in Concordatis: residuæ tamen præbendæ gratiæ.

* Bullæ *Bonifacii* IX. & *Eugenii* IV. quippe, quæ teste BUDERO in *Symmictis Part. II. Obs. XI. de secunda gratia* data fuit anno 1437. Concordatis nostris sunt anteriores, ipsisque etiam *Decretis Basileensibus* ad Concordata spectantibus, quippe quæ in Germania anno primum 1439. acceptata fuere, & anno 1447.

1447. ab *Eugenio* IV. pro illa ratihabita, uti animadverti *in Instit. meis Part. I.* §. *LXIX. & LXX.* Gratias has Pontificias, de quibus hic loquimur, tamquam Reservationes in Concordatis deinde abolitas fuisse nemo dicet, tum quod eæ solum Reservationes abrogatæ fuerint, quas in sui unius gratiam Pontifices invexerunt, quippe de quibus tot antea querelæ solum enatæ fuere: tum quod Germani nunquam non ipsimet optaverint præbendas complures in quibuslibet Ecclesiis destinari gradu Academico insignitis, atque inde multo magis munus ipsorum Professorum obeuntibus, tum quod denique res hæc tanquam plane singularis speciali quadam ratione exprimenda fuisset. Verum quid nunc de tertia illa gratia *Pauli IV.* quod idem est de unionibus præbendarum in gratiam Universitatum a Pontificibus post Concordata factis, dices? Jus quidem olim tam amplum, tamque usitatum, uti innumera ex medio ævo instrumenta testantur; beneficia in favorem Ecclesiarum Collegiatarum, Cathedralium, Monasteriorum utriusque sexus, aliarumque piarum fundationum uniendi, ita exerceri post Concordata non poterit, quodsi Ordinarius beneficiorum collator præjudicium inde subire debeat; cum Pontifex id Concordatis promiserit, se per *quamcunque dispositionem* non impediturum, quominus beneficia reliqua in Concordatis ipsi non reservata libere conferri queant: id tamen eo extendendum non erit, quominus Pontifex uniones non tam in ipsius, quam unicum Nationis Germanicæ commodum, ab ipsis Principibus & Ordinariis desideratas, expetitasque probare possit, etsi fortassis bonum quorundam privatum illud, uti deberent, publico posthabere nolentium exinde quid patiatur. Non tamen defuere suæ his unionibus difficultates: sane quid circa Universitatem Trevirensem in simili causa actum fuerit, & qua demum ratione transactum vide apud Hontheim *Tom. III. Hist. Diplom. f.* 257. & 747.

§. III.

Controversiæ cum Curia Romana de his præbendis.

Intercessere jamdum Universitati cum Curia Romana inprimis de his præ* bendis controversiæ, dum Canonicus ejusmodi talem possidens Romæ sibi Coadjutorem cum spe successionis designari peteret.

* Ejusmodi controversia extitit inter Universitatem & *Joannem Henricum a Mörs* tempore *Clementis XI.* cum is ad preces *Henrici de Weipeler*, qui præbendam primæ gratiæ tum obtinuit, ei Coadjutor cum jure successionis daretur. *Coadjutoriæ* istæ in Germania inferiore, non item apud nos cognitæ species sunt gratiæ exspectativæ, de quibus §. 3. Concordatorum Aschaffenburgensium dicitur, quod Pontifex *per quamcunque gratiam exspectativam* ordinarios collatores in mensibus ipsis relictis impedire nolit: & in *Concluso Senatus Imperialis Aulici* 17. Dec. 1756. apud Moser von den Kayserl. Regierungs-Rechten und Pflichten. Zweyter Theil 1773. *f.* 501. ad Episcopum Leodiensem: *cum vero preces Cæsareæ ex congrua observantia quibuscunque aliis collationibus non solum præferendæ sint,... sed & tales gratiæ exspectativæ* (Coadjutoriæ) *contra tenorem Concordatorum Germaniæ a Curia Romana impetratæ in se nullæ & invalidæ sint* &c. item in Capit. Cæs. Art. XIV. §. 1. Impe-

Imperator promittit se curaturum inter alia, ne contra Concordata &c. per *Coadjutorias* Prælaturarum electivarum, & præbendarum quidquam præjudicii inferatur. Quodsi vero gratiæ hæ omnes Universitati concessæ tanquam privilegia Pontificia considerentur, iis ferme omnino applicari posse existimo, quod uberius deduxi in Diss. de *Imperatore Protectore Statutorum in Ecclesiis Germanicis anno* 1772. *quæ in Tomo II. Thesauri Juris Ecclesiastici denuo continetur*, cum Imperator se æque *Capitulationis suæ Art. XIV.* §. 1. ad Ecclesiarum privilegia atque Statuta defendenda obstringat, quanquam hæc materia peculiares quasdam animadversiones intra hujus lucubrationis angustias non facile constringendas mereretur.

§. IV.

Aliæ quoque circa has præbendas gratiæ controversiæ exinde extiterunt, quod Universitas eas primis precibus Cæsareis obnoxias esse subin negaret. Aliæ cum Aula Cæsarea.

* Controversia ejusmodi jam enata est cum *Maximiliano II.* quam enarrat Chokier *in Scholiis in primarias preces Sect. IV.* nostris diebus sub Augustissimo Iosepho II. gloriosissime regnante simile quid contigit, uti videre est apud Moser in dem neuesten Staats-Handbuch zweyten Theil 1. Buch. 1. *Cap. p.* 2. Conclusa huc spectantia immortali supremi Mecænatis scientiarum gloria hic referri merentur: in Sachen von Buschmann *contra Stiertz* wie auch *Rectorem* und *Provisores* der *Universitæt* zu Cölln, *puncto primariarum precum* den 4. Jul. 1765. *in Senatu imperiali aulico ita conclusum fuit:* 2. hat es in Ansehung des, *vigore primariarum precum aptirten præbend*, von dem *M. Stiertz* an den päbstlichen Hof genommenen *Recursus*, mit Verwerfung der dagegen gemachten Einwendungen, bey dem unterm 11. Oct. 1760. erkannten Kayserl. *Decret* sein ohnabänderliches Verbleiben. 3. wird hiemit dem Kayserl. *precisten* von Buschmann mit Aufhebung des *quoad hunc passum* erkannten Kayserl. *Decrets*, und mit Verwerffung der von ihme dieserhalben vorgebrachten Gründen, anbefohlen, sich den von ihme in *primariarum precum aptirten præbend* der Stiffts-Kirche in Cölln *ad S. Ursulam*, aus Mangel der *per Concessiones Cæsareas* derselben anklebenden *Qualität* eines *Professoris actu legentis* zu enthalten, auch die bis anhero davon gezogene Früchte und Nutzungen dem *Impetrato* zu ersezen. 4. Bleibet beyden Theilen unbenommen ihre in Rom *puncto impetrationum ex Canone: Execrabilis*, *ratione præbendarum prækabitarum* anhängige, ganz *separate*, und eine *causam plane ecclesiasticam* betreffende, mithin hieher nicht gehörige, und in das Kayserl. *Reservatum primariarum precum* gar nicht einschlagende Sache, daselbst gegeneinander auszuführen: es wird aber anbey 5. dem Kayserl. *precisten* von Buschmann in allerhöchsten Ungnaden verwiesen, daß er mit solcher, zum Abbruch der Kayserl. *Jurisdiction* gegenwärtige, das *Jus primariarum precum*, betreffende *causam* zu vermischen, und hierüber bey denen Römischen Gerichten einen unbefugten Ausspruch zu erwürken sich unterstanden habe, mit dem ernstlichen Befehl 2c. *Anno* 1766. 28. Maii *resolvebatur*: 1) der den 4. Jul. 1765. ergangenen Urthel gemäs, dem von Buschmann aufgegeben, dem *Stiertz* die gezogene Nuzungen der *præbende* zu ersezen, auch die

die Anzeige der von ihme bey denen Römischen Gerichten übergebenen *Renunciation* dieser gegenwärtigen in das Kayserl. *Reservat* eingeschlagenen und zur Ungebühr mit dem anhängigen *Procefs ex Canone: Execrabilis* vermischten *causæ* zu übergeben, *sub comminatione* der Sperrung seiner sämtlichen *Temporalien*. 2. wurde *Rectori & Provisoribus* der *Universitæt* zu Cölln *rescribirt*: Kayserl. Maj. hätten wahrgenommen, wie in dem abgewichenen *Seculo* verschiedene Mächte die der *Universitæt* zu Beförderung derer Wissenschaften überlassene *Præbendæ primæ gratiæ* gegen den klaren Innhalt der päbstlichen Bullen und darauf ertheilten Kayserl. Bestättigungen, zu vermuthlichen Gunsten der damahligen *Professorum Universitatis*, oder andern Neben-Absichten mit Zuthun, oder wenigst mit unerlaubter *Conniventz*, der *Universitæt*, an andere als *Professores actu docentes*, *conferiret* worden seye, daß auch wenigst in vorigen Zeiten einige dieser *Professorum*, sobald als denenselben eine dieser *præbenden* zugetheilt worden, sich der ihnen *incumbirenden* Unterrichtung gänzlich entzogen und die bis dahin versehene *Professur* niedergelegt hätten: Ihro Kayserl. Maj. als *NB. Supremus Studiorum per Germaniam Protector*, befehlen also, daß diese *præbende* künftig keinem andern, unter was Vorwand es auch immer seyn möge, als *Professoribus actu docentibus & legentibus* zugetheilet, eine über kurz oder lang etwa sich ergebende *Contravention* aber Ihro zur Abstellung angezeiget, anbey auch darauf gesehen werden solle, daß diejenige, so diese *præbende* erlangt, solang als ihre Leibskräften ihnen diese Last verstatten mögen, der ihnen obligenden *Doction* und *Lection* ihrer Schuldigkeit nach vorstehen sollen.

Anno 1765. 27. Nov. ab eodem Senatu Aulico decretum fuit, rescriptumque ad *Theod. Heniger*, daß er sich der durch die *Resignation* des Kayserl. *precisten Broels* in der Stiftskirche *ad S. Cæciliam* erledigten *Præbendæ primæ gratiæ* enthalten, die von Zeit der ergriffenen *possession* erhobene Früchten und Nuzungen dem von der *Universitæt* zu Cölln *nominirten Professori*, *Conrad* von *Meer*, ersezen, denselben an der vornehmenden Besitzergreiffung dieser im Streit befangen gewesenen *præbend* nicht mehr hindern, sich auch nicht unterfangen solle, diese in das Kayserl. *Reservat Primariarum precum* einschlagende Sache an den päbstlichen Stuhl zu ziehen, als ansonsten gegen denselben mit schärferen Kayserlichen Verordnungen fürgeschritten werden würde 2c. Patet ex his Decretis Cæsarem voluisse, ut nequidem sub prætextu primarum precum ejusmodi præbendas nisi Professor actu docens nancisci possit: alias autem, quodsi precista hanc qualitatem habeat, hasce etiam præbendas precibus primariis exemptas non esse statuitur in Rescripto ad Universitatem Coloniensem 24. Nov. 1747. apud Moser *in Tract.* von den Kayserl. Regierungsrechten und Pflichten. Zweyten Theil. *f.* 501. Ihro Kayserl. Maj. hätten misfällig vernommen, was massen sich dieselbe unterfangen den Kayserl. *precisten* von *Geyer*, *contra jus anterius primariarum precum* des von *Wiesenberg* erst unnöthiger Dingen wieder zu erwählen, und *sub prætextu* eines allzuweit gehenden *Indulti Pontificii Alexandri VI. de anno* 1492. dem höchsten Kayserl. *Reservato Primariarum precum* und dem *juri quæsito tertii* ohnverantwortlichen Abbruch und Nachtheil zuzuziehen: wann nun Ihro Kayserl. Maj. solches nicht anderst als eine nichtige und ahn-

ahndungswürdige Anmassung ansehen könnten 2c. *& mense Jul.* 1748. Nachdeme sie, *Universität*, in ihrem alleruntertthänigsten Bericht an Kayserl. Maj. von selbsten verschiedentlich anerkannt, daß sie die Kayserliche *preces* auch in den ihr durch päbstliche Bullen überlassenen *præbenden* anzunehmen schuldig seye, auch solches bey allen Fällen gethan habe: so verstehe sich von selbsten, daß sie den *precisten* blos nach dem Innhalt des *Diplomatis Primariarum precum* und des darinn enthaltenen Befehls *nominiren* und *præsentiren* können, und solches auch in dieser Absicht bey dem von *Geyer* würklich gethan 2c.

§. V.

Gratias Pontificias Concordatis adversas non solum locum non amplius habere jam insinuatum est, sed de iis quoque ita dicitur in Capitul. Nov. Art. XIV. wir sollen und wollen auch bey dem H. Vatter dem Pabst und Stuhl zu Rom unser bestes Vermögen anwenden, daß von demselben, gleich wir ohnehin des Vertrauens seynd, die *Concordata Principum* . . . . wie auch eines jeden Erz- und Bischoffen und deren Dhom-Capituln absonderliche *privilegia*, hergebrachte *statuta* und gewohnheiten allerdings beobachtet, und dagegen durch unförmliche GRATIen, *Rescripten* &c. in keine weis gehandelt werde.

* Teste MOSERO in den Anmerckungen ad *Capit. Caroli VII. Tom. II. f.* 423. in Capitulatione Caroli V. legebatur mit unsäglichen *GRATIen.* Quid autem nunc sunt gratiæ istæ informes? equidem vox quicquam denotat gestum contra formam a Legibus actui præscriptum; atque ita designaret gratiam contra normam SS. Canonum concessam: cum vero Capitulationis l. cit. scopus sit prospicere juribus Ecclesiarum Germanicarum, & libertati aliqua ratione per Concordata recuperatæ stabilitæque, tales præcipue gratias intelligi putem, quibus quacunque ratione Collatorum Ordinariorum jura impediuntur unice eo fine, ut gratia privato cuidam fiat: nam de gratiis in ipsum bonum publicum atque volentibus Ordinariis impetratis mentem meam paulo ante jam aperui. In classem *gratiarum informium* refert Cel. NELLER in *Diss. de Statu resignationum in favorem in Germania* 1765, *resignationes dictas in favorem*, eoquod earum vera indoles & forma in ipsa concessione nequidem appareat, sed illæ videantur pure fieri, atque hoc modo etiam deinde beneficium conferri alteri, in cujus favorem res geritur: de quo vide cit. scriptorem a §. XI. seqq.

CAPUT VI.

De Præbendis Catholicis & Protestanticis.

§. I.

Præbendæ olim in Germania nonnisi Catholicæ.

Ecclesias in Germania atque earum præbendas tum a Catholicis tum pro Catholicis fundatas fuisse, si fortasse paucas quasdam temporibus ita dictæ Reformationis recentiores excipias, nemo sanus credo est, qui de hac re dubium movere queat. * Sub ipsa Reformationis, uti inquiunt, tempora quoque passim constat inter tot alias fundationes pias, Monasteria, Episcopatus, idem quoque fatum evenisse compluribus Canonicorum collegiis, præbendis eorundem extinctis, reditibus aut ad alios fines applicatis, aut etiam Cameræ Principis insertis. **

* Quæso enim te! ubi ante eam ætatem Protestantium in orbe aut Germania Ecclesia delituit? fictitias illas Ecclesiæ cujusdam invisibilis lacinias, aut plane perperam Waldensibus, Hussitis similisque furfuris hominibus, quos constat immane quantum a Protestantium doctrina recedere, aliquorum studio assutas hic non moramur.

** Equidem novi esse inter Protestantes tum Theologos tum JCtos complures, qui afferant ejusmodi bona nonnisi ad fines itidem pios alios adhiberi debere, uti vel ipsius MELANCHTONIS & CHEMNITII testimonia affert Autor des Bedenken ob im H. Römischen Reich die Erz-Hohe- und andere Stiffter in ihrem *Esse* und Wesen zu erhalten *apud* LÜNIG in den Staats-*Consiliis Tom. 2. Concil.* 78. alios quoque numero satis magno adducit BEHLEN in Differt. *de causis secularisationis legitimis & illegitimis p.* 73. interim ad hos usus bona Ecclesiastica a Protestantibus universim adhibita non fuisse luce ipsa apertius est: alicubi tamen, uti in Palatinatu, Ducatu Würtembergico corpus massamque separatam a reditibus Principibus constituunt, de quo ultimo vide MOSER in den neuesten kleinen Staats-Schrifften 1768. *n.* 4. Kurze doch gründliche und *systemati*sche Nachricht von dem geistlichen Gut in dem Herzogthum Würtemberg.

§. II.

Nunc etiam in Germania sunt præbendæ Protestan-

Sunt vero etiam in Germania Ecclesiæ Canonicorum aut Canonissarum, in quas licet Protestantes Religionem suam induxissent; formam tamen quodammodo veterem retinuere, Canonicis & Canonissis Protestanticis substitutis: in aliis licet aliquas præbendas Protestantes occupassent, Catholici tamen quoque in iis plures retinuere: de quibus dein Art. 5. §. 23. ita constitutum fuit, *ut in mixtis Episcopatibus & fundationibus ejusmodi,* * *quot Capitulares aut Canonici die prima Januarii anni 1624. uspiam vel A. C. vel Catholici fuerunt, totidem illic*

ex

ex utraque Religione erunt semper, nec decedentibus, nisi ejusdem Religionis consortes surrogentur: ** *Si vero alicubi jam plures Catholici vel A. C. Capitulares aut Canonici beneficia possident, quam anno 1624. ii quidem supernumerarii beneficia & prabendas ad vitam retineant, mortuis vero, tamdiu Catholicis A. C. addicti, & his Catholici succedant, donec redintegratus fuerit utriusque Religionis Capitularium & Canonicorum numerus, qua die 1. Jan. anno 1624. erat.* ***

* Quid sint Episcopatus mixti ita declararunt Deputati Catholici 1655. in causa Hildesiensi apud LONDORP. *Tom.* 7. *L.* 2. Was mixti Episcopatus seyn, daß ist in Instrum. Pacis illis verbis: sicut etiam pariter in Episcopatibus & Ecclesiis, in quibus Catholicis & A. C. ordinibus mixta jura admittuntur &c. genug erläuteret, daß es nehmlich allein in dem bestehe, wo die Capitulares und Canonici zweyerley Religionibus zugethan seynd rc. und ist hiebey sonderlich auch dieses in obacht zu nehmen, daß wenn dieses pro Episcopatibus mixtis solte gehalten werden, in welchem etwann in einer darunter gehörigen Stadt, Schloß, Dorff oder Weyler sich zweyerley Religion befinden, daß solcher Gestallt alle Ertz- und Bistümer im Reich teutscher Nation pro mixtis gehalten werden müssen, so jedoch niemahlen in quæstione gewesen, es auch die Catholische Ertz- und Bischöffe nimmermehr nachgeben könnten, dörfften, noch sollen; atque hanc Catholicorum sententiam probat ipse HENNIGES *in Medit ad Art.* 5. §. 23. *not. p.*

** Quodsi numerus Canonicorum anno normali plane minor fuisset eo, quem fundatio requirit, an & qua ratione supplendus esset, dubium fuit apud DECKHER *Consultat. forens. L.* 1. *c.* 24. supplendum tum non esse suadet HENNIGES *l. cit. not. e.* aut siquidem id faciendum, tum id in Ecclesiis mixtis pari ratione ex utraque Religione aut saltem ex proportione numeri quoad unam prævalentis fieri debere existimat: a solis Catholicis supplementum faciendum esse ita probat HAMMER *in Diss. de Jure Principis circa sacra, in Mantiss. ad C.* 2. §. 7. series hujus contentionis eo recidit: num verba textus, Quot, totidem, accipienda sint in positivo, an vero in exclusivo sensu? & prius adstruendum videtur, quia termini significantes non possunt esse latiores significato: atqui ex principiis Geometricis & Arithmeticis sufficienter patet, significationem realem numeri cujuslibet includere omnes numeros & quantitates inferiores ita tamen, ut superiores non excludantur, nisi particulæ exclusivæ *tantum, tantummodo*, similesve caute adhibeantur, quarum nulla in nostro §. reperitur: ut adeo de numero tantum positivo, qualis ex utraque parte tam Catholicorum, quam A. C. addictorum Capitularium tempore normali fuit, merito intelligendus veniat: et demus etiam liberaliter, Catholicis in hoc passu certitudinem omnimodam non suffragari, ratio sane probabilissima eis opitulabitur, quæ itidem ex parte Protestantium certitudinem elidit, cum saltem pactum Osnabrugense rem dubiam & indecisam relinquat atque hinc regula (*ex antiquitate & retentione possessionis*) pro Catholicis subintrat: ita quidem ille; hanc tamen contentionem in utramque partem, casu videlicet vix emersuro, non multum utilitatis habere existimo.

*** Cum tamen vi pacis utrique Religioni numerus præbendarum in anno normali possessarum imminui nequeat, in Ecclesiis quoque mixtis Reservato Ecclesia-

ſtico locum eſſe indubium eſt; quod jam animadvertit Hildebrand *Diſſ. de Anno decretorio C.* 4. §. 9.

§. III.

Obligatio ex his præbendis.

Sunt igitur nunc in Germania Eccleſiæ Canonicorum tum mere proteſtanticæ, tum mixtæ: præbendæ item eodem modo dividi poſſunt.* Quoad mere Proteſtanticas quodſi quæritur, ad quid Canonici iſti ita dicti teneantur, res eo redit, an & qua ratione Statuta harum Eccleſiarum antiqua retenta fuerint: ** quoad Eccleſias mixtas ad ea, quæ ibi legitime vigent, Statuta obſervanda obligati ſunt, quæ quidem principiis ipſorum Religionis contraria non ſunt; non vero ad ea, in quibus aliquid conſcientiæ ſuæ adverſum imperari, non equidem plane frivole, ſed neceſſaria ex principiis ſuis ſequela prætexere poſſunt.***

* Quid rei ſint Canonici iſti, an Clerici, an vero ſecus, quippe perſæpe non ſolum maritati, ſed & milites aut ſimile quid, ipſi Proteſtantes non ſatis conveniunt. Clericis eos accenſet Pertsch *Elem. Jur. Can.* §. 486. at vero Georg. Ludov. Boehmer *in Princip. Jur. Can.* §. 461. inquit, eos non tam Clericos eſſe quam perſonas Eccleſiaſticas, atque ita tertiam quandam ſpeciem alias incognitam comminiſcitur. Pfaffius autem inter alia ita de iis inquit in den *Academiſchen* Reden p. 544. Es iſt wahr, daß der Titel Hochwürden *frappirt*, wenn man ſolchen *NB. Laicis*, und *in ſpecie* Soldaten giebt. Allein mann muß bey dem *ſignificatu grammaticali* bleiben; es giebt in allen Ständen Wohl= Ehr= Hoch= und würdige, auch würdigſte Leute. An Canonici iſti liberos ſuos naturales hæredes inſtituere poſſint, examinat L. B. de Cramer Nebenſtunden 4. Theil 6. Abhandlung, ubi quidem plane hoſce Canonicos inter amphibia numerat p. 118: jedoch aber ſind ſelbige *amphibia*, ja mehr *pro Laicis* als *Clericis* zu achten. Cæterum ſæpius vir iſte alias magnorum in Jurisprudentiam meritorum l. c. in principia noſtra impingit, uti dum a conſtitutis in Ordinibus minoribus ſaltem votum ſimplex caſtitatis emitti putat, aut, uti illud denuo perperam nominat, temporale, atque huic nonniſi comparandum eſſe exiſtimat votum, quod in caſu ſubſtrato Archi-Diaconus Proteſtanticus Osnabrugenſis emiſiſſet; prius enim omnino falſum eſſe, atque ordinibus minoribus nullum plane votum annexum eſſe vel tyrones Jurisprudentiæ Eccleſiaſticæ apud nos in comperto habent: id ipſi permiſerim liberos hoſce Canonicorum Proteſtantium pro naturalibus tantum habendos eſſe, tum quod vel matrimonium plane inire ipſis liberum ſit, vel ſi ratione peculiaris officii, uti hic Archi-Diaconatus ab eo prohibeantur, id tantum eo ſenſu ſumendum ſit, ad abſtinendum Matrimonio eos obſtringi, quousque fructibus hujuſce officii gaudere velint; eo vero libere dimiſſo neque ea obligatione ipſos amplius obſtringi.

** Sic etiam in hiſce Eccleſiis obſervari Reſidentiam ſtrictam ſeu primam, annum clauſtralem, emancipationem aliaque ſimilia fuſius vide apud Boehmerum *in I. E. L.* 3. *Tit.* 4. & alibi: equidem cum Canonicus proteſtanticus annum clauſtralem obſervans veſperas neglexiſſet ordinarias, atque ne annus interrumpere-

peretur, illos deinde convocatis denuo Vicariis supplere vellet, favet ipsi BOEHMERUS, eoquod, uti inquit, hæ ex disciplina Pontificia apud Protestantes reliquiæ ita ad rigorem non sumantur; sed vereor sane, an Capitulum eadem in hoc casu cum ipso sensa foverit.

*** In Ecclesia *S. Joannis* Osnabrugi mixta apud STRUBEN in den rechtlichen Bedenken *Tom.* I. *N.* 184. Canonicus protestanticus renuit vi statutorum interesse *Missæ* ita dictæ *conventuali*, igitur certa emolumenta illis præberi solita, qui eidem ante offertorium usque ad finem interfuissent, adimebantur: id vero tum menti P. W. tum etiam Capitulationi perpetuæ Osnabrugensi adversari contendit STRUBEN, utpote unde nec imponi aliquid cuicunque atque in specie Canonicis protestanticis Osnabrugensibus posset, quod ipsi putarent Religioni suæ adversum, nec si id facere renuerent, propterea iisdem adimi quidquam posse: porro ad mentem fundatorum his in controversiis appellandum amplius non esse, quodsi ea aliquid contineret, quod placitis diversarum in Imperio Religionum reluctaretur.

§. IV.

Complura quoque Capitulis protestanticis cum Dominis territorii controversa fuere, quæ tamen tanquam causas solorum protestantium domesticas concernentia ipsorum potius scriptoribus relinquimus: huc spectant potissimum ea, an Annatæ a præbendis protestanticis exigi possint a Dominis territorii, * an iis, an vero Capitulis competat jus conferendi præbendas mensibus olim Pontifici competentibus, ** an jus primarum precum, illis tribuendum, quid de exspectativis censendum, & quæ adhuc alia sunt ejusdem generis. ***

Controversiæ Capitulorum protestanticorum.

* Annatas Dominis territorii vindicare conantur STRYCK *in Diss. de Jure Papali Princip. Evangel. C.* 4. §. 8. de LUDEWIG *Diss. de Jure annatarum præsertim Princip. Evangel. C.* 3. ZINDEL *de Eccles. Cathedral.* §. 39. et alii apud eundem, sed ficulneam plane esse hanc opinionem inquit DÜRR *Diss. de Annis Carentiæ Mog.* 1772. §. 8. tum quod jus Pontificis aut papale, ut ait Stryck, Dominis territorii ex vi superioritatis territorialis proprium esse, aut in P. W. in ipsos translatum ipsimet protestantes post systema Collegiale passim adoptatum explodere debeant, tum quod Pontifex ipse ex nullis amplius in Germania Canonicatibus Annatas percipiat.

** Dominis territorii hic queque favet BOEHMER *I. E. L.* 3. *Tit.* 5. §. 120. eoquod licet Pontifici ratione protestantium prout constat, jurium suorum exercitium non amplius permittatur: propterea tamen Capitula non ad plenam quandam libertatem sint eluctata: Capitulis favet sat diffuse ZALLWEIN *Tom.* 3. *Q.* 2. *C.* 9. §. 5. *a p.* 699. *seqq.* ex eo præcipue, quia Capitula a Sec. XIII. aut paulo post legitimo titulo consuetudinis & observantiæ, aut etiam præscriptionis, renuntiationis item ab Episcopis factæ jus conferendi præbendas jam exercuere; per reservationes quidem Pontificis juri huic deinde obex quidam obmotus fuit, atenim eo quacunque ratione sublato nil ipsi planius æquiusque esse videtur, atque jus pristinum postliminio ad Capitula reverti. Quid dicendum ratione undecim dierum Calendario post ejus, ut prætenten-

tendunt, emendationem ab ipsis Protestantibus detractorum, si in Capitulis protestanticis de iisdem inter Dominum & Capitulum lis existat, quoad menses antea Pontificios, disquirit BRUNNEMANN *Diss. de Jure* II. *dierum Calendario subtractorum C.* 2. §. 2.

*** De exspectativis, qua ratione apud protestantes adhuc locum habeant, quisque earum effectus, diffuse pertractat BOEHMER *in I. E. ad L.* 3. *Tit.* 8. apud quem & ad alios titulos reliqua circa præbendas has protestanticas, cum de his controversiis protestantium potius, quam nostra intersit, videre potes.

CAPUT VII.

De Præbendis Regiis, Laicis, et aliis quibusdam.

§. I.

Præbendæ Regiæ. Quoniam hanc lucubrationem idcirco scripsi, ut Thesauro huic meo insereretur, de præbendis quibusdam, de quibus peculiares Dissertationes eidem adjicientur, atque ad eas dein, siquid occurret in animadversionibus meis addetur, de iisdem breviter hic adhuc quædam commemorasse sufficiat. Sunt in pluribus Germaniæ Ecclesiis residuæ præbendæ, quæ *Regiæ* dicuntur, * quod quidem exinde aliqui derivant, quoniam Imperatores nostri in præcipuis olim Ecclesiis ipsi in numerum Canonicorum adlecti fuerint, uti tempore coronationis Aquisgrani adhuc fieri solet in Ecclesia B. V. M. potius tamen exinde est derivandum, quod Imperatores has ipsas præbendas quondam fundarint, dotarintque, atque exin aliis qui eorundem nomine divinis & Choro interessent, contulerint.

* Egerunt de hac materia NELLER *Diss. de Imperatore præbendato Regio*, BUDER *in Historia Canonicatuum imperialium Regumque Germaniæ sive præbendæ Regiæ*. *Estor* neue kleine Schrifften *Tom.* I. *p.* 351. DÜRR *Diss. de Capitulis clausis* §. 29. Adde *Instit. meas Juris Eccles. edit. secund. ad* 253. *Part.* 2. alia suo tempore addam ad cit. Diss. NELLERI, dum in hoc Thesauro denuo imprimetur.

§. II.

Præbendæ Laicæ. Præbendæ *Laicæ* sunt, quæ Laicis quoque pro sustentatione sua ex ipsis Ecclesiæ bonis competere possunt. Hoc autem ita inprimis factum fuisse legimus, ut Laici, dum bona sua cuiquam Ecclesiæ obtulissent, certos vicissim ipsi reditus pro sustentatione sua sibi præbendos stipularentur: * frequentius tamen hoc casu evenit, ut bona ita oblata potius in Feudum, aut sub Precariarum nomine reciperent.** Extant etiam peculiares fundationes in quibusdam Eccle-

Ecclesiis pro Laicis, qui certa servitia propterea Ecclesiæ præstare debent.*** Frequentissima olim præbendarum Laicarum, hodieque adhuc usitata species fuit, quam illi beneficio Imperatorum per ita dictas *literas Panis*, *Panis-Briefe* receperunt.****

* Hac ratione *Thiedo Laicus* apud HONTHEIM *Histor. Trev. Tom. 1. f.* 294. in charta quadam transcribit monasterio *S. Maximini* prædium pro *acquirenda sibi prabenda*, &, ut ibidem notat cit. Autor pro certa portione variarum rerum ad victum & sustentationem necessariarum: & apud L.B. de GUDENUS *Tom.* 4. *f.* 200. postquam *Engelbertus* Scabinus in Marpurch & ejus uxor omnia bona sua in conventum Aldenpurch, ut ibidem dicitur, transtulissent, ita vicissim ipsis repromittitur: *preterea sciendum, quod dictus conventus & ecclesia in Aldenpurch curiam suam in superiori Wimere cum omnibus sibi attinentibus ..... nobis ad terminum vitæ nostræ concesserunt, ... & dicta bona a nobis viventibus tollere non valebunt aut in extremis nullum optimale* (Bestehaupt de quo vide citatos a me Autores in Instit. meis Part. 3. §. 126.) *a nobis percipient vel requirent. Tali adjecta conditione, quodsi unus nostrum decesserit, alter ad terminum vite sue possidebit.* Conf. etiam de LUDEWIG *Relig. Mss. Tom.* 2. *p.* 268. In Constitutionibus Cœnobii S. Petri-Montis Ordinis Canonicor. Regular. S. Augustini apud CAROLUM LUDOVICUM HUGO *Tom.* 2. *Antiquit. sacræ Monument. p.* 431. *ad Tit. de Prebenda* conferenda ita statuitur: *non conferatur Prebenda & habitus Canonicus nisi Clerico, vel militi vel alicui personæ utili, cui sine scandalo & Ecclesiæ detrimento non valeat denegari. Mulieribus nunquam de cetero prebendae conferantur.* Dicti etiam sunt Laici hujusmodi *obedientiarii*, inde apud HARZHEIM Tom. 3. p. 221. in Synodo Constantiensi anno 1094. dicitur: *in hac Synodo venerabilis Abbas Sigefridus de cella S. Salvatoris super Dudonem obedientiarium suum se proclamavit, qui se & bona sua ad aliud monasterium libere contradidit, sed non multo post sacrilege se & sua inde penitus abalienare tentavit.*

** De Precariis præter THOMASSINUM, ESTOR, BURY, quos recitavi in *Instit. meis Juris Eccles. Part.* 3. §. 145. egit Celeb. NELLER *Diss. de Precariis, von den Precareyen ex Chartis Trevirens.* 1750. quam Thesauro huic insertam suo loco reperies, atque additionibus auctam.

*** Huc spectant Præbendæ pro viris Laicis, uti in Ecclesia Spirensi, vulgo XII. Stuhl-Brüder ab Imperatoribus olim fundatæ, de quibus agitur in PHILIPPI SIMONIS historischen Beschreibung aller Bischöffe zu *Speyer in Proœmio*: apud DÜRR *de Capitul. clausis* §. *XIV.* dicuntur in diplomate Caroli IV. *Elemosinarii S. R. I.* Conf. etiam MOSER *Tract.* von den Kayserl. Regierungsrechten und Pflichten *Part.* 2. *p.* 519. ubi ex Illustri de *Harpprecht* refert cum anno 1465. a *Friderico* Imperatore præbenda ejusmodi collata fuisset civi cuidam Spirensi, *Petro Schreyer*, sodales autem illum collegam agnoscere recusarent, immo causam Romam pertrahere vellent, contra eos a Fiscali non solum citationem ad Bannum (auf die Acht) obtentam, sed & reditus arresto, ut ajunt, subjectos fuisse. Cum et sua nunquam non pauperibus ex Ecclesiæ reditibus portio tribui juberetur, jam in regula *Chrodegangi* C. 34. occurrunt *Matricularii*, sive pauperes in Matricula Ecclesiæ descripti, quibus certis temporibus certa portio alimentorum præcipue distributa fuit. Apud HONT-

Hontheim *Histor. diplom. Tom.* 1. *p.* 665. dicitur: *in præfata etenim domo hospitali assiduo commorabuntur XII. pauperes fratres & præbendarii nostri .... præfati pauperes continuo permanebunt in obsequio Ecclesie &c.* adde eundem *l. c. p.* 397. 409. 495. Occurrunt idcirco etiam prohibitiones quondam factæ, ne præbendæ frequentius Laicis conferrentur, uti in *Alsat. diplomat.* 1772. *Tom.* 1. p. 321. Innocent. III. Abbati & Monachis S. Georgii anno 1211. ita præcipit: *eapropter dilecti in Christo filii vestræ gravamen Ecclesiæ præcaventes, auctoritate Apostolica vobis inhibemus, ne alicui sæculari personæ, nisi habitum monasticæ religionis assumpserit, præbendam in vestro monasterio conferatis.*

**** Egerunt de hac materia varii, uti Wehner *in Obs. pract.* Buder *in Repertorio Juris publ. ad hanc vocem*, Pfeffinger *Tom.* 3. *p.* 86. Struv. *Corp. Jur. publ. C.* 11. §. 22. Moser *Diss. Miscellan. Tom.* 1. *Tract.* von den Kayserl. Regierungsrechten und Pflichten *Part.* 2. Schneidt Historische und rechtliche Abhandlung von denen sogenannten Ley-Herrn-Pfründen oder *Panis*-Briefen, quod opusculum extat apud L. B. de Cramer *observat. Jur. univ. Tom.* 5. *Obs.* 1358. *p.* 347. Præcipua referendi occasio nobis adhuc erit, dum a Dissertationibus quoque huic Thesauro inserendis hæc materia attingetur.

§. III.

Præbendæ reliquæ.

Restarent adhuc data opera illustrandæ præbendæ Doctorales, verum hoc alibi jamdum egi. * Demum minus celebres sunt præbendæ fundatæ pro certis familiis, inde *Familiæ* dictæ: ** alicubi etiam tanquam plane singulare quid occurrit præbenda mobilis dicta. ***


* Conf. animadversiones meas ad Diss. Cl. Dürr *de Capitulis clausis*, apud quem etiam alios, qui de hac re egerunt, nominatos invenies.

** Dictæ etiam hæ præbendæ Geschlechts-präbenden, Blut-präbenden: sic apud de Ludewig *Relig. Ms. Tom.* 2. *p.* 253. *Woltherus* Decanus Ecclesie Resensis Vicariam pro familia sua fundavit anno 1307: in charta inter alia sic dicitur: *post obitum fundatoris jus conferendi ad Præpositum Decanum & Capitulum devolvendum ita tamen, ut conferant in animas vel animam suam dictam Vicariam uni idoneo & discreto scholari mancipato vel immancipato affiniori mihi linea consanguinitatis meæ, dum tamen talis quatuordecimum annum peregerit .... sed si duo vel plures fuerint, qui mihi æqualiter affines erunt seniorem & discretiorem præferri volo, cujusmodi* deinde adhuc plura disponuntur. Adde Würdwein *Comment in Archi-Diac. Diœces. Mog. Tom.* 2. *p.* 630. in charta circa Vicariam S. Matthæi in Ecclesia Francofurtensi S. Bartholomæi. item *p.* 819. & alibi *Tom.* 1. *p.* 685. *seqq.* Apud Protestantes exemplum refert Taffinger *de Jure Principis circa Ecclesiam ejusque Ministros* 1759. *p.* 24. *ex Sattleri* historischen Beschreibung des Herzogthums Würtemberg *Part.* 2. *C.* 38. *ubi* dicitur: nicht weniger ist zu Bulach die Erb-Pfarr, als etwas besonders anzumercken, indem die Grüchlerische Familie solche Pfarr von Zeit der Reformation an besitzet, und dazu ein Recht zu haben vermeinet. wenigstens ist dise Familie sehr alt, und findet man, daß sie schon anno 1400. Burger zu Wildberg gewesen, und dise Pfarr gestifftet haben.

*** Quid

*** Quid sit ejusmodi præbenda, quæ in Ecclesia Cathedrali Leodiensi occurrit, optime intelligitur ex ejus Statutis, in quibus ad Tit. de Præbenda seu membro mobili apud DÜRR *Diss. de Annis carentiæ p.* 73. hæc habentur: *Item præbenda mobilis non convertatur in alios usus, quam in puram Ecclesiæ necessitatem, vel in hæreditatum & jurium Ecclesiæ defendendorum, recuperandorum vel augendorum utilitatem, item de ea nihil exprimatur, aut exsolvatur, nisi de expresso mandato Capituli in scriptis redacto.* Item *quolibet anno in Capitulo generali, quod postridie B. Martini Episcopi celebratur, deputetur unus Confrater, qui præbendam mobilem & alia bona Ecclesiæ, quæ ad manus aliorum computatorum non sueverint convenire, colligat & exigat, & ad usus Ecclesiæ conservet, & ut supradictum est, in usus ejusmodi convertat, atque de iis in Capitulo generali proxime dicto rationes reddat apud Capitulum, quibus redditis liberum erit Capitulo eundem continuare vel alium eligere, quemadmodum fit de aliis computatoribus majoribus statim post rationes redditas in festo S. Ægidii.* Atque hisce de varietate præbendarum hac vice

TANTUM.



VII.

JOHANN. GEORG. NEUREUTER,

JCt. et Jur. Publ. Profess.

DISSERTATIO

DE

JURE CAPITULI MOGUNTINI CIRCA DIRECTORIUM IN COMITIIS SEDE MOGUNTINA VACANTE.

Mogunt. 1745.

PRÆFATIO.

Res confecta est, in Jure præprimis Publico ex fontibus causas quasvis deducendas, non hauriendas ex lacunis illorum scriptorum, quos studia partium, affectus, aut similes causæ in avia & devia abripiunt. Interim multi fontibus neglectis, nec satis alicujus rei satis exploratis ad scribendum accedunt, de Statuum Imperii Juribus judicia sua produnt, illa impetere vel omnino aufferre præsumunt. Quo quidem modo statuum jura & peculiares unius alteriusve prærogativas non infringi, id tamen consequi palam est, opiniones publicis scriptis proditas, queis Lectorum animi imbuuntur, aut memoria, quæ apud multos plus potest, quam animus, repletur, tam altas agere radices, ut difficulter dein adductis validissimis momentis, aut omnino non possint evelli, & passim quivis credat se jure optimo opinionibus per tot scriptores decantatis pertinacissime insistere. Obtigit hoc Capitulo Moguntino contra quod ratione Directorii Comitialis passim a scriptoribus sine ulla hæsitatione tantaque fiducia pronuntiatur, ac si hæc res plenissimæ cognitioni totius Imperii subjecta, unanimibus suffragiis decisa, & Lege Imperii contra Capitulum esset firmata. Uti id mirum non est in iis, qui alieno judicio scribunt, ut vix non scribunt plerique, in multis etiam officii aut stipendii ratio id exigere videtur, ita non adeo proclive est assequi, cur cæteri eadem facilitate huic sententiæ subscribant.

Non

Non vanum erit augurium, si conjiciam multos non adiisse fontes, & Acta Publica: Pro ea libertate, qua alii utuntur in impugnando Capitulo Moguntino, ego Directorium Capitulo vindicare & adversus nudas assertiones passim contra illud adduci solitas ope Actorum Publicorum munire constitui. Spero quemvis æquum rerum æstimatorem iis, quæ in rem Capituli adducam, assensurum. Si hæc spes me fallat, tractatio mea scopo tamen non excidit, cum exercitio Academico, cui destinata est, inserviat.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

I. *In antiquis Germanorum Conventibus nemo habuit aliquid præcipui circa dirigendum.*

II. *Sub Francis etiam nullus Procerum in Conventu prærogativam muneris habuit, sed Rex omnia dirigebat.*

III. *Occasione Archi-Cancellariatus Præsules Moguntini cœperunt eminere inter alios.*

IV. *Ob insignia Præsulum merita eorum Sedi Archi-Cancellariatus perpetuo annexus & maxima in dirigendis negotiis Imperii auctoritas nate est.*

V. *Auctoritas illa progressu temporis sub nomine Directorii in Comitiis se exseruit acceptis adhuc aliis prærogativis.*

VI. *Inter quas Moguntinus habet Propositionem, & rerum deliberandarum, ac sessionum Indictionem.*

VII. *Curam quoque Protocolli, Actorum publicorum & Dictaturæ.*

VIII. *Nulla quondam lis de Directorio Sede Moguntina vacante,*

IX. *Sed ea recentioribus temporibus mota,*

X. *Varias ob causas.*

XI. *Adducitur ordo dicendorum per decursum dissertationis.*

XII. 1555. & 1647. *Sede vacante Directorium exercitum a Capitulo.*

XIII. *Initium controversiæ adfertur, & texitur tota ejus Historia usque ad §. XXIII.*

XIV. *Legatus Capituli insuper habita oppositione Trevirensi & Saxonica Directorium continuavit.*

XV. *Ad indictionem Capituli* 1678. *comparuerunt omnes Legati exceptis Gothano & Norimbergensi.*

XVI. 1679. *comparuerunt omnes ad Indictionem Moguntinam, excepto Saxonico absente, dictatura quoque tunc peracta.*

XVII. *Indictio Moguntina & Dictatura continuata.*

XVIII. *Ausus Trevirenses circa Directorium a Commissione Cæsarea & plerisque Statibus improbati, cæteris deliberationibus supersedere volentibus,*

XIX. *Continuata Dictatura a Capitulo plerisque eam frequentantibus.*

XX. *Porro ad Indictionem Moguntinam facta comparitio spretis ausibus Trevirens. & Saxon.*

XXI. *Continuati actus Directoriales a Capitulo frustratis iterum ausibus Trevir. Colon. & Saxon.*

XXII. *Fata recentiorum temporum magis obvia traduntur remissive.*

XXIII. *Soli Capitulo suffragatur antiqua Possessio Directorii, cui non obest aliorum turbatio aut suspensio deliberationum.*

XXIV. *In demonstrando Capituli Jure juvat excutere originariam Archi-Officiorum indolem.*

XXV. *Origo Archi-Cancellariorum sistitur.*

XXVI. *Archi-Cancellariatus ab initio vagi, tandem certis sedibus Archi-Episcopalibus annexi.*

XXVII. *Officium Archi-Mareschallatus exhibetur.*

XXVIII. *Archi-Officiales non poterant se alienis functionibus immiscere, etiamsi unus alterve esset impeditus.*

XXIX. *Id ostenditur ex subscriptione diplomatum Sede Moguntina vacante peracta.*

XXX. *Probatur nunquam ab aliis cæteras partes Archi-Cancellariatus exercitas, & sic nec Directorium exerceri posse, concluditur.*

XXXI. *Capitulum, uti Electoratum & alias Archi-Cancellariatus functiones administrat, ita habile est ad Directorium.*

XXXII. *Idque vel maxime obtinere debet ex ratione æqualitatis inter Status Ecclesiasticos & Sæculares, cum etiam horum functiones non exerceantur per alios Electores.*

XXXIII. *Evincitur non obstare in Directorio rationem muneris personalis.*

XXXIV.

XXXIV. *Magis firmatur exemplo Directorii in Circulis, & Collegio Principum a Capitulis exerceri soliti.*

XXXV. *Observantia in Imperio eandem vim habet cum legibus scriptis.*

XXXVI. *Observantia etiam ex uno actu, & non factis nascitur.*

XXXVII. *Pro Capitulo observantia quoque militat.*

XXXVIII. *Ipse Imperator collator officiorum Imperii agnoscit penes Capitulum esse jus Directorii Sede vacante.*

XXXIX. *Non est e re Imperii circa functiones Archi-Cancellariatus frequentes admittere vicissitudines.*

XL. *Ostenditur, facile obviari posse argumentis Capitulo obmoveri solitis.*

XLI. *Recensentur argumenta Trevirensia.*

XLII. *Respondetur ad I.*

XLIII. *Ad II.*

XLIV. *Ad III.*

XLV. *Ad IV. Ubi etiam de momentis Coloniensibus paucis disseritur.*

XLVI. *Recensentur argumenta Saxonica.*

XLVII. *Respondetur ad I.*

XLVIII. *Responsio ad I. continuatur.*

XLIX. *Respondetur ad II. ex transactione de 1529. petitum.*

L. *Continuatur Responsio.*

LI. *Roboratur magis responsio & indicantur generatim alia, quæ contra Transactionem istam a Capitulo moveri possunt.*

LII. *Respondetur ad Transactionem Anni 1562, quæ est II. argumentum.*

LIII. *Respondetur ad III. argumentum Saxonicum.*

LIV. *Satisfit* LUDEVVIGIO, *qui Directorium Sede vacante Electori Palatino asserit.*

§. I.

Jam inde ab antiquissimis temporibus sui Germanis nostris fuerunt conventus ad tractanda & definienda reipublicæ negotia. In illis non unius præ reliquis

quis poteſtas, nec in convocando, aut dirigendo præcipuæ cujusquam fuerunt partes. Auctoritatem, quæ ſubinde in uno alterove eminebat, non muneris ratio, ſed aut prudentia aut ætas, aut fortitudo conciliavit; Prout hæc abunde licet colligere ex TACITO *

* De Moribus Germ. Cap. XI. *Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate.*

§. II.

Sub Regibus Francorum publicos etiam ex more gentis Conventus habitos fuiſſe exploratum eſt 1). Non tamen occurrit ibidem præcipui alicujus circa dirigendum Juris veſtigium; nulla enim Procerum ad conſultationem ſaltem 2) evocatorum tunc adhuc ſtabilita prærogativa Regis paſſim præſentis auctoritas rem omnem ſuo arbitrio moderabatur, 3) genio nationis certas negotia tractandi formulas ſecludente.

1) Vid. HINCMARUS Epiſt. 3. ad Franciæ Epiſcopos §. 29.

2) STRUV. Corp. Hiſtor. Germ. Period. III. §. 37.

3) Conf. ANN. FRANÇ. FULDENS. ad An. 852. STRUV. l. cit. §. 39.

§. III.

Ex his igitur conventibus, qui hodierna Comitia vix adumbrant, parum aut nihil deſumi poteſt ad declarandum, ſtabiliendumque Directorium, quo de nunc agimus. Certiora hujus rei ſubſidia a tempore Ottonum deducimus: ubi Præſulibus Moguntinis Archi Cancellariatus per Imperium Romano-Germanicum obtigit non fortuito, nec via facti, nec temporum, injuria velificante, ut hæc multorum inſignium, quæ hodie in Imperio ab aliis tenentur, Jurium fuerunt initia. *

* vid. STRUV. Syntag. Jur. Publ. c. 6. §. 78.

§. IV.

Eminebant in Præſulibus Moguntinis nunquam ſatis penſanda erga rem Chriſtianam & politicam totius Germaniæ merita. 1) Hæc ampliſſimum munus iis deferendum & tandem ſtabili lege Sedi eorum annectendum ſuadebant: Cumque Succeſſores omnibus muneris hujus partibus religioſiſſime implendis nihil deeſſe paterentur, nova ſemper incrementa eidem acceſſere, & tandem extitit maxima Præſulum Moguntinorum auctoritas in dirigendis Imperii negotiis. 2)

1) De

1) De his pluribus agit SERARIUS Rer. Mogunt. Lib. 3. evocatis aliorum scriptorum etiam a sacris nostris alienorum testimoniis.

2) LAMBERT. SCHAFNAB, *ad An.* 1054. *Imperatoris Filius Henricus consecratus est in Regem Aquisgrani ab Hermano Coloniensi Archi-Episcopo vix & ægre super hoc impetrato consensu Luipoldi Archi-Episcopi, ad quem propter Primatum Moguntinæ Sedis consecratio Regis &* CÆTERA NEGOTIORUM REGNI DISPOSITIO POTISSIMUM PERTINEBAT.

§. V.

Postquam vero Comitia per spiramenta temporum in eam, quam hodie conspicimus, formam redacta sunt, illa potestas dirigendi negotia Imperii se maxime exserebat solenni nomine compellata Directorium in Comitiis. Hocce Directorium ex longissimo jam tempore comitantur multæ aliæ singulares prærogativæ; nam soli Moguntino Directorio omnes Legati Electorum & cæterorum Statuum in Comitiis aliisque conventibus Mandata sua & Credentiales exhibent * & discessuri ante finitum conventum discessum indicant. Pariter exterarum gentium Legati, Residentes & Agentes ad Comitia missi credentiales suas apud Directorium Moguntinum producunt ibique primo res suas exponunt.

* AUCTOR des ausführlichen Berichts von Reichs-Tägen putat Civitatum Imperialium Ablegatos a Mandati exhibitione immunes esse. Sed hanc sententiam Legibus publicis æque ac usui quotidiano contrariam esse ostendit STRV. Corp. Jur. Publ. c. 23. §. 17. n. 18. cum cit.

§. VI.

Dum Ordinibus Imperii congregatis propositio Cæsarea prælecta est, Moguntinus Elector vel ipse, vel per Cancellarium suum solus loquitur, & Cæsari nomine totius Imperii respondet, ac descriptionem propositionis petit, communicatam non solum denuo proponit, sed & deinceps durantibus Comitiis materias super quibus deliberandum est, Statibus, antequam in Senatum veniunt, per schedam, quæ vulgo der Ansag-Zettel audit, indicit, eamque Imperii Vice Mareschallo Comiti de Pappenheim transmittit & convocationem imperat.

§. VII.

Solus Moguntinus Secretarium suum habet, qui Protocollum conscribit, & licet hodie Electorum quilibet Secretarium pro conscribendo Protocollo secum adducere soleat, in eo tamen prior Moguntini prærogativa remansit, quod occurrente quocunque dubio unice ad Protocollum Moguntinum utpo e vi & fide officii confectum recurratur. Hinc etiam expedit solus in Cancellaria A-

cta publica, coram ipso solo reservationes, Protestationes, denunciationes, & alia similia fiunt, quemadmodum soli quoque Moguntino, ejusque Directorio traduntur Statuum Memorialia, desideria, commonitoria & postulata per dictaturam deinceps reliquis ordinibus communicanda.

§. VIII.

Directorium Moguntinum & modo enarrata jura eidem annexa hactenus non fuerunt in dubium vocata. Quamvis etiam Sedes Moguntina vacarit tempore Conventus publici, ceu hoc superioribus sæculis, ubi singulis annis habebatur, * non raro evenire necessum erat, quandam tamen ab aliis jure quodam suo Directorium susceptum, aut Legato Capituli litem ratione illius motam fuisse, nec verbo consignatum est in monumentis historicis aut Actis publicis. Memores erant omnes, quantum deberetur ab Imperio & singulis ejusdem Statibus Sedi Moguntinæ & molestissimam dirigendorum negotiorum communium curam non invidebant Præsuli Moguntino, nec ægre ferebant eam a Capitulo suscipi Sede vacante, maxime cum multi noluerint interesse Comitiis tam frequentibus tamque turbulentis, ut sæpe erant, ea variis modis declinarint, aut omnino libertatem non comparendi sibi per privilegia compararint.

* Vid. PFEFFINGER. ad VITRIAR. l. 4. t. 1. §. 14.

§. IX.

Est igitur controversia circa Directorium in Comitiis Sede Moguntina vacante partus recentioris ævi: in ea vero, ne quid dissimulare videar, scriptores fere ad unum omnes conspirant, nullas esse Capituli partes circa hoc Directorium, quod casu hodiernis temporibus obveniente occupare conatur Elector Trevirensis & per alternationem Coloniensis, nec non Saxonicus, pro quo plerique Scriptores militant. LUDEWIG (*) quidem agnoscit, hosce Electores nullo jure niti, ne tamen aliquid Capitulo Moguntino relinquat, Directorium Sede vacante Electori Palatino nil simile cogitanti obtrudit. *

* Comment. ad A. B. tit. 1. §. 18. Lit. H.

§. X.

Nisi ea viveremus tempora, ubi antiquæ de auctoritate communium opinionum nœniæ explosæ sunt, crederem alios aliorum auctoritatem cœca fide secutos, & eorum sententiæ manu, non judicio adstipulatos esse, sed licet hoc multis usuvenisse manifestum sit, rem vel obiter consideranti, id de iis tamen, qui ultra vulgus eruditorum sapiunt, non asseruerim. Hi aliis ducuntur rationibus: quidam ex assentandi studio suorum Principum prætensiones amplia-

re,

re, aut saltem per nova commenta ingenii sui vires volunt ostentare; alii ad palatum scribunt eorum, quos ægre habent Ecclesiasticorum ex inferiore nobilitate tam repente in pari aut eminentiori fastigio collocatorum prærogativæ, & has sensim sine sensu præpedire, infringere, & tandem evertere moliuntur. Sunt etiam, qui causam agunt, odii dudum gliscentis contra Directoria in Collegio Electorum & Principum apud Catholicos duntaxat subsistentia; quamvis inter Protestantes non pauci id jam pridem improbarint. *

* Pfanner. Histor. Comit. L. V. p. 614. & L. VI. p. 865.

Difficilior altiusque penetrans inter Catholicos, atque Evangelicos contentio fuit, hisce ut alternis vicibus Præsidis munere (Directorio) fungerentur, postulantibus; abnuentibus istis conditionem novam insolentem, priscove mori adversam. Neque defuere ex ipsis Evangelicis, qui Catholicorum causam approbarent; negantes Moguntino aliisque Catholicorum auferri posse, aut vicissitudine minui munia, quæ ad eos, qui cæteros dignatione anteeant, pertinere omnium ferme sæculorum ordinumque instituto usuque receptum sit.

§. XI.

Hæc similiaque eorum, qui de Directorio in Comitiis Sede Moguntina vacante aliquid tradiderunt, fuisse studia, manibus palpari potest Ego dum contra communem aliorum opinionem Directorium Capituli Moguntini propugnandum aggredior fide Actorum publicorum totius controversiæ originem & fata adduco, in quibus occurrunt multa ad possessionem & jus Capituli demonstrandum apprime facientia, passim tamen apud scriptores non obvia, vel quod plerisque, qui tamen sententiam contra Capitulum ferre ausi sunt, incognita, vel ad obscurandum Jus Capituli studio fuerint occultata, deinde, quæ Capitulo patrocinantur, subjungo, momenta partium adversarum expendo, & hisce peractis aliorum, qui rem ex vero æstimare volunt, judicio relinquo, num ex affectu scripserim, & ad stabiliendum Jus Capituli plus adduxerim quam alii ad illud impugnandum.

§. XII.

Ut autem rectius ferri possit judicium, oportet totam rei seriem ita ob oculos ponere, ut non tantum controversiæ initium adducatur, sed etiam aliquid ex temporibus, quæ controversiam præcesserunt. In iis redeo ad annum 1555. ibi post fata Sebastiani Electoris Moguntini, cum in Comitiis Augustanis Capitulum tempore Sedis vacantis Directorium suscepit, materiæ ad deliberandum propositæ, & deliberationes, quemadmodum vivo Electore continuatæ. 1647. in tractatibus Pacis Westphalicæ, ubi prope totius Europæ causa agebatur, & quivis ob notissimas suspiciones, diffidentiam, occultasque machinationes præpediendis alterius incrementis intentus erat Capituli Sede per obitum

 Ansel-

Anſelmi Caſimiri Archi-Epiſcopi Moguntini vacante per Legatos novis mandatis a ſe inſtructos Directorium exercuit, nec Saxone, nec ullo alio contra id quidquam movente.

§. XIII.

Poſt mortem Lotharii Friderici 1675. prætenſiones contra Capitulum prima vice prodibant. Legatus Trevirenſis petiit a Saxonico, ut curaret, ne Vice-Mareſchallus admitteret ab alio Schedam indictionis: Saxonicus rem exponit mox Moguntino & accepta ab hoc rei notitia negat deferre petito Trevirenſi, reſpiciens indictionem Moguntinam. Paulo poſt Saxonicus recuſabat indictionem a Legato Capituli admittere ſibi vindicare volens indictionem & annexum ut ajebat Directorium. Urgentibus rem per aliquod tempus Trevirenſi & Saxonico, Colonienſis contendebat propter alternativam Electori Colonienſi competentem non poſſe Directorium, ſi evinceretur a Trevirenſi, ei ſoli relinqui. Tandem Bavaricus & Brandenburgicus ſe immiſcebant, ille quidem pro Electore Bavariæ contra Saxonem ordinis & ſeſſionis prærogativa adducta: hic obtentu primi loci, quem contendebat olim inter ſæculares Electores Brandenburgico competiiſſe, provocans ad ſubſcriptionem nonnullorum Receſſuum Imperii. Hi autem duo poſteriores iſta allegaſſe contenti ſubſiſtebant, nec alia occaſione longius progreſſi ſunt, imo ſæpius Brandenburgicus deinceps profitebatur Directorium competere Capitulo Moguntino.

§. XIV.

Legatus Capituli contra hoſce auſus ſolenniſſime proteſtabatur & indictionem, quam non peragebat Vice-Mareſchallus, Directorii Moguntini nomine fieri curabat, etiam Dictaturam, apud quam non habita ratione oppoſitionis Saxonicæ Legati Electorum, Principum & Civitatum ſuos comparere juſſerunt, loco & tempore conſueto continuabat, & 15. Junii propoſitionem peragebat quam Re- & Correlatio ſubſecuta. Eodem die in Seſſione pomeridiana Decretum Cæſareum cum propoſitione a Comite de Windiſchgræz in conventu Circuli Saxoniæ inferioris Luneburgi facta dictabat. Imperator declarabat Sede vacante reſpiciendum Directorium Capituli Moguntini, eique aſſiſtendum, quod exemplum ſecuti Status & ſchedas, queis Legatus Trevirenſis Seſſiones indicere parabat, rejecerunt, ad indictionem Moguntinam comparuerunt, & ſuos Dictaturis per Capitulum exercitis intereſſe curarunt.

§. XV.

Poſt obitum Damiani Hartardi 1678. die 19. Decembris Indictio facta a Legato Capituli, & ad eam comparuerunt omnes Electorum & Principum Legati,

gati, quotquot erant in loco præsentes excepto Gothano, Directoria quoque in Collegio Principum cum Prælatis, Comitibus & Civitatibus excepta Norimbergensi. Plerique simul profitebantur se ad indictionem Moguntinam non Saxonicam comparuisse. Moguntinus contra Saxonicum solennissime protestabatur, cum reservatione Jurium & prærogativarum Moguntinarum: dein vi Directorii ob imminentes ferias Natalitias omnibus Legatis indicavit, Sessiones interea cessaturas.

§. XVI.

Sede Moguntina altero mox anno rursus vacante per mortem Caroli Henrici Legatus Moguntinus vi novæ instructionis a Capitulo acceptæ peregit indictionem, ad quam 2. Octobris 1679. comparuerunt omnes Legati excepto Saxonico, qui eo tempore degebat Pappenhemii, & dictatum in puncto executionis Pacis Decretum Commissionis Cæsareæ. 3. Octobris prævia indictione Moguntina ante & post meridiem omnium Legatorum scribis dictabatur Memoriale Civitatis Wangensis cum Adjunctis puncto moderationis.

§. XVII.

Vi schedæ a Moguntino conceptæ a Mareschallatu in alterum diem indicebatur omnibus Legatis sessio. Ad hanc indictionem Moguntinam comparuerunt omnes excepto Trevirensi: finita Sessione scheda a Moguntino pro indictione confecta Vice-Mareschallo tradita est. Is eam acceptare recusabat, eo quod a Legato Saxonico haberet scriptam inhibitionem de non amplius admittendis ejusmodi schedis. Post meridiem ejusdem Diei ad præcedentem indictionem ab ipso Directorio Moguntino peractam dictabatur Memoriale Civitatis Nördlingensis puncto moderationis, cui Dictaturæ aderant subjuncti. * Trevirensis recusaverat admittere indictionem Moguntinam, Saxo-Gothanus declaraverat, eam duntaxat competere Mareschallatui.

* Chur-Bayern.		Braunschweig Wolffenbüttel.
Chur Brandenburg.		Neuburg.
Oesterreich.		Halberstatt.
Saltzburg.		Anhalt.
Regensburg.		Oettingen.
Bamberg.		Schaumburg.
Augspurg.		Nassau.
Würtzburg.		Nürnberg.
Schwäbische Prälaten.		Stadt Regensburg.
Braunschweig Zell.		Nördlingen.
– – Calenberg.		

§. XVIII.

Quinta Octobris Mareschallatu recusante executionem Indictionis Moguntinæ rursus ipsum Directorium Moguntinum Indictionem per suos peregit, ad quam comparuerunt sexta Octobris omnes excepto Trevirensi & Coloniensi. Septima Octobris Trevirensis Con-Commissario Cæsareo tradebat Originale & copiam novi Mandati, quo se volebat legitimare ad exercendum Directorium; Con-Commissarius acceptabat Mandatum eum in finem, ut referret ad Cæsarem, desuper provisurum: præterea petiit Trevirensis, ut in posterum Decreta Cæsarea sibi traderentur. Sed denegatum id est eidem, demonstrata ausus injustitia, declaratumque, quod Commissio Cæsarea nunc, uti antea, non agnoscat Sede Moguntina vacante aliud, quam Capituli Directorium. Post meridiem Austriacus & alii passim ausum Trevirensem publice improbarunt & Capitulo Moguntino promiserunt se eidem adfuturos, nec ab alio Indictionem suscepturos esse, eoquod in id omnes speciatim instructi essent. Nonnulli declararunt, se citra indictionem comparituros, non tamen deliberationibus vacaturos esse.

§. XIX.

Decima Octobris dictabatur Decretum Commissionis Cæsareæ ratione Bitsch & Homburg Directorio Moguntino transmissum, cui Dictaturæ absque ulla contradictione intererant sequentes:* Eadem adhuc die Legatus Bavaricus, qui recens advenerat ex speciali Mandato Serenissimi Administratoris Electoratus Bavarici Sede vacante Directorem Moguntinum invisit.

* Chur-Bayern.
Chur-Brandenburg.
Oesterreich.
Saltzburg.
Teutsch-Meister.
Bamberg.
Würtzburg.
Regensburg.
Augsburg.
Paussau.
Fuld.
Brixen.
Trient.



Schwäbische Prälaten.
Neuburg.
Anhalt.
Halberstatt.
Camin.
Brandenburg-Culmbach.
Oettingen.
Fränckische Graffen.
Schwäbische Graffen.
Nassau-Hadamer.
Stadt Regensburg.
Nürnberg.
Uberlingen.

XX.

§. XX.

Ad Indictionem nomine Directorii Moguntini $\frac{12}{17}$ 8bris factam Legati rursus comparuerunt. Trevirensis quidem indictionem tentavit, sed Legati cæteri suis mandarunt, ne aliam respicerent aut reciperent Indictionem, quam Moguntinam. 16. Octobris ad præcedentem Indictionem Moguntinam comparuerunt, hanc quoque 17. 8bris acceptarunt omnes exceptis Trevirensi, Coloniensi, Palatino & Saxo-Gothano. Saxonicus quidem Indictionem meditabatur, sed plerique recusarunt eam admittere, addita declaratione a se non respici aliud Directorium quam Moguntinum: id responsi quoque tulit Trevirensis tentata Indictione. 18. Octobris Saxonicus præprimis a protestantibus petebat, ne aliam deinceps quam suam Indictionem attenderent: Respondebant hi: se vi conventionis jam initæ sine Indictione frequentaturos Senatum, non tamen deliberationibus vacaturos. Civitatenses pariter requisiti a Saxonico reponebant, quod non dubitent acceptare Indictionem Moguntinam, Trevirensem vero & Saxonicam non possint recipere sine protestatione & reservatione.

§. XXI.

Vigesima Octobris Legatus Coloniensis Con-Commissario Cæsareo tradebat Mandatum de exercendo Directorio, contra hoc protestabatur Moguntinus. Coloniensis vero Con-Commissario Cæsareo exponebat, se non velle quidquam agere in præjudicium Capituli Moguntini, sed saltem alternativæ Electori Coloniensi competenti in omnem eventum prospicere: Indixit dein sessionem in crastinum. At hæc indictio cum Trevirensi & Saxonica ab omnibus Legatis rejecta, & unice scheda indictionis Moguntinæ recepta; Saxonicus hisce valde commotus mandavit Vice-Mareschallo, ut deinceps schedas Saxonicas invitis obtruderet: Sed is ipse, qui indictionem hoc modo peragere tentavit, testatus est: se admodum acerbe exceptum, cum suis schedis dimissum esse. 23. Octobris comparuerunt Legati ad præviam Indictionem Moguntinam, Saxonicus conquerebatur de rejectione suarum indictionum facta in præjudicium Officii Mareschallatus, respondebatur ei a cæteris Legatis: Indictionem a Mareschallatu ad jussum Moguntini Directorii, non vero proprio Mareschallatus nomine factam debere attendi, nec attendendam ulla ratione deinceps. 25. & 27. Octobris ad Indictionem Moguntinam comparuerunt Legati, & communicabantur per Dictaturam publicam litteræ Capituli Constantiensis contra Reding de Biberegg 30. Octobris, 3. & 4. Novembris rursus comparuerunt ad Indictionem Moguntinam.

§. XXII.

§. XXII.

Quæ porro contigere, dum 1695. 1729. 1732. & 1743. Sedes Moguntina vacavit, obvia sunt, & passim satis diligenter consignata. * Igitur iis recensendis immorari non est necesse. Absolvuntur protestationibus re-protestationibus & reservationibus sæpissime & ad nauseam usque repetitis: queis nihil aliud effectum est, quam quod deliberationes passim impeditæ, aut omnino fuerint suspensæ. Illud ex recentioribus satis præterire non possum, quod 1743. in Collegio Principum quidam non dubitarint declarare, nullum Sede Moguntina vacante Directorium agnoscendum esse, sed Status *proprio Jure* convenire, deliberationibus vacare, & conclusa formare. Uti vero hoc inauditum & ad labefactandum, imo penitus dissolvendum nexum Comitialem collimat, ita omnes in Collegio Electorali, & non pauci in Collegio principum novum inventum rejiciebant.

* Vid. FABRI Staats-Cantzley Tom. LIII. cap. 22. Tom. LIV. cap. 13. Tom. LV. cap. 17. Tom. LX. cap. 11. Reichs-Fama P. IV. cap. 51. P. V. cap. 9. P. VI. cap. 17. P. X. cap. 28. P. XII. p. 175. ACT. COMITIAL. PUBLICOR. de 1743. Tom. I. num. XIV.

§. XXIII.

Ex iis, quæ in decursu adduxi, apparet, Capitulo Moguntino antiquam multisque actibus suffultam possessionem, aliis autem nec umbram possessionis suffragari, aut actus possessorios subsequentes, si qui possent adduci, intuitu possessionis antiquioris Capituli turbativos esse & injustos, si tamen Principes Imperii his regulis super possessione traditis adstricti sint, ut quidem eos necdum exemptos novimus: Num deceat Legatos, quos oportet communi fervore & studio in rem Imperii communem propendere, in ejus, & Capituli tam justa possessione muniti præjudicium sine præscitu Cæsareo deliberationes ob qualemcunque unius alteriusve contradictionem & vanam protestationem suspendere? aliorum esto judicium. Certe aliud Superioribus temporibus obtinuisse, Historia loquitur: aliud etiam cordatiorum quorundam Legatorum vota hodiernis temporibus ferunt.

§. XXIV.

Stabilita possessionis penes Capitulum existentis justitia, videndum nunc est de momentis pro ipso Directorii jure evincendo. Dum ad hæc progredior, juvat sistere rerum huc facientium origines & nonnullorum Archi-Officiorum indolem. Quamvis enim insignis rerum commutatio facta fuerit, duravit tamen quædam veteris aulæ imago, supersunt multa priscæ Regni Germanici formæ vestigia in officiorum, quibus & respublica & aula administrata fuit, memo-

memoria: hæc hodie inter præcipua ornamenta sua Principes potentissimi computant, ac studiosissime tuentur. Proinde si de limitibus horum officiorum, & jurium inde pendentium, lis suboriatur, ad hujus decisionem illorum originariam indolem recte in subsidium vocabimus.

§. XXV.

Extincto Archi-Cancellario Imperii Romano-Germanici, reliqui Archi-Cancellarii de Directorio in Comitiis sibi asserendo præcipue contendunt: horum igitur origo & vetus officii ratio proferenda, quæ hæc est: Præsules summo semper habiti in honore & gravissimis admoti consiliis occasione Capellæ Regiæ, in qua etiam tabulæ & instrumenta publica sub cura Archi-Capellani asservabantur, facile Archi Cancellarii spartam sibi vindicabant. 1) Maxime cum in negotiis seligeretur Clericorum fides, & barbarie increscente nemo præter Clericos reperiretur, qui linguæ latinæ, in qua Diplomata conficienda erant, peritus esset. 2)

1) Vid. Celeb. D. MASCOV. Princ. Jur. Publ. L. 3. c. 7. §. 8. seqq. Archi-Capellani & Archi-Cancellarii nomina sæpius inter se fuerunt confusa muneribus in una persona conjunctis, quamvis officia ex ordine Palatii fuerint distincta CHRON. GOTTWIC. Lib. 2. c. 3. §. 20.

2) FLEURY Tom. XIX. Histoir. Ecclesiastiq. Disc. prelimi. §. 10. THOMASSIN. de vet. & nov. Eccles. Discipl. Tom. I. L. 2. c. 105. §. 2. & c. 106. §. 3.

§. XXVI.

Constat ex veterum Diplomatum subscriptionibus Carolingos & sequentes Germaniæ Reges initio Archi-Capellanos habuisse non Ecclesiæ alicujus privilegio, sed pro suo judicio interdum & plures Archi-Cancellarios fuisse eodem tempore non divisis functionibus, tandem vero Archi-Cancellariatus officium divisum & Archi-Episcopo Moguntino per Germaniam, Trevirensi per Galliam & Regnum Arelatense, & Coloniensi per Italiam Archi-Cancellariatum attributum fuisse.

§. XXVII.

Archi-Mareschallus credit Sede Moguntina vacante ad se exclusis omnibus aliis munus Directorii spectare: quasnam vero in officio suo partes olim is habuerit erudite pro more suo ex antiquitatibus tradit D. MASCOVIUS * Summa officii redit ad curam annonæ, hospitiorum, custodiæ Regiæ & totius Aulæ exterioris.

* Dissert. de Origine offic. aulic. S. R. I. §. 33. sqq. add. LUDEWIG ad A. B. t. 27. §. 7. p. 816.

§. XXVIII.

Ex his liquido apparet, ita singularum functionum a quolibet Archi-Officiali præstandarum fines discretos fuisse, ut non licuerit alteri, alterius functiones involare, imo ea erat Archi-Cancellariatus ratio, ut eo cæteri sæculares saltem & præprimis Mareschallus in exterioris Aulæ cura occupatus non potuerit defungi. Archi-Cancellarii reliqui licet fuerint habiles, non tamen poterant officii sui limites excedere, & alieni Cancellariatus vacantis functionibus se immiscere.

§. XXIX.

Hinc sine dubio factum, quod, licet expeditiones Diplomatum Cæsareorum fuerint quotidianæ, & Sede Moguntina vacante Electores Trevirensis, Coloniensis & Saxonicus occasionem habuerint defungendi eatenus Archi-Cancellariatu Moguntino, inter Diplomata tamen prope infinita, quæ valent proferri. 1) Nullum appareat Sede Moguntina vacante dictorum Electorum subscriptionibus munitum, sed potius occurrant concessiones per Cancellarios seu Notarios, qui Archi-Cancellariis erant inferiores, expeditæ, ut testatur exemplum apud MALLINCKROT. 2) & CHRON. GOTTWIC. 3).

1) Vid. MALLINCKROT Tr. de Archi-Cancell. S. R. I. & Vice-Canc. UGHELL. Italia sacra. MIRÆUS Cod. Donat. Belgic. LUNIG. Cod. Diplom. Ital. &c.

2) cit. Tr. p. 40.

3) Lib. 2. cap. 3. §. 20. ubi in Diplomate Ottoniano Sede Moguntina per Wilhelmi mortem vacante confecto occurrit hæc subscriptio: *Rudpertus Cancellarius ad vicem vacationis Archi-Capellani recognovi.*

§. XXX.

Porro hinc est, quod hodie Vice-Cancellarius Electori Moguntino tanquam Archi-Cancellario Sacramenti religione obstrictus, & reliqui omnes Officiales, Secretarii, Protonotarii, aliæque Personæ in judicio Aulico & Camera Imperiali Cancellariæ inservientes Sede Moguntina vacante non Electori Trevirensi, Coloniensi aut Saxonico obstringantur, multo minus ab his dimitti possint, aut aliæ in aliarum locum surrogari, quæ illius, qui Archi-Cancellariatum exercet, potestas est. Pariter hinc est, quod cura sigillorum Imperatoriorum, & custodia Archivi Imperialis non transferatur Sede Moguntina vacante ad alium quendam Electorem, sed Capitulum Moguntinum sub sua cura & custodia teneat omnia acta belli, Pacis, Fœderum & Legationum, Ordinationes, Capitulationes, Matriculas, & quidquid uspiam publico nomine in Comitiis aut alibi literis mandatur, sive ad Germaniam, sive ad Italiam sive ad Galliam & Regnum Arelatense spectet. Sicut autem omnes isti actus ab Archi-Cancel-

laria-

lariatu dependentes Sede Moguntina vacante nunquam olim vindicabantur, nec vindicantur hodie ab alio Electore, ita non apparet, quo jure quis unice Directorium in Comitiis occupare velit aut possit Archi-Cancellariatu nec toto, nec ulla alia ejus parte in se translata.

§. XXXI.

Accedit aliud argumentum petitum ex ratione officiorum Imperii: ea quondam fuisse ambulatoria, non familiæ aut territorio annexa, progressu autem temporis facta esse perpetua & certis Provinciis adscripta res adeo confecta est, ut opus non sit testimonia in id adducere. Hæc desideranti satisfaciet, fere quilibet, qui in Jure Publico & Historia Imperii tradenda saltem perfunctoria opera defunctus est; Archi-Cancellariatus quoque stabili lege & multorum sæculorum usu non interrupto Archi-Episcopatibus annexos esse in confesso est. Proin id consequitur, eos, quibus est jus in territorium administrandum gubernandumque, jurium annexorum Exercitium sibi vindicare posse, & sic Capitulum, quod Sede vacante Electoratum Moguntinum gubernat, & ad reliquas Archi-Cancellariatus annexi functiones præprimis in Comitiis admittitur, a Directorio ibidem non excludetur, cum æque reliquæ functiones, ac ipsum Directorium ab Archi-Cancellariatu dependeant, & prius ostendi debeat, cur hoc a cæteris Capitulo permissis juribus exceptum censendum sit.

§. XXXII.

Exigunt generalia omnium rerum publicarum principia æqualitatem inter eos, qui unius reipublicæ membra sunt, nisi justa inæqualitatis ratio pactis aut Legibus fundamentalibus determinata præsto sit. Status Imperii ad eam æqualitatem provocant, eamque inter se servandam urgent. 1) Igitur in Imperio inter Status Ecclesiasticos & sæculares paria obtinebunt jura, & sicut officia electoratibus sæcularibus cohærentia v. g. Archi-Mareschallatus, aut Vicariatus Saxonicus non exercentur per alios Electores: Sed tempore minorennitatis, alteriusve impedimenti cum Electoratu sæculari cæterisque annexis juribus per Tutores administrantur, vota quoque ab his geruntur, ut docent subscriptiones Recessuum Imperii apud PFEFFINGER. 2) Ita Sede vacante exercitium Archi-Cancellariatus non transfertur in alium Electorem, sed a Capitulo cum ipso Electoratu administratur, cum nulla ratione ostendi possit, cur in Electoratibus Ecclesiasticis, non autem sæcularibus obtinere debeat aliqua successio, vi cujus alter alterius functiones & jura interim occupare aut exercere possit durante impedimento.

1) Conf. Illustr. D. de MEJERN ACT. PAC. WESTPH. PUBL. Tom. III. L. 20. §. 26. Num. VI. ubi in Sessione Evangelicorum publica in puncto gravaminum de

de 14. Julii 1646., dum agebatur de Juribus Capitulorum Sede vacante.

Braunschweig-Lüneburg erachtet: daß die restrictio Jurium Episcopalium der æqualität zuwider lauffe, und deswegen nicht geduldet werden könte.

Fränckische Graffen: weil diese restrictio regulæ æqualitatis zuwider, &c.

2) ad VITRIAR. Lib. 4. tit. 1. §. 25.

§. XXXIII.

Passim quidem adstrui solet, circa munus Directorii in Comitiis aliud obtinere, eoquod sit Jus personale, & ut loqui amant, ossibus Electoris cohæreat, in quod Capitulum negant succedere. 1) Nullo tamen Juris colore hæc exceptio adfertur; nam & ipsum Jus Status Imperii secundum multorum sententiam 2) non patrimonio aut terræ annexa qualitas, sed personæ dignitas est, & ossibus Electoris inhæret, quamdiu vivit Elector, nec Capitulum tunc est Status Imperii, & tamen in illud Jus Sede vacante succedit, quia Capitula per Legatos caractere repræsentatitio instructos in Comitiis comparent, ac Sessionem & votum loco & ordine competente habent, ut fert praxis indubitata pluribus illustrata exemplis apud PFEFFING. 3) in eo conspirant vota Ordinum Imperii in conventu 1577. Francofurti habito: id loquitur Instrumentum Paris. 4) Præterea hoc adhuc magis declarat generalis Imperii consuetudo, juxta quam Capitula defuncto Episcopo Jurisdictionem, Regalia, & Superioritatis territorialis jura omnia retinent, & in iis succedunt donec novus Præsul eligitur. Si igitur daretur, Archi-Cancellariatum & cum eo connexum Directorium personæ Archi-Præsulis & Electoris inhærere, Capitulum tamen, penes quod Sede vacante omnis potestas residet, & ideo mortuo Electore eo non est inferius, sed illum repræsentat, ab ejusdem exercitio arceri non posset.

1) Vid. PFEFFING. ad VITRIAR. L. 4. t. I. §. 56. lit. a.

2) de hac re bene disserit SCHWEDER Introd. in Jus Publ. P. sp. S. 2. c. 1. §. 9.

3) ad VITRIAR. cit. loc. §. 21.

4) Art. V. §. 17. & 21. *Sede vacante Capitula... ad universales æque ac particulares Deputationum, Visitationum, revisionum, aliosque conventus Imperiales litteris solitis evocentur, & suffragii Jure gaudeant.*

§. XXXIV.

De hoc eo minus dubitandum, cum in Circulis, ubi Archi-Episcopi aut Episcopi Directorium tenent, Capitula Sede vacante dirigant, usu quotidiano suffragante & præprimis exemplo de 1743. ubi agnovit in Capitulo Moguntino Directorium Circuli Rhenani inferioris Imperator, literas requisitorias pro transitu auxi-

auxiliaris militis Gallici Statibus Circuli Directorii nomine communicandas Capitulo Sede Moguntina vacante transmittens. Cum Capitulum Salisburgense quoque in præcedentibus & præsentibus Comitiis, ubi sæpius Sedem vacare contigit, Directorium in Collegio Principum exercuerit & usque ad susceptum a novo Archi-Episcopo regimen continuaverit, nec ullus Catholicorum aut Augustanæ Confessioni addictorum hocce Directorium ulla ratione impugnaverit, atque Imperium hoc ipso satis commonstrarit, nihil omnino Impedire Capitulum aliquod, quominus Archi-Episcopum Sede vacante etiam quoad Directorium in Comitiis repræsentet: non apparet, cur Capitulo Moguntino debeat denegari, quod ipsi, & aliis in casu omnino simili competere agnoscitur.

§. XXXV.

In Imperio nostro nunquam non observantia instar Legis se habuit, & habet adhucdum. Conspirant in eo non tantum omnes interpretes Juris Publici, sed & Imperator, & omnes Status, nec reperietur unquam dubitatum fuisse de vi observantiæ, cum quis eam ad causam suam stabiliendam adduxit, & adversarius existentiam in dubium vocare non potuit. Imo testantur conclusa & LL. Imperii plurimis exemplis, quod unicum aliquando definiendi momentum in observantia collocatum, & hæc futuris negotiis norma constituta fuerit: idque ajunt durare ex antiqua Germanorum indole, qui ea, quæ pro Legibus servabant, manu & memoria magis, quam scriptis propagabant.

§. XXXVI.

Observantia hæc minus quidem impugnari potest, si diuturno usu & pluribus nitatur actibus, hos tamen non desiderat, sed unicus subinde actus sufficere potest, si gestus is sit scientibus nec contradicentibus iis, quorum interesse poterat. 1) Observantiæ nomine etiam venit, si hoc vel illud factum non esse constet, quod egregie illustrant Acta Imperii, in quibus sæpe ad id provocatur. 2)

1) Sic rectissime contra plerosque alios sentit Celeb. D. Moser Teutsch. Staats Recht L. I. c. 25. §. 22. sqq.

2) A. 1620. 5. Mart. Herbipoli in Conventu Catholicorum respondebatur: Es seye unförmlich und Unherkommens, dergleichen imperioses und bedrohliches Gesinnen, oder vielmehr mandiren an sie zu thun. 1676. Dux Würtemberg. Fridericus Carolus contra Landgravium Hasso-Darmstatt. simili utebatur argumento. Es sey die tutela & administratio materna in den meisten Fürstlichen Häusern Unherkommens.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Cum igitur olim Electores Trevirensis, Coloniensis & Saxonicus non tantum nunquam Directorium exercuerint, sed Capitulo Moguntino illud permiserint, commonstrarunt hoc ipso, aut sibi circa Directorium nullum jus fuisse, aut se eo uti non voluisse, & inde nata est observantia, quam nec recentiores ausus, nec protestationes, quæ in comitiis nostris non sine exterorum risu adeo frequentantur, ut tempus sæpe arduis negotiis maturandis debitum aufferant, ulla ratione infringere possunt; postquam enim Capitulum Moguntinum eo jure semel defungi permiserunt, dum saltem contradicere, aut alia quavis ratione idonea sibi prospicere valuerunt, Capitulum jure niti agnoverunt, illiusque Juris exercitium comprobarunt, ut Capitulo, cui ex ista comprobatione jus quæsitum est, invito recedere non possint.

§. XXXVIII.

Aurea Bulla prospexit in casum viduati Imperii per Vicarios: quoad Electoratus sæculares definivit non tantum, ad quem ex familia Electorali successio spectare, sed & quis durante Electoris minore ætate tutoris & administratoris munus agere debeat: circa Electoratum Ecclesiasticum non ordinavit, quis eundem cum juribus annexis extincto Archi-Episcopo administrare debeat: Exploratum enim habuit, Capitulum succedere in exercitium jurium Archi Episcopo competentium, nec administratore aut provisore alio opus esse. Certe si Directorium in Comitiis ab Archi-Cancellarii munere dependens cum persona Archi-Episcopi extingueretur, nec a Capitulo Sede vacante posset exerceri, non esset unius alteriusve Status sua auctoritate se huic officio ingerere, sed provisio petenda esset ab Imperatore, ad quem spectat de vacantibus officiis disponere 1) præprimis ex regula Status quondam Monarchici, secundum quam omnia jura sunt Cæsaris propria, in quorum communionem ordines per Capitulationes, Recessus, aliasque Constitutiones Imperii, quæ se habent per modum exceptionis, non expresse concesserunt. 2) Quænam autem circa exercitium Directorii Sede Moguntina vacante mens sit Cæsareæ Majestatis, per Commissarium ejus in Comitiis sufficienter qua verbis, qua factis declaratum est, dum omnes ausus contra Capitulum Moguntinum sæpius ab eo vi specialis Mandati improbati, & Decreta Cæsarea ordinibus Imperii communicanda Legato Capituli Moguntini constanter fuerunt transmissa.

1) Vid. SCHWEDER Introd. in Jus Publ. P. sp. S. 1. c. 8. §. 1.

2) Ita non tantum sentiunt plures JCti: vid. D. MOSER Staats-Recht Lib. 1. c. 40. Sed etiam mens Statuum multorum non obscure eo collimat: Quando tempore Capitulationis Leopoldinæ varia machinabantur Galli ad restringendam

gendam potestatem Cæsaream, cum Electore Moguntino Joanne Philippo nunquam intermorituri nominis Principe Legatus Saxonicus Baro de Friesen sic sensit: Es gebühre sich nicht, dem Ober-Haupt des Reichs so enge Schrancken zu setzen, sondern man müsse ihm die zukommende Auctorität lassen, damit es nicht das Ansehen hätte, als ob die Churfürsten durch allzugrosse Hemmung der Kayserlichen Macht und Vollkommenheit die Sicherheit der Reichs Freyheit auf eine recht spöttliche Art, die ihnen selbst und dem gantzen Reichs-Staat nachtheilig seyn würde, zu kräncken sucheten, etc. 1741. Urgebat Legatus Saxonicus, ut Capitulationi insereretur regula illi, qua utor, contraria: Keiner mehrern Macht als die Reichs-Gesätze und diese unsere Capitulation uns überlassen, geben und einraumen, uns gebrauchen. Sed conclusum per Majora: Es wäre bey dem Innhalt voriger Capitulation zu belassen.

§. XXXIX.

Archi-Cancellariatum per Germaniam non nudum titulum, aut officii effigiem esse, nec uno actu absolvi, sed per plurimas functiones in Imperio diffundi, res est notissima. Si jam per mortem Electoris Moguntini omnes istæ functiones, & ab his pendentia jura deberent mutari, & vix notitia mutationis Imperio communicata succedente post Electionem novo Archi-Cancellario in priorem redire formam, atque intra breve tempus forsan subsequente obitu Archi-Cancellarii rursus mutari, & paulo post restitui, necesse foret, per istas vicissitudines tam frequentes, & inde manantes ambages non retardari tantum, sed & implicari negotia Imperii. Cum vero ratio boni publici hæc respuat, nec simile quid legibus Imperii cautum deprehendatur, non credo aliquem a partium studio alienum formulas has *interimisticas* admissurum. Eum qui forsan persuasus esse vult, ad evitanda hæc incommoda non totum Archi-Cancellarii munus, sed hanc saltem partem quæ Directorii nomine venit, alterari, oppugnant plura argumenta per decursum jam satis exposita.

§. XL.

Ex iis, quæ ad Capituli Moguntini jus circa Directorium in Comitiis stabiliendum adducta sunt, facile diluuntur, quæ a BÖHMERO 1) HENNIGES 2) & LUDEWIG 3) contra Capitulum moventur. Non videntur mihi hi ex animi sententia scripsisse, alias a celebrata eorum eruditione graviora, aut saltem magis in rem facientia momenta quam quidem sunt ea, quæ adduxerunt, potuissent exspectari, si tamen fas est exspectare in opinione, quæ his omnino destituta merus est ingenii abortus, quem in lucem emiserunt pseudo-principia supra (§. IX.) delineata. LUDEWIG quo magis imponat rem minus ponderanti negligit ea, quæ ipsi facile suppeditare potuisset vastissima Juris Publici cognitio, qua eundem instructum fuisse novit orbis eruditus, sed ex Jure Canonico depromit aliquod argumentum, quo Capitulum Moguntinum nisi aliis persuadere

dere vult. In hoc consilio maxime callido usus est, sat gnarus minus solidis tueri aliquid, potius facere ad destruendum illud, quam fulciendum. Queis momentis alii Capituli jus velint propugnare, ego quidem non moror: mihi, ad Jus Canonicum hic non esse confugiendum, exploratissimum est: Legislatoribus Juris Canonici non erat propositum aliquid definire circa functiones politicas Imperii officiorum, neque etiam si id ipsis fuisset propositum, nos inde decisionis normam petendam esse crederemus: sunt ergo hæc non ex peregrinis a re præsente plane alienis & in functiones duntaxat Ecclesiasticas directis, sed propriis in hanc rem adductis principiis definienda. Præprimis autem ubi agitur de potestate & juribus Capituli Sede vacante, observantia multum operatur. 4) Cæterum LUDEWIGIUM inanibus pugnantem rationibus & in Capitula imprudenter debachantem optime perstringit AUCTOR deductionis, quæ prodiit occasione vice-Directorii in Comitiis. 5)

1) Juris Eccles. Lib. 3. tit. 9. §. 26. sq.

2) Meditat. ad Instrum. Pac. Specim. 7. pag. 965. sq.

3) Comment ad Auream Bullam. tit. 1. §. 18. lit. h. pag. 177. sq.

4) Vid. D. MOSER Teutsch. Staats Recht Lib. 3. cap. 54. §. 4.

5) Exhibetur a Reichs-Fama P. IV. cap. 51. pag. 678.

§. XLI.

Superest, ut expendam momenta, queis nituntur ii, qui Capituli Jus circa Directorium in dubium vocare, illudque sibi asserere volunt. Ordinis ratio primo ducit ad Electorem Trevirensem, pro quo adfertur.

I. Sessionis prærogativa, vi cujus ad Electorem Trevirensem a Moguntino primum in ordine & voto, hoc efflagitante observantia, vacantis Directorii exercitium dicitur esse transferendum.

II. Unio Electoralis. 1)

III. Ajunt; Electorem Trevirensem a Moguntino 1441. constitutum esse Vice-Cancellarium per Germaniam adeoque non arcendum ab actibus comitialibus. 2)

IV. Literæ Electorales Trevirenses aliquando ad Capitulum Moguntinum datæ utebantur hoc argumento: Capitulum succedit Episcopo solum in iis juribus, quæ Episcopo ut Episcopo jure communi, non aliunde & quidem ex jure seu privilegio speciali concessa sunt, non ergo Capitulum Sede vacante Juris dirigendi & similium capax erit, cum Archi-Episcopo qua tali non competant, sed qua Electori & Imperii Archi-Cancellario jure functionis.

1) De 1521. §. 15. ibi: Wo aber der Fall an uns dem Ertz-Bischoff zu Maynz beschehe, sollen

sollen Wir der Ertz-Bischoff zu Trier seine Lbd. des ermahnen und vollziehen wie obstehet, &c. tenorem totius Unionis exhibet Lunig Reichs-Archiv. P. spec. Cont. I. 2. Abth. p. 244. SCHWEDER Theatr. Prætenf. & controv. Illustr. edit. noviss. Lib. 3. Sect. 53. cap. 1. ROUSSET les Interets presens & les pretensions des Puissances de l'Europe Tom. I. P. II. c. 3. §. 1.

a) ACT. COMIT. PUBL. de 1743. Tom. I. N. XIV. pag. 558.

§. XLII.

Hisce rem non evinci pro Electore Trevirensi, desumi potest ex momentis pro Capitulo Moguntino adductis. Ne quid tamen deesse videatur singula argumenta Trevirensia speciatim adhuc discutiam. Ratione I. si ad antiquiora tempora revertamur, deprehendimus præcipuam Electoris Moguntini auctoritatem in negotiis Imperii sat certam, quoad cæteros Status nullam ordinis & Sessionis prærogativam determinatam, aut stabilitam fuisse, * igitur tum temporis Elector Trevirensis ob ordinis rationem nil ex juribus Moguntini ejus Sede vacante sibi vindicare potuit. Ex quo Archi Cancellariatus per Germaniam Electoratui Moguntino annexus est, & consuetudo invaluit, per quam Capitula Sede vacante politica jura Episcoporum exercent mortuo Electore Directorium in Comitiis tam parum vacat, quam locus Moguntini in Comitiis aut Collegio Electorali, sed illud, sicut votum & sessio, superioritas & omnia regalia, a Capitulo exercetur, nisi ostendatur idoneis argumentis, non quidem Moguntini locum in Comitiis, sed saltem Directorium vacare, si etiam ordinis ratio hic foret attendenda, ceu gratis hoc supponitur, ea saltem Electori Trevirensi intuitu cæterorum Electorum, eum sequentium suffragaretur, non intuitu Capituli Moguntini, utpote quod loco Electoris non movetur, sed eundem servat ante Trevirensem.

*) Vid. LUDEWIG in Comment. ad A. B. tit. 27. §. 7. pag. 818. sq.

§. XLIII.

Per II. momentum Trevirense nil evincitur circa Directorium, cum in citato loco unionis nulla de Directorio occurrat mentio, sed saltem disponatur: quemvis novum Electorem invitandum esse, ut accedat Unioni Electorali novum autem Electorem Moguntinum intrantem Collegium Electorale ad Unionem a Trevirensi invitandum esse. Si etiam aliquid ratione Directorii definiretur ibidem, id vim juris non haberet, cum enim Directorium tum ordinarium, tum *interimisticum* sit functio Imperii, a collatione Majestatis Cæsareæ dependens, penes solum Collegium Electorale de eo transigendi jus esse non potest.

§. XLIV.

III. Etiam non facit ad Directorium Electori Trevirensi asserendum. Nunquam non ex arbitrio Electoris Moguntini constituebantur Vice-Cancellarii: nec tantum 1441, sed & olim Archi-Episcopo Trevirensi, ut aliis quoque Episcopis & Archi-Episcopis a Moguntino hoc munus deferebatur, * quin tamen ei propositum fuerit, Trevirensi, aut alteri Episcopo vel Archi-Episcopo perpetuum aliquod jus ad Archi-Cancellariatum obeundum consignare. Sicuti etiam privata sua conventione eum alteri sic adjicere non posset, si maxime vellet; erat ergo ad Electoris Trevirensis tum viventis personam restrictum munus Vice-Cancellarii. Certe, si Elector Trevirensis, quod ejus assertum est, jure suo post obitum Moguntini Directorio defungeretur, verisimile non est, eum id a Moguntino suscepturum fuisse, nec ad concessionem de 1441. eo nomine provocare necessum foret.

* Exempla occurrunt apud MALLINCKROT Tr. de Cancell. & Vice-Cancell. & Illustr. BOEHMER. erudita Diss. de Episcopo Vice-Cancell. Imperii.

§. XLV.

Quia jam supra abunde demonstratum est, in controversia Directorii subsidia ex Jure canonico petenda non esse, nec ratione istius inter eos, qui de vero usu Juris canonici norunt judicare, dissentientem reperiemus, facillime ab his, aliorum enim judicium non exspecto, æstimari potest, quam exigua vis insit IV. argumento Trevirensi. Siquid evinceret, nec superioritas territorialis, nec Regalia, aliaque Jura politica a Capitulo Sede vacante exerceri possent, cum hæc quoque non Archi-Episcopo qua Archi-Episcopo sed qua Electori competant. Hisce satisfactum etiam est Electori Coloniensi, quia is non peculiaribus rationibus Directorium sibi asserit, sed eum Trevirensi alternationis jure in A. B. & transactione de 1653. fundato nititur.

§. XLVI.

Elector Saxoniæ pro Directorio sibi vindicando provocat I. ad varios actus Directorii scilicet 1640. in Conventu Electorali, 1641. in Comitiis, & 1647. Osnabrugæ in Tractatibus Pacis Westphalicæ exercitos. II. ad transactionem ann. 1529. & 1562. 1) III. Sede Moguntina vacante Directorium sibi tanquam Archi-Mareschallo deberi adstruit. 2)

1) Utramque sistit LUNIG Reichs-Archiv. P. spe. unter Chur-Maynz pag. 395. sq. prior habet: Bey allgemeinen Versammlungen derer Reichs-Stände solle Chur-Sachsen die Umbfrag haben, im Churfürsten-Rath Chur Maynz, und bey Reichs-Deputationen den einen Tag Maynz, den andern Sachsen. Altera: Daß auff Reichs- und Wahl-Tägen Chur-Maynz die Ansag-Zettel Chur-Sachsen,

da

da dieser persönlich zugegen, zu schicken, und daß dieses alsdann die Ansag thun sollte.

z). Vid. ZWANZIG. Theatr. Præced. P. 2.

ROUSSET. les Interets presens & les pretensions des Puissances de l'Europe. Tom. I. P. II. chap. 6. §. 2.

GRIBNER Posit. Jur. publ. de Director. quod Archi-Cancell. Germ. mortuo, absente vel impedito Imper. Archi-Mareschal. competit.

ZSCHACKWIZ Anspruchs-Rechte Tom. I. P. 2. I. Abth. Num. VII. Des Hauß Sachsen Anspruch auff das Directorium auff Reichs-Tägen.

§. XLVII.

In actibus de annis 1640. & 1641, ad quos etiam 13. Julii 1675. Legatus Saxonicus in Comitiis magna fiducia provocabat, contendens eos exercitos fuisse, quod nomine Electoris Moguntini nemo comparuerit, jam tum Legatus Moguntinus fidem desideravit. Postquam vero contra inania illa asserta ostenderat, vix antehac splendidiorem Legationem Moguntinam ulli conventui interfuisse, eamque & in dicto conventu tum Electorali tum universali mox ab initio ad finem usque substitisse & Directorium exercuisse, idipsum quoque eadem sessione Legatus Coloniensis testatus fuerat, Saxonicus ratione deprædicatorum actuum obmutuit, nec ad eos porro provocare ausus est. Unde elucescit, qua ratione aliqui subin Principibus suis, sibi & toti Publico imponere non erubescant, ut fucum faciant iis, quæ non jure faciunt, & apud posteros saltem rerum gestarum non æque gnaros fidem extorqueant, aut jura aliena apud eos dubiis subjiciant. Quod consecuti videntur Legati Saxonici apud eos, qui rei fata ignorant, & tamen putatitios actus dictorum annorum audacter in argumenta trahunt.

§. XLVIII.

Quod Osnabrugæ 1647. Sede Moguntina vacante actum, non tangebat Directorium, in quo præsens occupatur Dissertatio; nam Illustr. D. de MEJERN, qui admodum sollicite collegit, quæ Protestantes concernunt, nullam istius Directorii a Legatis Saxonicis peracti mentionem facit, sed saltem exponit, quæ ratione Directorii sic dicti Corporis Evangelici movebantur. Inter alia ab eo hanc in rem consignata vota Marchionum Brandenburgicorum & Landgravii Hasso-Darmstattini satis testantur, duntaxat Directorium corporis Evangelici ventilatum esse. Amplius hoc manifestum evadit ex eo, quod Legatus Capituli Sede Moguntina vacante Monasterii citra ullius contradictionem Directorium exercuerit, eo autem in corpore Evangelico Osnabrugæ congregato Legatus Altenburgicus fuerit defunctus, Sede Moguntina etiam non vacante.

* Vota apud D. de Meyern *Act. Pac. Westphal. Publ.* Tom. IV. Lib. 31. §. 17. sic habent: Brandenburg Culmbach und Onolzbach: wann von Altenburg nomine Directorii allen Catholischen und Evangelischen Ständen ad Dictaturam wäre denuntiiret worden, so möchten die limites zu weit transilirt worden seyn, weilen es aber allein gegen die Evangelische zur Nachrichtung & notitiam beschehen, sehe ich nicht, was darin peccirt worden, ꝛc.

Hessen-Darmstatt: Moguntinus habe nicht Macht, den Evangelischen vorzuschreiben, Dictatura Evangelica habe kein vim Actorum Imperialium, so in das Reichs-Archiv gehörig, zu welchem Ende diese Dictatura nicht angesehen, also Chur-Maynz sich keines neuerlichen Eingriffs zu beschwären. Add. Struv. Einleitung zur Reichs-Histori P. 2. X. Abs. §. 322.

§. XLIX.

Porro nullum Electori Saxoniæ præsidium est in transactione anni 1529; agit enim duntaxat de evocatione & exquisitione votorum (von der Umfrag) uti ipsius transactionis initium * satis prodit. Exquisitio Votorum sæpius quidem Directorio cohæret, interim tamen etiam ab eo separari potest, ut contingit in Collegio Principum, ubi Archi Episcopus Salisburgensis & Archi-Dux Austriæ defunguntur Directorio, peragente exquisitionem Votorum Vice-Mareschallo. Manifestum igitur est, quod ex hac transactione, licet tota quanta suffragaretur Electori Saxoniæ, neutiquam ad Directorium concludi possit, & hoc amplius manifestum evadit per membrum primum hujus transactionis, ubi Electori Saxoniæ in Conventu totius Imperii etiam præsente Electore Moguntino, aut ejus Legato exquisitio votorum relinquitur. Uti vero ipse Elector Saxoniæ, si præsens est Elector Moguntinus, aut ejus Legatus, nec asserit sibi Directorium, nec asserere potest, ita etiam Sede vacante ab exquisitione votorum Directorium argui non potest, cum vi transactionis exquisitio non sit actus Directorialis.

* Ibi: Der Umfrag halber in gemeiner Reichs-Versammlung etwas mißhellige Meynung und Spän entstanden.

§. L.

Alterum membrum transactionis concernit Exquisitionem votorum in Collegio Electorali, nec præsentem controversiam tangit. In tertio membro, cui Elector Saxoniæ potissimum innititur, is in Deputationibus Imperii per alternationem, nemine autem Electoris Moguntini nomine comparente solus habet exquisitionem votorum, sed hic primo sermo tantum est de deputationibus Imperii aut Statuum, non de Conventu totius Imperii & sic vel ex hoc capite laudata transactio huc cogi non potest, nec ultra expressa & mentem paciscentium extendi. 2do agitur etiam hic, ut jam dictum est, solummodo de exquisitione votorum, non de Directorio, quæ omnino diversa esse patet ex præcedenti-

bus

bus. Inde, si Electori Saxoniæ etiam Sede vacante tribueretur in Comitiis Universalibus exquisitio votorum, nihil tamen evinceretur intuitu Directorii. 3tio Elector Saxoniæ vi hujus transactionis nequidem exquisitionem votorum Sede vacante sibi vindicare potest; quis enim adstruet neminem Archi-Episcopi Moguntini nomine adesse, si Legatus Moguntinus fide Legationis suæ facta ad Collegium Electorale admissus ibidem in loco & ordine Electori competente Votum & sessionem exercet?

§. LI.

Si ais hunc Legatum non Archi-Episcopi, sed Capituli nomine adesse: oportet scire Capitulum qua tale non habere Votum & Sessionem in Collegio Electorali, & statim Electione novi Archi-Episcopi peracta ipsius Votum & Sessionem cessare. Necesse ergo est, hunc Legatum nomine ipsius Archi Episcopi, quem Sede vacante Capitulum, uti in aliis, ita hic quoque repræsentat, adesse. Et sic nec eatenus aliquid ex hac transactione ad causam Saxonicam propugnandam deduci potest. 1.) Satis ut opinor, hæc ostendunt verum sensum transactionis, quam plerique nunquam visam adeo crepant, & in sensum alienum detorquent. Alia adhuc ratione istius transactionis moneri possent, veluti quod nunquam urgentibus licet Moguntinis Legatis, originale comparuerit, ad observantiam & verum exercitium nunquam perducta fuerit. 2) Capitulum, contra quod allegatur, ei non interfuerit, aut subscripserit, nec ratione illius, quod transactio decidere creditur, litem unquam habuerit. Archi-Episcopus sine consensu Capituli transigere non possit. Hæc & plura similia, ne nimium in hac parte excurram, nunc missa facio.

1) Reichs Fama. P. IV. Cap. 51. pag. 705. sqq.

2) Vid. Zwanzig. Theatr. præced. P. 2.

§. LII.

Æque parum pro Electore Saxoniæ adduci potest transactio Anni 1562. Illa disponit: quod Electori Saxoniæ, si ipse præsens est, a Moguntino transmitti debeat scheda Indictionis (Ansag-Zettel) Vice-Mareschallo communicanda. In tota transactione nec de Directorio ordinario nec interimistico ullo apice quidquam consignatum est, sed in hoc, an Elector Moguntinus Vice-Mareschallatui immediate, præterito Archi-Mareschallo, aliquid in officialibus scilicet indictionem (die Reichs-Raths Ansag) injungere possit? decori gratia placuit, quod ex transactione modo adduxi. Quomodo autem inde Vice-Directorium Imperii argui, aut ad illud concludi possit, nemo assequetur.

§. LIII.

Cum in ultimo argumento pro Electore Saxoniæ allato non appareat, cur illi tanquam Archi-Mareschallo Vice-Directorium debeat competere, ZSCHACKWIZ loco supra ad §. XLVI. citato huic rei lucem affundere conatur, & refert, Germanos quondam numerosissimos comparuisse in Comitiis, ut subinde multa millia adfuerint. Hanc multitudinem in separatos cœtus & classes ope Mareschalli redactam, ordinis ibidem conservandi curam ab eo susceptam, vota quoque, ut putat LUDEWIG*) explorata & collecta fuisse: ideoque verisimile esse, olim Archi-Mareschallum cum Archi-Cancellario in Conventu Imperii & Electionibus Directorium exercuisse. Si hæc narratio, cujus fidem penes Auctores suos relinquo, admittatur, ad Directorium tamen ex ea concludi non potest. Illa saltem arguit, Mareschallum Directorii in Comitiis ministerium præbuisse, suas functiones, ut hujus rei vestigia adhuc supersunt, ex illius mandato ibidem peregisse, & curam habuisse externorum. Quod autem hæc omnia cum dirigendis negotiis, nihil olim habuerint commune, ostendit officiorum ratio in præcedentibus sufficienter exposita. Hodie etiam ea inter se connexa non esse, exemplo Vice-Mareschalli in Collegio Principum evidentissime constat.

* Comment. ad A. B. tit. 27. §. 7. pag. 818.

§. LIV.

Antequam Dissertationi meæ finem imponam, paucis excutienda opinio LUDEWIGII circa Directorium Sede vacante, in præcedentibus relata. Tuetur is * Directorium quondam fuisse penes Electorem Palatinum, & propterea ad eundem Sede Moguntina vacante illud debere interim redire. Sed merito eorum, quæ hanc in rem a LUDEW. loco citato adferuntur, fidem adhuc exspectamus. Si autem omnium ibidem traditorum veritas sibi constaret, & indubie quondam Directorium exercuisset Elector Palatinus, dudum tamen hoc jus extinctum esset, cum per tot sæcula toties oblata occasione Directorium & ordinarium, & *interimisticum* ab aliis exerceri spectaverit, quin per protestationem, in Imperio etiam ad umbras jurium conservandas adeo frequentari solitam aliudve medium, quod decursus tanti temporis potuisset suppeditare, sibi prospiceret.

* ad A. B. tit. 1. §. 18. lit. f. g. & h.

Animad-



Animadversiones Editoris.

Ad §. X. Quod hic Autor inquit de Directoriis Comitiorum intuitu Religionis, id constat etiam a Protestantibus ad Circulos ita dictos mixtos extendi: ita quemvis in Franconico jam anno 1559. celebri transactione verbis sat apertis Directorium soli Episcopo Bambergensi fuerit relictum, de quo instrumentum vide apud HAMMER *Diss. de Jure Directorii in Circulo Franconico Sede Bambergensi vacante Ecclesiae Imperialis Bambergensis Capitulo indubie competente* Bamb. 1746. et MOSER *Tract.* von der teutschen Crays-Verfassung *1773. Cap. 6. p. 191.* nihilominus anno 1750. 8. Aug. Marchiones Brandenburgici apud Corpus ita dictum Evangelicum institerunt, ut eisdem pro obtinendo Condirectorio Protestantico assisteretur. Plures adhuc controversiae exortae sunt in Circulo Rhenano superiori cum extincta anno 1685. linea Electorali Protestantica Simmerana successio in Electoratu Palatino et Ducatu Simmerensi ad domum Neoburgicam devolveretur: tum equidem cum Wormatiensi quoad anteriores de jure convocandi et dirigendi lites transactum fuit, Protestantes autem non una vice praetenderunt, unum ex Directoribus eorundem Religionis in Circulo hoc mixto esse debere, praecipue cum et possessio anni normalis ipsis suffragaretur: uberius hac in re acta videri possunt apud MOSER *l. cit. a p. 198. seqq.* Immo id etiam aliquando in controversiam vocatum fuit, an si unius in Circulo quodam mere Protestantico sit Director, atque is Religionem mutavit, uti in domo Saxonica contigit, Directorium penes eundem persistere queat. Equidem jure suo quaesito ratione muneris tam illustris quenquam ob Religionem spoliari posse, ut aut eo plane excidat, aut quod solus obtinuit, pro diversa hac in re Circulorum observantia, Collegam nunc admittere debeat, Catholici recte negant, cum id ex nullo Legum Imperii textu Protestantes probare poterunt, immo vero hae potius sat aperte contrarium statuant, dum negant quenquam atque adeo privatum ob Religionem juribus suis spoliandum esse: neque anni normalis possessio rite huc trahi poterit, tum quod in ipsa pace, cujus tamen jam tempore Directorium subinde solum Catholicum uti in Franconico obtinuit, anni hujus status ad quenquam excelso hoc munere ob Religionem spoliandum, aut in eo restringendum extensus nuspiam fuerit, tum quod et alias minime gentium annus iste ad politica, ad quae hoc dirigendi Circulum munus spectat, sit dilatandus. Si praejudicium nihilominus Religionis suae obmovent Protestantes, sane id omne jam satis aversum est, tum *Art. 5. §. 51. P. W.* tum Capit. Caes. *Art. 18. §. 5.* ubi in Commissariis pro executione inter diversae Religionis consortes facienda decernendis ejusdem paritas obser-

observari jubetur. Conf. SUNDERMAHLER *de clausula* samt und sonders *in commissione Executionis circa causas Religionem et diversae Religionis asseclas concernentis, in ejus opusculis n. IV.*

Ad §. XXII. In casu recentiori defuncto anno 1763. Eminentissimo Moguntino haec breviter acta sunt. Cum Legatus Moguntinus legitimationem suam, uti hic inquiunt, Commissario Principali Caesareo exhibere soleat, quam iis dein Comitiis rite peractam fuisse declarat; sub idem tempus autem abesset: id quidem circa literas novas a Capitulo Moguntino obtentas fieri tum non potuit, quare nequid inde praejudicii Capitulo existeret, Legatus reservatione jurium ipsi competentium speciali, prospexit. Idem vero etiam Eminentissimus Trevirensis quoad jura Sedi suae annexa praestitit datis tum ad Caesarem tum ad Commissarium Caesareum principalem literis, tum peculiari instructione Secretario Legationis, quoniam Legatus Trevirensis peculiaris tum Ratisbonae non degebat, voto Trevirensi per Legatum ipsum Moguntinum dari solito, in hac caussa transmissa. Sede Moguntina etiam per electionem novam capite donata, nihilominus die 5. Aug. 1763. nova reservatione per Eminentissimum Moguntinum denuo Actis inserta juribus Illustrissimi Capituli iterato prospectum fuit. Conf. Neue Staats-Canzley *Tom. 12. Cap. 6.* MOSER neuestes Reichs-Staats Handbuch *Part. 1. 1768. Lib. 1. Cap. 5. §. 2.*

Ad §. XXXIV. Quod hic Autor inquit de jure Capitulorum, si Episcopus est director cujusdam Circuli, etiam tempore Sedis vacantis directorium prosequendi, non est usquequaque extra controversiam, uti videre est apud MOSER *Tract. cit. a p. 224. seqq.* Anno 1745. dum jus suum Capitulum Bambergense hac ratione persequeretur in Circulo Franconico, protestati sunt contra ejus acta Marchiones Brandeburgici in Franconia, quod idem factum anno 1753. Ab aula Caesarea pro Capitulo rescriptum fuisse patet aus dem Crays-abschied 21. Dec. 1748. §. 98. his verbis: Kayserl. Maj. haben auf allerunterthänigste Anruf- und Beschwerführung von hochgedachtem Dom-Capitul das obristrichterliche Manutenenz-Rescript an die Crays-Versammlung mit dem allergnädigsten Versehen ergehen lassen, daß man auf Ansagen des Capituls bey denen Sessionen erscheinen, die propositionen desselben anhören, und mit einem Wort, was in das Directorial-Amt einschlage, und ihme gebühre, ohne alle Beeinträchtigung ruhig, und in seiner Ordnung ausüben lassen werde ꝛc. Id potissimum urget HAMMER in Diss. cit. quod in citata jam transactione dicatur, das Directorium solle .... ungehindert, und unangefochten NB. dem Stifft, und jederzeit regierenden Bischoffen zu Bamberg bleiben, adeoque sit reale et territorio inhaerens. Capitulo Constantiensi favet, quod habetur in Recessu Circuli Suevici $\frac{20}{30}$ Jan. 1645: als haben solchemnach weyl. der hochwürdige Fürst und Herr, Johann Bischoff zu Constanz .... und nach

Ihrer

Ihrer Fürstl. Gnaden zeitlichen Hintritt an deren statt das Hochwürdige Dhum-Capitel des hohen Stiffts Costanz, sodann der Durchleuchtige Hochgebohrne Herr Herr Eberhard Herzog zu Würtemberg .... als ausschreibende Fürsten dises löbl. Crayses ... einen Craystag ausgeschriben. Capitulum Salisburgense esse in possessione Directorii excelsi Collegii Principum recens quoque uberius ostendit HOFFMANN *Diss. de Capitulo Salisburgensi Sede vacante Collegium principum dirigente Tübingae. 1772.* Analogiam tamen contendit eidem non favere, sed ex iisdem argumentis, quae Autor jam adducit et dissolvit.



VIII.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER J. U. D.
SS. Can. in Univ. Trev. Prof. P. O. &c.

DISSERTATIO CANONICA
Ad Cap. 4. de offic. Archipresbyt.
DE

PLEBIUM ARCHIPRESBYTERIS IN COMMUNI.

Treviris 1771.

I. N. D. N. J. C.

Ad Cap. quartum de Offic. Archipresbyteri.

De Decanis plebium generatim.

I.

Ait cap. 4. de offic. Archipresbyt. *Ut singulæ plebes Archipresbyterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam; qui non solum imperiti vulgi curam gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, & qua unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo suo renuncient. Nec contendat Episcopus, non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; quia etsi valde idoneus sit, decet tamen, ut sua onera partiatur, & sicut ipse MATRICI ecclesiæ praeest, ita Archipresbyteri præsint PLEBIBUS; ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo: cuncta tamen referant ad Episcopum; nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.* *

* Unde est præsens textus? MSta Compilatio 1. *cap. ult. de offic. archipresb.* caret inscriptione: ex tribus Codicibus MSs. Decretalium Gregorii IX., quos tenet biblio-

bibliotheca S. Simeonis, unus habet simpliciter: *Ex synodo Ravennæ habita*, reliqui duo, quorum alter anno 1290. absolutus fuit a librario Thoma Normanno, addunt: *idem*, nempe *Leo papa*, *in Synodo Ravennæ* &c. Et putant interpretes *Leonem* IV., qui sedit ab an. 847. ad an. 855. Sed, cum sub hoc Leone non fuerit habitum *Ravennæ* Concilium, alii cum C. Baronio, & Gonzalez corrigunt inscriptionem, & substituunt Joannem IX., a quo anno 904., præsente anti-Imperatore *Lamberto*, celebratum sit Ravennate Concilium; cum tamen *Lambertus* æmulus, vivo adhuc Imperatore *Arnulpho*, jam prius, anno nempe 898., occisus esset. Extant hujus Concilii acta apud *Harduin.* Tom. VI. part. 1. col. 491.; sed nihil ibi de nostro canone: attamen col. 490. reperitur *Concilium Anonymum* incerti anni, cujus canon 12., sive ultimus, refert nostrum cap. 4., ita, ut iste ejusdem videatur fuisse *fons proximus*, ex quo *Bernardus Papiensis* suæ compilationis, quam supra diximus esse primam post Decretum Gratiani, verba accepit. *Remotior* autem & *primus fons* est Concilium *Ticinense*, sive Papiense, habitum anno 850. sub HLothario, & Hludovico AA., præsidentibus Angelberto Archiepisc. Mediolanensi, Theodemanno, Aquilejensi Patriarcha, & Josepho Episcopo, totius Ecclesiæ Archicapellano, in quo de rebus spiritualibus 25. canones lati sunt, quorum 13tius est præsens textus; unde Corpus Juris *Pithœorum* fratrum rectissime inscripsit nostrum cap. 4., corrigendo vulgarem inscriptionem, sic: *imo Ticinensi an.* 850. *in Insubria.*

II.

Lectura variat, tam in MStis, quam impressis Juris Corporibus, tum inter se, tum cum *Ticinensi* Concilio comparatis. *

* Præteritis levioris momenti varietatibus, veluti transpositione alicujus verbi, aut quod exemplaria nonnulla habeant: *matrici Ecclesiæ*, alia solum: *matrici*, cum primo fonte; video, quod primus fons, nempe *Ticinensis* canon, sic exordiatur: *propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus Archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi* &c. Econtra, tum prædictum concilium Anonymum, tum exemplaria Decretalium, sic inchoare: *Ut singulæ plebes Archipresbyterum habeant, propter assiduam* &c.; id quod sane est irreptio inscriptionis, quam canon originarius, more collectionibus consueto, habuit, in ipsum textum. Compilatio prima irreptionem hanc retinuit, & nihilominus quoque post eam verba: *propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus Archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi* &c. Secuti sunt, *Gonzaletz*, & *Pithoei*, recta quidem grammaticæ ratione, ne vitium sermonis succedat in verbis pluralis numeri: *gerant*, *custodiant*, *renuncient.* Sed exemplaria *Raymundi* compilatoris, MSta, & impressa, metu tautologiæ, ut reor, resecarunt verba: *singulis plebibus Archipresbyteros præesse volumus.*

III.

Quid autem sunt *plebes*, quibus singulis Archipresbyterum, supra pres-

 byte-

byteros *minorum titulorum*, præesse vult canon? Fuerunt *ecclesiæ baptismales*, * ita, ut non quilibet parochus de minoribus parœciis munus Archipresbyteri, *quasi ambulatorium*, habere potuerit, sed ille solus, qui rector erat *ecclesiæ* per regiunculam *majoris*.

* *Panormitanus*, celebris Sæc. XV. Canonista, in hoc cap. putat, hic agi de Ecclesia *plebanali*, sive *plebania*, quæ debet habere sub se titulos particulares, & presbyteros, ita, *ut quilibet Plebanus sit Archipresbyter.* Veruntamen, nullibi *plebanus* honoratur in jure nostro titulo *Archipresbyteri*, & unusquisque parochus, cujus parœcialis ecclesia est *plebania* (i. e. habens sub se capellas, in quibus instituuntur clerici perpetui, nequeuntes ab ipsis absque causa rationabili amoveri, ut explicat Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. *ne cleric. vel monach. in* 6.) est *plebanus*, quin sit *Archipresbyter;* nec opus erat hic modo ordinare, ut constitueretur aliquis supra presbyteros capellarum, intra fines alicujus parochiæ sitarum, cum illi jam habuerint suos plebanos, sive rectores parochialium ejusmodi ecclesiarum. Rectius *Thomassinus* in Discipl. V. & N. E. part. 1. lib. 2. cap. 5. num. 8. & cap. 6. num. 2. in fin. tradit, illas ecclesias dictas esse *plebes*, quæ erant *baptismales*, i. e. in quibus baptismus celebrabatur eorum omnium, qui in toto Decanatu illo nati erant, parvulorum: igitur c. 4. voluit, ut singulæ plebes, i. e. *baptismales parochiæ*, deinceps non haberent amplius *simplicem*, sed *Archi-Presbyterum*, qui non solum vulgi sui curam gerat, sed etiam *aliorum presbyterorum*, qui habitant *in titulis*, ecclesia baptismali *minoribus:* nempe non omnis ecclesia *parochialis* antiquitus erat *baptismalis*, sed in qualibet regiuncula una cœteris eminebat sacri fontis honore, quam aliæ vicinæ omnes pro baptismate accedere debebant; cujus moris unum retinuit exemplum Archidiœcesis Trevirensis in parochiali oppidi Beroniscastellani ad Mosellam novem leucas infra Treviros, in qua hodienum baptizare debent parochi de villanis ecclesiis Grach, Longcamp, & Montzelfeld. Hanc nomenclaturam probat *C. du Fresne* verbo: PLEBES variis documentis, nominatim ex charta Angilrami Archiep. Vienn.: *Ecclesiæ baptismales*, QUAS PLEBES APPELLANT, *&* ex Epist. *Joannis Gualberti* Abbatis Vallis umbrosæ, qui obiit an. 1073., *dum autem parochias per ecclesias baptismales*, QUAS PLEBES VOCANT, *Episcopus circuit:* nec oblitus est nostræ Synodi anonymæ, ex qua est *cap.* 4. Hi igitur majores ecclesiarum ruralium curones erant Archipresbyteri, ex prærogativa tituli, quem tenebant: postea, cum unaquæque parochialis ecclesia proprium accepisset baptisterium, capax quoque evasit accipiendi Archipresbyteri plebium. Illud credibile est solum remansisse primævis ecclesiis archipresbyteralibus, ut ab iis adhuc denominentur capitula ruralia, & in iisdem celebrentur Synodi Decanales, quamvis Decanus sit alterius parochialis ecclesiæ rector.

IV.

Ne vero plebibus quicunque, forsan per jus patronatus, præficerentur Archipresbyteri, provisum est per can. 20. dist. 63., *ut, si in plebibus Archipresbyteri obierint, aut ex aliquo reatu exinde ejecti fuerint, Archidiaconus quante-*

cius

cius proficiſcatur illuc, & cum clericis & populis (alii textus rectius habent: *presbyteris*) *ipſius plebis electionem faciant*, quatenus dignus paſtor domus Dei conſtituatur. *

* Hic canon inſcribitur *S. Iſidoro Hiſpalenſi*, ejusdemque duobus libellis *de divinis officiis*. Sed abeſt his, obſervante *Berardo* in Gratian. *part*. 3. *pag*. 483. Videtur igitur conflatus eſſe ex uſu temporum, Sæc. VIII. poſteriorum. Et ſane ab immemoriali tempore ſervatur in Archidiœceſi Trevirenſi, ut electio Archipresbyteri plebium fiat a parochis coram Archidiacono, ſeu illius Commiſſario; quanquam Archipresbyteri non fuerint amplius certæ cuidam Eccleſiæ incardinati, quæ ſola præ vicinia ruris erat baptismalis, ſed quilibet Rector alicujus parochiæ, utpote quæ, ut dixi paſſim factæ ſunt baptismales, eligi poſſit.

V.

Per Franciam una *regiuncula Archipresbyteralis* ſub Karolo Calvo, & prius, quinque milliaria, i. e. 5000. paſſus, ſive 2½ leucas, continuit ambitu ſuo. *

* Capitulare Toloſanum dicti Karoli de an. 844., quod, cum cap. 2. regulaſſet *cathedraticum* Epiſcopi, cap. 3. ordinat, queis in locis hoc eſſet perſolvendum. *Ut presbyteri, qui prope civitatem* QUINQUE MILLIARIA *commanent, per famulos ſuos prædictam diſpenſam reddi in civitate, cui juſſerit civitatis Epiſcopus, faciant.* Qui autem *longius ab urbe* commanent, ſtatuant Epiſcopi *loca convenientia per decanias, ſicut conſtituti ſunt Archipresbyteri*, quo ſimiliter & *eadem propinquitate*, cœteri presbyteri per famulos ſuos debitam diſpenſam *Archipresbyteris*, aut Epiſcoporum miniſtris, convehant, nempe, ut taxat præcedens capitulare 2., unum modium vini, & friskingam, ſex valentem denarios, aut ſex pro ea denarios, pro quibus naturalibus omnibus poterant petere Epiſcopi duos ſolidos in denariis, qui facerent hodie unum uncialem Galliæ. Ex hoc Capitulari obſerva, jam ante Concilium *Ticinenſe* Diœceſes Franciæ fuiſſe diſtributas in *Decanias*, ſive Decanatus, quos vocant *Chriſtianitates*, conſtitutis ſuper easdem *Archipresbyteris*, ita adhuc hodie multis in locis, nominatim in Diœceſibus, Metenſi, Tullenſi, & Verdunenſi, hoc nomine vocatis, cum in pluribus aliis pridem vocentur *Decani*, olim vero ſic nuncupatæ *Decaniæ* dicuntur nunc *Capitula ruralia*, Land⸗Capitlen.

VI.

Regino noſter *Prumienſis* in libellis duobus de eccleſiaſticis diſciplinis, quos juſſu *Radbodi* Trevir. Archiep. conſcripſit, quosdam collegit canones, qui cum *rem ipſam*, tum vero & *nomina Archipresbyteri* & *Decani*, loquuntur, in Archidiœceſi Trevirenſi jam vigentia ſæculo IX. & X. ineunte. *

* Sic *Lib*. 1. *can*. 17. habet Capitulare *Karoli* junioris, ſive *Calvi*, in Concilio Meldenſi de an. 845. *In vicis autem & villulis, longe a civitate remotis conſtituat unusquisque Epiſcopus* reverendos, & cautos, atque omni prudentia morum temperatos presbyteros, *qui ſua vice ſuperius ſtatuta modeſte perficiant,*

ciant, & ad quos alii presbyteri juniores, & minus cauti suam causam referant. Can. 52 meminit ecclesias *baptismales* ex Capitulari Karoli M. ad Saltz. Can. 215. colligit capitulum 14. Hincmari Remensis. *Quando autem convenerint Presbyteri ad convivium*, Decanus, *aut aliquis Prior illorum, versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat.* Can. 291. ait, quod in capite quadragesimæ, ubi repræsentantur Episcopo pœnitentes, adesse debeant *Decani, id est, Archipresbyteri paræciarum, cum testibus, id est presbyteris pœnitentium.* Canonem hunc Reginonis *Gratianus*, fontium nullatenus curiosus scrutator, *can.* 64. *dist.* 50. tribuit Concilio *Agathensi*, an. 506. in Gallia celebrato; quod si ita esset, sane Decanorum ruris plurima ostenderetur antiquitas. Sed canones venerandi hujus Concilii nationalis textum allegatum non habent, non tantum non illi 47. originarii, qui soli extant in antiquissimis exemplaribus, sed ne quidem illi, qui a num. 48. usque ad 70. leguntur, & huic Agathensi ex aliis posterioribus Conciliis, maxime Epaonensi. adjecti fuerunt. Deceptus est Gratianus per inscriptionem Reginonis: *Item unde supra*, qua credidit indicari inscriptionem proxime præcedentis canonis, qui est ex Agathensi, cui inscriptioni nonnulla Exemplaria Reginonis adjecerunt: *Ex eodem Concilio*, ut apud J. *Hartzhemium* Tom. II. Conc. Germ. pag. 484., alia vero, omissis verbis: *item unde supra*, duntaxat inscripserunt canonem: *ex eodem Concilio*: ut exemplar Helmæstadi an. 1659. primum excusum. Advertit ergo studiosissimus Taurinensium Canonista *Car. Sebast. Berardi* ad Gratian. part. 1. cap. 23. pag. 304., familiare fuisse Reginoni, apponere illa verba, *unde supra*, non, ut significaret, eundem sequentis capitis esse authorem, qui est præcedentis, sed, se eandem materiam prosequi, quam ab initio tractare cœperat. Censet porro, canonem illum verba ipsius Regionis esse, ut qui in suis libris non semper collectorem egerit, sed aliquando etiam sententias suas sententiis canonum interseruit, quique hoc in loco sui temporis, & suæ provinciæ disciplinam referebat.

VII.

Equidem in *Histor. diplom. Trevir.* prima mentio Decanorum istorum modo occurrit Sæc. XIII. * Sed inde non sequitur, prius eos non extitisse.

* Ibi Tom. I. pag. 745. in litteris processus Episcoporum, Wormatiensis, & Spirensis, nec non Abbatis de Rodenkirchen Ordin. Præmonstr. adversus Henricum a Vinstingen Trevir. electum de an. 1262. „Nec eum invenissemus super dictis criminibus aliqua respersum infamia, dictorum religioso„rum Prælatorum, Canonicorum, & DECANI CHRISTIANITATIS, „& Sacerdotum Trevirensium super bona fama, & conversatione dicti ele„cti ex abundanti accepimus juramenta: Super quo passu notat Rmus, Illmus, & Excelmus *Honthemius* Suffraganeus, Christianitatem esse hic illud Capitulum, quod vocatur hodie *S. Petri minoris*, ad quod pertinent parochiæ civitatis Trevirensis, & circumvicinæ. Aliud documentum an. 1300. nobis dedit idem Tomus in fundatione Hospitalis Bidburgensis: „Ut *Decanus Chri„stianitatis in Biedburg*, nec non Justitiarius ejusdem loci, qui pro tempore „fuerint, jus perpetuum habeant, prædictum Sacerdotem, nec non post „nunc

„nunc gubernatoris dicti hospitalis mortem gubernatorem & ministrum ipsius „hospitalis, personam idoneam, eligendi.

VIII.

Sub hoc Archipresbyteratu consistunt omnes ecclesiæ *minorum titulorum* (i. e. quæ non sunt *conventuales*, sive sæculares, sive regulares, *arg. cap. 10. de offic. Archidiac.*) ita quidem, ut *curati de parochiis stabiliter provisi* recipiantur in *fratres*; cœteri vero, *non fixi vicarii*, saltem *ad comparitionem* in Synodo Decanali, & *omnia capitularia onera* teneantur.

* Statuta Archiep. *Jacobi* ab Eltz pro Bur-Decanatu de an. 1570. §. 1. „Primo „omnes ecclesias parochiales, quæ Decanatus vestri finibus continentur (quo„cunque nomine sive jure censeantur, quomodocunque annexæ, sive incor„poratæ, & per quoscunque gubernentur, sive proprium pastorem, sive vicari„um, & hunc sive perpetuum, sive amovibilem) cum rectoribus suis, Decano ac „Capitulo volumus esse subjectas, nec ulla hic exceptio, sive exemptio valeat." Idipsum iisdem verbis Archiep. *Joannes* a Schönenberg 4. Maji 1590. ordinavit pro Capitulo rurali Perlensi. Generaliter autem Concilium provinc. Trevir. de anno 1549. sub Archiep. *Joanne* V. ab Isenburg in decreto de *Decanis Christianitatis* statuit: „in omnibus Archipresbyteratibus, & Sedium Chri„stianitatis Decanatibus nostræ Diœcesis volumus, & mandamus, quod omni„um Ecclesiarum parochialium curati intra annum à die acceptæ possessionis „per se, vel procuratorem legitimum præstent juramentum Decano; quo præ„stito IN FRATREM recipiantur. Si quis elapso anno IN FRATREM „CAPITULI, ut præmittitur, se recipi non curaverit, tunc in pœnam ejus „propter contumaciam fructus anni illius, qui nostrum annum consequitur, „sequestrentur; & nisi intra eundem annum paruerit, ex tunc tales fructus „confiscabuntur." In §. autem ult. ejusdem Decreti de *Capellanis* Ecclesiarum incorporatarum *amovibilibus* ita duntaxat ordinatum est: *insuper præcipientes, ut ipsi Capellani, ut præmittitur, amovibiles* (ecclesiarum nempe parochialium, quæ monasteriis, sive collegiatis ecclesiis incorporatæ sunt) *admissi, ad comparitionem, & omnia capitularia teneantur.* Idem jusserunt constitutiones *Lotharii* a Metternich, an. 1622. Clero promulgatæ, §. 23. „De„cani non omittant quotannis, tum, cum moris est, parochos suæ Christia„nitatis ad congregationem evocare, tum etiam visitare. §. 25. „Ab his „Capitularibus congregationibus nulli, a monasteriis etiam & collegiatis Ec„clesiis ad parochias incorporatas præsentati, seu quocunque modo provisi, „uti nec ab obedientia Decani, ullatenus se subtrahere præsumant, non suf„fragantibus eis privilegiis, exemptionibus, sive consuetudinibus quibuscun„que. Idipsum an. 1678. constituit Archiep. *Joannes Hugo* in suis statutis synodalibus cap. 1. §. 4. art. 1. „Ad Synodum Decanalem diebus, in quo„libet rurali Capitulo designatis, omnes, ETIAM RELIGIOSOS, curam „animarum gerentes, convenire volumus. Et *Franciscus Ludovicus Ordin.* „*Archiep. cap.* 1. §. 9. inhærentes constitutionibus Archiepiscopalibus præ„decessorum nostrorum, Lotharii de anno 1622. §. 23. & 25., Joannis Hu„gonis

„gonis de 12. April. 1677., & novissime Caroli de 6. April. 1713., ordinamus, ut omnes & singuli curati, seu vice-curati Clerici, sæculares, vel „regulares, etiam parochiarum plene unitarum, non obstantibus quibuscun„que prætensis exemptionibus seu privilegiis, in annno Capitulo, seu con„ventione Capitulari personaliter compareant, & ibidem debitam Decanis „obedientiam, aliaque præstanda præstent, vel legitimas causas in scriptis „exhiberi faciant, quare personaliter comparare nequeant, sub arbitrariis poe„nis, etiam suspensionis a divinis, contra inobedientes & refractarios ex of„ficio decernendis, quos proinde Decani rurales denunciare teneantur. Cum vero hæc Archiepiscopalia ordinata hucusque a diversis insuper haberentur, Serenissimus Trevirorum Archiepiscopus eadem, sicut quoque visitationes Decanales ejusmodi ecclesiarum, innovavit per patentes impressas hujus tenoris: R. & S. Elector. Gleichwie es Ihro Churf. Durchl. gnädigste Willens Meinung ist, daß alle und jede Verwesere deren incorporirten Pfarren, gleich denen würklichen Pfarreren und Seelsorgern, denen Land Capitulen beywohnen, auch die Erzbischöfliche denen Land-Dechanten aufgetragene Visitationes annehmen sollen, also befehlen höchst-Dieselbe so dies hierdurch, ins besondere denen Vicariis curatis, zu Osburg, Gutweiler, Irsch, Frantzenheim, Pluwich, Comlingen, Zewen, Hamm, Schillingen, und Ra.heig ꝛc. so, wie all anderen, mit der würklichen Seelsorg beladenen Curatis, sie mögen seyn, wo sie wollen, solcher, auf die Unterhaltung geistlicher Zucht, und der Seelsorg abzielender Verordnung sich schuldigst zu fügen, wo sie anderen Falls zugewärtigen hätten, daß sie durch behörige Zwangs-Mittel hierzu angehalten werden sollen. Sign. Presburg den 17. Merz 1769 Clemens Wenceslaus Churfürst. Ad quod Rmus D. Abbas S. Mathiæ sic se declaravit: „Honorabilis Domine Decane. In conformitatem clemen„tissimi mandati Archiepiscopalis d. d. 17. Martii 1769., salva tamen humma „ad Serenitatem suam remonstratione mea, hisce sisto reverentialiter R. P. „Joannem D'avis, Ss. Theolog. Doctorem, pro tempore Sacellanum meum „curatum in vicina Abbatiæ ad St. Mathiam Apostolum parochia S. Medardi, „monasterio nostro incorporata, qui degens in eodem, atque ejusdem regu„lari observantia, curam animarum gerit, *ad eum duntaxat finem, ut secun„dum fines altefati mandati, & nullatenus ultra eosdem, Capitulo S. Petri mi„noris celebrando intersit.* Dabam ad S. Mathiam 4. Jun. 1769. Adalbertus „Abbas S. Mathiæ." Sed cœteræ tres Abbatiæ Trevirenses sub eadem data se converterunt ad Serenissimum remonstrando, idque venerabili Capitulo S. Petri minoris, die 6. Jun. congregato, per Notarium Apostolicum intimarunt. Secutum est autem sequens clemmum rescriptum:

Rmus & Srmus Elector. &c. Da kündiger massen keine incorporation, oder exemption, den Ordinarium an der Auf- und Einsicht in die Verwaltung der Seelsorge zu behinderen, vielweniger davon auszuschliessen vermag, so wollen, und befehlen Ihro Churfürstl. Durchl. hierdurch ein für allemahl, daß die Verwaltere deren, denen drey Abteyen, Sti Maximi, Stæ Mariæ ad Martyres, und St. Martin, einverleibter Pfarreyen sich denen angeordneten Erzbischöflichen Visitationen gebührsam unterwersen, auch bey denen Land-Capitulen gleich andern Seelsorgern erscheinen, und dabey præstanda præstiren; wo andren Falls höchst-Dieselbe sich bemüßiget sehen würden, sie durch unbeliebige Mittel, und zwar besonders durch Arrestirung einiger dieser Abteyen zugehörigen Renthen, dahin zu vermögen. Signatum Ehrenbreitstein

ſtein den 18ten August. 1769. Clemens Wenceslaus Churfürſt. Ad hoc paruerunt iſti quoque regulares vice Parochi incorporatorum ſuis monaſteriis parochiarum, teſtante extractu Capituli generalis Burdecanalis d. d. 26. Jun. 1770. „Deinde in vim decreti ſuperioris comparuerunt, & admiſſi fuerunt, „præſtitis conſuetis, & ſolutis juribus, ſequentes RR. DD., Bernardus Henn „Curatus in *Irſch*, profeſſus ad S. Martinum, Joannes D'avis, Curatus *ad* „*S. Medardum*, profeſſus ad S. Mathiam, Paulus Fuxius, Cura-*ad St. Mi*„*chaelem*, profeſſus ad St. Maximinum, Petrus Jepp, Curatus *S. Gertrudis* „*ad S. Martinum*, profeſſus ibidem & Prior, Nicolaus Pütz *Curatus Sti Jo*„*annis Baptiſtæ ad Ss. Martyres*, profeſſus & Lector ibidem, Gregorius Cre„mer, *Curatus* in *Butzweiler*, profeſſus ad Ss. Martyres. Inter eosdem quoque receptus eſt R. D. Jacobus Michels, Paſtor in *Guſterath & Filſch*. Jam vero præſto prius fuerant 6. Jun. 1769. recepti, RR. DD. Joannes Simon Eſſelen, Vicarius chori & curæ parochialis *S. Walburgis* ad S. Paulinum, & Joannes Jacobus Meyer, *Curatus parochiæ ad S. Germanum*, vulgo *ad Undas*; nec non duo Curati *Capellarum villicalium*; in *Ruvera*, Theodorus Bodenbach, Vicarius S. Clementis ad S. Paulinum, & Petrus Simonis in Gutweiler ad Ss. Coſmam & Damianum.

IX.

Tempus conventuum capitularium *olim* erat prima cujusque menſis; * ſed hoc poſtea mutatum eſt, ut *annua* duntaxat celebrentur Capitula Decanalia, *extraordinariis* ſalvis.

* Hincmari Capitula tit. 1. cap. 15., quod refert *Regino* lib. 1. can. 216. „Quando „presbyteri per Kalendas ſimul conveniunt, poſt peractum divinum miniſte„rium, & neceſſariam collationem, non quaſi ad prandium ibi ad tabulas re„ſideant, & per talia inhoneſta convivia graventur &c.“ Idem ſtatuit conſtitutio *Riculfi* Sueſſionum Epiſcopi de an. 889. cap. 20. „Rationi quoque „proximum eſſe ſanximus, ut in unoquoque menſe ſtatuta die, id eſt in Ka„lendis uniuscujusque menſis, per ſingulas Decanias presbyteri ſimul conve„niant, & convenientes, non paſtis vel potationibus vacent, ſed de ſuo mi„niſterio & religioſa converſatione, atque de his, quæ in eorum parochiis „accidunt, ſermonem habeant, & qualiter pro Rege, vel Rectoribus Eccle„ſiæ, atque pro ſuis familiaribus, tam vivis, quam & defunctis, orare de„beant, ſimul conſiderent. Apud Harduin. Tom. VI. Conc. part. 1. col. 420. Hac ratione conventiones iſtæ rurales nuncupabantur *Kalendæ*. Reſuſcitarunt hanc antiquitatem *Congregationes S. Caroli Borromæi*, ſive conferentiæ menſtruæ, per annum in parochiis ſingulis a 12. ad ſummum convenientibus parochis, ſub Definitoris præſidio, *extra ſynodum Decani*, celebrandæ, de quibus Ordinationes Archiepiſcopales Trevirenſes de an. 1719. cap. 1. §. 6., & cap. 6. per tot., quæ & in vicina Colonienſi frequentantur, in Moguntina quoque antehac celebratæ, poſtea intermiſſæ; prout hoc tempore etiam in Trevirenſi non habentur amplius, ex quo viſitationes Decanales reſuſcitatæ ſunt.

X.

Archipresbyteri, sive Decani, munus paucis verbis in cap. nostro 4to describitur: *non solum imperiti vulgi* * *sollicitudinem gerat; verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, 1.) vitam JUGI CIRCUMSPECTIONE custodiat, & 2.) qua unusquisque industria divinum opus exerceat.* **

* *Sui* nempe, cujus ipse est *parochus proprius;* in alia vero Decanatus sui parochia plebs ipsum *immediate* non attinet, sed privative suo subest presbytero, arg. cap. 15. de præb. ibi: *una Ecclesia unius debet esse Sacerdotis:* unde Decanus, absque speciali commissione Episcopi, aut licentia parochi, non poterit quenquam, alteri presbytero sui Decanatus subditum, valide absolvere, aut matrimonio conjungere. *Gonzaletz* ad cap. 1. de offic. Archiep. num. 4. post *Basilium Legion. lib.* 5. de matrim. cap. 12. num. 7.

** *Compresbyterorum* suorum Decanus *immediatam* curam habet, utpote verus eorum pastor in omnibus, quæ sunt *externæ gubernationis*, & *internæ jurisdictionis;* ita, ut Capitulares de jure ipsi, non alteri, præterquam de ejus licentia, confiteri deberent, nisi consuetudo hoc passim relaxasset. Sane Lotharius Archiep. Trevir. adhuc an. 1622. §. 8. sic ordinavit: „Omnes igi„tur pastores Decano, aut alteri, cum licentia tamen Decani, alios vero „Clericos suo Confessori, saltem in mense, confiteri volumus; quam in rem „Decanus, cum in visitatione, tum in capitulo, inquirat, an fiat. Proinde etiam Decani est infirmis parochis assistere, sacramenta viatica præbere, defunctis justa persolvere, etiamsi regulares essent sui isti pastores, dum tamen extra monasteria degentes in parochiis. Lege *van Espen* J. E. U. part. 1. Tit. 4. cap. 5. num. 2. 3. 4. ex Synodis, *Antverpiensi*, & *Namurcensi.*

XI.

In specie vero ad Decanos pertinet, 1) Synodos Christianitatum indicere, iisdemque, cum directorio præsidere, relationes Definitorum & Parochorum audire, *adhibito consilio Definitorum* nonnulla ex his, quæ proposita, audıtaque fuere, tanquam præcipue postulantia correctionem, aut remedium, cœtui publicare, eorundemque executioni invigilare. **

* Ordinat. Archiep. Trevir. de an. 1719. cap. 10. §. 1. 2. 3. 4. 5. Agenda, & inquirenda in hac Synodo describunt statuta *Burdecanalia* de an. 1570. §. 4. „In congregatione autem capitulari prædicta post Sacrum de Spiritu S., De„cano, vel alio ejus nomine & præscripto celebrante, & duobus ex pastori„bus Diaconi & Subdiaconi vice fungentibus, decantatum, primum exhor„tatione, tempori, loco, & personis accommodata, per Decanum, sive alium „per Decanum nominandum ex dignioribus pastoribus, habita, mox *inquisitio„nem diligentem* fieri volumus, tum *de moribus & vita pastorum, ac recto„rum, tum de officio cujusque pastorali in administratione ecclesiarum, & Sa„cramentorum*, & breviter nunc quidem juxta capita ejus instructionis, quæ

„Deca-

„Decanis & Pastoribus a Visitatoribus est relicta. Et §. 6. In hac quoque „congregatione id volumus *diligenter ac severe* servari, ut pastores atque re„ctores omnes *fideliter* exponant, atque referant, *num inter suos habeant cri„minosos, scandalosos, ac præcipue hæreticos*; nam, sicubi tales sint, eos „Decanus primo quoque tempore ad nos inter alia Congregationis acta refe„rendos curet.

XII.

2) Ecclesias, & capellas suæ Decaniæ crebrius obire, & *quot annis in forma* visitare. *

* Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* Decanis, sicut Archidiaconis, tribuit visitationem *in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt:* consueverunt autem Decani fere ubique per Germaniam in Ecclesiis & Capellis, quæ sunt de regiunculis eorum. Statuta *Burdecanalia* §. 8. „Postremo, nequis negligentiæ & impunitati locus relinquatur, volumus, ut „*singulis annis* Decanus, quando maxime commodum ei videbitur, *semel „Decanatum suum circumeat, nobisque factæ visitationis per litteras rationem „reddat*, præsertim, siquid *contra præscripta generalis Visitationis*, aut statu„ta tradenda, commissum invenerit, omnesque pastores, ecclesias, atque „cœmiteria earum visitet, & juxta instructionem sibi ac illis a Visitatoribus „relictam, aut statuta tradenda Decanatui, inquisitionem faciat: *Synoda„lium jura & authoritatem conservet, eosque ad strenue ac fortiter munere fun„gendum hortetur; ac denique computationi fabricarum, & hospitalium, non „quidem, ut intersit* (quod intelligimus Decano futurum nimis difficile & mo„lestum) *sed jam rite factæ, a quibus fieri debet, & per pastorem loci, aut re„ctorem approbatæ, nostro nomine subscribat, omnemque iniquitatem in ea „prohibeat.*

Ordinationes Archiep. Trevir. *Francisci Ludovici* cap. 1. §. 5. volunt, ut „Decani „in hoc vices suppleant, Capitula sibi commissa, cum assistentia unius saltem „Definitoris, & Secretarii, si non omni anno ad parcendum sumptibus, sal„tem frequentius visitando, & juxta præscriptum Tridentini summariam, & „fidelem seriem actorum ad Vicariatum generalem infra mensem a visitatione „peracta transmittendo; & cap. 6. §. 4. Decanus definitores sibi subjectos vi„sitabit quovis anno, convocatis ad eorum ecclesias pastoribus totius distri„ctus, juxta institutum S. Caroli Borromæi.

Additio 1. Postea sub Archipræsulatu *Francisci Georgii*, ejusdemque difficilibus belli temporibus, creditum est, nimis gravari parochos visitationibus Decanorum, sufficereque diligentes, quæ per Ordinata injunctæ erant, relationes parochorum trimestrales ad Vicariatum generalem, una cum Congregationibus Carolinis, & successivis visitationibus Archiepiscopalibus, per Suffraganeum p. t. Trevir. peragi solitis; cessarunt ergo Decanales visitationes, donec Archiep. Elector *Joannes Philippus* easdem 5. Martii 1757. per ordinationem: *Inter pastoralis Officii curas* pro Treviratu resuscitarit: „Statuimus, ut „INTERIM, ET QUOUSQUE ALITER A NOBIS, aut nostris successoribus

 „DISPO-

„DISPOSITUM FUERIT, per Decanos Christianitatum DITIONIS NOSTRÆ „TEMPORALIS Trevirensis, tam inferioris, quam superioris nostræ Archi-„dioecesis, singulis annis saltem dimidia pars cujusque Capituli ruralis visite-„tur"; ritus & regulas visitationi huic præscribendo, & §. 14. ordinando, „ut Decano pro visitatione cujusque parochiæ solvatur unus imperialis, Defi-„nitori assistenti, qui simul aget Secretarium, dimidius, parocho pro hospi-„tatione 2. florent Rhenani; hæ autem pecuniæ desumantur ex fabrica tam „parochialis ecclesiæ, quam filialium, & capellarum, siquæ sint, pro rata vi-„rium inter has distribuendæ: in harum autem defectum a parochianis." In partibus vero Galliæ, Lotharingiæ, & Ducatus Luxemburgensis, ad Archi-dioecesin hanc pertinentibus, nomine, vice, & authoritate Archiepiscoporum Trevirensium visitationes hactenus assidue *per solos Suffraganeos, in Pontificalibus Vicarios generales*, habitæ fuerunt, & etiamnum habentur.

Addit. 2. In Trevirensi Dioecesi antiquitus multi etiam parochi primitivi exercuerunt *jus Synodi & visitationis* in parochiis sibi incorporatis, etiam adhuc Sæc. XVII., idque sive ex consuetudine, sive expressa concessione Archiepp. ad compendium sumptuum: Sic Abbas S. Martini solitus est habere Synodum & visitationem in Irsch: sic Decanus S. Paulini in S. Walpurge, & Ruvera: sic Prior Cartusiæ Trevir. in Egla; de quibus actibus supersunt adhuc in archivis protocolla, & recordia synodalia. Hæ visitationes non excludebant quidem archiepiscopalem per Decanos, ansam tamen dare potuerunt ejusdem intermissioni.

XIII.

4.) Beneficiatos in possessionem corporalem ecclesiarum, & altarium deducere, non-beneficiatos, seu investitura carentes parochos plebibus saltem præsentare. *

* Introductio solemnis neo-parochi in ecclesiam, quam adeptus est, fere ubivis consuetudo, seu jus Decani ruralis est, nisi aliquando in vicinioribus civitati episcopali parochiis ad hoc specialiter deputetur quidam de Consiliariis ecclesiasticis Consistorii Episcopalis. In civitate Trevirensi Pastores vicarii Ecclesiarum, S. Laurentii & S. Gangolphi introducuntur a Rectore Universitatis magnifico, Decanis quatuor Facultatum, & reliqua tota Universitate in habitu solenni, immediate post electionem pastoris, notificatione mox facta synodalibus, neo-pastorem recepturis ad fores ecclesiæ, alloquente populum, & claves cum coeteris signis possessionis corporalis tradente Rectore magnifico; postea, non investituram ab Archidiacono, sed solam commissionem regendi a Vicariatu generali accipiunt. Ad S. Antonium de hac civitate par introductio corporalis vicarii curati amovibilis fit per Decanum, & Capitulum S. Paulini, cui incorporata est hæc parochia; dum econtra duo alii civitatis pastores, ad S. Gervasium, & S. Paulum, investituras Archidiaconales habent, & corporaliter immittuntur in suas Ecclesias per Bur-Decanum.

In Ducatu Luxenburgico possessio ecclesiæ ad præcedens *Placetum* Consilii provin-

vincialis apprehenditur adhibito folum Notario regio-Ducali cum duobus teſtibus, convocata plebe.

XIV.

5.) Presbyterorum ſuæ regiunculæ *profeſſiones fidei* excipere; omnium, qui volunt prædicare, vel confeſſiones audire, *ad*- & reſpective *commiſſionem regendi* videre. *

* Statuta Bur-Decanalia de an. 1570. §. 1. „Ut autem certius eccleſiarum hu-„jusmodi atque rectorum ſtatus, vocatio, miſſioque cognoſcatur (Quomodo „enim, ut ait Apóſtolus, prædicabunt, niſi mittantur?) volumus atque de-„cernimus tenore præſentium, neminem ad gubernationem ullius in veſtro „Decanatu eccleſiæ, aut ad docendum, aut eccleſiaſticum quodcunque Sacra-„mentum adminiſtrandum admitti, nec pro paſtore, vicario, rectore, aut Sacra-„mentorum diſpenſatore, a ſynodalibus, cuſtodibus, ac populo, ad quem „mittitur, agnoſci ac recipi debere, qui non primum pro tempore Decano „oſtenderit, atque exhibuerit, præter literas inſtitutionis, ſive commiſſionis, „ad quemcunque ea pertineat, noſtrum quoque diploma, ſive literas com-„miſſionis, approbationisque noſtræ, in quibus inter cœtera commendatio-„nis noſtræ documenta profeſſionis quoque fidei mentio fiat . . §. 2. Idem „quoque ſervari volumus in iis, ſiquos ab una eccleſia ad aliam contigerit „forte transferri; nec non & in religioſis, aliisque quibuscunque, eccleſias „quomodocunque incorporatas regentibus, quos, niſi literas commiſſionis „ordinarias & conſuetas, noſtræque approbationis teſtimonium exhibuerint, „& reliqua, quæ ſupra memorata ſunt, præſtiterint, nolumus a Decano, Ca-„pitulo, Synodalibus, cuſtodibus, populoque, pro legitimis rectoribus reci-„pi, atque admitti.“ Ordinata *Joannis* a Schönenberg pro Capitulo rurali Perlenſi d. d. 4. Maji an. 1590. „Quicunque ad regimen animarum a noſtro „capitulo Perl. admittendus eſt, antequam admittatur ad docendum, prædi-„candum, vel adminiſtrandum Sacramenta, ſive pro paſtore, aut vicario, „Decano capituli literas inſtitutionis, vel inveſtituræ, aut commiſſionis re-„gendi, approbationisque exhibeat; deinde profeſſionem fidei juxta Conc. „Trid. publice, conſuetumque fidelitatis juramentum præſtet, ac jus, tam „Decanale, quam capitulare, perſolvat. Ordinata Archiep. Trevir. *Lotharii* de an. 1622. §. 3. „Similiter nemo poſthac, ſive a Nobis, ſive ab Archidiacono, „ſive a monaſterio, aut collegiata eccleſia, vel quocunque, præſentatus ſeu inve-„ſtitus, ad eccleſiæ gubernationem, Sacramentorum adminiſtrationem, concio-„nandi munus, aut conventum capitularem admittatur, niſi, præter inſtrumentum „præſentationis & collationis, etiam Apoſtolicæ, exhibeat literas noſtras, aut „examinatorum, quæ fidei, examinationis, approbationis, & doctrinæ ſuf-„ficientis teſtimonium contineant. §. 4. Vicariis quoque, ſive Sacellanis pa-„ſtorum, non prius concionari, aut alia paſtoralia munera exercere permiſſum „ſit, quam a Nobis, aut deputatis examinatoribus, approbationis, & ſuffi-„cientiæ habeant teſtimonium, quod & pro tempore Decanis, ac deinde in „prima capitulari congregatione exhibere teneantur.“ Et *Franciſci Ludovici* de an. 1719. cap. 1. §. 7. „Omnes & ſinguli Decani debita cum ſollicitudine „attendant, ut ii, qui ad regimen animarum in qualitate Paſtoris, ſive Vi-

„carii, aut ſacellani, amovibilis, aut perpetui, deſtinantur, literas inveſtitu-„ræ Archiepiſcopalis, ſeu Archidiaconalis, inſuper commiſſionis regendi, ſeu „approbationis, exhibeant, ac coram iisdem publicam profeſſionem fidei „emittant (in patentibus pro approbatione ſcribitur alternative: *Emittat profeſſionem fidei coram D. Decano rurali, aut proximo Definitore*) „reliqui vero „ſimplices, ad ſacrum tribunal non approbati Sacerdotes certæ eccleſiæ ad-„ſcribi, & in diſtrictu, ubi habitant, Decano ſubeſſe, & obedientiam præſta-„re teneantur." Similiter Decreta Synodalia *Maximiliani Henrici* Archiep. Colon. de anno 1667. part. 3. tit. 5. cap. 5. §. 1. & 2. „Summo ſtudio advigi-„lent, tam Archidiaconi, quam Decani rurales, nequis ſacerdos, ſæcularis, „aut regularis, etiam quomodolibet exemptus, in beneficium aliquod paro-„chiale, ſeu curatum, vel exercitium curæ animarum, quocunque etiam „colore, vel titulo, ſeſe intrudat abſque prævio examine & legitima appro-„batione." Adde ibid. *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. §. 3. de profeſſione fidei.

XV.

6.) Ad Decanos pertinuit olim, ſuæ regiunculæ candidatos præſentare Epiſcopo ad ordines; * pertinet adhuc *nonnullis in locis* aſſiſtere conſecrationi ſacrorum oleorum, hæcque parochis diſtribuere **; nec non campanas benedicere, & cœmeteria polluta reconciliare. ***

* Concil. Nannetenſe incerti anni, relat. in can. 5. diſt. 24. „Quando Epiſcopus „ordinationes facere diſponit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere „volunt, feria quarta ante ipſam ordinationem evocandi ſunt ad civitatem, „una cum ARCHIPRESBYTERIS, qui eos præſentare debent." Aliqui legunt: *cum bresbyteris*, & ſic habent ambo vetuſtiſſima Decreta Gratiani MSta bibliothecæ San-Simeonææ. Sed *Harduin.* Tom. 6. Concil. part. 1. col. 459. retinuit noſtram lecturam. Extra uſum hoc eſt, foretque ſumptuoſum ordinandis de ruri.

** Synodus I. *Buscoducenſis* an. 1571. tit. 16. cap. 7. „Mandamus item noſtris „Decanis, ut juxta antiquam conſuetudinem ſingulis annis in Cœna Domini „conſecrationi Chriſmatis reverenter & decenter interſint, niſi legitimo im-„pedimento detenti fuerint; atque tum alios ſacerdotes ſuo nomine mittere „teneantur, qui ipſos legitime excuſent, & illorum vices gerant, quique „olea conſecrata ſecum deferant, parochis diſtribuenda." Synod. Leod. an. 1616. tit. 3. cap. 4. „Decani teneantur in ſacrorum oleorum conſecratione, „& diſtributione, juxta antiquam conſuetudinem, & Synodalia decreta, per-„ſonaliter adeſſe, eaque ulterius diſtribuenda referre &c." In Trevirenſi non interſunt, attamen in ſynodo decanali diſtribuunt ſacra olea.

*** Statuta Archidiaconatuum Leodienſium, Campiniæ cap. 64. *Decanórum etiam eſt bedicere campanas, & pro mercede accipient florenum aureum*, nec non Hasbaniæ, Hannoniæ, Condroſii. Synodus Yprenſis an. 1577. tit. 7. cap. 6. *Decanorum etiam officium eſt, novas campanas benedicere, cœmeteria (poſt declara-*

clarationem a nobis factam, quod polluta sint) *reconciliare.* Sed Trevirenses hæc non audent absque speciali commissione.

XVI.

7.) Decanus, per S. R. Imperium, non *saltem in locis*, Episcopo *temporali simul ac spirituali jure* subjectis, sed etiam in alienis territoriis, obsignat relicta defunctorum parochorum ac beneficiatorum, & inventaria erigit. *

* Sic in Treviratu, multisque aliis Diœcesibus Germaniæ, mos fert: Statuta Diœcesana Colonien. *Maximiliani Henrici* part. 3. Tit. 5. cap. 4. §. 5. sic ordinarunt: „Quodsi parochum quempiam, aut curatum decedere contige„rit, cujusvis etiam ordinis, aut regularis instituti sit, curent mox omnium „ab ipso relictorum indicem, seu inventarium confici, ut invasionibus, & „expilationibus non fiant obnoxia, atque ex iis possit, tum piis legatis, „tum creditoribus aliis, ipsique ecclesiæ parochiali, fabricæ, aut mensæ pau„perum, satisfieri: quidquid, ad parochiam ipsam, ecclesiam, fabricam, „aut archivium pertinens, inventum fuerit, separetur, & suis quæque locis, „aut personis consignentur. Denique & curam gerant Decani rurales, ut co„ram Sigillifero nostro majore testamenta Definitorum, & beneficia in eccle„siis parochialibus habentium, & hæreditatum per eos relictarum compu„tus, & rationes per executores exhibeantur." In terris, quæ Episcopis non subjacent quoad temporalia, quoad hoc servabitur *mos antiquus*, ut obsignatio, & inventarium fiat per eos, per quos consuevit: Sane, non quivis per Germaniam territorialis Dominus poterit nova imitatione introducere in suam forte duntaxat terrulam id, quod per Galliam & Lotharingiam, viget quoad relictorum a clerico inventarisationem, quam exequuntur seculares Regis officiales magnis hæreditatum expensis, quarum metu scripturas suas, etiam conciones, solent igni ante mortem tradere parochi, ne inventarisatio earum causet plures diætas.

XVII.

Universim de potestate Decanorum ruris loquendo, *quoad singulas* regiminis eorum, & jurium *species* regula sit, *eos posse, quidquid cujusque Diœcesis statuta, mores, & literæ Commissionis Decanis deferunt.* *

* Hericourt Loix ecclesiastiques part. 1. chap. 3. *Van Espen* J. E. U. part. 1. tit. 4. cap. 5. num. 7. Præprimis autem Decani alias *exactiones* facere non audent, nisi quæ ipsis ab Ordinariis locorum taxatæ, vel ex consuetudine legitima attributæ sunt; hinc, cessante expresso statuto, vel more, non possunt ab hæredibus parochorum suorum exigere *optimale*, sive *optimum mobile*, aut *Breviarium*, aut *superpelliceum*. Statuta Archidiaconatuum Diœcesis Leodiensis, quæ collegit *Louvrex* post Differtat. 25. de Præpositis & Decan. a p. 29. sic habent, pro *Campinia* cap. 60. & seqq. „Decani rurales „pro sepultura pastorum, & aliorum sacerdotum, & beneficiatorum sub suis „Conciliis, habebunt duos florenos aureos, superpellicium, & Breviarium, „cum

„cum offertorio, & tæda una, adinstar exequiarum Nobilium." pro *Hasbania* paulum aliter: „Jura funeralia declaramus duos florenos aureos cum superpelliceo, breviario, & missæ funeralis oblatione ... Et, si vel omnes „Decani, vel eorum aliqui, legitime præscripta consuetudine optimum, vel „secundum mobile defunctorum pastorum, & sacerdotum suorum respective „conciliorum sibi vendicare consueverunt, servabitur consuetudo: pro *Hannonia* autem „florenos aureos duos, oblationem, majorem candelam cum „superpelliceo, & breviario defuncti." Similiter pro Archidiaconatu *Condrosii*, in cujus Decanatu Uffeyensi additur Nobile rosatum (ein Rosens Nobel) pro retemptione ulteriorum jurium. Pro Gallia consule *la Combe* verbo: *Archipretre*. ubi singulariter Archipresbyter major *Turonensis* prætendit parochorum *equum*, *bibliothecam*, & *lectum*, deservitque vacanti, parochiæ saltem 40. diebus cum fructuum perceptione, & *Aurelianensis* accipit lectum defuncti instructum, redimibilem tamen 50. libris a parocho civitatis, minore pretio a rurali Synod. Yprens. an. 1577. tit. 7. cap. 10. attribuit Decano optimale: *antiquitus receptum est, quod Decani pro laboribus, quos ecclesiæ, pastoribus, & domibus eorum mortuariis, circa præmissa impendunt, a domo mortuaria cujusque pastoris recipiant, seu levare possint optimum inter relicta mobilia pignus; quam consuetudinem, tanquam justam, & rationi consonam, præsenti statuto innovamus, & confirmamus.* In nostra Trevirensi neque est uniformis taxa pro funeralibus, neque optimale mobilium, nisi alicubi optio cujusdam libri, aureo ducato redimibilis.

XVIII.

Decani rurium non gaudent *jure tribunalis externi*, ita, ut possent causas cognoscere, & per sententiam decidere. *

* Conformiter juri communi cap. 4. cit.: *cuncta tamen referant ad Episcopum.* Ordinata Trevir. cap. 10. §. 2. statuunt: *Decani, & Definitorum officium proprium est per totum annum, SIMPLICITER quidem, & DE PLANO, ET ABSQUE ULLA JURISDICTIONE, & cum assidua cura investigare, quæ reformatione, correctioneve sunt digna, aut alias remedio egent.* Sic quoque pro sua archidiœcesi jam in Synodo anni 1300. ordinaverat *Henricus*, Comes a Virneburg, Archiep. Colon. Statut. 6. *Monemus item omnes & singulos jurisdictionem habentes, & non habentes, specialiter Decanum Tremoniensem, in Wittene, in Hagene, & in Essende Christianitatum Decanos, de causis, ad Nos, & Consistorium nostrum de jure vel consuetudine spectantibus, maxime matrimonialibus, & aliis quibuscunque causæ cognitionem exigentibus, præterquam in synodalibus, ne quocunque modo, causa, vel colore quæsito, se intromittant, disponant, vel cognoscant, vel audiant; sed ad Nostrum & Officialis nostri sine difficultate remittant examen, sine canonico decidendas. Qui vero contra fecerint, in nostram jurisdictionem falcem mittendo, ipso facto excommunicationis sententiæ statuimus subjacere, ipsorum sententias, & processus super eis latos & habitos nihilominus cassamus & irritamus, cassos & irritos præsentibus nunciamus: contra quos solerter invigilabimus, ut tales pœna canonica castigemus.*

Addi-

Additio. *Specialiter* vero Ordinata Trevirensia cap. 1. §. 11. quatuor *Decanatibus Wallonicis* aliquod forum indulserunt: „Cum sub auspiciis novi Archiepisco-„palis regiminis Decani rurales quatuor Capitulorum Wallonicæ nationis, „Longuionensis, Juvigniacensis, Ivodiensis seu Carigniacensis, & Bazelien-„sis, pro renovatione FACULTATUM PRIMÆ INSTANTIÆ SUPER QUIBUS-„DAM CAUSIS PERSONALIBUS CLERICORUM, ET ALIIS FORO ECCLESIA-„STICO PROPRIIS, humillime supplicare, eæque, ob distantiam locorum, „& sublevamen fidelium diœcesanorum, EX SPECIALI-GRATIA, NON ALI-„TER, NEC ALIAS, AC SUBLIMITATIS CLAUSULIS, concedi soleant: Nos ad „evitandas quascunque nullitates, quæ ex defectu jurisdictionis enasci so-„lent, juxta patentes Archi-Episcoporum Electorum Trevirensium Præde-„cessorum nostrorum felicis recordationis, novissime Caroli Caspari de an-„no 1662., Joannis Hugonis de 1677., Caroli de anno 1715, harum tenore „expressissime declaramus, ab hac CONCESSIONE MERE GRATIOSA, ad in-„stantias humillimas quatuor Decanorum, hactenus factas, cognoscendi „CAUSAS MINORES ecclesiasticas, & personales Cleri, semper EXCIPI, & „exceptas esse causas MATRIMONIALES, BENEFICIALES, & FISCALES GRA-„VIORIS MOMENTI, utpote Nobis, & Consistoriis nostris reservatas, spe-„cialiter inhibentes, ne quisquam Decanus, seu alius inferior, in causis su-„pra exceptis, sine speciali nostra, vel Vicariatus nostri Generalis, seu Con-„sistorii Archiepiscopalis commissione, informationes ullas sumere, minus „cognoscere temere præsumat, sub pœna suspensionis & revocationis qua-„rumcunque facultatum: quoad CAUSAS MINORES ACTORIBUS RELINQUEN-„TES LIBERUM, an, habitis forte diffidentiæ motivis contra Decanos, in „prima etiam instantia coram Consistorio nostro Trevirensi, vel in partibus „coram Decanis, agere voluerint, salva tamen appellatione ad Nos, seu „Tribunal nostrum ordinarium, competenter introducenda. Et tenentur, quoties novus advenit Archiepiscopus, pro harum facultatum renovatione supplicare, sicut & supplicant. Recentioribus temporibus adjecta fuit *specialis commissio*, per ipsosmet Decanos, nullatenus per alium, expedienda, & quidem *sub titulo specialis commissionis Archiepiscopalis*, ex rationabili causa, *unaque saltem proclamatione prævia*, dispensandi super bannis seu proclamationibus matrimonialibus, præhabita semper informatione diligenti, *matrimonium contrahere volentes non detineri Treviris processu ratione sponsalium cum alio, vel alia, nec aliud eis obstare canonicum impedimentum.* Quotiens vero quispiam istorum Decanorum mensuram sibi commissæ potestatis excedere præsumsit, semper & illico authoritate Archiepiscopali in ordinem reductus fuit.

Addit. Qua propter Libellus Casuum R. P. J. *Reuter* S. J. Theologi, & quondam Professoris Trev. abusive loquitur ad casum XI. part. 1: *necesse est, ut Decano competat aliqua* JURISDICTIO *in suos capitulares*, ETIAM IN FORO EXTERNO; intellexit nempe *disciplinam cum modica coercitione excessuum manifestorum, absque figura judicii puniendorum*, quæ tamen *jurisdictio* vocari nequit; hanc denegant Ordinata, illam concedunt cap. 1. §. 10. *Decani rurales* LEVIORES DEFECTUS *& excessus clericorum* IPSIMET *corrigant, sub* ARBITRARIIS *mulctis, ad causas pias applicandis;* GRAVIORES *vero* CAUSAS *ad*

ad Vicariatum nostrum generalem, seu Consistoria nostra deferre teneantur: idque verum est, etiamsi graviora delicta essent notoria.

XIX.

Ex quo consequitur, Decanum neque pollere authoritate ferendi *censuras ecclesiasticas.* *

* Equidem multi apud *Gonzalez in cap.* 3. *de Offic. jud. ord.* num. 1. sustinent, archipresbyteros, plebanos, imo quosvis etiam parochos, olim censuras *vi muneris sui ordinarii* ferre potuisse, etiam excommunicationis; eo quod hæc potestas externa tunc fuisset annexa *potestati clavium* & *fori pœnitentialis;* cui doctrinæ favet *Van Espen* J. E. U. part. 3. Tit. 4. cap. 1. num. 5. & seqq. Verumtamen, præter quod alii DD. hoc illis contestentur, hodie certum est, & jam pluribus abhinc sæculis in more positum, *ut, qui carent jurisdictione fori externi*, sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, amplius non auderent, nec audeant proferre.

XX.

Sunt tamen per Germaniam loca, in quibus Decani rurales exercent *primam instantiam in omnibus causis*, etiam *criminalibus*, & *matrimonialibus*, vel cum quibusdam parochis assessoribus, vel cum *formato Consistorio rurali*, cui præest Officialis foraneus, habens fiscalem, & nuncios. *

* Sic per Capitula, sive, ut in statutis archidiaconalibus vocantur, *Concilia presbyterorum ruris* in Leodiensi extant Consistoria, consistentis ex Officiali, Decano, & quibusdam Assessoribus, qui omnes sunt parochi: In Ducatibus quoque Juliæ, & Montium prima instantia causarum ecclesiasticarum est, vi Concordati Colon. Archiepiscopi *Ferdinandi* cum Srmo Duce *Wolffgango Wilhelmo* de 22. Jul. 1621. art. 29., penes Decanum Christianitatis & quosdam assessores parochos. Sed hoc genus judicum habet adjectam Decanali officio altiorem *qualitatem*, videlicet, *Vicariorum foraneorum;* & ideo his in locis non impingetur contra Trident. Seff. 24. de reform. cap. 20. & Seff. 25. de reform. cap. 14., quod cognitionem causarum matrimonialium, criminalium, & in specie clericorum concubinariorum, neque ad Archidiaconos, neque ad Decanos, voluit pertinere.

XXI.

Potestne autem plebium *Decanus ipse* corrigi, multari, & respective judicari a suo Capitulo? Putem, posse, ubi viget in ipsa Christianitate judicium, vel Consistorium rurale, ex pluribus constans; putem, non posse, ubi tale corpus non est, sed *simplex* sub Decano *Christianitas*, absque potestate judiciaria. *

* *Ratio primi* est; quia illi corpori, cui *ut universo* competit jurisdictio, aut regimen, subest *unusquisque sigillatim sumptus*, etiam *ipsum caput corporis*; sic unaquæque Facultas in studio generali corrigit, multat, judicat suum Decanum, & tota Universitas Rectorem magnificum, saltem, si hic sit de corpore ejus electus: sic Magistratus suum consulem, Scabinatus suum præsidem &c. Adest, exemplum recens in Diœcesi Leodiensi, ubi Consistorium foraneum Capituli Stabulensis judicavit proprium Officialem, coram se fiscaliter accusatum. *Ratio 2di;* quia tunc tota intendendi, corrigendi, & multandi potestas residet penes unum Decanum, qui solus est *Vicarius Episcopi*, non Capitulum rurale in corpore. Aliud est de Decanis ecclesiarum, *cathedralium* & *collegiatarum*, ut qui corrigi possunt ab universitate suorum canonicorum, aut etiam judicari, si hæc gaudeat jurisdictione fori exterioris, quod docet *Louvrex* de Præpos. & Decan. Dissert. 12. num. 35. & 36., ubi, post *Ludovicum a Saravia* & *Paponium*, solide probat, & solvit contraria, docens, ipsum Metropolitanum puniri per se posse a synodo provinciali, nisi canones ejus dignitatem specialiter exemissent. Præcessit, & attulit exemplum ex Gallia *Van Espen* J. E. U. part. 1. tit. 11. Cap. 2. num. 9.

XXII.

Institutio & *destitutio* Decani ruralis secundum jus commune pertinet *conjunctim* ad *Episcopum simul & Archidiaconum* regionis illius, de qua est regiuncula Decanalis. *

* Cap. 7. *de offic. Archidiacon.*, ubi *Innoc. III.* sic respondit: *subsequenter postea quæsivisti, utrum Decani rurales, qui pro tempore statuuntur, ad mandatum tuum solum, vel Archidiaconi, vel etiam utriusque, institui debeant, vel destitui, si fuerint amovendi. Ad hoc breviter respondemus, quod, cum ab omnibus, quod omnes tangit, approbari debeat, & cum commune eorum Decanus officium exerceat, communiter est eligendus, vel ëtiam amovendus.* Unde, quibus in locis non sunt amplius Archidiaconi, Episcopi, aut sine quavis electione, aut solummodo ad aliqualem parochorum laudationem, absque jure exinde quæsito, & debito confirmationis, denominant Decanos istos, ex regula, quod *jus duobus conjunctim competens, altero deficiente, stet penes unum residuum.* §. 8. Inst. de legat. De usibus Galliæ quoad hoc ita scribit *Hericourt* Loix eccles. part. 1. chap. 3. §. 18. *Dans la plûpart des Dioceses l'Evêque donne la commission de Doyen rural sur la presentation de l'Archidiacre; il y a cependant des Dioceses, dans lesquels l'Evêque choisit seul les Doyens ruraux, & d'autres, où le choix du Doyen appartient aux curés du Doyenné, qui presentent à l'Evêque celui, qui a eté elû.* Prima synodus diœcesana *Buscoducensis* de an. 1571. tit. 16. cap. 1. & 2. tribuit hoc jus soli Episcopo.

XXIII.

In Trevirensi autem Diœcesi *vera propria* cujusque Decani *electio* competit pastoribus de capitulo, præsente Archidiacono, vel ejus commissario, ut

 dixi

dixi supra in §. IV. *, quam postea confirmat *solus Archidiaconus* loci; ** quin opus sit ulteriore Archiepiscopali commissione hujus vicariæ in parochos superintendentiæ.

* Ad normam canonis 20. *dist.* 63., sic quidem, ut Archidiaconus solum dirigat negotium, quin voto gaudeat; unde verba dicti: canonis *electionem faciat*, sic interpretatur vetustissima glossa interlinearis in Decreto Gratiani Msto bibliothecæ S. Simeonis: „Faciat eam fieri a clericis: non dicitur: *debet ipse* „*eligere*; sed authoritatem præstare eligentibus.

** Formulam confirmationis exhibeo: „Judex curiæ Reverendissimi, & Ex„cellentissimi Domini Dni Theodori Caroli S. R. I. Comitis ab Ingelheim, di„cti Echter de Mespelbrunn, Ecclesiæ Metropolitanæ Trevirensis Titulo Sti „Petri Majoris Archidiaconi, dictæque Ecclesiæ, nec non Cathedralium, Leo„diensis, Halberstadiensis, & Equestris ad Stum Albanum Moguntiæ, Canonici „Capitularis; Imperialis suæ Majestatis, atque Imperatricis, Reginæ Hunga„riæ, & Bohemiæ Consiliarii intimi &c. Universis & singulis, super præ„sentium executione requisitis, salutem in Domino sempiternam. Literas „demandatæ a nobis nuper electionis, & præsentationis ad BURDECANATUM „sedis Christianitatis TREVIRENSIS, vacantem 2da Junii anni hujus per obi„tum Plmum Reverendi & eximii Domini Christophori Hammes, dum vi„veret, Pastoris ad Stum Laurentium, dictæque Christianitatis BURDECANI „ultimi, & pacifici, pro parte Adm. Rdi & Venerabilis quoque Domini Jo„sephi Cramer, in Erang Pastoris, die vigesimo primo ejusdem mensis, & „anni, ut supra, nos recepisse noveritis. Quarum vigore literarum fuimus „debite requisiti, quatenus ipsum Neo-electum ad præfatæ Christianitatis „BUR-DECANATUM admittere, & confirmare dignaremur, ac vellemus; „Unde nos Judex antedictus, hujusmodi petitioni uti justæ annuentes, cor„porale juramentum ab ipso Domino præsentato recepimus, quod rite & ca„nonice, sine dolo, & fraude, aut ulla interveniente Simoniaca labe, sit ele„ctus, & præsentatus; fidelis erit, & obediens Eminentissimo nostro Archiepis„copo, Domino Archidiacono loci, eorumque officialibus, & judicibus; mandata „eorundem, quoties requisitus fuerit, fideliter exequetur; jura, ac consuetudines „Archidiaconatus S. Petri majoris, ac BUR-DECANATUS TREVIRENSIS, reperta, „ac repertas, manutenebit, ac defendet, deperdita vero, seu deperditas pro „posse, & nosse recuperabit; sacram Synodum, cœterasque visitationes, ca„nonice institutas, & observari solitas, juxta statuta, ac decreta ordinaria „obibit, & observabit; nullam rem gravem aut casum, famam aut honorem „alterius tangentem, sine Domini Archidiaconi, aut ejusdem Judicis com„missarii, consilio & assensu determinabit; IN MULCTIS IMPONENDIS NON „EXCEDET, conventiones de more debitas celebrabit, disciplinam ecclesia„sticam pro animarum salute promovebit, personis omnibus BUR-DECA„NATUI subjectis præesse, prodesse, conspirationesque, dissensiones, aut „partialitates in Capitulo, sive inter capitulares, abesse, & pacificare stude„bit, officium & administrationem concernentia, excusatione, aut negli„gentia semotis, legaliter exercebit, constitutiones, pactiones novas, seu „seditiones contra jura Archidiaconalia minime subibit, aut siqua fuerint, eas„dem Domino Archidiacono, aut ejus vices gerenti, fideliter intimabit:

BUR-

„BUR-DECANATUM in nullius, quam Sedis & Christianitatis Concapitularium „& Domini Archidiaconi manibus dimittet, aut resignabit; nullis unquam „Eminentissimi Archiepiscopi Trevirensis, neque Dni Archidiaconi, juribus „derogabit; quo juramento sic præstito, professione fidei emissa, reversali „etiam manu propria ad nostras manus porrecto, NOS antedictum Domi-„num Josephum Cramer, Pastorem in Erang, ad præfatum BUR-DECA-„NATUM Trevirensem recepimus, CONFIRMAVIMUS, & per byreti „nostri capiti ejus impositionem INVESTIVIMUS, prout & per præsen-„tes recipimus, confirmamus, & investimus, CURAM, ONUS, ET REGIMEN „sæpe dicti BUR-DECANATUS in animam ejus committentes taliter, ut in „die districti examinis coram Deo valeat desuper reddere rationem; Mandan-„tes insuper omnibus, & singulis sæpefatæ Christianitatis Trevirensis Curatis, „clericis, & subditis, quatenus ipsum Dominum BURDECANUM, sic a no-„bis receptum, & confirmatum, recipiant, ipsi intendant, & obtemperent re-„verenter, prætereaque de omnibus & singulis illius juribus, fructibus, pro-„ventibus, & emolumentis eidem respondeant, & responderi faciant plene, „& cum effectu. Datum Treviris sub Curiæ præfatæ sigillo nostro secreto, „die vigesima quinta Junii Anno millesimo septingentesimo quadragesimo „octavo.

EX MANDATO &c.

(*L. S.*) (*L. S.*) *Joannes Michael Welter*,

ad divam Virginem Maj. Canonicus præbendatus, Curiæ Archidiaconalis S. Petri Majoris Judex Commissarius, Not. Apost.

Additio. Quodsi in casu rarissime contingente (nemo enim munus, quod parum infert, in consecutione sumptus causat, qui in civitate ultra 50., extra eandem ultra 100. imperiales ascendunt, in prosecutione labores, & pro salario odia habet, facile ambit) emergeret *discors electio*, causa hæc videtur pertinere ad discussionem Archidiaconi, utpote *confirmantis* electionem. Secus erit in aliis diœcesibus, ubi Archidiaconi solum repræsentant electum a Capitulis Decanum, Episcopus autem ipse confirmat, & investit.

XXIV.

In electione Decani *vox activa* competit *etiam regularibus* vice-curatis, velut repræsentantibus suos principales; non autem videtur competere *passiva*, utpote ad nutum Abbatis amovibilibus, etiam inconsulto prius episcopo*; quales Clerici sunt confirmationis canonicæ, utpote stabilitatem sua natura inducentis, incapaces. **

* Bulla *Firmandis* Benedicti XIV. 8. Id. Nov. 1744. §. *Eveniente autem casu,* *quo*

quo vel Episcopus, vel Superior regularis, aliquem ex prædictis parochis ab exercitio curæ removendum, eademque privandum esse judicaverint; quoniam hujusmodi parochis sine prævia Episcopi approbatione ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propter ea fuit, an Episcopus posset ad hujusmodi remotiones procedere, sine Superioris regularis consensu, & an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam, an regularis Superior, ad similem remotionem & privationem suo jure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas, atque probatas facere teneretur: qua de re supradicta congregatio Concilii decrevit, hujusmodi parochos, TAM AB EPISCOPO, QUAM A SUPERIORE REGULARI, ÆQUO JURE, NON REQUISITO ALTERIUS CONSENSU, AB ANIMARUM CURA REMOVERI POSSE, nec unum alteri causas judicii sui aperire, multoque minus probare, & verificare debere. Id quod a nobis in omnibus approbatur, & confirmatur. Hoc sæculo intra annos 1740. & 50. Capitulum rurale Seligenstadiense Archidiœcesis Moguntinæ elegit unanimi consensu in suum Decanum ipsummet Abbatem monasterii O. S. B. de eodem oppido, qui fuerat prius administrator parochiæ hujus oppidanæ cœnobio incorporatæ zelosissimus, & personaliter perrexit esse post abbatialem dignitatem: iste eligi potuit, quia non poterat pro nutu amoveri.

** Hinc nolim inferas, nec posse igitur in Decanos eligi pastores *sæculares* quarundam ecclesiarum; quia sunt amovibiles ad nutum; nam distingue *nutum a nutu*, nutum Abbatis ad religiosum suum a nutu aliorum; ille promptam habet executionem per verbum: *veni & venit;* iste posterior econtra nihil operatur, nisi prius Ordinario probatæ fuerint *causæ rationabiles;* quanquam non illæ, quæ vocantur *canonicæ*, propter quas deponi meretur aliquis *investitus*, & *perpetuus* vicarius.

XXV.

Sicut *institutio* Decani pertinet ad solum *Archidiaconum* in hac Archi-Diœcesi; ita quoque *destitutio*, sive depositio ad solum *Archiepiscopum.* *

* *Ratio est;* quia Archidiaconus de moribus nostris nequidem *pastorem plebis* exauthorare potest, sed hoc unice pertinet ad Archiepiscopum, licet ei institutiones canonicas, sive investituram impertiatur Archidiaconus; ergo multo minus poterit deponere *pastorem pastorum.* Fallit ergo hic regula: *illius est destituere, cujus est instituere;* prout Canonicorum Capitula sæpe instituunt canonicos & vicarios suos, quin tamen ipsa destituere, sive privare eos possint.

XXVI.

Pro coronide, ad firmandum, vel supplendum superiora, subjungitur instructio, pro Decanis ruralibus in visitatione totius Archidiœceseos Trevirensis

sis sub Archiep. *Jacobo ab Eltz* anno 1569. a Commissariis relicta, cujus mentio fiebat supra §. XI. in not. *

* Voluit Archiep. *Jacobus* in Statutis Burdecanalibus §. 4., hanc instructionem a singulis ad omnes congregationes afferri, & p. t. Decanis exhiberi, atque diligentissime per singulos articulos examinari. Sic autem habet:

„1. Florenus 24. Alb. Rhenensium dabitur Decano Christianitatis, quando inter„erit, & subscribet computationi, atque rationibus magistrorum fabricæ, „& administratorum hospitalium.

„2. Adhæc *jura antiqua, & consueta* Decanorum fideliter conservabuntur *in obi„tu, & successione pastorum.*

„3. Ne res Ecclesiæ, & Deo consecratæ paulatim subtrahantur a successoribus, „habeat Decanus inventarium litterarum, ornamentorum, librorum, cali„cum, monstrantiarum, clenodiorum, redituum, &c. quæ spectant ad pa„rochias, altaria, sacella, & hospitalia Decanatus sui; quæ diligenter in ci„sta communi conservabit, cujus unam clavem ipse Decanus, alteram Se„nior Definitorum, conservet; cista hæc communibus sumptibus fiat; inobe„dientes & rebelles fiscali denunciet.

„4. In eadem cista conservabuntur privilegia, statuta, & ordinationes majo„rum.

„5. Singulis annis *bis ad minus* pastores omnes convocet, & de fide ac moribus „eorum, & subditorum inquirat, & nominatim de sepultis in execratione, „scandalosis, hæreticis, *sine commissione ecclesias regentibus*; an *decimæ*, & „*jura parochiarum* integre solvantur.

„6. *Incognitos* sacerdotes, & sine litteris patentibus Superiorum, *ad concionan„dum, aut celebrandum* in nulla parochia admittat, & *nisi in Commissionum „litteris mentio fiat factæ professionis fidei, subreptitiæ habeantur*, vel non „admittantur, nisi fiat Decano (si forte negligentia, aut aliter, omissa fuis„set) fidei professio.

„7. Inquirat diligenter libros hæreticorum apud pastores suos, eorumque librorum „(si quos invenerit) titulos Visitatori tradat, ab eorumque lectione gravi„ter dehortetur.

„Curæ quoque parochi habeant librum chartaceum pro baptizatorum, & conju„gatorum nominibus; prout præcipit Concilium Tridentinum, *Catechis„mum Concilii Tridentini ad parochos*, Breviarium, Agendas.

„8. Modum legitimum administrandi Sacramenta, Corpus Domini decenter ac re„verenter conservandi, Reliquias honesto loco habendi, curabit a suis pasto„ribus observari, sicut & templorum, sacrarum vestium, cœmeterii, & cœ„terorum.

„9. Pastores discant ex Synodi Decretis, aut ab Archiepiscopo, quam potestatem „habeant *in casibus reservatis* Archiepiscopo.

„Horum omnium executio Decano commissa est sub præstito juramento.

Pro

Pro Copia Hubertus a Malmundario, Notarius Curiæ Archiepiscopalis, & gene-
„ralis Visitationis. Ita in libro protocollari Ven. Bur-Decanatus Trevi-
„rensis p. 74.



Animadversiones Editoris.

Ad §. 5. Generatim inprimis ipse, uti existimo, Lector animadvertet, complura quae huic lucubrationi adjici a me possent, haberi in Dissertatione *mea de Synodis Archidiaconalibus et Archipresbyteralibus in Germania:* in qua et hanc ipsam Auctoris Dissertationem aliquoties appellavi, quare et illico eandem hoc Tomo numero sequenti subjunxi: pauca igitur solum quaedam hic addo. Auctor in hoc § ex Capitularibus mentionem facit *Friskingae:* dubia videtur significatio hujus vocis DU FRESNIO, uti videre est apud eundem ad hanc vocem et sententiis relatis ex *Goldasto*, *Vadiano* et aliis: varie scribi solet: uti *Friskingus* apud BESOLD in *Monument. rediv. in Monast. Hirsaug. p. 516.* FRISLINGUS apud de LUDEWIG *Tom. 2. Reliq. Mss. p. 397. Frisingus* apud L. B. de GUDENUS *Tom. 1. p. 28. Fruschingus* apud *eundem l. cit. p. 366. Friozkinga* apud HONTHEIM *Tom. 1. Hist. Trev. p. 398.* BESOLDO l. cit. in not. p. 536. est animal qualecunque, quod in justam necdum magnitudinem excrevit: frequentius autem, aut ferme universim, ut habet HONTHEIM in indice nondum justi incrementi sus vel vervex: ita apud L. B. de GUDENUS l. cit. p. 28. dicitur: *in predicto autem placito ad servicium ejus* (Advocati in charta fundationis Monasterii Cambergensis de anno 1090.) *debet Abbas maldrum frumenti pro faciendo panem, et* FRISINGUM *unum porcinum, et duos ovinos et vinum ceteraque ad hec sufficientia:* apud HONTHEIM l. cit. p. 401. occurrunt *Friskingi ovini* quatuor et p. 674. *Friskinga vervecina* &c. alia videri possunt apud DU FRESNE l. c.

Ad §. 16. Ad ea, quae hic Auctor conqueritur de expensis longe majoribus aut nimiis, si Decano aut plane excluso soli praefecti Laici, aut uti est in pluribus etiam Germaniae territoriis saltem una cum eodem pro conficiendo catalogo aut inventario haereditatis Parochi defuncti debent adhiberi, videri quoque potest Auctor der Vertrauten Briefen zwischen einigen Geistlichen von dem vorgeblichen Verderbnisse der Geistlichkeit und derselben Immunität und das Bedenken eines alten hochverdienten Ministers rc. neue Auflage 1773. 2. Band. 25. und 26. Brief: non enim nostrum modo est, quae ibi habet, huc referre.

Ad

Ad §. *17.* Nil communius eſt in Germania quam jus *mortuarii* Dominorum in homines ſuos proprios, quibus nominibus appellari ſoleat, et apud quos ſcriptores praecipua de hac re inveniri poſſint, notavi in *Inſtitut. Jur. Ecleſ. Part. 3. ſ. 126.* atque ibidem ex P. ZECH animadverti quod ejusmodi a Parochis, atque ut hic habet Auctor a Decanis ratione Parochorum hinc inde invectum fuerit, ex hoc ipſo jure mortuarii Dominorum occaſionem ſumptam fuiſſe. Concilium tamen *Exonienſe* de anno 1287. Cap. 52. ita de hac origine inquit: *mortuariorum ex eo intelleximus praeſtationem ſalubriter ſumpſiſſe initium, quod decimis majoribus et minoribus ac caeteris juribus parochialibus per ignorantiam non ſolutis laeſis Eccleſiis praeſtaretur: ut talis oblivio procedens ex incuria non ſolventis, poſſet ſaltem per hoc apud diſtrictum judicem excuſari.* Quemadmodum vero uti habet Auctor, mortuarium Decanorum varium eſt, ita et illud Parochorum, uti quod alicubi debeatur Parocho lectus defuncti, aut ejus valor, alibi veſtis melior, optimum animal, pannus impoſitus feretro, quem tamen haeredes redimere poſſunt: in pluribus Dioeceſibus Germaniae hoc mortuarium plane incognitum eſt. Illud jam tanquam abuſum damnatum fuiſſe ſpeciali Bulla ab *Honorio III.* teſtatur DU FRESNE ad vocem, *mortuarium:* quod illud etiam exactum fuerit ab illis, qui ordinem Religioſum ingredi vellent, nimirum tanquam a defunctis morte quadam civili. Conf. P. ZECH l. cit.



IX.

IPSIUS EDITORIS DISSERTATIO DE SYNODIS ARCHIDIACONALIBUS ET ARCHIPRESBYTERALIBUS IN GERMANIA.

Heidelb. 1773.

CAPUT I.

De Synodis Archidiaconalibus.

§. I.

Specialia de Archidiaconis in Germania.

Dum monumenta ævi medii hinc inde pervolverem; de ſynodis quondam ab Archidiaconis & Archipresbyteris præſertim in Germania celebratis plura memoratu digna occurrerunt, quæ cum in Canoniſtarum operibus fruſtra inquiras, brevi hac lucubratione dilucidanda mihi ſumpſi. De Archidiaconis quidem generatim quæ in Decretalibus continentur, paſſim apud eos offendes; quare iis omiſſis nonniſi ſpecialia quædam circa Germaniæ hac in re diſciplinam commemoro. Germaniæ Diœceſes ob ſuam amplitudinem in plures erant diviſæ. Archidiaconatus Prælaturis, inprimis Præpoſituris Eccleſiarum tum Metropolitanæ aut Cathedralis, tum Collegiatarum annexos; * Archidiaconus ex gremio Eccleſiæ majoris inde & MAJOR dictus: ** ſui illis erant Officiales; *** de Archipresbyteris ab iis nominatis paulo inferius ſermo inſtituetur: contra ac Decretales permittunt pro cura quoque animarum hinc inde approbationem concedebant: **** neque cauſſæ graviores uti criminales, matrimonium concernentes ipſis ſubtractæ fuerunt: ***** immo vero alicubi con-

concurrentem cum Epiſcopo jurisdictionem exercuerunt: ****** præter jura occaſione ſynodorum ipſis obvenientia, jus quoque *exuviarum* & *deportus*, *jucundi* item *introitus* exigebant: ******* demum & Chorepiſcoporum nomen ipſis adhæſit. ********

* Res hæc luculentiſſime elucet ex præclariſſimo opere *celeb.* WÜRDWEIN *de Archidioeceſi Moguntina in Archidiaconatus diſtincta* Tomis 2. comprehenſo, atque ſi eadem ratione documenta de aliis Diœceſibus præſto forent, æque, uti puto facile eluceſceret: hæc interim adhuc ex aliis monumentis addo: de *Archidiœceſi Trevirenſi* patet id ex HONTHEIM *Prod. Hiſt. Trev. p.* 312. quo teſte in quinque Archidiaconatus diviſa eſt. De *Diœceſi Argentinenſi* elucet ex *Alſat. diplom. Tom.* I. 1772. *p.* 46. *Diœceſis Osnabrugenſis teſte* ESTOR teutſche Rechts-Gelährheit. P. 2. §. 6364. vi capitulationis perpetuæ in 25. Archidiaconatus diviſa eſt. De *Diœceſi Tullenſi* apparet ex ſubſcriptione plurium Archidiaconorum apud HARZHEIM *Tom.* 3. *p.* 161. *Synodi Diœceſanæ de anno* 1122. item inſcriptione: PIBO *Epiſcopus cum Archidiaconis &c.* Adde eundem l. cit. p. 217. 250. de *Diœceſi Leodienſi* itidem ex ſubſcriptione Synodi de anno 1144. apud eundem l. cit. p. 350. In *Diœceſi Friſingenſi* apud eundem l. cit. p. 402. In ſubſcriptione occurrit Archidiaconus in SLIERSEE: in *Salisburgenſi* an. 1187. l. cit. p. 441. plures itidem Archidiaconi variorum locorum occurrunt: in *Archidiœceſi* quondam *Magdeburgenſi* apud de LUDEWIG *Reliq. Mſ. Tom.* 5. *p.* 72. Archidiaconus BANNI HALLENSIS, *& Tom.* 12. *p.* 295. Der Archidiacon dieſes Bannes zu Halle. Bannum videlicet, licet variam hæc vox ſignificationem habuerit, præcipue diſtrictum quendam deſignabat, inde Banna Archidiaconalia; de aliis ejus ſenſibus vide DU FRESNE. Id mirum, quod apud de LUDEWIG *Tom.* 12. *p.* 250. legere eſt, Archidiaconatus etiam nonnunquam Prælaturis Eccleſiarum regularium annexos fuiſſe: ita l. cit. dicitur: *Præpoſitus monaſterii novi operis extra murum dicti opidi* (Hallenſis) *ordinis S. Auguſtini Archidiaconus loci, & in hac parte* (quoad cauſas ibi enumeratas ratione quarum privilegium de non evocando a Pontifice anno 1415 conceditur) *ordinarius.* Subin Archidiaconos cum Præpoſitis plane promiſcue ſumptos fuiſſe videtur ſequi ex verbis recitatis apud de LUDEWIG *Tom.* 11. *p.* 406. ubi dicitur: *tollimus & abolemus Statutum ſive conſuetudinem ex omnibus Eccleſiis civitatis & Diœceſis Moguntine, quibus cavetur, quod recipiendi in Prepoſitos vel Archidiaconos.*

** Omnino peregrinus ſit oportet in monumentis antiquioribus, qui neſciat Eccleſiam Metropolitanam aut Cathedralem majorem olim dictam, atque inde frequentiſſime occurrere Præpoſitos, Decanos, Canonicos majoris: aliqua de hac re animadverti jamdum in *Diſſ. mea de varietate præbendarum in Germania C.* 2. §. 4. quæ nunc in *Tomo* 3. *Theſauri juris Eccleſ.* ſub prælo eſt: exinde autem Archidiaconum majorem, aut ſubide etiam magnum dictum fuiſſe jam advertit PERTSCH Abhandlung vom Urſprung der Archidiaconen, Archidiaconal-Gerichte xc. *C.* 2. cui adde HONTHEIM *Tom.* I. *p.* 734. WÜRDWEIN *in Comment. cit. Tom.* I. *p.* 87. & alibi, apud HARZHEIM *Tom.* 3. *p.* 334. legitur in ſubſcriptione inter alios Archidiaconos ADELBERO primus Archidiaconus: & *ibid. p.* 251. HUGO junior Archidiaconus.

 *** Ita

*** Ita apud Würdwein *Tom.* 2. *Commentat. p.* 539. legitur: Wir der Official der Probstie zu Franckenfurd 2c. p. 561. *Officialis Prepositure Frankenfurd. recognoscimus &c.* cujusmodi plura in documentis deinde subsequentibus occurrunt.

**** Jure Decretalium tale quid Archidiaconis permissum non fuisse eruitur passim ab interpretibus ex *C.* 4. *de offic. Archidiac.* Atenim apud Hontheim *Hist. Trev. Tom.* 1. *p.* 833. in Charta de anno 1300. dicitur: *qui sacerdos ab ipso Archidiacono, prout* NB. *moris est, ligandi & solvendi potestatem recipiat;* per quod designatam fuisse approbationem pro cura animarum atque ita hac in re consuetudinem juri communi adversam obtinuisse Hontheim in nota subjecta animadvertit. Et apud de Ludewig *Relig. Msf. Tom.* 1. *p.* 348. *cui fratrum Abbas duxerit parochiam committendam, ab Archidiacono recipiat curam animarum.* In statutis Ecclesiæ *Bingensis* recens editis a *celeb.* Würdwein *in subsid. diplom. Tom.* 2. 1773. *n.* 61. in juramento Præpositi, qui simul Archidiaconus fuit, continetur: *item conferam Archipresbyteratum personæ electæ per Capitulum in Plebanum, ipsamque investiam cura animarum.*

***** Apud Würdwein *Commentat. Tom. I. p.* 524. de facultatibus, quas Præpositus Aschaffenburgensis tanquam Archidiaconus Officiali suo concessit, ita legitur: *Damus quoque & tenore præsentium committimus plenam & omnimodam potestatem & facultatem causas & quæstiones quascunque spirituales & prophanas, beneficiales, matrimoniales, criminales, civiles ac mixtas, & illis annexas ad jurisdictionem nostram ordinariam seu forum nostrum ecclesiasticum de jure seu consuetudine aut privilegio spectantes tam Clericorum & Laicorum quorumcunque .... decidendas, exercendas, continuandas & fine debito terminandas* &c.

****** Memorandum est ad hanc rem, quod in Charta Concordiæ inter Principes, Comites et Barones ac Ecclesiam *Halberstadiensem* super magna jurisdictione de anno 1409. apud de Ludewig *Reliq. Msf. Tom.* 7. *p.* 456. legitur: *item habentes jurisdictionem Archidiaconalem in Diœcesi Halberstadiensi sint Archipresbyteri, commissarii Archidiaconorum aut quovis alio nomine vocentur, exercebunt jurisdictionem suam concurrentem cum Domino Episcopo Halberstadiensi; & ejus Officiali per suos districtus & Banna, & locus sit preventioni, ita quod conventus coram uno lite eadem pendente & de hoc constito, ad alium super eadem causa non trahatur, quin imo tractus ad priorem judicem, qui prevenit, remittatur.* In *Archidiœcesi* tamen *Trevirensi* sec. jam 13. Archidiaconorum negligentiam supplebat Officialis Archiepiscopi apud de Hontheim *Tom. I. p.* 728.

******* Jus quidem *exuviarum* & *deportus* a variis quondam exercitum, usurpatumque fuisse, uti Capitulis, Episcopis, Pontificibus, Imperatoribus, Advocatis Ecclesiarum, passim notum est, neque hujus loci est uberius id persequi: necdum hodie id plane cessare patet ex lucubratione Xaverii Mattei Advocati Neapolitani von dem Mißbrauch bey den Spolien der Bischöffe Tom. I. n. 7. des Magazins zum Gebrauch der Staaten und Kirchengeschichte 2c. 1760. Quod Archidiaconos generatim concernit, intuitu Episcoporum id diutius ab illis retentum fuisse patet ex *Can.* 46. *Caus.* 12. *Q.* 2. In Germania in *Diœcesi*

cesi Osnabrugensi illud adhuc prætendi ab iisdem vide apud BOEHMER *Diss. de jure custodiendi reditus vacantis beneficii* §. 12. KRESS vom Archidiaconal-wesen C. 6. De jure *jucundi Introitus* dicitur apud WÜRDWEIN *Tom. I. Commentat. p.* 528. *Item novo Domino Præposito* (Aschaffenburgensi) *debentur pro jucundo introitu ex tribus Capitulis sedium videlicet* MONTAT, TUBERGAW, RUTGAW *centum floreni Rhenenses:* & apud eundem *Tom. I. p.* 155. mentio fit jucundi adventus, immo et pro exitu post mortem aliquid solvendum esse Capitulo decernitur: *& in tali receptione pro jucundo adventu unum florenum Rhenensem Capitulo nostro, cujus tamen quarta pars Archipresbytero & Camerario cedet, dare, ceterumque testamentarii beneficium hujusmodi obtinentis ac in possessione hujusmodi decedentis unum florenum Rhenensem Capitulo nostro pro exitu .... solvere teneantur.*

******** In Archidiœcesi Trevirensi hodiedum adhuc, qui Chorepiscopi salutantur, iidem sunt cum Archidiaconis, apud HONTHEIM *Prodrom. Hist. Trev. p.* 311. ita jam de hac re observatum fuit, in Charta de anno 1138. quidem adhuc aliquam fieri distinctionem his verbis: *absolvimus præterea ipsam Ecclesiam ab omni justitia Chorepiscopi et Diaconi;* sed jam antea quoque cum Archidiaconis confusos fuisse Chorepiscopos non uno exemplo ostendit: sic qui anno 1097. dicebatur Chorepiscopus BRUNO in Charta de anno 1098. dicitur *senex Archidiaconus* et in alia de anno 1107. Archidiaconus sine adjectione quadam. Plura vide l. cit. Huc quoque trahi posse videtur, quod legitur apud JOANN. *T. 2. p.* 737. de Basilica S. JUSTINI in Hosteden (Höchst) monasterio quondam, nunc Ecclesiæ equestri S. Albani sub RUTHARDO Archiepisc. Mogunt. anno 1090. tradita: *ut locus hic religioni Monachorum traditus nullum Advocatum habeat.... nullus Chorepiscopus in illum potestatem exerceat, nisi ab Abbate fuerit vocatus, tunc quinque solidi in ejus sumptus dentur: Archipresbyter vero semel in anno sinodum ibi propter corrigendas animas celebrans solidum unum ad expensas prandii sui accipiat:* textum etiam recitat WÜRDWEIN *Commentat. T. 2. p.* 65.

§. II.

Synodi Archidiaconales in Germania.

Archidiaconi inter alia muneris sui officia, de quibus hic sermo nobis non est, tempore visitationis ab ipsis peragendæ synodos pro emendatione vitiorum atque abusuum celebrare solebant,* faciebant id tum per se ipsi, tum per Archipresbyteros a se designatos, de quibus speciatim deinde agemus, tum alios delegatos suos: ad eas synodos vel confluere debuerunt plures ex vicinia atque integra etiam sede aut Capitulo Presbyteri, una cum suis, aut cum Parocho nonnisi ejus parochiæ adscripti: ** cum vero et laicis ad illas accedendum fuit, synodi *laicales* dictæ fuisse leguntur. *** Germanis Send item der heilige Send, Sendgericht, unde varia alia derivanda sunt. ****

* De hac re generatim, quoniam jam satis pertractata est a PERTSCHIO *l. cit. C.* 7. Von dem Recht der Archidiaconen in Ansehung der synoden, Capitul und

Verordnungen, plura hic non addimus, specialia, uti jam insinuatum est, ex defectu Documentorum ab eo quoque prætermissa, solum commemoraturi.

** Ita apud L. B. DE GUDENUS profitetur Abbas et Conventus Ecclesie in *Rodenkirchen* Ord. Præmonstrat. anno 1258. ob Ecclesiam parochialem Albsheim ipsis unitam *Tom. I. p.* 658. *Hæc scripto etiam confitemur, quod ad Synodum & Capitula Dni Prepositi Ecclesie S. Victoris Moguntini nostri Archidiaconi venire tenemur; Cathedraticum solvere & mandata ejus recipere, & omnia ratione dictarum parochie & Capelle facere, adque plebani sui Archidiaconatus tenentur.* Apud HARZHEIM *Tom.* 3. *p.* 57. *in C. Provinc. Salegunstad. C.* 22. decernitur: *Unusquisque parochianum suum, si ad synodum suam venire, & ad interrogata rationabiliter respondere recusat, in generali Concilio* (quod hic idem est ac provinciali) *præsidente Archiepiscopo, ipse Episcopus suus, sicut deberet in synodo sua, banno eum constringat:* adde *Registrum synodale* apud WÜRDWEIN *commentat. Tom.* 1. *p.* 549. *seqq. quoad Archidiaconatum Prepositi Ecclesie Aschaffenburgensis*, ubi, in quo loco ad synodum villis singulis conveniendum sit prolixe habetur, uti l. cit. OSTHEIM: *ibidem conveniunt* PLUMHEIM *&* NIDDERNBURG, *& sunt quinque scabini synodales &c.*

*** Ita apud WÜRDWEIN *l. cit. p.* 26. hæc habentur: *iste est modus celebrandi sanctam synodum laicalem in anno bissextili* (hoc paulo inferius elucidabitur) *per Preposituram S. Petri extra muros Moguntinos: primo incipit in Peterweil in crastino Assumpcionis B. V. Mariæ, ubi intimata est prius tribus diebus dominicis & per tres quindenas successive, & ita intimatur in omnibus Ecclesiis Prepositure: & Commissarii veniunt in die Assumpcionis hora Vesperarum ad Peterwil, quos suscipiunt incole ibidem in Valvis sepium habentes semellum panem in manutergio mundo, & medium quartale vini exhibentes ipsis Commissariis reverentiam, & ducunt eos ad domum, in qua facient eis debitam & solennem procuracionem insuper & honestum stratum dormiendi.*

**** Lucem hinc accipere debet, quod habetur in *Jure Provinc. Saxon. Lib.* 1. *Art.* 2. Ein jeglich Christenmann, der ist pflichtig dem Send zu besuchen dreymahl im Jahre, so er zu seinen Jahren kommen, in dem Bistum, da er ingesessen ist. Freyheit ist aber hieran dreyerley schöppenbare Leute, die sollen der Bischöffe Send besuchen; die Pfleghaffte der Thum-Pröbste, die Landsaßen der Erzprister. Equidem hanc vocem Send ESTOR teutsche Rechtsgelahrheit *P.* 2. §. 6345. derivari vult a Senne, quod Germanis conventum significasset; atenim omnino deducenda potius videtur a synodo, facile deinde commutanda Germanis in Send: atque exinde constitutiones synodales dictæ sunt apud de LUDEWIG *Reliq. Ms. Tom. II. p.* 677. & 618. sendliche Gesette (Gesätze) & apud WÜRDWEIN *T.* 1. *commentat. p.* 131. den Send besezen: der Sendherr ibid. der Send des Erzbischoffs, und des Dumprobstes *l. cit. p.* 132. Sendgeld ibid. p. 490. der Sendherr sol kommen mit fünfthalb Mann und fünfthalb Pferd (fateor hæc non satis a me intelligi, quanquam sciam quid simile quid sibi velit in Matricula imperii: interim apud eundem formulæ eædem sæpius occurrunt) und der Zehener (in eodem documento etiam der Zehender) sol geben dem Sendherrn dreyßig Thornes (nummos Turonenses, de quo vide *Diss.* Cl. NELLER *ad Regulam Cancellar.* 25. *de Turonensi parvo seu nigro* 1762. ESTOR Anmerkungen über das Staats- und Kirchen-

Kirchenrecht *C.* 44. *à* §. 556. *seqq. de Turonensibus:* item teutsche Rechtsgelahrheit *P.* 1. §. 2812. *seqq.* L. B. de CRAMER Nebenstunden Part. 32. n. 2. von Bedeutung des Worts Turnos) und zehen Wenespfennig, Stulgelt (Cathedraticum indicari videtur) und alle andere Dinge sol mann halten wie obgeschryeben. Porro apud eundem *l. cit. p.* 489. Der Aftersend, quod ibidem *p.* 550. videtur dici ultima synodus his verbis: *Communitas in ultima synodo dant Archipresbytero* 1 *quartale vini*, *& sex panes albos*, *quorum unus valet denarium.* Apud SENCKENBERG *in Corpore Juris German.* ex ævo medio *P.* 2. *N. V. Collect. diplom. Mſ. de rebus civitatum & colonariis p.* 64. Symmerer Kirchen und Zehenden Weisthum. de anno 1517. legitur Heiliger Synot, ibidemque alia plura cum prioribus affinia deprehendes: demum addatur JUSTUS GEORGIUS SCHOTTEL *de singularibus quibusdam & antiquis in Germania juribus & observatis C.* 6. cujus ibidem dicta ex iis, quæ hic a me relata sunt illustrari possunt: quid intelligatur per schöppenbar freye, pfleghafte und Landsaßen ita ex Gloſſa potiſſimum interpretatur: schöppenbarfrey sind die, die ihr eigen Freyheit haben an ihrem Eigen und ihrer Person: pfleghafften (proprietarios dicit) sind die, die in dem Lande eigenes haben, da sie pflichtig sind, etwas von zu geben und zu thuen: Landsaßen sind die, so Zinsleute heißen (paganos censuales a textu latino appellari vult) so auch Baurgulten (adſcripti glebæ) genennt werden: Conf. de SELCHOW *de Juribus ex statu ingenuorum C.* 1. §. 21. *in ejus Elect. Juris. Germ. publ. & priv. p.* 171.

§. III.

Modus Synodos Archidiaconales celebrandi.

Synodi istæ quoad modum celebrandi multum affines erant veteri Germanorum mori judicia exercendi: solenni enim ratione inter formulas certas idque tribus vicibus indicebantur atque inchoabantur: * sui erant in illis pro denuntiatione vitiorum & abusuum ſcabini: ** non solum procurationem sed & alia jura hac occaſione exigebant Archidiaconi: *** inter causas, quæ in synodis istis pertractabantur etiam civiles occurrunt. ****

* Ita apud WÜRDWEIN *Tom.* 2. *Comment. p.* 27. hæc solennitas describitur: *Deinde inquirit* (Commiſſarius Archidiaconi) *utrum denunciata ſit synodus per cancellos per plebanum vel suos tribus quindenis ſucceſſivis uti moris eſt* (valde mane pulsandam esse synodum & tribus quindenis denuntiandam convenit cum more Germanorum mane zu rechter früher Tageszeit celebrandi judicia de more citationes autem trinas decernendi über die 14te Nacht auf den 15. Tag. Conf. DREYER vermischte Abhandlungen *P.* 2. *p.* 814. *& seqq.*) *utrum ſit pulsata ter tribus vicibus id eſt novies ut moris eſt? utrum ſit tempus ſedendi & celebrandi synodum* (eodem modo apud ESTOR von geschickter Abfassung der Urtheln und Bescheiden *p.* 697. der Richter zu den Schöffen: ihr Herrn Schöffen ich frage: obs Tag und Zeit seye unserm G. H. Landgraffen zu Hessen peinlich Halßgericht zu hegen und zu halten: einer der Schöffen antwortet: ja ꝛc.) *cujus authoritate debeat defenſio fieri & proponi* vulgariter geheget werden ꝛc. *Reſpondent ſcabini ut moris eſt: Et tunc Commiſſarius proponit, ut ſequitur,* und hegend den Send *& dicit: in nomi-*

nomine Patris & filii & spiritus sancti. Ego nomine Dominorum meorum &c. & sic inquirat ab uno de scabinis assidentibus: utrum bene proposuit & defensavit vel vulgariter: behegt habe den Send? *qui respondet, ut moris est.* Eodem modo apud ESTOR l. cit. der Richter wie soll ichs dann hegen daß es Krafft und Macht habe & dein: ich frage weiter ob ichs recht gehegt habe Schöff: ja und wer es bricht, der ist ein Wandel dafür schuldig. Conf. etiam modum celebrandi das salzburgische Landtäding apud WALCH vermischte Beyträge zu dem teutschen Recht 1772. *Part.* 2. *a p.* 149. *seqq.*

** Suos Germanis fuisse *Scabinos*, *Scabiones*, *Scaviones*, *Scabiniones* uti *Alsat. diplom. p.* 225. pro judiciis celebrandis notissimum est, de quibus generatim vide BURY teutsches Lehenrecht *Tom.* 1. *p. m.* 528. FRID. BRUMMER *de scabinis in ejus Opuscul.* MEINDERS *de judiciis centenariis Cap.* 5. alia plura apud HONTHEIM *Prod. p.* 532. *Tom.* 1. *Hist. Trev. p.* 400. 409. 410. 495. &c. Hac ratione etiam pluribus in documentis occurrunt *scabini synodales*, Sendschöffen, qui proin longissime discernendi a *Scabinis Centenæ*, Centschöffen: eos juramentum nuncupare debuisse patet ex interrogatione ab initio synodi inter alias proposita apud WÜRDWEIN *l. cit. p.* 27. *tunc inquirit a prædictis scabinis: utrum omnes sint jurati sancte synodi:* quid continuerit hoc juramentum explicatur ibidem p. 30. his verbis: Ir geschworn! ich geben uch off den Eyt, denn ir mynen Herrn von Menze getan hant, unde myme Herrn dem Probst, myme Herrn dem Pferer und des heiligen Stulswegen, daz ir hute vorbrengend alles daz da rubar ist eyne Wahrheit vor eine Warheit, eyn Leymut vor einen Leymut ußgenommen drier hande sache und Articuln die ir nit rugen sollent: uwern eigen perrer eigen herrn und uwer iglicher sie eigen elige frauen, dars nach ob ymans hiervon ꝛc. l. cit. apud de SENCKENBERG dicuntur die Sendschessen oder Kirchengelobten der heiligen Kirchen oder pastorien zu Symmern. Horum etiam scabinorum fuit, jura Archidiaconalia exigere atque colligere, executioni rerum in synodo decisarum invigilare, in dubiis quoque de procuratione Archidiaconi, similibusque juribus opinionem suam & sententiam edicere; uti apud WÜRDWEIN *Commentat. Tom.* 1. *p.* 17. die Budenheimer weißen auf mit recht ein altes herkommens, daß der hochwürdige Erzprister (vice Præpositi Metropol. Moguntini tanquam Archidiaconi, sicut deinde adparebit) soll kommen den synodum zu halten den Donnerstag nach aller Heiligen mit fünfthalben Pferden und sechsthalben Mann, und soll gekocht werden mit einem Fewer ohne Rauch (similia plura servitia Germanis etiam alias uti ratione feudorum consueta erant, de quo conf. WEBER *de investituris & servitiis feudorum ludicris recus.* 1758. *Jenæ*) und wann dem Erzprister mit dem eßen kein Genügen geschehen, soll er solches durch die vier Sendtschöpffen erkennen laßen, und aufs neue zehren. WALCHIUS in den Beyträgen zu dem teutschen Recht *Part.* 2. 1772. *p.* 143. citat *programma a se editum* 1771. *de laicis veterum judiciorum Germaniæ ecclesiast. scabinis*, hoc tamen videre mihi necdum licuit.

*** Procuratio quidem inprimis tempore synodi debita locis citatis varie definitur, quæ fusius huc referre Scopus mihi præfixus non finit: ex iisdem quoque elucet ab Archidiaconis Cathedraticum exactum fuisse: memoratu dignum est, quod in diplom. CONRADI Archiepiscopi Mog. 1195. apud WÜRDWEIN *Tom.* 2. *Commentat. p.* 9. dicitur: *illud innotescere quoque volu-*

volumus, quod sæpe dicti fratres (Ecclesiæ S. Petri) *sufficienti coram nobis obtinuerunt probacione, quod per universum pretaxate Prepositure Archidiaconatum Kathedraticum, anno, qui vulgo exitus noster* (designatur annus bissextilis) *vocatur, ecclesie ipsorum ad ipsius et officinarum ejus ruinas resarciendas debeat attinere.* Anno bissextili etsi alias Cathedraticum ad Archidiaconos spectasset, ab Archiepiscopo jura hujusmodi percepta fuisse elucet ex eodem *Tom.* 1. *p.* 527. ubi de Præposito Aschaffenburgensi dicitur: *item Præpositus habet jura synodalia per terminos trium Capitulorum* MONTAT, TAUBERGAW *et* ROTGAW. *In anno bissextili synodalia jura cum Cathedratico percipit Rmus Dnus. Præposito semper manent jura sigilli, ut sunt. Commendæ, absentiæ, et institutiones beneficiorum* &c. Apud L. B. DE GUDENUS *Tom.* 1. *p.* 90. *in diplom.* ALBERTI *Archiepisc. Mogunt.* de anno 1130. vocatur *Girlose: tam a servicio nostro, quam ab Archididconi, quod bissextili anno persolvitur, quod vulgariter Girlose dicitur, consensu ejusdem Archidiaconi libera permaneat*: et apud eundem *l. cit. p.* 260. *in diplom.* CHRISTIANI *Archiepisc. Mog. de anno* 1170. *conceditur primum in beneficium* HEINRICO *Preposito in Aschaffenburg justitia bissextilis anni que ad nos* (*Archiepiscopum*) *pertinet, que latine Cathedraticum vulgariter vero Kirclose appellatur*: quod tamen iterum dein mutatum fuisse ex ante dictis patet: apud eundem porro *Tom.* 4. *p.* 334. DIETHERUS Archiepisc. *in diplom. de anno* 1459. inter alia concedit Vicario suo generali: *jura quoque nostra Archiepiscopalia, que Synodalia & Kathedratica nuncupantur de presenti anno bissextili ad nos de jure vel consuetudine spectantia & pertinentia sublevando &c. Tom.* 1. *Commentat. apud* WÜRDWEIN de universitate RINDERFELD legitur inter alia: *in anno bissextili dant de quolibet Maldro unum anglicum*; nimirum, ut advertit ESTOR Anmerckungen über das Staats- und Kirchenrecht *l. cit.* §. 560. præter usum Turonensium etiam moneta argentea Anglorum in Germania invaluit præcipue procusa a Francofurtensibus cum inscriptione: *Francofordia Anglica*, dicta vulgo ab insignibus impressis: Löwen englisch valuitque 8. obolos. adde L. B. DE GUDENUS *Tom.* 2. *p.* 1131. *Tom.* 3. *p.* 584. Census præterea varii ratione opificiorum, fundorum, molendinorum pendi debuere, de quo varia offendes apud laudatum jam toties WÜRDWEIN, cui præcipua hac in materia documenta debemus: unicum affero ex *Tom.* 2. *p.* 31. ubi dicitur: *inquirat de foralibus* (vide DU FRESNE ad hanc vocem: hic mihi idem ac extraneos significare videtur; plura de hoc habeo in *Diss. mea de varietate Præbendarum in Germania C.* 4. §. 2.) *quilibet mechanicus dat tres hallenses* (Häller, Heller, quod Halæ suevorum cuderentur. Conf. ESTOR *l. cit.* §. 543.) *quilibet molitor turonum suum* (de quo jam antea actum) *& de rota duos capones: quilibet caupo turonum suum: Faber vero quatuor babbatha eum gumphis*: i. e. soleas ferreas & clavos: gumphus DU FRESNIO quamlibet alias juncturam significat. Mortuarium quoque aliquando ab Archidiaconis prætensum fuisse patet ex prohibitione hujuscemodi exactionis, quæ extat apud HARZHEIM *CC. Tom.* 3. *p.* 805.

**** Caussarum quoque civilium mentio fit in textu jam supra ad §. 1. *in not. relato*: advertit id quoque L. B. DE GUDENUS *Tom.* 1. *p.* 492. Apud HONTHEIM *Hist. Trev. Tom.* 1. *p.* 820. BOEMUNDUS DE SIRSBERCH miles anno 1287. in caussa civili in jus vocatus fuit coram officiali Archidiaconi:

ni: addimus aliqua peculiaria ex Protocollo quodam antiquo apud L. B. DE GUDENUS *Tom. 2. p. 417.* ubi inter varia delicta tempore visitationis aut synodi mulcta coercita hæc quoque leguntur: *Hanns Becker non communicavit tempore paschali: item dicti Hoffmann non decimarunt. Elsa Hoffmann VI. albus: dixit contra filium suum in cimiterio*, er hab gelogen: *Peter Filius Crafft Sengen, ex quo non solvit census Ecclesie. Nicolaus & Lenigen protulerunt aliqua verba in cimiterio. Uxor Martins increpavit Cunz Essing* er hab falsch Kundschafft geben zu *Aschaffenburg* am geistlichen Rechte. It. der Scheffer uf dem Daßberg *accommodat uni certas pecunias sub usura.* It. *Hans.... verba injuriarum mulieri prægnanti. Friz Jung fuit inobediens plebano.* It. *XIII. Alb. Conz Lieber perdidit per sententiam & loquebatur plusquam debuit.* It. *III. Flor. Class. Schneider, qui dixit mulierem Mertin Flad esse meretricem, sed probare non potuit. Schwarz Hanns super verba blasphemie contra sacerdotem.* Reliqua potissimum concernunt sponsalia aut matrimonium, vel delicta carnis. Alia quoque, si lubet, vide apud WÜRDWEIN *Commentat. Tom. 1, p. 313. seqq. p. 524. seqq. Tom. 2. p. 475. seqq.*

CAPUT II.

De Synodis Archipresbyteralibus.

§. I.

Specialia de Archipresbyteris in Germania.

De Archipresbyteris passim ex Canonistis notum est, eos ex mente Juris communis fuisse vicarios Episcoporum in spiritualibus, et quoad jurisdictionem pro foro interno: idque tum in clero civitatis, tum ruri: primis volunt plerumque successisse Decanos Ecclesiarum tum Cathedralium tum Collegiatarum de quibus hic sermo nobis non erit. Archipresbyteri ruri degentes dicti quoque sunt Archipresbyteri plebium: * Decani deinde rurales aut Christianitatum, imo et Chor-Episcopi.** In Ecclesiis primum nonnisi certis locum et stationem obtinebant, quæ et exinde sedes Archipresbyterales, Christianitatis; *** item plebes, plebesanæ, Decaniæ, atque etiam Decimæ dictæ sunt.**** His quoque solum jus Baptismi, quod antiquioribus temporibus atque adeo solis Cathedralibus proprium erat, competebat, unde baptismales vocitatæ sunt.***** Hodie secundum consuetudinem Diœcesium per suffragia Capituli eliguntur, atque ab Archidiacono vel Episcopo confirmantur. Ab his secernendi sunt Archipresbyteri alii, qui nonnisi delegati erant Archidiaconorum pro certo districtu Archidiaconatus sui, in quo nomine Archidiaconorum jura diversa exercebant, atque etiam synodos celebrabant.******

* Ita

* Ita *Cap.* 4. *de Offic. Archipresb.* dicitur, *ut singulæ plebes Archipresbyterum habeant:* egit de hac re jam erudite NELLER *in Diss. ad cit. Cap. de plebium Archipresbyteris Trev.* 1771. quare tantum supplementi ergo aliqua adhuc, quæ ipse non habet, afferemus.

** Apud GOLDASTUM *Tom.* 2. *Constit. Imperial. p.* 327. *in formula reformationis per cæsaream Majestatem statibus ecclesiasticis in comitiis Augustanis ad deliberandum exhibita & ab eisdem probata & recepta C.* 2. *§.* 5. ita lego: *Archidiaconus, quos alii Chorepiscopos, alii Archipresbyteros, alii Decanos appellant rurales, quocunque censeantur nomine in partem solicitudinis constituti sunt, & vocati, ut certæ regiunculæ* (Archipresbyterali, quæ ut vult NELLERUS in Francia olim ad 5000. passus protendebatur) *pastoribus seu parochis, ne in Officio negligentes sint, intendant.* Hic quidem plane, sed minus recte cum ipsis Archidiaconis confundi videntur. Nomen Decani ad Sec. XIII. apud HONTHEIM primum occurrere *Tom.* 1. *p.* 745. notat NELLERUS *l. cit.* §. 7. quanquam Sec. jam anterioribus incognitum non fuisse ex REGINONE ostendat §. 5. Apud WÜRDWEIN in interrogationibus in Synodo ab Episcopo faciendis, quas præfixit *Tom.* 1. *Commentat.* desumptas ex locis communibus celebris illius Sec. XI. Canonistæ Germani BURKARDI *Wormatiensis Episcopi, interrog.* 68. jam ita dicitur: *interrogandum, si in unaquaque plebe Decani sint per villas constituti viri veraces &c.*

*** Apud *L. B. de* GUDENUS *Tom.* 2. *p.* 417. *seqq.* occurrunt Capitulum & sedes MONTADT, Capitulum & sedes ROTHGAW &c. apud WÜRDWEIN *l. cit. Tom.* 1. *p.* 423. *anno* 1380. *judices S. Moguntine sedis Archipresbytero & Camerario sedis in Bensheim. ibid. p.* 169. Modus ratificandi pastorum ruralium juxta sedem Christianitatis in Partenheim. Das ist Verzeichnus wie mann in den Gefellen und Zinsen der Pfarher und Altaristen allhie zu Partenheim nach abziehen und absterben, und wiederum aufziehen und eintretten deus.lbigen ratificiren soll, wie dann nach Ordnung des Capitels des Erzpristerlichen Stuls Partenheim herkommen ꝛc. cujusmodi similia vide apud *eundem l. cit. p.* 323. 365. 422. 472. *Tom.* 2. *p.* 16. *p.* 148. *&c.*

**** Apud HARZHEIM *CC. Tom.* 3. *p.* 441. *Adalbertus Salzburgensis: plebem in Lissenich & plebem in Pelta cum omni jure plebesanarum Ecclesiarum Fratribus Admuntensibus in Concambio tradidit. p.* deinde 461. in confirmatione ejusdem ALBERTI circa prædictas Ecclesias recensentur Ecclesiæ illis subjectæ, & inter alias de quibusdam dicitur quasdam a jure plebesanæ Ecclesiæ præter jus convocandi synodum longa consuetudine exemptas esse: eodem modo apud *de* LUDEWIG *Reliq. Mss. Tom.* 4. *p* 175. occurrit *plebesana Ecclesia de Liegnich* (est eadem cum priori quod apparet, si documentum *Ludewigianum* cum *Harzheimianis* l. c. conferantur) item *Capellæ quædam a plebano jure absolutæ, præter jus convocandi conventum in placito Christianitatis.* Decaniæ dictæ sunt ex divisione etiam politica districtuum in Centenas, aut etiam ex voce illius ævi præsertim in Anglia in *Hundredas*, & *Decanias*, item *Decimas*: quod illustrat ESCHERMANN *in Diss. ad Cap.* 2. *de his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli Trev.* 1772. plura vero ad eruditam hanc lucubrationem huc facientia addi possunt ex celeb. *Grupen in Observationibus rerum & antiquitatum germanicarum Obs.* 27. von den Centgerichten. Quam verissime inte-

interim in *cit. Diss.* asseritur *Decimam* in Capitulo allato minime significare id, quod vulgo, Zehend, sed Ecclesiam Archipresbyteralem, cujus jus patronatus ad Abbatissam & conventum simul spectabat, atque ita non rite illud Capitulum pro ea opinione afferri, quasi alienatio bonorum ecclesiasticorum tacito consensu Capituli convalesceret; uti factum est ab ipso CRAMERO Nebenstunden *Part.* 1. *p.* 5.

***** Episcopi videlicet soli primis seculis baptismum conferebant, unde et in solis Cathedralibus aut prope illas Baptisteria ita dicta visebantur, cujus idcirco rei vestigia passim in majoribus civitatibus adhuc supersunt; ita in civitate Wormatiensi prope Cathedralem hoc modo unica in urbe fuit Ecclesia baptismalis S. JOANN. BAPTIST. SCHANNAT *in Hist. Wormat. p.* 62. et in *Cod. probat. p.* 60. *n.* 66. De Moguntina id ostendit WÜRDWEIN *in Commentatione historico-liturgica de Baptisterio Moguntino, quod extat in Ecclesia collegiata ad gradus B. V. M.* qui et generatim hanc materiam erudite illustrat: de Hildesheimensi vide *Hagiographos antwerpienses* ad diem 4. Maii in vita S. GODEHARDI: de aliis adhuc DÜRR *in Diss. de Parocho a perceptione decimarum novalium in Germania excluso Mog.* 1764. *§.* 9. Quod vero propius huc spectat, cum deinde jus baptisterii Ecclesiis Archipresbyteralibus concederetur, eas *baptismales* vocatas fuisse elucet ex *Can.* 45. *Caus.* 11. *q.* 1. cujus inscriptio est: *Baptismalibus Ecclesiis decimæ dari debent;* textus autem, qui est PASCHALIS II. atque, ut vult BALUZ. *in not. ad Capitular. Tom.* 2. *p.* 1575. ad Episcopos Britanniæ ait: *de decimis justo ordine non tantum nobis, sed & majoribus nostris visum est plebibus* (per quas Ecclesias Archipresbyterales designatas fuisse jam dictum est) *tantum, ubi sacrosancta baptismata dantur, debere dari: & can.* 54. quem GRATIANUS quidem ex *C.* quodam *Toletano* desumptum esse vult: Correctores vero Romani testantur in nullo haberi, sed a BURKARDO & IVONE citari ex *Aquisgranensi*, dicitur: *plures baptismales Ecclesiæ in una terminatione* (regiuncula Archipresbyterali) *esse non possunt, sed una tantummodo cum suis Capellis: & si contentio fuerit de terminatione duarum matricum, plebes utrarumque discernant.* Evidentius in *Capitular.* CAROLI CALVI *Tit.* 48. *de anno* 874. *C.* 11. apud BALUZ *Tom.* 2. *Capitular. p.* 240. dicitur: *& ut Ecclesias baptismales quas plebes appellant, secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, Ecclesiæ filii instaurent.* Conf. BOEHMER *in nova edit. Corp. Jur. Can. in not. ad cit. Can.* 45. Atque ita deinceps in diplomatis baptismales Ecclesiæ occurrunt, uti in *Alsat. diplom. Tom.* 1. *in diplom.* FRID. I. *de anno* 1162. *p.* 252. *Quibus isdem locus usque in presens ditatus est, hæc sunt, campi videlicet, silve, prata in ipsa valle adjacentia a Comite* WERNHERO (dum comitatus necdum hæreditarii omnino essent, necdum ab iis nomen assumpsere, sed potius comitatus a comitibus dicti sunt. Conf. KOPP. *de insigni differentia inter S. R. I. comites & nobiles immediatos. Edit. secund. p.* 62. *seqq.*) *cum servis & ancillis eidem monasterio tradita cum duabus ecclesiis baptismalibus ibidem sitis & Allodium in Regenesbach cum capella &c.*

****** Ita Præpositus Metropolitanæ moguntinæ hodie adhuc pro certo districtu veteris sui Archidiaconatus nominat Archipresbyterum, qui in eodem investit beneficiis ecclesiasticis donatos; interest rationibus reddendis ob reditus ecclesiarum, instituit visitationes. Hujuscemodi Archipresbyter jam occurrit

rit in subscriptione diplomatis de anno 1056. apud L. B. DE GUDENUS *Tom.* 1. *p.* 370. seriem illorum ad nostra usque tempora pluraque de hac re vide apud WÜRDWEIN *Commentat. de Archidiaconat. Tom.* 1. *p.* 4. *seqq.* Præpositus Ecclesiæ Bingensis in Archidiœces. Mogunt. præter officialem etiam Archipresbyterum nominavit, quod elucet ex statutis ejusdem Ecclesiæ jam cit. apud WÜRDWEIN *Tom.* 2. *subsid. p.* 347. *de Articulis jurandis per Dominum Præpositum;* ubi inter alia ita legitur: *item dabo officialem Præpositura meæ unum ex Dominis Capitularibus dictæ Ecclesiæ &c.* & paulo infra: *item conferam Archipresbyteratum personæ electæ per Capitulum &c.* quæ verba jam supra recitavi.

§. II.

De Synodis Archipresbyteralibus.

Presbyteri regiunculæ Archipresbyteralis olim frequentius singulis nempe calendis convenire solebant: * unde & calendas celebrare hinc inde pro eodem ac Synodum celebrare acceptum fuit, quamquam & pro aliis conventibus non ita laudandis adhibitum idem fuerit ** In Germania præsertim his conventibus exinde nomen *Caland*, *Calanden*, adhæsit, inde & Calandgesellschafften, Calandbrüderschafften, quoniam ad similes conventus uti hodie ad Fraternitates ita dictas aut consociationes pias laici quoque paulatim admitterentur: *** huic rei itidem origo debetur certorum in Germania bonorum, quæ bona *Calandica* Calandsgüter appellentur. **** Visitationes veteres districtus sui ab Archipresbyteris institutæ variis nominibus præcipue placitum aut ratiocinatio Christianitatis appellatæ leguntur. ***** Præter eas hodie adhuc institui solitas Kalendis successerunt Capitula sive conventus ab Decanis ex Presbyteris sui districtus certis temporibus pro statutis & consuetudine Diœcesium celebrari soliti, ubi de negotiis Capitulum concernentibus deliberatio instituitur. ******

* Hoc jam satis illustravit NELLER *in Diss. cit. de plebium Archipresbyteris* §. 9. quare cum illa *Tom.* 3. *Thesauri mei* inseretur, non est, cur eadem repetamus.

** *Kalendas*, festum *Kalendarum* designasse quoque superstitiosas laicorum lætitias, atque in ipsa deinde Ecclesia exinde pullulasse festum ita dictum *fatuorum* aut etiam *Hypodiaconorum* ab ipsis Ecclesiasticis celebrari solitum non est, cur hic fusius animadvertamus. Conf. *Diss.* Cl. DÜRR *de Episcopo puerorum, quæ Tomo* 3. *Thesauri mei* denuo adjectis animadversionibus rem hanc illustrantibus imprimitur. Ad scopum nostrum quædam recitabo, quæ habet DU FRESNE ad hanc vocem: ita in charta de anno 1087. apud Sammarthanos in Abbatibus vallis secretæ: *cujus petitioni Dominus Episcopus assentiens.... illud altare ordinavit..... ita quidem salva justitia* (vox ævo medio consueta denotans jura universim etiam sæpe eminentia & Regalia cuidam debita uti in *Alsat. diplom. Tom.* 1. *p.* 197. *pro diversis autem horum omnium justitiis, censuum videlicet, redituum atque servitiorum &c.*) *in synodis & Kalendis, ut*

 sacer-

sacerdos illius loci Prælatis suis obediat sicut antea. Conc. ad Pontem Audomari anno 1279. C. 21. *Statuimus etiam, ut clerici moneantur in Synodis, in Ecclesiis Cathedralibus atque parochialibus, & etiam a Decanis ruralibus in suis Kalendis, ut ipsi tonsuram & habitum deferant clericis congruentes.* C. Rothomag. de anno 1335. C. 11. *Statuit præsens Concilium, quod singuli diœcesani in suis synodis, & Decani in suis Capitulis seu Kalendis exponant casus dictæ sedi Apostolicæ & diœcesanis specialiter reservatos.*

*** Præcipua de hac re jam habeo in animadversionibus meis ad *cit Diss.* Cl. DÜRR, quæ cum sub prælo sint, illa non est necesse hic repetere; ubi quoque insinuavi plura videri posse apud PISTORIUS *in Amœnitat. historico-jurid. Part.* 6. *p.* 33. *seqq.* quare aliqua tantum, quæ ibidem non habentur hic addo. Apud de LUDEWIG. *Reliq. Ms. a* GÜNTHERO *Archiepiscopo Magdeburg.* anno 1408. approbatur fraternitas *Kalendarum* in Ecclesia B. V. Halæ: eadem denuo apud eundem *l. cit. p.* 527. confirmatur a JOANNE itidem *Archiepiscopo Magdeburgensi*, diciturque *fraternitas nonnullorum clericorum & laicorum*, atque ut præter alia tempora singulis Kalendis solenni ratione convenire possit, ipsi permittitur: item apud eundem *Tom.* 2. *p.* 624. ELISABETHA uxor ERICI Ducis Brunswicensis recipit senatum Northeimensem in societatem piam, begnadet ihn mit dem Caland 1519. Apud L. B. de GUDENUS *Tom.* 4. *p.* 809. JOANNES *Episcopus Hypponensis Vicarius in Pontifical.* LUDOVICI *Archiepiscopi Moguntini* anno 1379. (potius ADOLPHI I. Conf. WÜRDWEIN Mainzer Münzen des mittleren und jüngeren Zeitalters. 1769. p. 19.) *largitus est indulgentias omnibus, qui Kalendas per sacerdotes in Fritzlar, Gensingen et Dytmelle pro salute vivorum et mortuorum instauratas devotionis causa frequentaverint.* In Anglia jam sec. 5. & 6. hujusmodi instituta viguisse atque inde in Germaniam transmigrasse existimat DREYER in den vermischten Abhandlungen zur Erläuterung der teutschen Rechte und Alterthumer wie auch der Critick und Historie *Part. I. p.* 85. Conventus hosce etiam synodos dictas elucet ex eodem *l. cit. p.* 86.

**** Bona ejuscemodi tantum exinde ita dicta sunt, quod ad societates hasce pertinerent, quare indolem propterea peculiarem nacta non sunt, quod jam advertit BURG teutsches Lehenrecht 3. *Cap.* 4. Fortsetzung *Edit. Giess.* 1768. *Tom.* 2. *p.* 307.

***** *Placitum* generatim conventum antiquis publicum, judiciumve designavit, unde *Placita regni*, *Advocatorum*, *Comitum &c.* Conf. DU FRESNE ad hanc vocem, item HONTHEIM *Prod. p.* 532. *Tom.* 1. *p.* 171. 186. 397. 481. *&c.* LUDEWIG *Reliq. Ms. Tom.* 4. *p.* 257. *Tom.* 11. *p.* 549. L. B. de GUDENUS *Tom.* 1. *p.* 119. 122. *Tom.* 2. *p.* 207. *Tom.* 3. *p.* 128. *&c.* De *Placito Christianitatis* per decursum jam mentio facta est: unum adhuc addo ex HARZHEIM *Tom.* 3. *p.* 460. ubi dicitur in diplomate ALBERTI *Salisburgensis* de anno 1195. *Gossensis vero & Prieliebensis Ecclesiæ in placito Christianitatis, & in excessuum satisfactione, in judiciis ferri & aquæ* (sunt species Ordaliorum aut judiciorum Dei) *non matricem Ecclesiam Liessenich respuere tenentur, cui etiam antiquo & canonico juri nullatenus refragentur. Tragossensis præterea plebs* (plebs hic non confundenda cum Plebibus, uti ex supra

fupra dictis elucet) *baptifma, fepulturam, placitum Chriftianitatis apud S.* RUDBERTUM *Treviah, ficut ad nos transmiffum eft, requirat.*

****** Subin per ftatuta Capitulorum peculiaria ab Epifcopis confirmata præfcriptum eft, qua ratione conventus ifti fint celebrandi, uti in ftatutis Capituli *Monthad* apud WÜRDWEIN *Commentat. Tom.* I. *p.* 643. In unione Cleri per tractum Erbacenfem apud SCHNEIDER Erbachische Chronic. *p.* 516. Aliqua plane digna funt, quæ hic inferantur: *item bonum eft, quod bis in anno conveniant.... fub pena trium thuronorum antiquorum... induti fuperpelliceis debent Ecclefiam intrare... item quilibet debet die ifto legere miffam... item in menfa debet effe difciplina verborum et factorum fub pena unius thuroni, et unus debet legere pro menfa aliquid boni, quod corrigat & emendet facerdotes ad obmutefcendum clamores & murmuraciones aliorum, nec aliquis debet clamare... item poft menfam fiant tractatus breves de his, que neceffaria funt: item ante omnia & pre omnibus iftis diebus nullus prefumat aliquo modo ludere, nec pernoctare in domo plebani, nifi neceffitas conftringat fub pena predicta trium thuronorum &c.*

§. III.

Modus celebrandi Synodos Archipresbyterales.

Archipresbyter quoque ab Archidiacono defignatus pro certo Archidiaconatus districtu fynodi quoque fpeciem tempore vifitationis celebrabat; * in qua eadem, quæ antea jam fynodis Archidiaconorum expofui, paffim in documentis occurrunt. Ita fui quoque pro ea erant defignati fcabini: ** eadem ratione in crimine et abufus inquifitum, mulctaque decreta fuit: *** procuratio Archipresbyteri, aut eorum, qui hujus denuo vices obibant, definita: **** jura alia hoc tempore, atque certi præcipue cenfus ab opificibus variis pendi foliti fuere. *****

* Ad hanc rem plura vide apud WÜRDWEIN fæpius jam laudat. *Commentat. de Archidiaconat. mogunt. Tom.* I. *a. p.* 16. *feqq. uti* BREZENHEIM It. weißet mann (formula antiquis confueta, unde dein Weisthum) daß der Hochw. Erzpriester, wan er den fynodum halten will, ihnen acht Tag zuvor soll laßen zu wissen thun. apud L. B. de GUDENUS *Tom.* I. *p.* 193. *in Charta de anno* 1149. *de juftitia Ecclefiæ S. MARTINI in Södel: de finodo vero in prefata Ecclefia celebranda, iccirco congruum & neceffarium duximus adnectendum, ne quod Ecclefia futuris temporibus patiatur detrimentum, Archipresbyter finodum celebraturus fecum duos adducet clericos totidemque fervos:* quanquam hoc commodius de Archipresbyteris alterius generis Decanis videlicet ruralibus intelligas.

** Huc jam fpectant ex parte, quæ *Cap.* I. §. 3. not. ** hujus lucubrationis adduximus.

*** Conf. transactionem inter HEINRICUM DE RODINSTEIN canonicum & Archipresbyterum ac Confules civesque moguntinos apud WÜRDWEIN *l. cit. p.* 20. *feqq. de anno* 1300. ubi inter alia varia decernuntur circa id, qua ratione

ne Archipresbyter præcipue violationes dierum festorum in posterum plectere debeat, uti; *si vero dicti calcifices & cendones* (in eodem instrumento dicitur, corduanorum, cerdonum, & rintwarcoriorum, idest illorum qui faciunt calcios de coris vitulino & bovino) *in festis sanctorum quorum vigilie jejunantur exposuerint res venales dicto Domino Archipresbytero singuli quilibet hospes unum obulum Pingwensem* (Pinguia hodie Bingen) *dabunt quociens exposuerint res suas ad vendendum nec ultra hoc per ipsum Archipresbyterum debent de jure, vel poterunt per sententiam aliquam coartari.*

**** Recole id, quod jam attuli *C.* I. §. 3. *not.* ** aliaque plura similia videri possunt locis ibi citatis.

***** Specialia omnino jura obtinuisse Archipresbyterum Moguntinum in collegia opificum patet ex instrumento jam cit. ubi de singulis ferme constitutum, quid ab iis Archipresbytero pendendum sit. Id tamen peculiare, quod plerique quidem opificum in ejus synodo comparere debuerint, alii autem in eadem adesse obligati non fuerint, licet & iis ad certos census fuerint obstricti: ita dicitur *l. cit. p.* 24. *item sartores magistri inter Gades* (locus sepimentis clausus, ubi merces venales exponuntur, *ubi panni linei venduntur, predicti Domini Archipresbyteri synodum, quin Heimborgen* (Heimburger, ministri scabinorum, judicum & magistratuum; ita apud SCHILTER *in edit. Chron. Alsat. Königshoven.* zwölfte Anmerkung. *p. m.* 700. de iis dicitur zum Schultheissen höret och daß er setze dri Personen, den sprichet Heimburgen einen inwendig der alten Stat, zween in der usern ... und dis sind jechlicher Ambacht: ministri scabinorum dicuntur apud eundem *p.* 1156. alias *Heimen* est hospitio aut ædibus recipere apud L. B. DE GUDENUS *Tom.* 4. *p.* 24.) *facti sint, nullatenus frequentabunt & p.* 25. *dicti etiam piscatores predicti Domini Archipresbyteri synodum frequentare nullatenus tenebuntur:* alio instrumento de eodem anno 1300. incolæ *villæ Vilzbach* ab Archipresbytero *l. cit. p.* 30. *seqq.* ad eadem cum civibus moguntinis jura admittuntur, sed ita, ut synodum ipsius ad Ecclesiam S. Joannis Mog. visitent, & ad ipsam synodum dictis temporibus universi & singuli veniant, qui ad ipsam synodum veniendi cum aliis civibus Moguntinis sunt astricti &c. Atque hisce brevem hanc lucubrationem ad res Germanicas varias illustrandas non omnino inutilem fore existimo.



X.

GEORGII CHRISTOPHORI NELLER
J. U. D. &c.

DISSERTATIO CANONICO - PUBLICA

DE

ROMANORUM IMPERATORIS GENUINA IDEA.

Treviris 1760.

Quæcunque de Romano Imperio præclare dicuntur, ad Rectorem ejus procul dubio cum laude redundant.

AENEAS SYLV. Epist. 413.

§. I.

SACRUM *Romanum* Imperium *Nationis Teutonicæ*, in nostra vernacula das heil. Römische Reich teutscher Nation, totus fere orbis veneratur: *Imperatorem*, sine addito, vel cum addito: Romanorum, assidue in ore, & calamo habemus; *ideam* vero *characteristicam* illius non ita facile tenent omnes. Quid enim est proprie *Romanorum Imperator?* Cur plus dignitate, ac rerum gerendarum authoritate, *simplici duntaxat Rege?* Quid facit, ut iste Augustissimus Monarcha noster *præ aliis* christiani nominis Monarchis sit, ac salutetur *Imperator*, & quidem *Romanorum*, non *Germanorum*, vel *Italorum*, quibus tamen magis imperat, quam Romanis?

* Definitio *adæquata*, *plena*, ac *clara* hic desideratur, pro quali recipere non possum illam LYMNÆI *Iur. publ. Tom. I. lib. 2. Cap. 2. Imperator est persona habilis ad capessenda Imperii regimenta, ex illustri familia Germanica orta, ab Electoribus secundum leges Imperii fundamentales electa, ut reipublicæ Romano - Germanicæ tanquam caput, & administrator legitime præsit.*

Nec illam Sprengeri *lib. 1. Cap. 5. Imperator est summa & perpetua potestas in Imperio Romano-Germanico, legibus civilibus soluta;* & his similes: Multo minus id præstant alii, qui, omissa definitione, conglomerant *panegyricos titulos*, tum ex legibus Iustinianæis, tum ex JCtorum libris.

§. II.

Tralatitium est, *Imperatoris* verbum descendisse a priscis Romanis, qui primitus *exercituum* suorum cum supremo Imperio *Duces* nominare soliti sunt Imperatores, maxime, si reportatis magnis victoriis meruerant a militibus istam acclamationem; * postea vero inde ab *Octaviano Augusto* solos *Regentes Monarchas* sui status publici, in quos populus Romanus omne suum Imperium, ac potestatem contulit. *L. I. princ. & §. I. junct. l. 3. ff. de Const. Princ.*

* Explicat, & probat Thom. Dempster JCt. Scotus. *Antiqu. Rom. lib. 7. Cap. 12. & lib. 10. Cap. 6.* Add. Mascov. princ. Jur. publ. *lib. 3. cap. 4.* §. 3.

§. III.

Scriptura sacra vulgatæ versionis, quanquam *Assyriorum*, ac *Persarum* Reges *interdum* nominet *Imperatores*; * Monarchas *Romanorum* tamen constanter vocat *Cæsares*, ** non *Imperatores*.

* Daniel. 6. v. 7. *ut decretum Imperatorium exeat. Esth. 3. v. 2. sic enim præceperat eis Imperator.*

** Luc. 2. v. 1. *Exiit edictum a Cæsare Augusto; & cap. 3. v. 1. Anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris. Matth. 22. v. 17.* & seqq. *Licetne censum dare Cæsari? Date, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Joan. 12. v. 15. Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Et S. Paulus Act. 25.* dicit: *Ad tribunal Cæsaris, Cæsarem appello:* Respondit Portius Festus præses: *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.*

§. IV.

Germani, sicut, dum *latine* loquuntur, retinent, more *Carolingorum*, nomen *Imperatoris*, aut etiam *Cæsaris*, ita econtra in sermone *vernaculo* non sunt sibi visi nomen commodius, quod nec Hispani, nec Galli convertere possunt in suum idioma, assumere, quam *Cæsaris*, dicentes: KAISER, * quo nomine solum Imperatorem mactant, licet *latini* scriptores interdum quoque *Regem Romanorum*, id est, designatum vivente adhuc Imperatoris successorem, vocare *Cæsarem*, exemplo *L. 4. in fin. C. de malefic.*, consueverint.

* Non tam a latino *Cæsar*, quam a græco: Καισαρ, divisa diphtongo *αι* in duas vocales; sicut alias quoque majores nostri adoptarunt quam plurima græca vocabula. Vid. *Wachter* in Gloſſar. German. verbo: *Kaiser*, ubi habet Gothicam, Anglo-Saxonicam, & Francicam hujus vocis dialectum.

Con-

CONCORDAT Russica: *Kessar*, quæ vox non est confundenda cum voce *Czaar*, denotante Regem, sicut Moscovitis, a voce *Czaar* ad sustinendum Imperatoris titulum argumentari volentibus, bene responsum fuit ab imperialibus.

§. V.

USQUE adeo vero soli suo Monarchæ titulum Cæsaris, & Imperatoris vindicat zelosa Natio Germanica, ut non liceat ulli Regum *christianorum* * eodem uti: ** nisi, quod tandem, post difficultationem plurimam hoc sæculo nondum medio *Autocratori*, seu dominatrici Russorum titulus iste fuerit recognitus, pro quo consequendo tantopere circa finem vitæ suæ *Petrus*, cognomento *magnus*, apud Europæas aulas laboraverat. ***

* AEMULATIONEM hujus titulaturæ non faciunt *infideles* Imperatores, *Chinæ*, *Japoniæ*, *Siami*, *Abyssinæ*, aliive remotiores. Sed major est intuitu *Turcæ*, qui Imperatorem se vocat ex triplici fundamento. 1) quia est caput *omnium Mahometanorum*, 2) quia *Rex Regum* est, plura sub se comprehendens regna, vel jure pleno, vel jure saltem tributi ac clientelæ. 3 quia jure gentium tenet Constantinopolim cum Græcia, & reliquo *orientali Imperio*. Romanorum Imperator, licet Turcæ Imperatoris titulum non abneget, sicut constat ex pacibus, Carlowicensi, & Passarowicensi, nec non tractatibus commerciorum cum Porta Ottomannica erectis, in quibus Turcarum Sultanus intitulatur *Ottomannorum*, *Asiæ*, *& Græciæ Imperator*, primo tamen loco se ponit. Papa vero ipsum pro *Imperatore Græciæ* non recognoscit: *Pius II.* Epist. 410. Sic eum allocutus est: *Pius Episcopus servorum Dei.* Illustri *Mahometi Principi Thurcorum.* Obtulit tamen illi, si vellet adorare Christum, inter christianos Principatus culmen: *Si vis*, inquit, *inter christianos tuum Imperium propagare, & nomen tuum quam gloriosum efficere, non auro, non armis, non exercitibus, non classibus, opus est: parva res* OMNIUM, QUI HODIE VIVUNT, MAXIMUM, *& potentissimum, & clarissimum te reddere potest: quæris, quæ sit? Non est inventu difficilis, neque procul quærenda; ubique gentium reperitur, id est aquæ pauxillum, quo baptizeris, & ad christianorum sacra te conferas, & credas Evangelio: Hæc si feceris, non erit in orbe Princeps, qui te gloria superet, aut æquare potentia valeat:* NOS TE GRÆCORUM, ET ORIENTIS IMPERATOREM APPELLABIMUS, *& quod modo vi occupas, & cum injuria tenes, possidebis Jure: Christiani te omnes venerabuntur, & suarum litium Judicem facient: oppressi undique ad te veluti commune patrocinium confugient: ex toto fere orbe ad te provocabitur: multi sponte sua sese tibi subjicient, tribunalia tua sequentur, & tributa præstabunt: Licebit tibi surgentes extinguere Tyrannides, juvare bonos, oppugnare malos; nec Romana Ecclesia te arguet recta via vadentem: Eadem erit erga te charitas primæ sedis, quæ in cæteros Reges, & tanto major, quanto eris ipse sub- sublimior.* cit. Epist. 410.

** IN aula Turcica Reges Galliæ se nominant *Francorum Imperatores*, quod nomen eis quoque in tractatibus pacis Belgradensis dabatur: Hoc transire potest *extra Ecclesiam*, ad faciendum coram Barbaris Christianissimo Regi majorem splen-

ſplendorem; ſed *intra Eccleſiam*, *in regno ſuo*, & reſpectu *Imperatoris noſtri*, abſtinet ultro hoc titulo. De *Alfonſo IX.* Hiſpaniarum Rege exhibet *Mabillon de re diplomat. pag.* 434. Diploma anni 1194., in quo ſcribit: *Ego Adefonſus totius Hiſpaniæ Imperator, una cum uxore mea imperatrice, Domina mea*, & in ſubſcriptione: *Ego Adefonſus totius Hiſpaniæ Imperator: Rex Fernandus filius Imperatoris;* ſed hæc intitulatio id unice pro fundamento habuit, quod duo regna, Arragoniæ ſcilicet, & Galeciæ, & ſic amplius aliquid, quam *purus regni unius Rex*, teneret. Subjungit tamen idem *Mabillon* ex *Joanne Mariana* lib. 11. Cap. 4., quod id ipſum in *Ferdinando* M., Caſtellæ, & Legionis Rege, graviter tulerit *Henricus III.* Imp., ea de re queſtus in Concilio Turonenſi ſub *Victore II.*, cujus monitu deinceps *Ferdinandus* hoc titulo abſtinuerit. Quod idem *Mabillon pag.* 80. de *Aeduardo*, Angliæ Rege, ſcribente ſe *Anglorum Baſileum, imperatorem*, & *Dominum*, refert, hoc rurſus pertinet ad *inferioris generis* ſignificationem, propter ſolam regni amplitudinem; nullus tamen Regum ſcripſit ſe conjunctis verbis *Imperatorem Auguſtum*, ſicut Monarchæ noſtri.

*** Pervicit accreſcens *Ruſſorum* in Europa reſpectus, ſingularis cum domo Auſtriaca amicitia, ac ratio politica, ut poſſeſſori Græciæ Imperii Turcæ duo chriſtiani nominis imperatores in vicinia, velut antemurale, opponentur; licet iterum *Ruſſica* Imperatoris denominatio nihil commune habeat cum titulatura Imperatoris *Romanorum*.

§. VI.

Ipsi Germaniæ noſtræ, ſive, ut olim vocabantur, *Bajoariæ*, aut *Franciæ orientalis*, Reges, quamdiu *ſolum hoc regnum* tenuere, nomen *Imperatoris* non affectarunt, faventes modeſte illud his, qui, ſive in occidente, ſive in oriente, erant in poſſeſſione magnifici hujus tituli. *

* Ex *Franco-Teutonica* ſtirpe Caroli M. *puros Reges*, qui ſe nunquam ſcribebant Imperatores, habuimus nos Germani *Ludovicum Germanicum*, Ludovici pii filium, *Carolomannum*, & *Ludovicum IV.*, ſive ultimum Carolingicæ ſtirpis apud nos. *Ludovicus Germanicus*, licet præ *Carolo II.* ſive *Calvo*, libenter acceptaſſet imperiales infulas, tamen ambitioſe præcipienti *Carolo* reliquit ſolitarie *imperatoriam* titulaturam. Nil contra hoc facit, quod referente *Mabillonio* p. 432. *Rabanus*, ad *Notingum*, Veronenſem electum, ſcribens, hunc *Ludovicum* appellaverit *imperatorem;* nam *diploma* aliquod deberet oſtendi, quo *Ludovicus ipſe* talem ſe ſcripſiſſet. Alii Reges noſtri, ex gente Franconica *Conradus I.*, ex Saxonica *Henricus I.* auceps, nunquam titulo imperatorum uſi ſunt, ſinentes etiam illum uſurpari ab invaſoribus Italiæ, *Guidone*, *Lamberto*, & *Berengario*, quos de catalogo expunxerunt Hiſtoriographi.

§. VII.

Vice mutua, qui *Franciæ ſolum occidentalis* Reges fuerant de ſtirpe Caroli

roli M. finebant successores de sanguine *Ludovici Germanici*, si quibus eorum præ illis imperiale Diadema obvenerat, * hoc titulo privative frui.

* Talis erat *Carolus III.*, cognomento *crassus*, Ludovici germanici filius, sub quo *Ludovicus* Galliæ Rex III., condictus *balbus*, utut ab ipsomet Papa *Trecis* in Campania coronatus, nec a coronante, nec ab alio, nec a semet ipso in diplomatibus, vocabatur Imperator. Vid. *Mabillon* de *re diplom.* pag. 76. §. 15. & pag. 547. 48. 49., prout oculatiores scriptores, contra alios, illum inter Imperatores falso recensentes, adverterunt. Similiter filii ejusdem, *Ludovicus*, & *Carolomannus*, contenti erant regio titulo. Item ex Carolingis Germanicis descenderat *Arnulphus* imperator, licet duntaxat ex nobili Concubina *Carolomanni*, Regis Germaniæ, progenitus, quo imperante nec *Eudo* Parisiensis, nec *Carolus simplex*, alio, quam *Regis*, titulo gaudebant.

§. VIII.

Ipse *Carolus* M., quanquam Francorum regnum ob Aquitania protendisset usque in Pannoniam, & illyricum, Bavariam, Moraviam, Silesiam, Bohemiam, Saxoniam, insimulque Italiæ, seu Longobardiæ regnum possideret, ac sciret, se plurimas terras de occidentis imperio tenere, nec non imperium orientalium *Romanum* perinde ut vacans censeri posse, nihilominus orientalibus, seu græcis Monarchis, 'ut ut attenuatis, solitarium *Imperatoris in Europa unici* titulum reliquit intactum, * donec *a Leone III. invitus* ** ad hanc dignitatem elevaretur.

* Omnia diplomata Caroli M. usque ad an. Christi 801., sive genuina, sive supposititia, habent duntaxat: *Karolus divina ordinante providentia Rex Francorum*, *aut Karolus gratia Dei Rex Francorum*, *& Longobardorum*, *aut*, *Karolus gratia Dei Rex Francorum*, *& Longobardorum*, *ac Patricius Romanorum*. vid. *Histor. dipl. Trev.* Tom. I. pag. 134. 132. 136. 139. 143. 144. *Mabillon de re diplom* pag. 72. §. 7. pag. 74 §. 11., atque in ipsis diplomatibus. *Baluz. Capit. Tom. I.* pag. 202. 203. 209. 271. 274. 330. Addidit quoque titulum *Defensoris Ecclesiæ* prius, quam esset Imperator factus. in Capit. an. 769. *Karolus gratia Dei Rex*, *regnique Francorum rector*, *& devotus sanctæ Ecclesiæ defensor*, *atque adjutor in omnibus Apostolicæ sedis.* ibid. pag. 190. in Aquisgranensi de anno 789. *Karolus gratia Dei*, *ejusque misericordia donante*, *Rex*, *& rector regni Francorum*, *& devotus S. Dei Ecclesiæ defensor*, *humilisque adjutor.* Ibid. pag. 210. *Goldast.* Const. Imp. Tom. 3. pag. 125. Et in epistola ad *offam*, Merciorum seu Angliæ Regem: *Karolus gratia Dei Rex Francorum*, *& defensor sanctæ Dei Ecclesiæ.* *Baluz.* pag. 275. subinde vero simpliciter tantum scripsit: *Karolus divina ordinante providentia Rex.* Id. pag. 246. 250. interdum titulis regiis subjecit: *vir inluster.* *Mabillon* loc. cit. pag. 498.

** Simulatam fuisse displicentiam Caroli M., *Sigonius* contendit; sed refellitur testimonio *Eginhardi* coævi in vit. Carol. Cap. 28. *Quo tempore imperatoris*, *& Augusti nomen accepit*, *quod primo tantum aversatus est*, *ut affirmaret*,

maret, se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Rationem dat plane prudentem *Monachus S. Galli*, suppar, in vita Caroli lib. 1. Cap. 18., *quod putaret, Græcos majori succensos invidia aliquid incommodi regno Francorum machinaturos;* ex quo apparet, tunc persuasum fuisse Regibus, periculo se committere, qui nomen Imperatoris, & Augusti, contra unicum, assumerent. Nota est Compositio, quam fecit desuper Carolus M. cum Græcis, optato etiam, licet non impetrato, *Irenes* Imperatricis connubio. *Ludovico II.* Imp. *Basilius* Macedo adhuc anno 870. & sequenti motus fecit, prætendens, ut tam ille nomen Imperatoris omitteret, quam Papa in suis ad Basilium literis; quanquam istud non curaretur. Vid. *Baron.* Annal. Eccles. Tom. X. pag. 473., ubi elegans Apologia Ludovici Imp. de anno 871., quam post eum quoque edidit *Goldast.* Const. Imp. Tom. 4. p. 17.

§. IX.

Tam excellens autem videbatur *Caroli* M. * successoribus titulus Imperatoris, ut *illo fere solo* uterentur diu, omissis regnorum suorum titulis. **

* Carolus M. post indeptum Imperium solebat alios suos titulos adjungere: *Carolus serenissimus Augustus, a Deo coronatus, magnus, pacificus, imperator, Romanorum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei Rex Francorum, et Longobardorum.* Hist. diplom. Trev. Tom. I. pag. 156. et 157., quam formulam *Mabillonius* pag. 72. §. 8. dicit esse veram, & genuinam, refertque eandem in Diplomate pag. 507. solo ulterius addito epitheto: *piissimus* post τὸ *Augustus.* Confer Epistolam Caroli ad *Pippinum* filium apud *Balutz* Tom. I. Capit. pag. 462. nec non ibid. pag. 483. & 499. in celebri, licet suspecto, præcepto de *scholis Osnabrugensibus* de anno 804. addidit insuper dominatum Saxoniæ: *nec non modo dominator et Saxonum*, apud eund. pag. 418. in charta divisionis regnorum inter tres filios tribuit sibi etiam Cæsaris nomen, quod rarum est, ibid. pag. 439. *Imperator* Cæsar *Rex Karolus Francorum invictissimus, & Romani Rector Imperii, pius, felix, ac triumphator semper Augustus*, quæ duo postrema verba iterum rara sunt, observante *Limnæo* jur. pub. lib. 2. Cap. I. n. 27. & 30., τὸ *Augustus* haud facile ante *Fridericum I.* imp. inveniri cum isto adverbio: *semper*, nec *Cæsaris* latinum nomen ante *Wilhelmum* Hollandiæ comitem apud nostros in usu fuisse. Singularis prorsus titulatura occurrit in diplomate anni 802. pro Ecclesia Trevirensi. Hist. Diplom. Trev. Tom. I. pag. 153. *Karolus divina favente clementia Imperator Augustus, & Francorum* N. B. *Patricius*, quod nomen videtur mutuatus fuisse ex usibus Romanorum sui ævi, qui Rectorem suum temporalem malebant vocare antonomastice *Patricium*, quam *Regem*. Non tamen nego, quod Carolus M. *aliquando* titulos regnorum suorum omiserit: Sic anno 801. in additione VIII. Capitulorum ad legem Longobardicam apud *Balutz.* pag. 346. solum legitur: *Karolus divino nutu Coronatus, Romanum regens Imperium, Serenissimus Augustus.* Et in Capit. an. 813. ibid. pag. 506. *Karolus Serenissimus Imperator Augustus, a Deo coronatus, magnus, & pacificus.*

** Ti-

** Titulos regnorum suorum omittere jam incœpit *Ludovicus pius*, Caroli M. filius, qui ante obtentum Imperium se scripsit, ut pater ejus, *Regem Francorum, & Longobardorum, & Patricium Romanorum.* Hist. diplom. Trev. Tom. I. p. 164., postea vero constanter *HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus*, omittens regna. ibid. pag. 166. 167. 170. 172. 174. *Balutz. Cap. Tom.* I. *pag.* 550. 558. 561. 570. 574. 591. 623. 675. 682. 686. in epistola confirmationis regulæ Canonicorum apud eund. pag. 554. omisso Imperatoris titulo sic legitur: *Gloriosissimus HLudovicus superno munere victor semper Augustus.* Eundem morem omittendi regna servavit, postquam filium suum *Lotharium I.* in Collegam imperii assumpserat: *HLudovicus*, & *HLotharius*, divina ordinante providentia Imperatores Augusti. Hist. diplom. Trev. Tom. I. pag. 175. *Balutz.* loc. cit. pag. 646. *Sanctissimo ac reverendissimo domino, & in Christo Patri, Eugenio, summo Pontifici, & universali Papæ, HLudovicus, & HLotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti, spirituales filii vestri.*

Singulare est, quod anno 835., quo Ludovicus pius jam erat relaxatus, filio autem Lothario rebelli nondum reconciliatus, omisso illo, sic scripserit: *HLudovicus divina* N. B. *repropiciante* (id est me imperio denuo restituente) *clementia Imperator Augustus.* Hist. diplom. Trev. pag. 178.; quod pariter observavit *Mabillon* in alio diplomate. Dum solus occidentis imperator erat Lotharius I. similiter non alio est usus titulo, quam hoc: *HLotharius divina ordinante providentia imperator Augustus.* Hist. diplom. Trev. Tom. I. pag. 173. 183. 181. 182. 184. 187. 189. 191. 192. 193. ita quoque *Ludovicus II.* apud *Balutz* Tom. 2. Cap. p. 1470. & 71. ita *Carolus II.* sive *calvus*: *Karolus Dei omnipotentis misericordia imperator*, vel: *Imperator Augustus.* ibid. pag. 1499. & seq. ita *Carolus III.* sive *crassus*: ibid. pag. 1514. Hist. diplom. Trev. Tom. I. pag. 220. 222. 223. ita *Arnulphus.* vid. *Struv.* Corp. hist. germ. in *Arnulpho* §. 6. not. 19. Ita *Guido* apud *Balutz.* Tom. 2. Capit. pag. 1522. *Goldast.* Tom. 3. pag. 296. ita *Otto I.* ab ann. 962. Hist. diplom. Trev. pag. 292. 302. 303. 304. 306. 308. *Otto II.* ab an. 971. ibid. pag. 989. 310. 311. 312. *Otto III.* ab anno 996. addit τὸ *Romanorum.* ibid. pag. 337. & seq., id quod primum fecisse *Ottonem II.*, notavit *F. Reinhard* in chron. Herbipol. ita Henricus S.: *Henricus Dei gratia Imperator Romanorum*, vel: *Romanorum imperator Augustus*, & ne sim longior, omnes deinceps Germanici Imperatores hoc solo titulo utebantur post inaugurationem Romanam; donec eorum aliqui regna sua hæreditaria, e. g. Siciliæ, Jerusalem, Bohemiæ, apposuerint. Plenissimi a terris propriis tituli incipiunt a *Maximiliano I.*, qui & usus est titulo *Regis Germaniæ* conjunctim cum *Imperatorio*, & quidem primo præ omnibus regnis loco, quod ante eum non legitur. Maximilianum imitati sunt *Carolus V.* & reliqui. Regni autem *Italiæ* nulla occurrit mentio in titulatura Imperatorum nostrorum.

§. X.

Quemadmodum *titulum*, ita quoque *rem ipsam*, magni semper fecerunt Monarchæ *christiani*; * ita, ut ex æmulatione Candidatorum Imperii nemo

mo non agnoscere debeat, non esse *Imperatorem* Romanorum *rem nudi nominis, magnive nihili*,* aut *puræ proëdriæ;* sed *realis*, ac *potestativæ virtutis*, & præcellentiæ majestaticæ veram substantiam.

* QUANTA celeritate coronam Imperialem post mortem *Ludovici II.* Imp. quæsiverit *Carolus calvus;* quam studuerit, eundem ab itinere Romano præpedire *Ludovicus Germanicus*, scribunt passim historici: imo vero *Carolus*, vivente adhuc Ludovico, rem jam concertaverat occulte eum Pontificibus *Nicolao I.* & *Joanne VIII.*, ut probat *Struv.* in Carolo calvo §. 10. not. 23. ex Sirmondo. *Regino* scribit, quod *ingenti pretio* emerit Imperatoris nomen: hanc dignitatem sibi a variis synodis firmari fecit, summeque illa gloriatus est, ita, ut testantibus annalibus Fuldens. ad ann. 876. *ablato Regis nomine, se Imperatorem, & Augustum omnium Regum cis mare consistentium, appellari præceperit, & de Italia in Galliam rediens, consuetudinem Regum Francorum* in vestitu *contemnens, græcas glorias optimas arbitraretur, novos, & insolitos habitus assumens, talari Dalmatica indutus, & baltheo desuper accinctus pendente usque ad pedes, nec non Capite involuto serico velamine, ac diademate desuper imposito.* Super quo *Bellarmin. de translat. imp. Cap.* 5. §. 3. recte sic ratiocinatur: *Si nihil imperatori, quod ad Imperium attinet, aut solam ceremoniam coronationis, Papa dare solet, quorsum Ludovicus Rex Germaniæ tanto studio fratrem Carolum calvum ab itinere Romano avertere conabatur? Quorsum Carolus ipse tanto labore, ac dispendio Romam ad Pontificem venit? Quorsum tam diligenter, pretiosis etiam muneribus, Pontificis animum sibi conciliavit? Cur maluit potius cum fratris exercitu in certamen descendere, ac pati, ut regnum suum a fratris exercitu vastaretur, quam Imperii coronam de manu Pontificis non accipere?* Idem Cardinalis §. 10. & 11. addit alia duo argumenta bona a sollicitatione *Emanuelis Comneni* Græci, & *Philippi Regis Francorum:* Ille gubernabat tunc orientale Imperium, cum occidentali *Fridericus I.* præesset: obtulit per legatos bis *Alexandro III.* Pontifici magnam vim pecuniarum, exercitum non contemnendum, &, quod pluris faciendum erat, unionem Ecclesiæ Græcæ cum latina sub uno summo Pastore Romano Pontifice, *si modo Papa occidentale Imperium, a quo Fridericus I. jure excidisse videbatur, iterum cum orientali conjungeret, atque Imperatori Constantinopolitano restitueret:* posterior autem, vacante per mortem *Alberti I.* Imperio, ratus, nunc, quando *Clementem V.* in Gallia commorantem, eundemque natione Gallum, suas in partes trahere poterat, venisse tempus, quo imperium ad Gallos a Germanis transferretur, decreverat id a Pontifice per solemnes nuntios petere, sed fidelior Germanis pontifex Gallus tempestivo monitu fecit *Henricum VII.* Lucemburgicum præ *Philippo* celeriter eligi. Utrumque factum ex historicis probat *Bellarminus.* Quantos pro habendo Romano Imperio motus fecerit *Franciscus I.* Galliæ Rex contra Competitorem *Carolum V.*, narrat *Struv.* in *Carolo V.* §. 4. & fusius *Browerus* noster ann. Trev. lib. XX. a §. 64. usque 72. *Leopoldo* quoque I. rivalis fuit *Ludovicus* XIV. Æmulatio domus *Bavaricæ* cum *Austriaca* post decessum *Caroli VI.* recentissimæ est memoriæ. Et sane, si non viderent Germani populi, *quantum sit*, esse *imperatorem*, id eis ostensurus esset realibus argumentis Rex Christianissimus, si unquam Cæsarea dignitate condecoraretur.

§. XI.

§. XI.

QUID igitur eſt *Imperator Romanorum?* Et cur eſt *ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram*, ſicut ſcripſerunt S. R. I. Principes Electores ſæculares ad Papam anno 1279.? *

* Literas per extenſum exhibet *Bellarm.* de translat. imp. *lib.* 3. *Cap.* 3. *in fin.* ex autographo Romæ in arce S. Angeli aſſervato, & *Goldaſt.* Conſt. imp. Tom. 4. pag. 92.

§. XII.

HEIC adſunt atavi noſtri, *Legiſtæ*, qui plerumque imperatorum inde a *Friderico I.* partiſani erant, eosque ex reſuſcitato Juris civilis corpore magnificare connitebantur, ex effato *Antonini* Philoſophi Imp. uno ore dicentes: *Imperator eſt mundi dominus.* *

* *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris.* L. 9. ff. *de leg. Rhod. de jact.* Nullus fere eſt, qui ad hanc legem non provocet, etiam inter publiciſtas prioris adhuc ſæculi: Sed mirabilis eſt philoſophia *Antonini*, adhuc mirabilior Legiſtarum concluſio. *Rhodiorum* civitas tulit iſtam legem Rhodiam in caſibus Naufragiorum *pro ſuis civibus*: quidni & *mundi dominus* eandem ferre potuit *pro incolis mundi?* Qui legem peregrinam adoptat exemplo ſuorum anteceſſorum, nonne idem facit, ac ſi eam ferret ipſemet? Ad quid iſta contrapoſitio: *Ego quidem &c. Lex autem &c.?* An lex maritima procedere poteſt, niſi a *domino maris*, aut ſaltem *navigantium in eo?* Qui de inſulis maris usque ad extremum oceani ſtatuit, ille non, ſed lex, ſtatuat de naufragiis? Concluſio vero Legiſtica quorſum abit? An *omnis* Imperator, licet non omnes gentes devicerit, eſt *mundi totius* dominus quoad Imperium, & Jurisdictionem? Sane non videtur ultra eſſe poſſe dominus, quam habeat imperare. Hinc *Gratianus* Imp. non dicit in l. 1. C. de ſumma Trinit. *Cunctos mundi populos*, ſed τὸ *mundi* omiſſo, *reſtrictim* cum addito: *Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit Imperium.* Cum qua reſtrictione intelligendus quoque eſt *Juſtinianus* in proœm. inſt. §. 1. *omnes populi legibus, tam a nobis promulgatis, quam compoſitis, utuntur*, nec non in L. 3. C. *de quadr. præſcript.* ubi dicit, Auguſtum *pro toto terrarum orbe* laborare; cum leges ipſæ ſupponant, non omnes gentes Romano paruiſſe imperio, utpote quod non *meros ſubditos*, ſed etiam *amicos, confœderatos, hoſtes* habebat. *L.* 7. *princ.* & §. 1. *L.* 24. *ff. de captiv.* Facit pertinenter L. fin. C. de Eunnach. *extra loca imperio noſtro ſubjecta*, nec non ibid. diviſio ſoli in *barbarum*, & *Romanum.* Junge L. 1. C. eod. *in orbe Romano.* Multum ſe cruciant Legiſtæ prædicti *ad* L. 1. C. *de Sum. Trin.*, an relativum *quos* ibi ſumatur ut *reſtrictivum*, an vero ut *demonſtrativum?* Quod ultimum violenter ſuſtinent, allegantes l. 52. §. 2. C. de Epiſc. *Et hoc non ſolum in vetere Roma, vel in hac Regia civitate, ſed & in omni terra, ubicunque Chriſtianorum nomen colitur, obtinere ſancimus.* Sed fruſtra ſunt, ut aboleant interpretationem *hic reſtringentem*, æque, ac ſi vellent in hac propoſitione Evangelica: *Date, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, inficiari reſtrictionem. Rectiſſime ergo docuit *Baldus* in Cap. *ſolitæ* de M. & O.

Imperium circumscribitur, & limitatur ad eos, qui ab eo recipiunt temporalia.

§. XIII.

CONSPICIENTES autem Legistæ illi, manifeste falsum esse, quod *omnes* mundi *populi* obediant temporaliter Romano Imperatori, respondent, eorum quidem multos *de facto* non obedire illi, *de Jure* autem teneri. * Sed jus hoc libenter vellem videre, utrum sit *divinum*, *gentium*, *Canonicum*, vel *civile?* **

* ITA plerique veteres in repetitione *cit.* L. 1. C. *de Sum. Trin.* quos inter nonnulli in excessu suo scripserunt, *hæreticum esse, qui teneret contrarium.* Bartol. *in L.* 24. *ff. de captiv.* quod verum esse dicit *Jason* in L. 1. C. de sum Trin. num. 7. *Baldus* in Cap. *solitæ* de M. & O. Contradicit Bartolo suo, dicens, ejusmodi quidem hominem non fore puniendum gladio *spirituali*, tanquam hæreticum, bene tamen gladio *materiali*, tanquam læsæ Majestatis reum, quod absurdius adhuc primo est. Sed cur hæreticum dicunt talem? Quia scriptum est, inquiunt, in Evangelio: *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis:* rideamus! Non potuit jam olim hanc scholæ cramben stomacho suo digerere *Albericus de Rosate* in d. L. 1. C. num. 7., ubi multa contra hanc universalitatem Imperii Romani movet dubia, quamvis timide.

** SINGULA hæc membra assumit, & impugnat mox dictus *Albericus*, quod facile est. Si quæras ab iisdem Legistis 1) an *imperatores tulerint etiam leges pro omnibus populis?* Respondent communiter, non tulisse, non quidem *potestatis*, sed *voluntatis*, defectu, tum, ne leges, non parentibus latæ, vilescerent, tum, quia refractarii populi propter vilitatem suam non sunt digni legibus Romanis: hæc per se cadunt. Si quæras ex eis 2) *An Hispani, Franci, Veneti, subsint Imperio Romano?* Alii *quoad priores duas gentes* respondent, ut supra, quod *de Jure* subsint; alii dicunt, eas habere *præscriptionem temporis immemorialis* pro sua independentia: De *Venetis* ajunt, se vidisse auream bullam pro exemptione eorum; aliqui horum independentiam adscribunt *Juri gentium*, quoniam ædificaverint *in mari*, quod nullius est.

§. XIV.

LEGISTIS misere laborantibus succurrere volunt *Monarchistæ;* quos inter recentior est *Reincking de Regim. Secular.*; dicendo, *quatuor* majores *mundi Monarchias* a Deo fuisse præordinatas *Daniel.* 2. & 7., harum ultimam esse *Romanam*, omnia mundi regna contrituram, & usque ad orbis excidium duraturam. Sed hos jam inter antiquos refutavit supra citatus *Albericus*, hanc adulatoriam perpetuitatem non credens. *

* BENE dicendo, quod *permissione* quidem divina *quatuor illæ Monarchiæ* in orbe surrexerint, omnes autem *ex initiis, et progressibus injustis*, præcipue *Roma-*

Romana: quis enim Romuleæ conglobatæ genti dedit poteſtatem, tot gentes ſibi ſubjugandi? Et ideo dicit Albericus, unam poſt alteram Monarchiam corruiſſe, etiam *ipſam Romanam*, vaticinante Daniele Cap. 2. *in diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: Comminuet autem, &* CONSUMET UNIVERSA REGNA HÆC (nempe per ſtatuam Nabuchodonoſoris præfigurata, cujus percuſſi, ac everſi pedes Symbolum ſunt Romanæ Monarchiæ) *& ipſum ſtabit in æternum.* Et prius. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ arcæ, quæ rapta ſunt vento, nullusque locus inventus eſt eis.* Conſonant, quæ dicit idem Propheta *C.* 7. de *quarta* beſtia, id eſt, *Monarchia*, occiſa, poſtquam ipſa dentibus ſuis ferreis omnia comederat, comminuerat, & pedibus conculcaverat, quo ſignificabatur, regnum quartum majus fore omnibus regnis. Si ergo Monarchia Romanorum erat quarta de prædictis, neceſſe eſt, eam pariter interituram, ſuccedente *alio regno*, in æternum duraturo, quod eſt *regnum ſanctorum altiſſimi*, ut illud vocat *Daniel*, id eſt, ſecundum interpretes, *chriſtianorum.* vid. infra §. XXIV. in not.

§. XV.

SANE, quid ſupereſt de *veteri* imperio *Romano*? Nonne diſſolutæ ſunt omnes compages ejus? Divulſa una poſt aliam provincia abiit in aliud *genus regni*, vel imperii. *

* AFRICAM Mahumetani Arabes, Hiſpaniam Gothi, Galliam, & Germaniam cis-Rhenanam Franci, Britanniam Anglo-Saxones, Italiam primum Longobardi, poſt hos Franci, fecerunt ſibi propriam, Pannoniam Hunni, deinde alii Reges proprii, ac independentes, Aſiam Turcæ: Conſtantinopolim cum Græcia retinuerunt *Imperatores Orientis*, quos a tempore Caroli M. noſtri occidentales nunquam amplius agnoverunt pro *Imperatoribus Romanis*; ſed ſeparatis *Conſtantinopolitanis*, eoſdem ſolo *Imperii*, & *fraternitatis* titulo honorantes, ſuo tamen nomine illis antepoſito.

§. XVI.

AST, ſi *Romana* quoque *Monarchia* interiit, quomodo ſalvabimus *Romanum Imperium* cum *Romanorum Imperatore*, cum non detur concretum ſine ſuo abſtracto? Quomodo Imperatores Teutonici vocant *Juſtinianum*, aliosque Cæſares, ſuos in Imperio *anteceſſores?* Ita nihilominus eſt: non eſt *id ipſum* amplius *Imperium Romanum*, quod olim ſub *Auguſto*, *Conſtantino M.*, *Theodoſiis*, & aliis, ſed *longe diverſum.* *

* QUOD in receſſibus Imperii Juſtinianus, & alii a noſtris Imperatoribus appellentur *prædeceſſores in imperio*, hoc *ad quandam honorificentiam* pertinet, non ad *proprietatem ſermonis*; cum ſuccedi non poſſit in eo, quod amplius non extat: quid de *Romanorum* Imperio ſupererat, quando *Carolus M.* accepit

Romanum Imperium? *Roma*, inquiunt: ast, *quantum* cum ea *territorii*, ut mereretur dici *imperium*, quod nequidem *regno* par erat? Roma fecisset Romanum imperium, quæ nec tunc *corpus*, nec *caput* Imperii amplius fuerat, quam nec *Longobardia*, utpote Francorum, nec *Apulia*, *Campania Romana*, & *Calabria*, utpote Græcorum, nec *Foro-Julium*, *Beneventum*, ac *Spoletum*, utpote propriorum ducum, territoria, multo minus *mundus*, pro *Capite sibi temporaliter Imperante* agnoverunt. Urbs erat miserrime intus, forisque status, in partem subjectivam regni Longobardici tandem abitura, nisi salvatores habuisset Francorum Reges. Confer infra §. 23. in not. 1. & reflecte, non solius urbis, sed *orbis* Imperium fuisse *vetus* imperium Romanum.

§. XVII.

QUAPROPTER aliud *moderni* Romani imperii systema, alia Romanorum Imperatorum idea, alius translati ad Francos Imperii effectus, constitui debet, si velimus, omissis panegyricis, *juridice* loqui. *

* VERIFICARI hodienum debent duo. 1) imperatorem nostrum Augustissimum *vere adhuc* esse *Romanorum* Imperatorem. 2) Eundem potiori Jure *imperatorem* nuncupari, quam Reges *Hispaniæ*, *Galliæ*, *Angliæ*: rem non conficit *unio Italiæ*, *atque Germaniæ* sub uno augustissimo Capite, nec etiam, quod regnum Bohemiæ, aliique electoratus, Ducatus, & principatus, quorum possessores sunt Regibus *pares*, vel *suppares*, sint feuda imperatoris, & pars Corporis hujus politici: hac enim insigni, splendidaque prærogativa non obstante, *Germania* vocatur *regnum*, poniturque in titulatura imperatoris post titulum *Romanorum Imperatoris.* Huc pertinet systema illud, pridem explosum, *Imperatorem* esse, qui quatuor Reges, *Regem*, qui quatuor Duces, Ducem, qui quatuor Comites, *comitem*, qui quatuor Barones, *Baronem*, qui quatuor Castellanos, sub se habeat.

§. XVIII.

Bellarminus Cardin. *de translat. Imp. lib. 1. Cap. 13. in fin.* sequentes dat effectus: *id*, inquit, *imperii translatio effecit*, 1.) *ut Carolus M. illa ipsa, quæ jam habebat, non tantum ut Rex, aut Patricius, sed, ut verus Imperator, & Augustus retineret:* 2) *ut jus haberet ad alias item provincias, quas occidentalis Imperii fuisse, atque injuria ab aliis occupatas esse, constaret:* 3.) *ut denique nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum Cæsarum uteretur*; *atque* 4.) *Eo nomine omnes alios Reges, ac principes, tum ipse, tum ejus successores, ac posteri anteirent, etiamsi aliquando contingeret, ut essent alii Christiani Reges ipso Cæsare longe potentiores.* Sed vix est, ut ista rem exhauriant. *

* NAM ad 1.) illa, quæ ante dignitatem imperialem habuerat Carolus, vel erant *Regna*, vel *Patriciatus Romanus*: Regna Francorum, et Longobardorum post exaltationem suam non incepit tenere *ut Imperator & Augustus*, sed simpliciter tenuit *ut Rex*, quemadmodum *Austriaci* imperatores regna Hungariæ,

gariæ, et Bohemiæ non incipiebant possidere *ut imperatores*, quando fiebant *Cæsares:* ideo quoque Carolus M. præter Imperatoris titulum adhibuit titulos regis Francorum et Longobardorum, tanquam separatos, vocans se etiam eorundem *Patricium* supra §. 9. in not. Et si regna *præhabita* Caroli ad qualitatem imperiorum elevata fuissent, *posteri ejus omnes* imperatores extitissent, quod falsum est. Neque cogitavit Carolus regna sua *reunire Romæ*, sed hæc *juxta*, & *extra eam* tenuit. Deinde manet semper obscurum, quid sit *regna propria tenere deinceps ut Imperatorem et Augustum non tantum ut Regem.* Quantum ad *Patriciatum Romanum*, hic erat alias *minimus*, & *ultimus* Caroli M. *titulus*, quia parum comparatione regnorum ejus importabat: post imperialem coronationem ablatus ei fuit iste titulus (ut diserte scribunt coævi, & suppares) & mutatus in titulum imperatoris Augusti. Sed *in hoc solo*, nulla invenitur *realitas*, nisi ostendatur, quid Carolus per hoc plus rei acceperit, quam habuerat jam prius *ut Patricius?* Ad 2.) Provincias, *jure belli*, & *gentium* ab Imperio occidentis avulsas recuperandi, ac reuniendi Romanis; nullum ab his jus accipere potuit Carolus M.; nam *romano populo* non fuit jus ullum in dictas provincias, sed Imperatoribus, quibus Roma æque suberat, ut provinciæ, salva urbi inter civitates præeminentia. Quodsi e. g. Hispani, & Germani, totum Galliæ regnum, excepta sola civitate Parisiorum cum finitimo territorio, occuparent, ac Parisienses, sine Rege aliquamdiu viventes sub comite, demum vellent aliquem Regem sibi eligere, eique jus conferre, omnia, quæ antehac ad Galliæ regnum pertinuerant, recuperandi, nonne riderentur? Non enim sequeretur: *Parisii fuerunt caput regni Galliæ; ergo Parisienses retinuerunt jus recuperandi omnia quondam ad regnum Galliæ pertinentia* Nec talia cogitavit unquam Carolus M., ut ipse *reuniones deperditorum* faceret *Romanis*, sed quidquid jure belli acquisivit, *sibi*, et *suo Francorum regno* acquisivit: Quod *Ecclesiæ Romanæ* abstulerant Longobardi, hoc Carolus M. *huic*, non *Romanis*, restituit: *Regnum* vero ipsum *Longobardorum* sibi retinuit, non restituit, licet bene sciret, quod terra illa fuerit de meditullio Imperii occidentis: Donavit postea Spoleti, ac Beneventi ducatus *Ecclesiæ Romanæ*, cui et servavit Exarchatum *Ravennatensem:* nihil minus hic cogitabatur, quam *Romanum* augere *imperium:* auxit *Ecclesiæ*, seu D. *Petri patrimonium.* Reges *Hispaniæ*, & *Britanniæ* reliquit in sua independentia: Senectuti laboribus fractæ hoc tribuit *Luipoldus a Babenberg cap. 4. de Jurib. Imp.* Verum amicitia pacifica, quam coluit Carolus cum istis Regibus, facit potius credere, quod mens illi non fuerit, *ex capite reunionum* turbare alios Reges, qui dicere ei potuissent jure: *Carole, redde tu prius Romanis Galliam, & cæteras terras, quæ olim pertinuerant ad occidentis imperium.* Ad 3.) quid juvat uti nominibus sine re? Hoc ipsum est in quæstione, quomodo Romani, *modicæ telluris residuus* de occidentis imperio *populus*, potuerint principi suo adjicere titulos, & honores *veterum Augustorum*, cum ipsi non habuerint amplius occidentis imperium, sed fuerint duntaxat *caput sine corpore* languidum, nullum jus in membra divulsi per alios populos corporis amplius habens. Ad 4.) Hoc iterum est in quæstione, quomodo principi suo Romani potuerint dare præcedentiam præ omnibus mundi Regibus? Quid si ergo Romani non dedissent Carolo principatum, sed elegissent unum de suis debilibus patriciis in occidentis Impe-

ratorem? An huic cessisset Carolus M.? Quod autem hunc, tanquam potentiorem, elegerint, ad se a Longobardis, & intestinis dissidiis, salvandum, eumque vocaverint Imperatorem, & Augustum, quid hoc plus *realitatis* effecit *quoad ipsum principatum Romanum*, secundum se spectatum?

§. XIX.

LUIPOLDUS a *Babenberg* paulo aliter sistit effectus translati imperii, duos nempe istos: *1.) Quod per hanc translationem declarabatur, eundem Carolum, & suos successores, non teneri ad aliquam subjectionem deinceps Imperatoribus Constantinopolitanis græcorum, ad quam omnes Reges orbis, nisi exemptos se ostendant, Imperatori teneantur: 2.) quod virtute ipsius translationis Carolus, & sui successores, receperint potestatem imperialem in omnibus regnis, provinciis, & terris, præsertim occidentalibus, quæ non erat ante tempus dictæ translationis sub potestate dicti Caroli; & etiam petendi, & exigendi a Regibus, & principibus regnorum, provinciarum, & terrarum hujusmodi, subjectionem, imperatori debitam, quam prius non habebat.* Sed hæc iterum pura verba sunt. *

* NAM, quod dicat *Luipoldus*, Carolum M. ante dictam translationem obligatum fuisse *Constantinopolitanis* imperatoribus ad subjectionem, & obedientiam, si non in toto, saltem *usquequaque*, suppositio est, nullo suffulta argumento solido: Carolus regnavit in Francos orientales, & occidentales jure supremo, quemadmodum orientis imperator in suos; neque isti unquam recognovit subjectionem, & obedientiam. *Luipoldus in Cap.* XI., ubi promiserat hujus subjectionis probationem, nihil affert, quod mereatur refutationem: ait enim, quod *Imperator post unctionem, & coronationem Romanam consequatur potestatem imperialem in omnibus regnis, & provinciis, præsertim occidentalibus, quæ non erant sub potestate Caroli M. ante tempus translationis prædictæ, & quæ adhuc non sunt sub potestate imperii de facto, ita, ut possit in eis spurios legitimare quoad temporalia, infames ad famam restituere, leges condere*, & his similia facere; *quæ de jure sunt solis Imperatoribus reservata*; item potest, inquit, *a Regibus, & principibus eorundem regnorum, ac etiam provinciarum exigere subjectionem, quod ante coronationem, & unctionem non poterat.* Cur non etiam *tributum*, cum hoc sit subjectionis probatio Cap. 2. de censib.? subjungit autem: *nisi sic dicamus, non posset dici Rex Romanorum promoveri proprie loquendo ad imperium, nec diei proprie futurus imperator, & esset lex imposita verbis, & non rebus; & distinctio nominum non declararet differentiam rerum, quod est contra Jura.* Verum, omissa hac prætensa potestate, haberi potest *alia realitas* promotionis ad imperium. Minime subsistit, quod porro ait: *licet autem Reges eorundem regnorum fortassis non sinerent talia in suis per imperatorem Romanorum fieri, ad hæc tamen admittenda de jure tenentur: imperator enim fundat intentionem suam de jure in orbe, ut patet ex Cap.* in apibus *VII. q.* I. *& ff. ad l. Rhod. de jact. l.* deprecatio. *Cum ergo ad subjectionem, & obedientiam teneantur imperatori, nisi se ostendant exemptos, videntur* PECCARE *in his sibi resistentes. Cap.* qui resistit XI. q. 3., *præsertim, cum contra obedientiam non currat præscriptio.* Conformiter his principiis docet

cet Cap. 15., quod, licet Reges occidentales, *ex consuetudine, cujus initii non extat memoria*, merum, & mixtum imperium, ac potestatem imperialem *quoad suos subditos* exerceant, non possint tamen ipsi consuetudine, vel præscriptione hoc aquirere, *ut imperator in eisdem regnis nullam omnino Jurisdictionem*, ne *mediatam* quidem, in causis meri, & mixti imperii possit exercere, *in casu appellationis a Regibus ad eum interponendis*, nec *in casu negligentiæ ipsorum Regum*, vel *quando denegarent facere justitiam in causis prædictis*; nec *etiam*, *quod imperator in personis eorundem regum non possit merum, & mixtum imperium exercere.* Hæc omnia sunt contra communem sensum Europæ. Talia nec Reges Germaniæ passi sunt ab imperatoribus Franciæ occidentalis, nec Reges Galliæ ab imperatoribus Germanis. imo ipse *Innocentius* III. in famoso *Cap.* 13. *qui fil. sint legit.* supponit, dari Reges, *qui præter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non recognoscunt*, & de Rege occidentalis Franciæ diserte ibid. ait, quod *Rex superiorem in temporalibus* N. B. minime *recognoscat.* Quapropter *Huberus* ad leg. Rhod. de jact. pag. 920. col. 2. recte perstrinxit *Peckium*, vocans ejus doctrinam *tanto viro indignam, nec ullius sententiæ cedentem absurditati*; quia ad l. 9. eod. tit. sic posuerat: *Ego sane in eorum sententiam transeo, qui Imperatorem respectu universalis regiminis* DE JURE *mundi dominum esse declarant, &, quamvis alia ad particulares principes pertineant*, UNIVERSITAS TAMEN DE JURE AD AUGUSTUM SOLUM. *Igitur, etsi diversa regna diversi Reges obtineant, attamen* OMNES, *nisi speciali privilegio exempti reperiantur, Imperatori* NON SECUS *subesse, quam Pontifici* CARDINALES, CAETERIQUE ECCLESIASTICI ORDINES, *videntur.* Subjungit *Huberus* stomachatus: *quid insanius, quam Imperium Romanum* HABERE NUNC IDEM JUS, *quod fuit* TEMPORE AUGUSTI (vid. supra §. 15. & 16.) *possit excogitari, non animadverto. Certe non est absurdius, statuere, quod* REGES ROMANI ÆQUE *domini mundi fuerint, ac* IMPERATORES *deinde fuerant. Nam, si jus suum Imperatores jure belli amittere non potuerunt, nulla ratio fuit,* ID PRIMUM ACQUIRENDI; *adeoque tam* SEMPER ID EOS HABUISSE *oportet, quam* DEINCEPS SUUM JUS AMITTERE NON POTUISSE *credantur.*

§. XX.

ALII *Esse Imperatoris*, constituunt *in suprema advocatia Romanæ Ecclesiæ*; sed nec isti, licet aliquid tangant, rem adæquant.*

* NAM Carolus M. priusquam fieret Imperator, hunc titulum tenuit (vid. supra §. VIII.) nec apparet, cur exinde dictus esset *Imperator*; cum Romanæ Ecclesiæ temporalis potestas non potuerit propter parvitatem terræ vocari *imperium*, consequenter nec *advocatus* illius terræ *Imperator*; non obstante, quod supposititium instrumentum donationis Constantinianæ Cap. 14. dist. 96. dicat: *Romanam urbem, & omnes Italiæ, seu occidentalium regionum provincias, loca, & civitates juri sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus*: nam, si hoc verum esset, debuisset *Carolus* M. divo PETRO omnia, a Francis cis Rhenum occupata, restituere, *solo advocati titulo* contentus. Sunt & aliarum Ecclesiarum advocati, velut olim *comes Palatinus Rheni* Ecclesiæ *Trevirensis*, nec tamen propterea nactus est nomen *Principis Trevirorum.* Ipse Carolus M. in

suo

ſuo teſtamento ordinavit: *ſuper omnia jubemus, ut ipſi* TRES *fratres curam, & defenſionem Eccleſiæ S. Petri* SIMUL *ſuſcipiant:* an ideo voluit, *omnes tres ſimul poſt ſe fore Imperatores?* Accedit, quod Romani Pontifices *Romanorum Imperatori* ad ſe venienti majorem curialitatis honorem detulerint, quam adventantibus *Imperatoribus græcis:* hi tamen *exteri* erant, purus advocatus alicujus Eccleſiæ eſt *velut domeſticus*, quali non ſolet tantum ceremoniale impendi.

§. XXI.

SED nec ſubſtantia imperatoris *pure* ac *definitive* conſiſtit *in Jure & obligatione protegendi* contra paganos, & hæreticos *univerſam* Chriſti *Eccleſiam*, toto terrarum orbe diffuſam; quaſi vero ex fonte *univerſalis advocatiæ*, fluxiſſet dignitas *Imperatoris;* * licet eo muneris officio recte glorientur Cæſares: **

* QUIA advocatia *præciſe ex ſe* non facit *principatum*, ſed aliunde ſupponit, qui vel eſt *extrinſecus*, aliarum nempe terrarum, adſcitus in adjutorium alias *non-ſubditorum*, vel *intrinſecus*, cum princeps *ſui territorii* ſubditos, aut fideles protegit naturaliter. Carolus M. (ſupra §. VIII.) ſe intitulavit *ſanctæ Dei Eccleſiæ defenſorem*, quin tamen adhuc eſſet Imperator. Conſtantinus M. & alii ante Carolum M. Imperatores, ſtrenue defendebant religionem Catholicam, nec ideo tamen erant *Imperatores*, quia defenſores, ſed ex Chriſtiano Imperio credebant fluere ſervitium pro Chriſto. vid. *L.* 1. *C. de offic. præf. prætor. Afric.*, ubi deſcribit graphice Juſtinianus, quomodo ſubvenerit Chriſtianitati, in Africa a barbaris oppreſſæ.

** ANTE ſuam ad imperium exaltationem *Carolus M.*, ut ſupra vidimus, formali titulo *defenſoris Eccleſiæ* uſus eſt, ſicut poſtea Reges Angliæ; poſt adeptum imperium omiſit quidem hunc titulum; aſt nihilominus toties profeſſus eſt muneris hujus ſui partes, ſicut quoque *Ludovicus pius.* ALBERTUS I. apud Baron. Annal. Tom. X. ad ann. 996. num. 48. in diplomate ait: *Sincero corde profiteor*, quod *Romanorum Reges*, *in Imperatores poſtmodum promovendi, per ſedem eandem ad hoc potiſſime, & ſpecialiter aſſumantur, ut ſint ſanctæ Romanæ Eccleſiæ advocati*, *Catholicæ fidei*, *ac ejusdem Eccleſiæ præcipui defenſores.* SIGISMUNDUS Imperator in Epiſtola invitatoria ad Concilium Conſtantienſe anno 1413. miſſa Carolo Franciæ Regi: *Cum ad imperialia gubernacula fuiſſemus aſſumpti*, *id quod jam dudum erat nobis in deſiderio, tranſivit in præceptum; cum teneamur ſanctam matrem Eccleſiam per imperiale officium tueri*, *cujus etiam Canones SS. Patrum nos appellant advocatum*, *& defenſorem.* CAROLUS V. in Epiſt. ad Collegium Cardinalium poſt-obitum *Pauli* III. an. 1549. *in mentem venit*, *nos* advocati Eccleſiæ *munus*, *& provinciam ſuſtinere*, *eoque nomine & veteri majorum inſtituto in partem hujus ſollicitudinis vocatos eſſe.* Copioſiſſime id ipſum habent receſſus Imperii. Maximilian. I. anno 1512. §. 4. Wir, als rechter Vogt, und Schirmherr der chriſtlichen Kirchen. Et anno 1518. in exordio: wir als erwählter Kayſer, Vogt, und Schirm-Herr der Chriſtenheit. Et §. 1. haben ſeine Heiligkeit uns als erwählten Römiſchen Kayſer, und der heiligen chriſtlichen Kirchen rechten Vogt, Schutz- und Schirm-Herrn ꝛc. R. I. de ann. 1529. §. 1. Ihr Kay-

Kayserliche Majestät, als der Oberst, Haupt, und Vogt der Christenheit; nec non eod. anno contra Anabaptistas: als Römischer Kayser, oberster Vogt, und Beschirmer unsers heiligen christlichen Glaubens. R. I. de anno 1530. §. 9. Uns in den Sachen zu erzeigen, und zu verhalten, wie uns als Römischen christlichen Kayser, obersten Vogt, und Schirm-Herren der heiligen christlichen Kirchen von Ambts-wegen unserem Gewissen nach gebühret; & mox §. 10.

Nachdem aber uns, als Römischen Kayser, und obersten Vogt der Christenheit aus auferlegtem Kayserlichen Ambt gebühret, wie wir uns schuldig erkennen, den heiligen christlichen Glauben zu handhaben, zu schützen, und zu beschirmen. Et alias sæpe. Ex quibus passibus, nec non ex literis Sigismundi Imp. ad Papam, inter Sylvianas 163. *Quia nos quoque velut Imperatorem, & advocatum Ecclesiæ res ista concernit*, videre est, quod *diversa*, atque *distincta* sint prædicata *Imperatoris*, & *advocati Ecclesiæ*, quamvis individua: unde Imperatorem *præcise* per nudam advocatiam Ecclesiæ definire non oportet: aliud enim *est officium essentiale* Imperatoris, aliud *ipsa ejus essentia*. Contraria opinio faceret ex Imperatore *merum vice-dominum, actoremve, & executorem Papæ, & Episcoporum.*

§. XXII.

Nec denique *Esse Romanorum Imperatoris* consistit in *Monarchia Germaniæ*; quasi Romanum Imperium a *Romanis* ad *Germanos* fuisset translatum, sitque secundum statum modernum *Germanorum* quidem imperium, attamen *origine*, ac *derivatione*, ut quidam explicant, *Romanorum*: nam imperium non est translatum a *Romanis*, sed a *Græcis* in Germanos, nec est *derivatio*, sed *actualis veritas* Imperii *Romani*; ita, ut inclyta Teutonicorum natio habeat Imperium, non *Germanicum* (quia Germania *de se* mansit *purum regnum*) sed *Romanum*. *

* Quam parum sub Carolo M. *regnum Francorum* factum est imperium, sed solummodo *is, qui erat Rex Francorum, factus est insimul Imperator Romanorum;* tam parum nunc regnum Germaniæ evasit *in semetipso* imperium; sed *Rex Germaniæ* fit *Imperator*: Non est hic curanda communis vulgi loquela, quæ Germaniam nominat das Reich, vel das teutsche Reich; reducenda enim est ad *proprietatem sermonis*, quam retinet aula Imperatoris; hæc dicit: Römischer Kayser, König in Germanien: das heil Römische Reich teutscher Nation. Mire se torquet *Reincking* de regim. sæc. lib. 1. class. 2. Cap. 2. ad quæstionem: *an imperium nostrum adhuc dicatur, & sit hodie Romanum*; & quidem recte probat, *adhuc esse Romanum*, sed, *quomodo sit Romanum*, male explicat, ut cuilibet legenti apparebit, & vel ex solo hoc colligitur, quod legistice dicat, *Romanum imperium non includi, aut circumscribi loco, sed universum orbem pervagari*, EXEMPLO SERVITUTIS, *quæ semel in fundo quæsita per partes ejusdem indivisim retinetur;* Imperatorem denominari *Romanum*, non ratione *electionis*, vel *nationis*, sed *propter dignitatem*, & *ratione derivationis;* Germanos Principes Electores esse *cives Romanos*, utpote *in orbe Romano* viventes, & *quia communis omnium patria Roma est;* orbem Ro-

manum dici *eam mundi partem, quæ ad Romanam ditionem pertinet; ibi Romam esse, ubi Imperator est &c.*, quæ omnia nimis superficiaria sunt, & re-ipsa faterentur, Imperium modernum non posse amplius hodie dici *Romanum*, nisi *translative*, & *ab origine*.

§. XXIII.

His itaque relictis, exiguæ opinionis meæ summa (salvo saniore judicio, sicut in re tam ardua repetitis vicibus modeste protestatus est olim *Luipoldus a Babenberg*) hæc est, ut disquiratur 1.) *quid actum fuerit anno 801. inter Leonem III. Et Carolum Magnum*, quando iste Rex Francorum, & Longobardorum fiebat *Imperator Romanorum*: deinde autem 2) *quid systematis subsequens ætas publice tenuerit circa significationem Imperatoris Romani?* *

* Alium enim *Imperatorem Romanorum* effingere non possumus, quam qualem *publica acceptio*, & *sensus communis*, sive tempore Caroli M., sive postea, figuravit; hunc solum sequi debet schola, non mirabiles Legistarum, aut publicistarum adinventiones, & inanes panegyres, quas congessit *Reincking* de regim. Sæcul. lib. 1. class. 2. Cap. 7.

§. XXIV.

Ad actum *Leonis III.* quod attinet, id Pontifex iste mihi videtur egisse, ut *Carolo* M., Regi *de se potenti*, *terris propriis*, non *Romanis*, formidabili, ac victoriis claro, daret Romæ *resuscitatam* a se, acclamante populo, dignitatem *imperialem* *, loco Patriciæ, quæ fuerat post Imperatoriam Præfectura *in urbe Romana* prima, *pridem præhabita* **; non quidem *in se Papam* ***, sed in populum Romanum, ut eo magis refrœnaret *communes urbis Patricios*, *senatum*, ac *Nobilitatem Romanam*, sibi Leoni nimis effere insultantem; nec non plebem ipsam per devotum Sedi Apostolicæ Monarcham in officio contineret. Viderat enim Pontifex, Romanam insolentiam indigere *coërcitione Imperatoris* magis, quam *Patricii Jurisdictione*.

* Hoc est, quod scribit continuator Chronici Eusebii ad an. 801. *Carolus a Leone Augustus est appellatus, & obliteratum jam pene in Italia Romanum imperium resumpsit, primusque post Augustulum* APUD ROMANOS IMPERAVIT. Hoc est, quod sigilla successorum *Caroli M.* apud *Mabillon in supplem. ad rem dipl. Cap.* 11. *pag.* 48. dicunt, inter quæ unum *Caroli crassi* in adversa habet: Dn. Kar. imp. P. F. PP. Aug. in aversa *portam urbis* super imposita cruce, cum subscriptione: *Roma*, & in circulo: *Renovatio Roman. imp.* Aliud *Ottonis M.* in adversa: *Otto Imperator Augustus*, in aversa, ubi scutifer cum vexillo: *Renovatio imperii Romanorum.* Fateor, per hoc præcise non multum recepisse Carolum, ut monui supra §. XVI.; *alieno* corpori *Leo III.* imposuit *caput extrinsecum*, Francorum inquam, regno, imperium *solius Romanæ Urbis* cum sic nuncupato ejus ducatu; res tamen populis fe-

cit

cit impressionem ex recepto illo præjudicio: *Roma caput mundi;* quanquam languens hoc, imo detruncatum caput *nullum vitalem influxum* præstiterit corpori, cui super imponebatur, quin nec impositum efficeretur *caput corporis illius*, utpote in *Carolo M.* suum caput jam habentis, nec *Roma pro capite* indigentis. Quæ paulo ante de facto *Leonis III.*, non multum Carolo M. tribuente, dixi, innuit chronicon Möissacense ad an. 801. *Tunc visum est Apostolico Leoni, & universis Ss. Patribus, qui in ipso concilio aderant, seu reliquo christiano populo, ut ipsum Karolum, Regem Francorum, Imperatorem nominare debuissent;* N. B. *quia ipsam Romam*, MATREM IMPERII, *tenebat, ubi semper Cæsares; & imperatores sedere soliti sunt, seu* RELIQUAS SEDES, *quas ipse in Italia, & Gallia, nec non & Germania tenebat.* Erat ergo mirabilis plane figura illius Romanorum Imperii; dum *Rex duorum regnorum, per se stantium, a Roma independentium*, suscepit *regimen unius urbis*, cum suo ducatu, & vocatus est *Romanorum Imperator*, paucis ex hoc solo capite imperans, nec propter hoc appellabilis *mundi dominus.*

** Hoc unicum dicunt coævi, & suppares: *Annal. Fuld. ad an.* 801. *Carolus, ablato Patricii nomine, Imperator, & Augustus est appellatus.* Monachus Engolismensis: *antea dominus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum, & Patricius, Romanorum; sed post laudes a Domno Apostolico more antiquorum Principum adoratus est*, atque N. B. *ablato Patricii nomine, Imperator, & Augustus est appellatus.* Dicunt porro, Carolum constitutum esse Imperatorem *Romanorum*, non dicunt, *orbis Romani*, clare innuentes, imperium Caroli *Romanum*, non se extendisse *ultra fines Patriciatus Romani*, quem præhabuerat: Neque ista exaltatio Græcis Imperatoribus *in ullo alio* præjudicaverat, quam in *dominio Romæ*, cum appertinente modico districtu, & quoad inanem eorum superioritatem, quam prætendebant adhuc *in totum occidentem*, jam inter alios occupantes distributum; & eatenus facta est cum græcis compositio: *Cum Leone Carolus pacem perpetuam componit, ut græcus Imperator orientem, Carolus vero, suique successores, haberent Romam, cum toto occidente*, scribit *Godefrid. Viterb.* pag. 457.

*** Carolum non constituit Imperatorem *sui* Leo III.; neque hoc evincitur, sive ex adoratione Pontificis, sive ex dextera manu Carolo data, dum ingrediebatur vaticanam Ecclesiam. Carolus non erat majoris extensionis *Imperator*, quam ante hac *Patricius*, & sicut se scripsit alias *Romanorum Patricium*, ita postea *Romanorum gubernantem imperium.* Nullus Papa Carolum vocavit, *Patricium Romanæ Ecclesiæ*, sed *Advocatum, ac defensorem*, qui nominandi stylus mansit post coronationem usque huc;

§. XXV.

Subsequens autem ætas, exaltatura magis *Romanorum Imperatorem*, ejusque Imperium *commensuratura Pontificatus Romani latitudini*, aliud fecit systema, *in Daniele* bene fundatum*, nempe *de regno sanctorum*, in æternum duraturo, atque *intra se regna mundi Christiana complectente.*

* DANIEL, Cap. 2. v. 34. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit sta-*

statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit. v. 35. Lapis *autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram:* Per lapidem, sine manibus abscissum intelligunt Ss. Patres Christum, ex casta Virgine sine complexu virili natum. Vers. 44. *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem, et consumet universa regna hæc.* Et Cap. 7. v. 13. *Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit:* vers. 14. *Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ ei servient: regnum ejus non corrumpetur.* vers. 17. et 18. *Quatuor bestiæ sunt regna, quæ consurgent de terra;* SUSCIPIENT *autem* REGNUM SANCTI DEI *altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum &c.* vers. 22. *Venit Antiquus dierum & judicium dedit* SANCTIS EXCELSI, *& tempus advenit,* ET REGNUM OBTINUERUNT SANCTI*:* demum versu 27. *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum,* DETUR POPULO SANCTORUM ALTISSIMI, *cujus regnum, regnum sempiternum est,* ET OMNES REGES SERVIENT EI, ET OBEDIENT. quibus significatur *regnum* Christi, quod est *Ecclesia.* Huc facit illud, non *Regi*, sed *sacerdoti*, Jeremiæ, Christum, & Ecclesiam repræsentanti, *Cap.* 1. *Jerem.* dictum: *Ecce constitui te super gentes, & regna.* Secundum hoc systema *totus mundus* divisus *est in Ecclesias*, & in qualibet Ecclesia *duæ* sunt *potestates*, videlicet sacerdotalis, & regalis, seu principalis, aut alia. Restant etiamnum in germania districtus, etiam temporaliter, in Ecclesias, seu parochias (Kirch-Spielen) divisi, sicut per Westphaliam. Hoc ipsum systema est *Ecclesiæ Parraquajanæ* in America, quod rectissime defendi potest.

§. XXVI.

SCILICET ECCLESIA CATHOLICA, seu *universalis*, toto orbe diffusa, ac resplendens, quæ Imperatores, et Reges *ante se* invenit, diu autem *foris*, et *extra se* stantes dolebat, tandem, disponente domino, *sinu suo* recepit Imperatores, et Reges Christianos, una cum populis totius terræ: hi omnes faciunt *unum magnum corpus*, * quod vocatur *Christianitas*, seu *Christiana respublica.*

* *Unum*, inquam, *corpus*, non solum *per fidei, ac religionis unitatem*, sed etiam *per auxilii temporalis, et brachii sæcularis coadunationem* pro tranquillitate christianitatis, *quoties casus exurgit religionis in communi.* Imo quicunque nominis christiani Regentes, *licet Romano Pontifici non adhærentes*, nec omnia Catholicorum dogmata tenentes, in casu, quo *christianitati universim* periculum imminet, se solent eatenus coadunare.

§. XXVII.

IN magno isthoc corpore *duo* sunt, quibus illud principaliter regitur; nempe, *authoritas sacra Pontificum, et regalis potestas*, * in hoc firmamento cœli *duo* sunt *luminaria magna*, quorum alterum præest *diei*; id est *spiritualibus rebus,*

bus, alterum *nocti*, sive *carnalibus*, ac *mundanis*. ** in hoc Christi regno *duo* sunt gladii, spiritualis scilicet, et materialis. ***

* Ita jam anno 499. ad *Anastasium* Imp. scripsit *Gelasius I.* Papa in Cap. *duo sunt quippe Imperator Auguste*, 10. dist. 96.

** Sic anno 1198. *Innoc.* III. ad Imperatorem orientis in Cap. 6. de major. & obed. *Nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti: utrumque magnum, sed alterum majus: ad firmamentum igitur Cœli, hoc est, UNIVERSALIS ECCLESIÆ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis authoritas, & regalis potestas.* Hanc allegoriam adoptarunt illi S. R. I. principes Electores, qui in actu ratificationis, de quo supra §. XI. anno 1279., ita posuerunt: *Hic* (Imperator *fræna Romani Imperii tenens*) *est illud luminare minus, in firmamento militantis Ecclesiæ, per luminare majus, Christi vicarium, illustratum.* Adoptavit quoque allatis verbis *Sigismundus* Imp. anno 1413. in epist. invitator. ad Regem Galliæ pro Concilio generali habendo.

*** *Bonifacius VIII.* anno 1302. in Extravag. *Unam sanctam* int. com. de maj. & obed. *Sancta Ecclesia Catholica unum corpus mysticum repræsentat, cujus caput Christus, Christi vero Deus ... in hac, ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem scilicet, & temporalem, Evangelicis dictis instruimur ... Ecce duo gladii* HIC, *in Ecclesia scilicet: sed temporalis quidem gladius* PRO *Ecclesia, spiritualis vero* AB *Ecclesia est exercendus, ille sacerdotis, is manu Regum, & militum.*

§. XXVIII.

Quemadmodum vero *authoritas sacra Pontificum*, licet pluribus Episcopis communicata, constituto *uno omnium supremo* (ut Episcopatus unus sit) colligitur sub uno *Capite spirituali*, quod est *Romanus Pontifex*; ita quoque *regalis potestas*, quæ in plura regna dispertita est, coadunatur in Ecclesia *sub uno* omnium supremo *capite temporali*, quod est *Romanus Imperator*: * Et sic in Ecclesia sunt *duo* diversi muneris, ad eundem finem tendentis, *Capita*.

* Cum hac tamen insigni differentia, quod nullus *particularium*, seu *inferiorum* Papa Episcoporum, *seorsim acceptus*, in sua diœcesi considerari possit *ut Rector supremus* a capite *independens*, sed omnis, tametsi Patriarcha major, semper *cum subordinatione*: Econtra quilibet christianorum regum, *seorsim, & absque respectu ad Ecclesiam consideratus*, sit regni sui supremum caput, solum Deum pro superiore suo in temporalibus recognoscens; *tunc* autem *solummodo* stet *sub Imperio*, & *gladio Romani Imperatoris*, quando consideratur ipse, & regnum ejus *ut pars integrans Ecclesiæ*, sive *Christianitatis*; hoc enim respectu, quemadmodum sceptra sua submittere Reges debent supremo *spirituali* gladio, ita quoque supremo *temporali*, quatenus iste *in Ecclesia*, & *pro Ecclesia*, vel Ecclesiis, distringitur, ita, ut *hoc casu* Romanus Imperator sit *Imperator Regum*, alias ab ipso independentium, quemadmodum

dum diversorum Regum coadunatæ Copiæ sub præcellentioris cujusdam Regis imperio militant obedienter.

§. XXIX.

NIHIL interest, *quis hoc systema statuerit*; a Romanis Pontificibus inve-ctum esse, ajunt *Publicistæ*: * transeat: sufficit, quod publice fuerit adoptatum, ac receptum; ** quodque omnes christiani Reges Romanorum Imperatori, qua *capiti temporali populi christiani*, *** tantam majoritatem deferant **** ut ille nulli horum *majestatis titulaturam* impertiatur.

* *Schmaus* Compend. Jur. publ. Cap. 4. §. 2. ibidemque citati.

** Agnoscit hoc *Mascov* princ Jur. publ. lib. 3. Cap. 4. *Ante dissidia sacrorum*, inquit, *sæculo* 16. *exorta*, GENTIUM QUÆDAM CHRISTIANARUM VELUTI COMMUNIS RESPUBLICA *fuit, cujus caput in sacris* PAPA ROMANUS *censebatur, in sæcularibus, quantum quidem ad commune christianorum bonum esset, Imperator, salva cæteroquin reliquorum principum libertate, atque in regnis suis authoritate*, remittitque desuper ad *Leibnitium* in præf. ad Cod. dipl. Jur. gent. & *H. Grotium* de Jur. bel. & pac. lib. 2. Cap. 15. §. 12. Fateor, quod dissidia religionis quasdam gentes *capiti in sacris*, utpote cujus Jurisdictio per leges imperii *quoad Protestantes* suspensa est, *de facto* subtraxerint; sed propterea christiani Reges, *licet de Protestantibus*, non subtraxerunt se *ut Principes christiani* Imperio *capitis in sæcularibus*; neque enim propterea antiquum systema totaliter fuit eversum, vel Aurea Bulla eatenus correcta.

*** ITA nominatur in lege fundamentalissima Imperii, *Aurea Bulla* Caroli IV. *Cap*. 2. §. 3. in Juramento Principum Electorum: *Eligere volo* TEMPORALE CAPUT POPULO CHRISTIANO, *id est, Regem Romanorum, in Cæsarem promovendum*: §. 4. *nisi major pars ipsorum temporale caput mundo elegerit, seu* POPULO CHRISTIANO., *Regem videlicet Romanorum, in Cæsarem promovendum*, et §. 5. *nisi prius per ipsos, vel majorem partem ipsorum*, RECTOR, *seu* TEMPORALE CAPUT FIDELIUM *electum fuerit*. Faciunt verba §. 1. ejusd. Cap. *pro salute populi christiani*, et Cap. 3. §. 2. *pro consolatione populi christiani*. Nec non Cap. 12. §. 1. *ad tractandum de ipsius imperii*, ORBISQUE *salute*. Jam ante Auream Bullam anno 1338. sex S. R. I. Electores, quos inter *Baldwinus* Trevirensis, scribentes ex comitiis Rensensibus ad *Benedictum* B. XII. sic fati sunt: *pro defensione, & recuperatione Jurium sacri Romani Imperii, ac* TOTIUS CHRISTIANITATIS, AD CUJUS REGIMEN, ET DEFENSIONEM IDEM IMPERIUM PRINCIPALITER ORDINATUM DIGNOSCITUR, *disposuimus, & ordinavimus*. Conf. Exauctoratio *Wenceslai* Imp. de an. 1400. Hoc quoque systema imbibitum ex more sui ævi habuit *S. Thomas*; dum in præclaro opusculo de *regimin. princ*. lib. 3. Cap. 16. Jam de Impp. inde a Constantino M. usque ad Carolum M. ita scripsit: *unde ipsorum Imperium secundum mandatum summi Pontificis ordinabatur, ut merito dici potuerint* EXECUTORES, ET IMPERATORES DEI AD GUBERNANDUM POPULUM CHRISTIANUM.

**** No-

**** NOTABILIS passus est in literis *Conradi III.* Imp. ad *Joannem Comnenum* Constantinop. Imp. de anno 1146. *Ad hoc* FRANCIA, & HISPANIA, ANGLIA, DANIA, CÆTERAQUE REGNA, *Imperio nostro adjacentia, quotidiana legatione sua cum debita reverentia, & obsequio nos frequentant* AD EA, QUÆ IMPERII NOSTRI MANDATA SUNT, *se prompta esse, tam obsidibus, quam sacramentis, affirmantes.*

§. XXX.

DOCTRINAM *de duplici* in Ecclesia *gladio* non excogitavit primus *Bonifacius VIII.*: Jam pridem *ante illum* hac allegoria *Imperatores ipsi* erant usi. *

* ITA *Henricus IV.* in comit. Wormat. anno 1077. .. *ipse salvator in passione de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit, cui cum diceretur*: Domine, ecce duo gladii hic: *respondit:* satis est, *significans, hac sufficienti dualitate spiritualem, & materialem gladium* IN ECCLESIA ESSE *gerendum, quibus omne nocivum foret amputandum; videlicet sacerdotali ad obedientiam Regis pro Deo, regali vero, ad expugnandos inimicos exterius, ac obedientiam interius.* Ita quoque *Fridericus I.* Imp. an. 1159. in epistola ad Episcopos transmontanos: *quod in passione sua Christus duobus gladiis contentus fuit, hoc in romana Ecclesia, & in Imperio credimus mirabili providentia declarasse; cum per* HÆC DUO RERUM CAPITA, *& principia* TOTUS MUNDUS, *tam in divinis, quam in humanis ordinetur. Cumque unus Deus, unus Papa, unus Imperator sufficiat, & una Ecclesia Dei esse debeat &c.* Et anno 1177. in epist. ad Emmanuelem Imp. Constantinop. *sicut ille Rex regum, a quo omnis potestas, Romanum imperium* CAPUT TOTIUS ORBIS *constituit; ita etiam sedem romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum unicam matrem, dominam, magistramque ordinavit, quod utique* DUORUM NUMERO GLADIORUM *signavit, quos dixit* ORBI *sufficere ipse author fidei christianæ. Quapropter tuam prudentiam commonemus, quatenus nobis, & Romano Imperio honorem debitum recognoscas, & summo Pontifici, quem nomine sanctum appellas, debitam exhibeas reverentiam, & honorem. Fridericus* quoque II. in constit. 1. contra hæretic. *Commissi nobis cura regiminis cælitus, & imperiale, cui dante domino præsidemus, fastigium dignitatis,* MATERIALEM, *quo divisim a sacerdotia fungimur,* GLADIUM *adversus hostes fidei, in exterminium hæreticæ pravitatis, exigunt exercendum.* Nec non tres S. R. I. Electores, Palatinus, Saxo, Brandenburgicus, in ratificatione donationum, Pontifici per *Rudolphum I.* factarum, vel confirmatarum de anno 1279. *Hic est, qui* MATERIALEM GLADIUM *ad ipsius nutum excutit, & convertit, ut ejus præsidio pastor pastorum adjutus, oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigat.*

§. XXXI.

Ex hoc igitur systemate elucet, quid sit, *Romanorum Imperator nationis Teutonicæ*, nimirum *omnium temporalium Principum in orbe Christiano supremus, & Princeps*: cujus potestas *duplici respectu* consideranda venit, nempe: 1.) in ordine

dine *ad finem pure temporalem*, ac *civilem*, ut imperando prosit rebus publicis illis, quæ *Cæsari ordinarie in temporalibus* parent; 2.) in ordine *ad finem sacrum*, *spiritualem*, *elevatum*, ac *supernaturalem*, ut Imperator gladio Ecclesiæ materiali prosit *universæ Christianitati*, * etiam illi, *quæ sibi cæteroqui non est in temporalibus ordinarie subjecta*; sed *sub aliis regentibus*, sive *fidelibus*, sive *infidelibus*, Catholicis, vel non-Catholicis, vivit. **

* SECUNDUM hunc *ultimum* respectum *Imperium est in Ecclesia*, non vice versa *Ecclesia in Imperio*, quia sine substrata, ac præsupposita Ecclesia non foret *Imperium hujus acceptionis*. Quo pertinet illud *Baldi* in L. 1. C. de Sum. Trin. *tota collectio christianorum tenet Romanum Imperium*. Sed secundum *primum* respectum Ecclesiæ *particulares* (non *universalis*, utpote *major*, & *latior longe* quovis singulari regimine sæculari) sunt *in imperio*, salvis suis exemptionibus, libertatibus, & privilegiis. Quodsi hanc geminam Imperatoris Romanorum relationem melius distinxissent JCti veteres, tam fatua *de potestate Imperatoris pure temporali in omnes orbis Reges, & imperantes non posuissent*.

** ET *in hoc sensu*, sanius, quam alii, ait *Baldus* l. c. *Imperator*, *est dominus universalis N. B. Christianorum*. Id quod ipse Turcarum Sultanus *Solimannus* agnovit, qui anno 1562. in literis credentialibus, *Ferdinando I.* Imp. oblatis, posuit: *Rex Ferdinande, qui es potens* TOTIUS CHRISTIANITATIS DOMINUS, *& vas electum potentis fidei christianæ &c.* Ut ex oculari teste refert *Reincking* de regim. sæc. lib. 1. Class. 2. Cap. 7. num. 49.

§. XXXII.

AD finem igitur *mundanum*, & *pure civilem* ordinata potestas *Romanorum* Imperatoris est *limitata* ad *certas terras*, complectens *olim* regimen particulare *urbis Romæ*, * *Germaniæ*, & quæ huic inde ab *Ottone M.* imp. unita est, *Italiæ*.

* JAM supra §. XXIV. ostensum est, in hoc sub *Leone* III. factum esse Imperatorem *Carolum* M., ut Romanis civibus, quibus alias præerat *tanquam Patricius*, præesset ex tunc *tanquam Imperator*, salvo systemate urbis illius, tam quoad *temporalem forte potestatem Papæ* in eam, quam etiam *quoad potestatem patriciæ nobilitatis*, ac senatus in communem populum, quod systema, *quale proprie fuerit*, difficillimæ est indaginis. Constat quoque, Carolum M. aliosque Imperatores, Romæ administrasse justitiam, partim per se, partim per suos missos: vid. *Mascov:* princ. Jur. publ. lib. 2. Cap. 5. §. 5. a. & b. Et *Mosheim* Inst. hist. Eccles. sæc. VIII. part. 2. Cap. 2. §. 11. *Legislationem* quoque *Imperatoriam*, *in Romanos* ipsos cives exercitam, probant Cap. 9. & 13. junct. Constitut. *Lotharii* Aug. *dist.* 10. item Cap. 37. XI. *q.* 1., ubi recensentur omnes populi, ditioni Caroli M. subjecti, atque inter hos primo loco *Romani*, contradistincti ab aliis *Italis*: Non obstat, quod forte *jam tunc* Papa fuerit *dominus temporalis Romæ;* nam & Episcopi Germaniæ sunt domini suarum civitatum, & nihilominus recognoscere debent Imperatoris, seu regis,

gis, ſupremam poteſtatem, tam *legislativam communem*, quam *judiciariam*. Per hoc nolo diſputare Romano Pontifici ſupremitatem, etiam temporalem, in *urbem Romam*, ſive illam habeat ex *dono Cæſarum*, ſive *ex tacita quadam alluvione;* perinde eſt: *habet*, dicente pridem *Innocentio* III. in Cap. 13. *Qui filii*, ſe in temporalibus liberos legitimare poſſe, quantum ad patrimonium D. Petri, *in quo*, inquit, *Papa*, & *ſummi Pontificis authoritatem exercet*, & SUMMI PRINCIPIS *exequitur poteſtatem*. Jam dudum pepigit *Joannes* XII. cum *Ottone* M. fœdus iſtud: *in urbe Romana nullum placitum*, *aut ordinationem faciam de omnibus*, *quæ ad Papam*, *aut ad Romanos*, *pertinent*, SINE TUO CONSILIO. Can. 33. diſt. 63. propterea tamen, quod nunc Papa Romam, & reliquum ſtatum romanæ Eccleſiæ regat, ſicut reges Hiſpaniæ, & Galliæ ſua regna, non ſequitur, quod *electus* Imperator non ſit amplius *Rex Romanorum*, aut *coronatus* a Papa *eorundem Imperator*, etiam temporaliter; nam & *Lotharingia* uſque ad an. 1735. vera pars Imperii temporalis fuit, licet ab anno 1542. ſuis legibus viveret, ut cœteroqui ſupremus, & liber ducatus; & circulus *Burgundicus* manet circulus imperii, non obſtante ſupremitate ducis Belgarum. Conſideranda itaque eſt Roma, ut *urbs capitalis* hodierni adhuc Romanorum imperii, *temporaliter conſiderati*, licet eà, quæ alias Imperatoris erant, nunc pridem, tam Legislatione, quam jurisdictione, exerceat ſolus dominus Papa.

§. XXXIII.

Ad finem vero *divinum*, ac *ſpiritualem* ordinata temporalis poteſtas Romani Imperatoris eſt *catholica*, & *univerſalis*, ſicut ipſius *Pontificis Romani* poteſtas ſpiritualis. *

* VI hujus poteſtatis Romanorum Imperator eſt.

1.) SPECIALIUS *advocatus*, & *defenſor ſanctæ* romanæ Eccleſiæ *armatus*, ſicut inquit *Fridericus* I. Imp. in epiſt. ad *Rolandum* Cancellarium (quo nomine putavit *Alexandrum III.*, contra quem foverat partes *Victoris IV.* Anti-Papæ) & Cardinales anno 1159. *Cum omnibus Eccleſiis in Imperio noſtro conſtitutis debeamus patrocinari; ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tanto propenſius debemus providere*, *quanto ipſius cura*, & *defenſio a divina providentia creditur nobis eſſe commiſſa ſpecialius*. Et *Innoc. III.* in Cap. 34. de elect. *Nunquid enim ſedes Apoſtolica advocato*, & *defenſore carebit?* Capitulationes Cæſareæ omnes in art. 1. Hæc advocatia tamen non eſt *cæca executrix*, ſed ſæpe *cum cognitione cauſæ:* quid enim? Si romana Eccleſia formaret prætenſiones contra *ipſum Imperium*, ſicuti aliquoties *ratione Feudorum Italiæ* formavit? Tunc ſane Imperator non teneretur defendere Romanam Eccleſiam *contra ſe*, & *imperium*. Quidſi oriretur rebellio nobilitatis, Cleri, Senatus, & populi Romani contra Papam, ſub querela, quod tyrannice, & abuſive regnaret; an Imperator mox teneretur ſtringere ſuum gladium *ad ſolum beneplacitum Domni Apoſtolici?* Minime. Carolus M. non ſumpſit prius ſupplicium ab his, qui injurioſe tractaverant *Leonem III. niſi cauſa cognita:* Leo ſe purgavit *ultronee* coram Synodo, perſecutores ejus inventi ſunt rei in *imperiali* judicio. quodſi coram Imperatore proponerentur a populo, & clero quædam *perſonalia*

nalia, quæ *indignum Apoſtolica ſede* facerent Pontificem, non poſſet in hoc judicare *Imperator*, ſed *concilium*, in caſibus ſcilicet eo pertinentibus, interveniente, & exequente Imperatore, ſicut exempla docent ſub *Ottone M.* & *Henrico III.* impp.

2.) Est *exterminator ſchiſmatum*, ſiqua propter plures ad Pontificatum electos orirentur, *mediante tamen ſynodo*. Exempla plura ſuggerit hiſtoria Eccleſiaſtica, præſertim in *Sigismundo* Imp., qui *triceps* ſchiſma ope concilii *Conſtantienſis* feliciter extinxit. De hac poteſtate Imperatoris ſic ſcribit *Aeneas Sylvius* in exhortatoria ſua ad unionem Eccleſiæ, ſive epiſt. 18. *quo in ſtatu ſit reſpublica chriſtiana, vides: lacerata Eccleſia eſt: nec in populo, nec in clero, pax eſt: dolet ſuper his inviċtiſſimus Imperator noſter, & ut advocatum decet ecclesiæ, operam navare cepit, ut subortum schisma possit eradicari: ad hoc nullus aptior videtur modus, quam generale cogi concilium: hunc ipſe amplexus eſt, & ſuper eo cæteris regibus, ac principibus ſcribit.* Mirabilem, eumque a Galliæ rege propoſitum modum, longum imperante *Friderico III.* ſchiſma papale extinguendi, approbavit idem curioſus vir *Aeneas*, tunc adhuc ſe ſcribens *poëtam*, & Cæſari a ſecreto calamo exiſtens, in *epiſt.* 54. ad *Caſparem Schlik*, Imperatoris Cancellarium, quem modum an ipſemet *Aeneas*, qua factus *Pius*, acceptaturus fuiſſet, valde dubito. *Vidi*, ſcribit, *quod reges ſcribunt, ex copiis literarum, nec deſpero, rem bene poſſe conduci, ſi aggredi velimus negotium; omnibus enim, ut vides, diſplicet ſchiſma, omnes abhorrent.* Viam autem, ſopiendi hoc malum, *Carolus*, Rex Franciæ, niſi fallor, *& tutam, & brevem*, oſtendit, ut fiat *conventus principum*, vel eorum Oratorum, *in communi aliquo loco, ibique una recipiatur concluſio per omnes:* ad hoc autem peragendum opus eſſet, *rurſus ſcribere cunctis Regibus Principibusque*, ut Oratores ſuos *Argentinam*, vel *Conſtantiam*, mitterent, pleno mandato ſuffultos *ad pacem Eccleſiæ pertractandam.* Fienda eſſet rurſus expenſa, quæ anno præterito facta eſt vix tricentorum aureorum; paulo plus *Conſtantinus* in congregatione *Nicæni* concilii expoſuit: *Hæc via non poſſet impediri; nec Papa, nec concilium reniti poſſent, tanquam abſque ipſis fieri nequiret; licet enim Principibus ſæcularibus convenire invito Clero*, & tamen illic fieri poſſet. *Nam ille Papa indubitatus eſſet, cui omnes Principes obedirent.* Non video Clericos, quod velint pro iſta, vel illa parte martyrium ferre. Omnes hanc fidem habemus, quam noſtri Principes, qui, ſi colerent idola, & nos coleremus, & non ſolum Papam, ſed etiam Chriſtum negaremus, ſæculari poteſtate urgente; quia refriguit charitas, & omnis interiit fides: *utcunque ſit, pacem deſideramus, quæ ſive per aliud concilium, vel per conventum principum, detur, nihil pendo;* non enim de nomine, ſed de re, contendendum eſt, *voca panem, ſi placet, lapidem, & da mihi, dum fameſco: non vocatur Concilium: vocetur conventus, vocetur conciliabulum, Congregatio, Synagoga, nihil intereſt, dum ſchiſma depellat.* Ideo *mihi admodum placet, quod Rex Franciæ ſcribit, ejusque ſententiæ inhærerem;* nam *videtur Regi noſtro permittere hujus congregationis vocationem.*

3) Est *diſcretus obſervator*, nequa forte perſona, *paci Chriſtianorum communi, & Eccleſiæ tranquillitati periculoſa*, a Collegio Cardinalium eligatur in Papam: hinc

hinc solet Imperator ad conclave destinare suos oratores, mittere exhortatorias literas, offerre protectionem conclavis, nec non tempestive dare *suam* sic nuncupatam *exclusivam* contra certos cardinales, ne eligantur; quæ re ipsa semper habuit suum effectum, licet purpuratum collegium suæ libertati qualiter qualiter providerit. vid. *Moser* teutsches Staats-Recht part. 3. lib. 2. cap. 40., ubi exempla an. 1721. & 24. Hæ facultates saltem relinqui debuerunt Imperatoribus, postquam illi & jus, aliquamdiu nominandi Papas, & comprobationem electorum, priusquam thronum conscenderent, generose dimiserunt; unde longe potiorem respectum meretur exclusiva *Imperatoris*, quam *Hispaniæ*, & *Galliæ* Regum, quanquam & ipsi eam dent, sicut constat de Rege Galliæ adhuc ex novissima electione *Clementis XIII.* modo felicissime regnantis.

4.) Est *promotor conciliorum generalium*, sive illa indicat Papa, sive hoc forte non existente, aut perperam renuente, Cardinales, & reliqui majores Ecclesiæ Antistites, sive his etiam nolentibus, Imperator & alii Prælati Ecclesiastici. *Sylvester* verbo *concilium* num. 6. & 7. an Imperatoris sit, exemplo *Constantini M.* regulariter *indicere* concilia, hodie est otiosa, & insimul ex semet ipsa *odiosa* disputatio: in ejusmodi quæstionibus publicis respicitur *observantia*, quæ Imperatoribus est contraria. Jus, & possessio a plurimis sæculis stat pro Pontifice.

5.) Habet imperator jus, ut *assistat* sua, vel legatorum suorum, præsentia *conciliis generalibus*. Vide historias, & Bullam indictionis S. Concilii Tridentini. Ibi autem *primum post Papam locum* occupat, quidquid humilis *Constantinus M.* egerit, aliter sedendo in Concilio Nicæno I. Consequens est, ut in *conferentiis*, quas forte particulariter tunc haberet Imperator cum Regibus Christianis, pro deliberatione eorum, quæ generali concilio proponenda essent, ipse gaudeat *præsidio*, ac *directorio*, velut inlustrer *Decanus* magni illius omnium Christianorum Monarcharum *Collegii*.

6) Est *natus* supremus *Archistrategus* exercitus Christianorum, contra infideles, aut hæreticos, coadunati. *Mascov.* princ. Jur. publ. lib. 3. Cap. 4. ubi affert epistolam *Pii II.* de an. 1460. ad *Frider. III.* Imp. *De duce ad tantum bellum cogitantibus, tu nobis occurristi, cui tantum munus ex officio imperiali debitum censeatur, cui omnes gentes parere, & subesse non dedignentur.* Et ante ipsum *Calist. III.* Epist. inter Sylvianas 385. *Considera, quod Tu, Imperator, es advocatus Ecclesiæ, protector fidei catholicæ, primus inter sæculi principes, primus, qui arma pro defensione religionis nostræ induere debeas. Considera, quod tu ille es, in quem omnium Christianorum oculi conjecti sunt; quodsi,* QUEMADMODUM TIBI EX OFFICIO INCUMBIT, *adversus impiam Thurcorum gentem arma promoveris, universos ferme reges ac principes, ut te sequantur, provocabis, labentemque rem Christianam magnifice sublevabis: Sin vero domi manseris, aliis occupatus curis, nemo erit, qui bellum Christi gerere velit, erisque ipse causa, cur nostro tempore fides catholica negligatur.* Huic conformiter *Alphonsus* Neapoleos rex suis ministris, de nimietate ceremonialis *Friderico* prædicto apud se exhibiti conquerentibus, respondisse fertur: *Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi,* QUI EST CAPUT, ET DUX REGUM.

7.) Est *liberator* omnium *particularium* Ecclesiarum etiam extra Germaniam, & Italiam ab *oppressione* regum, ac malorum principum, *etiam Christianorum*, maxime, si præcesserint contra hos *fulmina Apostolica:* in his enim casibus gladius materialis distringitur ad nutum sacerdotis.

§. XXXIV.

Ex his autem Romanorum Imperatoris Augustissimis officiis naturaliter est consequens, nullum Regem Germaniæ posse ad hoc munus eligi, nisi qui sit de *unitate catholica*, * et in gratia sanctæ sedis.

* *Cap.* 34. *de elect.* argumenta vide apud Clariss. Salisburg. Can. *Böckhn ad tit. de sum. trin. a num.* 11. *usque ad* 20. *inclusiv.* Mihi sufficit dicere paucis, Imperatorem Romanorum debere *talem esse*, cui nullam fundatam in jure, & observantia exceptionem opponere possit *Papa cum reliqua* orbis non-Germanici *christianitate;* licet forte *soli Germani*, propter pacem Westphalicam, alicui principi de Protestantibus, quantum ad se, & solitarium Regnum Germaniæ, *ex capite deficientis catholicæ religionis* exclusivam dare non possent.

§. XXXV.

Superiora, quæ pro modulo meo deduxi, quodsi pensatius considerasset magnus vir Parisiensium Antistes, *Petrus de Marca*, rectamque *Romanorum Imperatoris* ideam habuisset, *Lib.* 2. *de concord. sacerdot. Et imp Cap.* 4. *num.* 9. non scripsisset: *Galliæ Reges, ut majestate, & dignitate germanis Imperatoribus non cedunt, ita sine dubio potiores sunt authoritate;* * nec causam, cur cæteri christiani Principes non inviti primum locum Imperatoribus Romano-Germanicis cedant, in hoc unum conjecisset, quod *in titulis Imperatoriis Romanum nomen fulgebat, B. Petri memoria, & summi Pontificis unctione consecratum.*

* Oculos solum intendit de *Marca* in id, quod magis despotice possunt Galliæ Reges præ Imperatoribus nostris, quorum Monarchica gubernatio in Regno Germaniæ per authoritatem Principum nostrorum *capitulando* temperata est; non vero consideravit alias Regum nostrorum, qua Imperatorum Romanorum, prærogativas; imo vero attendit quoad Regnum patriæ suæ potissimum sequiora tempora, *Ludovicorum XIII.* & *XIV.* duntaxat, dissimulans *antiquiora*, quibus, quantum potuerint Majores domus, Duces, Episcopi, ac Pares Franciæ, *contra ipsosmet Reges* eorum, satis docet historia ex vulgatis exemplis: depositionum *Chilperici*, & *Ludovici pii*, coadunationis totius Francorum regni in persona unius *Caroli M.*, licet ex fratre *Carolomanno* adessent legitimi in ejus portionem successores, duo parvuli filii; translationis sceptri in *Hugonem Capetum*, præterito *Carolo I.* Lotharingiæ duce, cui proxime omnium debebatur. Nec caruit olim Gallia moderno systemate statuum Germaniæ, ac Italiæ ad Imperatorem; nam & ibi duces, ac comites potissimam partem sibi jure hæreditario propriam fecerant, adeo, ut *Hugoni Capeto*, regnum adepto, nihil superesset præter comitatum Parisiensem, & Aurelianensem

ſem, una cum ſic dicto ducatu Franciæ. Ad comitia regni vocari debebant tres ſtatus, nempe Epiſcoporum, nobilium, & civium. Parlamenti maxima in Regem ipſum fuit authoritas. Verum abſit inter confœderatas nunc nationes æmulationis quævis ſcintilla! Habeant Galli ſuum Regem certe potentiſſimum, ſed & faveant eorum ſcriptores Germanis ſuum Imperatorem Auguſtiſſimum.



Animadverſiones Editoris.

Ad §. 5. *not.* *** Serius agnovere titulum Imperatorium in Principibus ſupremis Ruſſiæ Reges Franciæ & Hiſpaniæ, idque nonniſi ſub *Eliſabetha* Imperatrice, exactis præterea literis ſponſoriis, *Reverſales* dicunt, ut propter hunc titulum nil quicquam plus ab Imperatoribus Ruſſiæ vel ratione prærogativæ aut proëdriæ, aut ceremoniarum rituumque prætenderetur: literis illis declarationem generalem ſubſtituit Imperatrix modo regnans glorioſiſſime *Catharina II.* Miniſtris omnibus Aularum exterarum 1762. 21. Nov. ſecundum ſtylum veterem inſinuatam, vi cujus denuo ſpopondit: *que le titre d' Imperial n' aportera aucun changement au Ceremoniel uſitè entre les Cours, lequel reſtera ſur le même piè.* Reges dein Franciæ et Hiſpaniae viciſſim declararunt, quod ſi unquam quis ſucceſſorum promiſſis iſtis non ſtaret, atque plus quicpiam ratione tituli praetendere vellet, utraque Aula veterem ſtylum intuitu Ruſſiae ſit reſumptura. Declarationes hasce vide in der neuen Staats-Canzley Tom. 10. Cap. 1.

Ad §. 9. *not.* * Titulum *ſemper Auguſti* quidem a *Friderico I.* frequentius uſurpari coeptum fuiſſe apud omnes rei diplomaticae gnaros convenit; eum tamen usque *ad Fridericum I.* non ita infrequentem et rarum fuiſſe, quemadmodum putat LIMNAEUS ab Auctore hic citatus, patet ex iis, quae habet JOACHIM in der Einleitung zu der teutſchen Diplomatic C. 8. §. 7. nimirum ex SIRMONDO CC. *Galliae Tom.* 3. *p.* 381. 425. 428. elucet, quod Pontifices *Adrianus II.* et *Joannes VIII.* hunc titulum tribuerint Imperatoribus *Ludovico II.* et *Carolo Calvo. Gerbertus* in literis ſuis *Adelheidem* Imperatricem ſemper Auguſtam nuncupat, et *Otto* ejusdem filius in Diplomate apud LÜNIG *ſpicileg. Eccleſ. Tom.* 3. *p.* 184. *Otto III.* ſe ſemper Auguſtum vocat in Diplomate apud UGHELLUM *in Italia ſacra Tom.* 1. *p.* 414. ita et occurrit in Diplomatibus aliis *uti Conradi II.* apud HUNDIUM *Tom.* 3. *Metrop. Salisburg. p.* 120. *Henrici IV.* apud UGHELLUM *Tom.* 1. *p.* 691. GOLDASTUM *Tom.* 1. *Conſtit. Imperial. Henrici V.* apud HUNDIUM *l. cit. p.* 94. MARGARINUM *Tom.* 2. *Bullar. Caſſinenſ. p.* 134. *Lotharii* apud LEUCKFELD *in Antiq. Walkenried. C.* 19. LÜNIG *Spicileg. Eccleſ. Tom.* 3. *p.* 208. *Conradi III.* apud

UGHELLUM *Tom. 1. Ital. Sacr. p. 465.* . Dum usus linguae Germanicae postea invalesceret, germanice substitutum est allzeit Mehrer des Reichs, quasi quod nonnisi honoris insigne erat, denotaret officium Imperatorum in amplificando Imperio, atque Augusti ab augendo dicti fuissent: ita jam in Constit. *Henrici VI.* apud WENCKER. *de Usburgeris* germanica lingua dicitur Imperator: wir Heinrich von Gottes Genaden Römischer Kunig zu allen ziten Merer des Riches. *Rudolph. I.* anno 1287. apud LEHMANN Speyerische *Chronick L. 5. C. 108.* vocatur ein Merer des Reiches. Sic quoque KÖNIGSHOVEN *Strasburg. Chronick C. 2. p. 61.* explicat titulum Augusti: er solte heisen Augustus. das ist ein Merer des Reiches und des gemeinen Nuzes. Also ward ime der Name Augustus. und sine Nachkommen wollent auch denselben Namen han Merer des Riches und des gemeinen Gutes ꝛc. Memorandum est diploma *Caroli IV.* quo Episcopo Camenicensi ob feloniam usus Regalium interdicitur apud MENCKEN *Scriptor. Tom. 3. p. 2024.* tanto *majoribus circa haec nostrae benignitatis motibus provocamur.... quanto etiam eidem Regno vel Imperio prae caeteris caelitus est concessus Augustalis titulus, quo et nos praedicti regni amplivicator dicimur et Augustus... ne nos, qui alios in suis juribus confovemus, nostra et praedicti regni nostri jura negligendo titulum Augustalem nobis NB. divinitus, ut praemittitur concessum calumpniari quomodolibet reputemur.* Titulum Regis Germaniae omnino inusitatum fuisse ante Maximilian. I. dici non potest, uti elucet es iis quae habet PFEFFING. *Tom. 1. p. 306.* sic non solum ab Imperatoribus Graecis exteris eum hinc inde adhibitum fuisse ibidem ostendit, sed et a Pontificibus, uti a *Paschali Henrico V.* apud GOLDAST. *Tom. 1. Constit imper. p. 255.* immo vero teste WAGENSEIL de *Republ. Norimb. C. 26.* nummi inveniuntur sub *Rudolpho I.* cum hac inscriptione: *Imp. Caes. Rudolphus Rex German Com. Hab. Lan. Als.* id tamen verissimum hunc titulum sub *Maximiliano I.* stabili ratione introductum fuisse, atque ut inquiunt, Curialem effectum. Conf. etiam HAEBERLIN *Histor. Tom. 10. p. 163.*

Ad §. *10.* Praeter *Franciscum I.* Regem Galliae *Carolus V.* aemulum quoque sat acrem habuit *Henricum VIII.* Regem Angliae, qui quidem aeque sollicite, occultius tamen Imperium ambiit: de re tota Conf. HAEBERLIN *Hist. Tom. 10. a p 259. seqq.* Quaedam notatu digna quoque occurrunt apud HOFFMANN Sammlung ungedruckter Nachrichten *Tom. 2. Memoires de la vie et des faits de Frederic II. Comte Palatin de Rhein et Duc de Baviere, Electeur du S. Empire Cap. 29. de l' lection de l' Empereur Charles par les meneës de Frideric. De electione Leopoldi M.* extat sed jam non ita obvius liber: *Philemeri Irenici Elisii Diarium Europaeum insertis actis electoriis* oder kurze Beschreibung denckwürdigster Sachen, so sich in Krieg und Friedensgeschäfften in Europa fürnemlich aber in dem H. R. R. und demselben näher angrenzenden

den Königreichen, Landen und Herrschafften, insonderheit aber bey dem zu Franckfurt fürgewesenen Röm. Königl. Wahl und Crönungstag vom Jahr 1657. bis 1659. begeben haben, gedruckt im Jahr 1659. sine adjecto loco editionis.

Ad §. 21. Literae *Caroli V.* de quibus hic mentionem facit Auctor impressae extant apud FRIDER. CAROL. MOSER in den Beyträgen zu dem Staats- und Völkerrecht und der Geschichte. 4. Band. 1772. n. 1. von dem Kayser als Advocat der Kirche und Beschirmer des Conclave, Parallele zwischen Kayser *Carl V.* und Kayser *Joseph II.* p. 13. Si MOSERO fides haberi potest, integrae necdum typis excusae sunt; quare illas hic inserere juvat. CAROLUS &c. „Allatum ad nos triste et lugubre nuntium de obitu felicis memo„riae Pauli III. Pontif. Max. nuper defuncti, quem sane virum tum aetate et „moribus gravem, tum autoritate venerandum, et longa rerum experientia „clarum et insignem, nisi Deo Opt. Max. visum fuisset, Ecclesiae suae super„stitem diutius optavissemus: verum quoniam divinae illius bonitati et venera„bili sapientiae ita visum est disponere, et nos subjicere par est, atque interim „summis precibus ab illo flagitare ac pro suo quemque virili contendere, ut po„pulo suo alium Pastorem et Episcopum concedere velit, qui illi gratus sit et „acceptus et Ecclesiae suae quam maxime commodus et utilis: hujus quidem „rei cura Vris Rmis Paternitatibus praecipue incumbit, tametsi nihil dubita„mus, illas pro suo in Rempublicam Christianam officio, zelo, pietate pro„vinciam hanc ea prudentia et dexteritate gesturas esse, quemadmodum et prae„sens Reipublicae status, ac omnium de se exspectatio postulat, et licet neque „nostra neque alterius commonitione ad hanc rem opus esse arbitremur, atta„men Nos, quem NB. scimus *Advocati Ecclesiae* munus et provinciam sustine„re, eoque nomine ex veteri majorum instituto in partem hujus solicitudinis „esse advocatos, neque debuimus *officio nostro* deesse, quin huic rei omnium „maximae et gravissimae partes quoque nostras interponeremus. Quod ut eo „magis cupiamus, et studium Religionis nos invitat, et muneris nostri ratio, et „jurisjurandi religio, qua Ecclesiae Dei et huic S. Sedi devincti sumus, in hoc „quodammodo urgent et impellunt, proinde Rmas Paternitates Vras summo„pere et hortamur et obtestamur, ut huic rei omnem curam et cogitationes ve„stras impendere, atque Dei inprimis causa, deposito omni humano affectu in „deligendo novo Pontifice, hoc solum praestare velitis (quisquis tandem ille sit) „qui merito Ecclesiae Dei utilis et commodus censeatur, et quatenus fieri po„terit, his donis ornatus sit, quae in Episcopo et Pastore Maximo requiruntur, „et patrum monumentis prodita sunt, eorum praecipue, qui prima religionis „et fidei nostrae fundamenta in ipsa Alma Urbe jecerunt et conservarunt. Et „omnino memores esse velint Rmae Paternitates Vrae praesentis Reipublicae „status

„status, qui plane talis est, ut non minor cura Religionis instaurandae et reti-„nendae adhibenda sit, quam prisci illi Patres in illa propaganda jam olim ad-„hibuerunt, in quo rem Deo inprimis gratam et acceptam, Reipublicae utilem „et necessariam, nostra et omnium piorum de se exspectatione omniumque lau-„de dignam facient Rmae Paternitates Vrae, quae recte feliciterque valeant. „Datum in Oppido nostro Bruxellis die XX. Nov. anno 1549. Imperii nostri „30. et Regnorum nostrorum 34.

Ad §. 26. Systema Auctoris inter RR. luculentis sane verbis jam adoptavit et proposuit CAESARINUS FÜRSTENERIUS de *Jure supremarus ac Legationis Principum Germaniae*: in edit. IV. 1678. Praefat. ita ad argumentum nostrum inquit: *Tota Christianitas unam velut Rempublicam componit, in qua Caesari autoritas aliqua competit. Hinc sacri Imperii nomen, quod aeque late ac Ecclesia Catholica quodammodo porrigi debet, Caesarem esse Imperatorem i. e. Ducem natum Christianorum contra infideles: ipsius esse ante caeteros Schisma componere.... Multos Principes constat aut Imperii Romani aut certe Ecclesiae Romanae Beneficiarios seu Vasallos esse a Caesare aut Pontifice Reges vel Duces appellatos: et reliquos etiam non prius regno, quam Christo inaugurari, cujus Ecclesiae fidelitatem spondent, cum ab Episcopo unguntur.... nec disputo an haec juris divini sint: illud constat, omnium voluntate facta esse, et fieri recte potuisse, et a communi rei Christianae utilitate non abhorrere:* atque deinde infert: *Itaque si jure agendum est Caesari in magna parte Europae aliqua autoritas, et quasi Primatus quidam Ecclesiastico respondens tribuendus est &c.* FÜRSTENERIUM confutare conatus est *Anonymus in discursu de Suprematu adversus Caesarinum Fürstenerium Hieropoli ad Istrum* 1687. p. 16. contendit systema hoc profluxisse tum ex ipsis illis JCtorum antiquiorum de Imperatore mundi Domino opinionibus, quas Auctor affert et refutat, tum ex idea de Primatu Pontificis in universam Ecclesiam.

*Ad §. 29. not.**** Adde ad ea, quae habet Auctor sequentia: anno 1495. *Electores in mandato Imperii Legatis ad Helvetos dato appellant Imperatorem:* Der ganzen Christenheit obersten Herrn und König. Müller Reichstags-Theatrum unter K. *Maximil. I. P. I.* 2. Vorstell. *C. 28.* §. *4. et 7.* Atque iidem in instructione data Legatis anno 1504. eundem nuncupant, das oberste weltliche Haupt der Christenheit und des Reichs, HAEBERLIN *Hist. Tom. 10. p. 164.* In R. I. Spir. 1529. §. 1. dicitur J. K. Maj. als das oberst Haupt der Christenheit: *Carolus VI.* adhuc anno 1716. inquit: Wir als Haupt der Christenheit aus unserer derselben schuldigen Väterlichen Vorsorge und Beschützung rc. item: Nachdem nun Wir aus der Uns als Römischer Kayser und Fürst der Christenheit für selbige obligenden Vorsorge rc. Staats-Canzley Tom. 27. p. 815. seqq.

Quod

Quod titulum Majestatis concernit, tum equidem olim, ut inquit Auctor nulli Regum ab Imperatore concessus fuit, at hodie secus est. In Tractatibus jam pacis Westphalicae eundem post plures disceptationes obtinuere Reges Franciae et Sueciae: Rex Angliae in Decreto Commissionis Caesareo de anno 1669. 28. Nov. adhuc vocatur Königliche Würde, item in alio 1670. 16. Dec. sed in Concluso Imperii de anno 1670 13. habetur Ihre Königliche Maj. von Engelland. Anno 1698. 4 Mart. Camera Imperialis in sententia Regem Hispaniae appellavit: Königliche Würde. *Fridericus I.* Rex Borussiae in noto illo Tractatu inter ipsum et Aulam Caesaream de agnoscendo novo regno et Rege Borussiae (Cron-Tractat) promisit se contentum fore titulo: Euer Liebden: *Friderico II. a Carolo VII.* titulus Majestatis adjectus fuit, atque hodie universim ab Imperatore Regibus tribuitur: in prooemio Capitulationis *Josephi II.* Imperatrici tamen soli titulus *Majestatis* concessus fuit, Regibus Britanniae et Borussiae, *Dilectionis*, Liebden; sed quoniam ibi potius tanquam Electores considerati fuere: ita et in eodem prooemio titulus, *Domini* Herr, imo et Imperatrici Frau non attribuitur: in literis Reversalibus ita dictis, Imperatrix quidem ita compellatur, Reges vero non item. Conf. MOSER teutsches auswärtiges Staats-Recht. I. Buch. *1. Cap. §. 7.*

Ad §. 33. n. 2. Inde et in exauctoratione *Wenceslai* Electores inter alia neglecti officii capita primo loco posuerunt: daß er der heiligen Kirche nie zu Frieden geholffen, schismate videlicet illius temporis tam fatali extincto, aut saltem seriam navando operam, ut sopiretur. Porro de hac re ita inquit KÖNIGSHOVEN *in Chron. Cap. 2. §. 230.* Künig Wenceslaus fürte ein bös unmenschlich Leben, er hette kein acht noch sorge zu niderlegen den grossen clegelichen gebresten Missehelle und Scisma in der heiligen Kirchen das vil Jor gewert hat. Do viel Krieg und Irrung von uffgestanden sint. NB. das eime Römeschen Künig zugehört zu wenden und niderzulegen. *Rupertus Palatinus* vero antequam eligeretur inter alia capita Electoribus Ecclesiasticis promittere debuit: die Sachen der heiligen Kirche sich lassen befohlen zu seyn und solche zu handlen mit göttlichen redlichen Wegen und mit Rath und Willen seiner Mit-Churfürsten. HAEBERLIN *Hist. Tom. 4 p 259.* *Sigismundus* item eadem ratione stipulari debuit, quod ante omnia Pontifice unanimi ratione electo Schisma extingui curare vellet; idem l. cit. p. 547.

Ad ejusdem §. n. 3. Jus exclusivae Imperatoris in electione Pontificis in *Tract. de Concordat. Nation. German. integ. Tom. 3. 1773. p. 53. seqq.* deducitur ex veteri jure Imperatorum, ut electio fieret aut praesentibus eorum Missis, aut facta Imperatori pro consensu praebendo significaretur.

Ad ejusdem §. n. 4. An Imperatoribus competat jus convocandi Concilia, quaestionem hodie tum odiosam tum otiosam vocat Auctor, ut quid ergo eam tanto cum strepitu renovavit larvatus FEBRONIUS? ut quid tanta inhumanitate respondit aliis, ut me taceam, quodsi ejusmodi quaestionem tum odiosam tum otiosam ex mente NELLERI ab eo resuscitari aegre tulerunt? atenim haec observasse sufficiat. Quoad protectionem Conciliis impertiendam ita inquit *Sigismundus* in *Constit. de tuendo C. Constant.* apud GOLDAST. *Tom. 3. p. 425. Nos tanquam Romanae Ecclesiae Advocatus dicti Concilii Defensor:* et in literis ad *Gregor. XII.* anno 1413. apud VAN DER HARD *Tom. 6.* de convocando Concilio Constantiensi ait se *pacem officio indispensabili desiderare in Ecclesia, cujus etiam Canones SS. PP. Nos appellant Advocatum et Defensorem.* Basileensis Concilii idem Imperator loco sui sub-Protectorem nominavit *Wilhelmum Ducem* Bavaro-Monacensem HAEBERLIN *Hist. Tom. 5. p. 523.* in R. I. 1548. §. 6. legitur: so wollen Wir als Advocat der heiligen Kirchen und Beschirmer der Concilien.... unserem Kayserlichen obligenden Amt nach gnädiglich verhelffen auch mögliche Fürsehung thun und darob seyn, damit solch allgemein Concilium zu Trient fürderlich gehalten werde. in R. I. 1551. §. 6. dicitur: Wir sind auch des gnädigen getreuen Christlichen Fürhabens, was uns als Advocaten der heiligen Kirchen und Beschirmer der Concilien von wegen unsers obligenden Kayserlichen Amts zu thun gezimet und gebühret... dasselbige zu leisten. Apud LÜNIG *Spicil. Eccles. P. 1. Contin. 1. p. 97. Maximil. I.* in privilegio vom Angriff der Uebelthäter, quod Archi-Episc. Mogunt. concessit anno 1498. se vocat einen obersten Schützer und Schirm-Herrn aller Geistlichkeit.

Ad ejusdem §. n. 6. In hanc rem BENZO *in Panegyrico in Henricum III. Imp.* quo illum ad bellum sacrum incitat apud MENCKEN *Tom. 1. Scriptor. p. 973.* ait: *eris in hoc opere per voluntatem Domini signifer christianae Religionis.* Electorum statuumque Imperii Legati sub *Friderico III.* apud MÜLLER Reichstags-Theatr. P. 3. inquiunt: wann unsere gnädige Herrn wol wissen, daß sie dem Heil. Röm. Stuhl und unserem heiligsten Vater dem Pabst, als ihren obersten Capitanien in der Geistlichkeit, unsern allergnädigsten Herrn dem Röm. Kayser als dem obersten Capitanien in der Weltlichkeit in allen billigen ziemlichen Sachen gehorsam seyn sollen: hinc inde quoque speciatim se *Protectores Palaestinae* appellasse leguntur Imperatores nostri: *Georgius Sabinus de elect. et coronat. Caroli V.* apud SCHARDIUM *Tom. 2.* Moguntinum in oratione ad Electores inter alia ita perorasse refert: *nam ceteri Reges non sustinent hoc ingens onus externa regna propugnandi.* Noster *Imperator eligitur, ut sit dux publici consilii inter omnes Reges, ut propugnet Italiam, ut tranquillitatem Ecclesiae praecipue custodiat.* Ad bellum inter Suecos et Polonos 1656. componendum *Ferdinand. III.* in

in literis fidei Legato suo ad Regem Sueciae concessis inseruit, pro munere nobis divinitus commisso ad bellum istud componendum: Suecica ex parte responsum est: dieweil in dem Kayserl. Credenz-Schreiben dise Worte allzu nachdenklich schinen, und auf disen Verstand könnten gedeutet werden, als ob der Kayser sich einige Macht und Oberbotmäßigkeit über andere Christliche Könige sich hiedurch zueignen wollte, so 2c. LUDOLFF Schaubühne *P.* 3. *C.* 10.



XI.

JOANNIS GEORGII REUTHER U. J. L.
Consiliarii Aulici Moguntini

DISSERTATIO
ad Art. V. §. 48. Instr. P. O.
DE

VESTIGIIS JURISDICTIONIS ECCLESIASTICAE

EPISCOPORUM CATHOLICORUM GERMANIAE IN A. C. STATUUM SUBDITOS PROTESTANTES, AD CONSEQUENDOS REDITUS, CENSUS AC DECIMAS AD EXCOMMUNICATIONEM PROCEDENTIUM; AC DE HUJUS PRAESERTIM EFFECTU

SIVE

DE EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS ECCLESIASTICAE
EPISCOPIS CATHOLICIS
IN DIOECESANOS SUOS PROTESTANTES PER PACEM WESTPHAL.
RESERVATAE

Mogunt. 1762.

NUNC AB IPSO AUCTORE REVISA ET ADDITAMENTIS ILLUSTRATA.

CAPUT I.

De Jurisdictione ecclesiastica adhuc integra.

§. I.

Jurisdictio Ecclesiastica in genere in suprema Religionis cura & sacrorum administratione consistit; atque ex Ecclesiæ Catholicæ sententia a D. Petri Apostolorumque successoribus Romano Pontifice & Episcopis in universa Ecclesia

ſia *a*) & ſuis reſpective Diœceſibus *b*) exercetur. His enim dixit Chriſtus Salvator: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et: *Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis c*). Deinde Apoſtolis: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis d*). Hinc etiam Apoſtolus: *Attendite Vobis & univerſo Gregi e*). Etenim ſi Chriſtus, qui fundavit Eccleſiam ſuam, & indubie ſolus poteſtatem ſacrorum habuit, eandem Apoſtolis ac d. Petro, quem dicto modo Eccleſiæ ſuæ caput conſtituit, expreſſe demandavit: eandem non Petro, ſed Herodi forte vel Tiberio vel cuiquam alii collatam doceat, neceſſe eſt, qui eandem in Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis recognoſcere recuſat *f*).

§. II.

a) An in Eccleſia Regimen Monarchicum, an Ariſtocraticum vel cujuscunque demum formæ ſit, ſtudio hic præterimus, cum ſit extra ſcopum præſentis noſtræ diſquiſitionis: quam cauſam noſtris hiſce diebus magna utrinque contentione diſcuſſerunt JUSTINUS FEBRONIUS & reliquos inter ejusdem Antagoniſtas nominatior ANTIFEBRONIUS ... Conf. Jo. DARTIS *de ſtatu Eccleſiæ tempore Apoſtolorum. Vindob.* 1762. 8. *Ejusd. Tr. de Hierarchia Eccleſiaſtica enucleanda.* NATALIS ALEX. *Hiſt. Eccleſ. T.* 3. *Diſſ.* 4. BARTHEL *de jure Ref. antiquo.* KALES *de poteſtate Epiſcoporum primigenia & ſolida ſuas regendi diœceſes. Wirceb.* 1760.

b) Atque hinc eſt, quod Jurisdictio Eccleſiaſtica a limitibus Diœceſeos, intra quos reſpectu ſingulorum Epiſcoporum proprie exercetur, juris Diœceſani nomen conſecuta ſit, & cum illa plerumque confundatur.

c) *Matth.* 16. v. 18. 19.

d) *Matth.* 18. v. 18.

e) *Act.* 20. v. 28. Cæterum præter ea, quæ Theologi Catholici BELLARMINUS, BECANUS & alii ex allegatis texx. pro ſtabilienda poteſtate Clavium contra Proteſtantes propugnant, conferri meretur MARTIN in eruditiſſ. libro: *Explitations de pluſieurs Textes difficiles de l'Ecriture Sainte* 4. *Paris.* 1730. p. 449. ubi ex moribus antiquis, ipſaque terminorum figuratorum natura novis plane rationibus hos textus illuſtravit.

f) Concernunt hæc Jurisdictionem in conſcientias proprie talem, eſtque mere ſpiritualis. Quoad contentioſam vero judicialem, nulla fuit in primis Eccleſiæ ſeculis, quibus fidelium grex in temporalibus legitimis ſuis principibus ſubeſſe & obtemperare non detrectavit monente Apoſtolo: *Omnis Anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Rom.* 13. Lites vero tunc inter Chriſtianos vel nullæ, vel ex indulto Imperatorum Chriſtianorum ab Epiſcopis in charitate compoſitæ; donec per Privilegia Imperatorum & Principum forum Eccleſiaſticum in hodiernam formam excrevit. de quo conf. FLEURY *Inſtit. au Droit Eccleſ.* P. 3. §. 1. ſq. THOMASSINUS. VAN ESPEN. PILATI *Orig. Juris Pontif. fol. Trid.* 1739. De Jurisdictione Temporali vero Epiſcopis in Germania ab Imperatoribus una cum Terris & Principatibus collata vid. PFEF-

§. II.

Nihilominus tamen hæc, quam Catholici profitentur, circa Jurisdictionem Ecclesiasticam Episcoporum sententia tot nacta est Adversarios, quot extant Heterodoxorum hac de re Systemata: quorum tamen singula tantum pro diversis temporum rationibus efformata fuisse, ac iisdem perfecte respondere vidimus. Equidem ante LUTHERI tempora non multam adhuc de systemate Ecclesiæ controversiam reperire est: Et fuerint licet dissidia Sacerdotium inter & Imperium; fuerint quoque errores alii circa Primatum atque auctoritatem Sanctæ Romanæ Sedis Apostolicæ: ante tamen infausta HENRICI VIII. Regis Angliæ molimina de laicali Ecclesiæ capite nondum fuit cogitatum. Quinimo LUTHERUS ipse, in primis, quam dicunt Protestantes Reformationis suæ annis Romano Pontifici in persona CAJETANI S. R. E. Cardinalis sese subjecit, nec de abroganda illius auctoritate prius induxit animum, quam eandem ob quassatas Anathemate theses suas vel maxime persenserat. *) ICtio Eccles. vero demum in *Confessione Augustana de A. 1530.* prima vice Principibus Territorialibus tributa reperitur. **) CALVINUS vero atque ejus in Gallia asseclæ sic dictam *Suprematiam* Ecclesiasticam in Anglia hucusque stabilitam pluribus in Synodis expresse condemnaverant, cui nihilominus postea subscripserunt: sed hoc sane non unicum fuit Dogma, in quo successu temporis variatio ipsis placuit. Cordate admodum hac de re judicat celeberrimus Meldensium Episcopus BOSSUET g), dum ait: *Mais il n'y a rien parmi ces Messieurs, qui ne s'accorde, pourvu qu'on soit ennemi du Pape & de Rome: tellement, qu'à force des explications & d' equivoques les Calvinistes ont eté gagnés, & on les à fait venir*

FINGER *L. I. T. 15.* HELMSTETTER *an status Eccles. habuerint Regalia tempore Regum Franc. Argent.* 1737.

*) Idem ex aliis Lutheri actis & scriptis demonstrat BOSSUET *dans l' Histoire des Variations des Eglises Protestantes. T. I. Liv. 3. N. LIX. seq.*

**) Tantum aberat ut Principes tempore Lutheri aliquam in Sacris supremam potestatem affectarint; ut potius in *Rec. J. Norim. de A.* 1524. §. 28. & 29. Item in *R. J. de A.* 1525. §. 1. Ecclesiæ Advocatiam iisdem expresse commendare necesse visum fuerit. Conf. SECKENDORFF *Hist. Lutheranismi L.* I. §. 130. ubi ex *Relatione deputationis Elect. de A.* 1524. refert sequentia: *Testati sunt Legati, Principes suos utpote Laicos negotio Religionis sese huc usque non immiscuisse, neque hæc facturos esse, sed conscientiæ Episcopi committere &c.* Et §. 134. ibidem: *Sibi vero videri dicebant Legati gladium Principibus nonnisi ad externa, id est ad tuendam pacem & puniendos maleficos traditum esse; Fidem vero rem esse spiritualem a* DEO *per spiritum S. datam, quæ humana potestate & per gladium produci non possit: a Prælatis in partem sui officii vocari non solere Principum Imperia.*

g) *c. l. T. 2. p. 16,*

venir en Angleterre jusqu'a souscrire la Suprematie. Sed non minus recentiora de forma Ecclesiæ systemata, qualia cujusvis fere Auctoris Acatholici cogitandi ratio producit, ejusdem speciales affectus faciunt palam: libertatem illi amant; ideo absurdam multi ajunt esse quæstionem: quænam Regiminis forma competat Ecclesiæ? Ergo nec Monarchicam, nec Aristocraticam (nunquid vero Anarchicam) volunt Ecclesiæ suæ formam, quod, ut illi ajunt, monstrosum sit fingere Statum in Statu, Rempublicam in Republica. Alii vero omnem omnino potestatem Ecclesiasticam civili Principis territorialis imperio subordinatam dici oportere statuunt. Imo invisibilem plane in terris Ecclesiam suam asserere quidam adacti sunt, cum in demonstrandis ejusdem natalibus, adductis incassum a FLACCIO magnæ hujus veritatis testibus deficerent *h*). Sed puduit reliquos fragilitatis ejusmodi: unde maluerunt varias ei formas, qualem scilicet sibi quisque optabat, affingere. Innumera quidem inde nata sunt de forma Ecclesiæ Systemata, sed ad tria potissimum, quotquot sunt reliqua referri possunt, suntque I. *Collegiale*, II. *Episcopale*, III. *Majestaticum*. *i*)

§. III.

Systema Ecclesiæ *Collegiale* Protestanticum quod concernit, hoc ab ipsis primis a CHRISTO sæculis repetunt, ubi primorum Christianorum, sicuti in bonis communionem, ita & in celebrandis atque ordinandis Sacris unanimem consensum venditant. Placuit isthæc sententia PUFFENDORFFIO *k*) cum adhuc Heidelbergæ Pastoris ac Theologi munere fungeretur; ast cum vel fœdissimam quamvis ancillam insultare sibi, ac parem, qua cum ipso gauderet, potestatem clavium objicere videret, ratus, majorem sibi suisque conciliari auctoritatem, jura Collegialia in Corpus Pastorum transfert *l*), a quo porro omnem in Sacris auctoritatem exerceri voluit. Novissime tamen a JCtis potissimum MARBURGENSIBUS *m*) idem systema Ecclesiæ Collegiale ita attempera-

h) *Conf.* BOSSUET *c. l. T. 2. L.* 15.

i) Eadem recenset BOEHMER *in Præloquio ad T.* 5. *J. E. P. & in J. Paroch. C. II.* nempe vidimus Ecclesiæ suæ systemate protestantes pro forma reipublicæ, ex qua pendebant, vel in Monarchicum, uti in Saxonia, & in Gallia si Regem caput invenissent; in Rebuspublicis vero Helvetia & Hollandia Collegiale; in Anglia denique Episcopale tanquam Aristocraticæ formæ massis accedens amplexatum fuisse.

k) Idem tenet ESTOR *in Jure Publ. Eccles. Protest. C.* 8. §. 10. *ac* PÜTTER *in Elem. Juris Publ. G.* §. 628.

l) Unde & statas quotannis synodos celebrare placuit, quarum extant 3. Tomi in fol.

m) Cum quibus sentiunt GIESSENSES ac TUBINGENSES *in Responsis.*

peratum est, ut *Majestatico-Collegiale* evaserit. Nempe Principi territoriali hic illa tribuuntur *n*), quæ ad salutem & tranquillitatem Reipublicæ obtinendam pertinent: sed, quæ sunt jura circa Sacra proprie talia, Collegio relinquunt in thesi; ast prudentiam deprædicant suam, qua Collegialia quoque circa Sacra jura in eundem transtulerint, efficacius exercenda. Perpetuum ergo delegatarium Principem suum hos facere observat BOEHMERUS *o*), ac eorundem quasi misertus eisdem suggerit, ut melioris decentiæ causa juribus Collegialibus renuntiatum fuisse in favorem Principis potius dicant. Neque tamen ipse hac stare vult sententia: sed quid BOEHMERUS hac in re sentiat, paulo infra. Ego vero, cum Reformationis suæ demum tempore jura illa in Principes translata esse velint, hic quidem doceri cuperem: ubi, quando, & a quo ante illa tempora jura isthæc Collegialia exercita fuerint? Ad primorum equidem Christianorum tempora provocant, ubi populi quoque consensus requisitus fuerit. Ast: ad quidnam ergo requirebatur? an simpliciter in omnibus causis sacris? hoc nempe demonstrandum esset: scilicet quod in Conciliis quoque populi consensus circa definiendos E G. Fidei Articulos expetitus fuerit. Etenim in illis tantum casibus auditum fuisse populum ex Historiæ Eccles. monumentis constat, quando eundem audiri intererat, veluti in electionibus Ministrorum Ecclesiæ, *p*) quin tamen inde aliquod jus circa Sacra plebi Christianæ competens inferri possit. *q*) Sed successu temporis memorata jura sacra Collegialia ab Imperatoribus quoque Ethnicis exercita fuisse inquit *Ill.* CRAMERUS *r*): quibus & alios Imperii Principes præsertim Bavariæ Duces quosdam addit LUDEWIGIUS: *s*) a quibus demum, Episcopi Catholici per injuriam hæc jura usurparint, & usque ad Paces Religiosas, dependenter tamen ab Imperio exercuerint. Sed merito cum Patre *Friderich* alleg. l. quærimus, quo demum pacto ad Imperatores Ethnicos, hostes Christiani nominis, hæc jura sacra a CHRISTO recens Apostolis

n) Vid. Ill. CRAMERI *Opusc. de Jure circa Sacra Collegiali & Majestatico* T. II. Opusc. N. 4. Vid. *Ejusd. Observ.* 419. 784. ESTOR *l. c.*

o) In c. *Præloq. ad Tom. V. J. Ec. P.*

p) Uti videre est apud FLEURY *in Hist. Eccl. Liv.* 6. n. 42. 50. &c. Et in EJUSD. aureo libello *Mœurs des Chretiens. C.* 32. Hæc vero hodie consulto abrogata esse ob plurimos tumultus inde exortos agnoscit ipse BOEHMERUS in Diss. *de injustitia vocationis factæ ad clamorem populi.*

q) Quod iterum egregie deduxit NATALIS ALEXANDER *in Hist. Eccl. Diss.* 8. *ad Sæc. I. T.* 3. *p.* 126.

r) *c. l.*

s) In Diss. *de S. R. I. Princ. protest. in sacris ante P. Rel.* & alii, uti REINHARD in Diss. *de jure Principum Germaniæ cum primis Saxoniæ circa sacra ante tempore Reformationis exercito.*

ſtolis collata pervenerunt? an translata? Sed nunquid exercita ab illis fuiſſe ſufficiet? Imo vero: ſat efficaciter id actum fuiſſe conſtat, nempe perſequendo, torquendo, ac diriſſimis quibusque modis tot Chriſtianorum millia neci dando. Quod vero ab his, Epiſcopos ſibi eandem arrogaſſe dicitur, ſi verum eſſet; certe non poſt Romanorum demum Imperatorum tempora, ſed a D. PETRO jamdum id ſuſcepiſſe dicendi eſſent, cum eadem illa jura, quæ exercuerunt Lutheri ævo Epiſcopi, jam a primis Eccleſiæ incunabulis Apoſtoli eorumque ſucceſſores liquido exercuerint. *t*)

§. IV.

Alterum non minus celebre Eccleſiæ Proteſt. Syſtema, *Epiſcopale* dicitur, quod BOEHMERUS *u*) ſibi præprimis impugnandum ſumpſit; cujus etiam præcipuos fautores recenſet *x*). Ita autem hujus ſyſtematis patroni ex ipſius BOEHMERI relatione ſtatuunt: Principem, ajunt, eſſe Epiſcopum in ſuo territorio, adeoque & jura Epiſcopalia ab ipſo ſolo exerceri. Duplicem tamen Perſonam in illo conſiderant; ita, ut qua Princeps ſæcularibus, qua Epiſcopus vero Eccleſiaſticis præſit, atque de iis diſponat eo modo, quo Epiſcopi Catholici in ſua Diœceſi aſſolent. Sed hic ego non poſſum, quin *y*) ab ipſis exquiram: a quonam demum Epiſcopalis Auctoritas in ipſos translata fuerit? an a Confeſſioniſtis? an ab eorum ſubditis? an vero ab ipſis Epiſcopis & Statibus Catholicis? Sed cum a neutro titulum derivare poſſint; ut Uſurpatores eosdem merito conſideraverimus. Cæterum recte quidem tenent, dum, ut refert BOEHMERUS, illi ſupponunt: Jura ſacra Clericis eſſe propria, adeoque hæc, non quidem jure proprio, ſed fiduciario ſaltem, vigore Decreti Paſſavienſis, usque ad compoſitionem Chriſtianam Religionis in Germania interim exerceant. Hæc bene: diverſa enim ſunt: exercere jura Epiſcopalia, & eſſe Epiſcopum rite conſtitutum, ut facile ſibi quivis perſuadebit.

§. V.

t) Conf. P. GALLADE Diſſ. ſub tit. *Fictum poſtliminium Juris ſacrorum per Inſtrumenta Pacificationum Religioſæ & Weſtphalicæ Imperii Principibus reſtituti. Heidelb.* 1757.

u) In Diſſ. *de jure Epiſcopali Principum Evangelicorum;* quæ inſerta eſt *Juri Eccl. P. T.* 1. *Tit. de Off. Jud. Ord.*

x) Accedit ab ipſo nominatis CARPZOVIO, BRUNNEMANNO, MEVIO, REINKINGIO, &c. noviter SCHMAUS *in Comp. Jur. publ. L.* 2. *C.* 14 §. 3.

y) Cum D. NELLERO *in Diſſ. de Jure Diœceſano Proteſt.* §. 13. defenſa Mog. 1751.

§. V.

Præcipuum vero ac maxime adamatum hodie est sic dictum Ecclesiæ systema *Majestaticum*, quod Majestati Principum hoc omnia tribuat. Atque in eo propugnando totus est BOEHMERUS *z*): adeo, ut crassam eorum Philosophiam, ac Principum auctoritati injuriam dicat, qui dissentiunt. Excusari tamen posse antiquiores quosdam Auctores censet, qui ante excultum Jus Naturæ scripserint. Ex illo nempe suum de Ecclesiæ Regimine Systema derivandum putat, *a*) quasi vero ante Juris Naturæ culturam protestanticam ignota potuerit esse vera Ecclesia, aut ex illius demum præceptis utique sat controversis erui debuerit, cuinam CHRISTUS potestatem in sacra, & Ecclesiæ suæ regimen conferre debuerit? Interim ex illo, quem de Jure Naturæ sibi finxit, conceptu, pro comperto habet, quod sit pars civilis Imperii, ergo & a Principe, qua tali exercendum, juxta illud: *Cujus est Regio, illius est Religio b*). Novo igitur ac periculoso invento Episcoporum quidem aliquas esse in Sacris partes admittit, eas nempe, quas Pastorale illorum munus exigit, ac in docendo atque Sacramentorum administratione unice consistunt. Quæ vero Jurisdictionis sunt, ad Principem solitarie spectare, in ipsos quoque Episcopos exercenda. *c*) Atque hic præter alios *d*) habet sibi iterum consentientem PUFFENDORFFIUM in omnes certe even-

z) *l. c.*

a) Equidem non nego, quod in statu Juris N. subditi in Principem transferre potuerint jus ordinandi cultum Numinis publicum: ast quominus ejusmodi jus Sacrorum ex ipso jure N. eidem competat demonstrat *P. Ign.* SCHWARTZ *S. J. in Inst. Juris N. & G. P.* I. *T.* 3. §. 2. *seq.* Quod vero BOEHMERUS ac PUFFENDORFFIUS eandem potestatem in Religione, quam a CHRISTO Domino revelatam admittunt, ex eodem suo imaginario jure Naturæ amplius eidem Principi addicant, plane paradoxum est.

b) Nempe sumpto hoc axiomate uti jacet; sed alium habuit sensum illo, quo oriebatur, tempore, ubi scilicet de Jure Ref. non ultra territorii cujusvis fines exercendo intelligebatur v. BANNIZA *de Apophteg.* CUJUS EST REGIO &c.

c) Juvat hic BOEHMERO saltem opponere, quæ Sæc. IV. HOSIUS magnus ille Cordubensis Episcopus ad Constantium Imp. Arianum scripsit: *Ne te immisceas ecclesiasticis, nec nobis Episcopis Imperator in hoc genere rerum ecclesiasticarum præcipe, sed ea potius a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit Ordinationi Divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magni criminis obnoxius fias: Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. Apud* S. ATHANASIUM *in Ep. ad solit. vitam agentes.* Et illud S. Ambrosii ad Valentinianum: *ad Imperatorem palatia pertinet: ad Sacerdotem Ecclesiæ.*

d) HOBBESIUM, SELDENUM, GROTIUM coriphæos, THOMASI-

eventus paratiſſimum. Is enim (ut ejus pertexam hiſtoriam) ſupra ſortem ſuam eluctaturus, utpote cum hactenus nihil præcipui apud ſuos ſibi relictum animadvertiſſet, Eccleſiaſtico foro ac Theologiæ caſtris valere juſſis, Aulas Principum majori cum emolumento ſectandas apud ſe conſtituit, atque omnem porro in Sacris poteſtatem ab Imperantium auctoritate repetendam tradidit *e*). En! præcipua, quæ extant Proteſt. Eccleſiæ Syſtemata; ad quæ tamen alia minorum Gentium innumera reduci poterunt. Sed vel hæc ſunt nimia; ut adeo mirum ſit, ex eadem Aug. Conf. tot diverſas circa principale Religionis caput deduci potuiſſe formas, ſalva cæteroquin Fidei Proteſtanticæ unitate? Aſt: ſic nempe ipſa ſe obruunt illa Eccleſiæ Syſtemata, quæ non, uti Eccleſia Cath. in Petra fundata ſunt. *f*)

§. VI.

Vidimus a BOEHMERO & ejus aſſeclis omnia perperam tributa Principibus; ſed paciſcamur: Neque enim omnino nullas eſſe Regum partes intuitu Sacrorum autumes: ſunt enim *Advocati*, ſunt *Brachium* & reſpective *Caput Eccleſiæ ſæculare*. Merito igitur hæc eisdem curæ eſt. Religionis enim, ut ipſa in Rep. floreat, Principi curam eſſe gerendam, vel ipſi Pſeudopolitici cenſuerunt. Chriſtiani vero Politici, longe aliis licet fulti argumentis eandem ſententiam ſuſtinent. Dexterrime id agit celeberrimus Italiæ Triumvir MURATORIUS

Aaa 2

MASIUM *in Diſſ. de Summa poteſtate Principum Evang. circa ſacra.* Item *in Vindiciis Juris Majeſt. circa Sacra.* LUDEWIGIUM *de S. R. J. Principum poteſtate in Sacris ante Paces Rel.* PFAFFIUM *in Orig. Juris Eccleſiaſt.* GUNDLINGIUM *in J. Nat.* KRESSIUM & PERTSCH *in Elem. Juris Can. &c.* SCHILTERUM *de Libert. Eccl. Germ. Reinhard* de jure Principum Germ. cumprimis Saxoniæ c. ſacra ante tempora Reformationis. *Stryck* de jure Papali principum Evangel. *Preuſchen* **von der Landesherrlichen Gewalt in Kirchen- und Ehesachen.**

e) In noto opere: *de Habitu Religionis ad ſtatum Civilem.* Item *in ſuo Jure Nat.*

f) Pro hujus præſertim ſyſtematis confutatione omnino conferri meretur plena bonæ frugis ac ſalis Diſſ. *P. Phil.* FRIDERICH *S. J. De Idea Nomotheſiæ Eccleſiaſticæ Syſtematis Hierarchici fundamentis innixa, contraque hypotheſes & criſin Puffendorffii, Pfaffii, & Bœhmeri aliorumque modeſte aſſerta* Heidelbergæ 1746.

SCHMIER *in Jure Publ. Univerſali L. 3. C. 1.*

Item Diſſ. *De jure Comitiorum Imperii circa ſacra* edita Mog. A. 1747. §. 29. 30. ibique all. BECANUS *de Primatu Regio.*

D. BARTHEL *de J. Ref. antiquo.*

COEFFETEAU *De ſacra Monarchia Eccleſiæ Cath. adverſus Remp. M. A. de Dominis.*

RIUS *g*) dum ait: *Perciò intendiamo, quanto debba stare à cuore dei Regnanti, e di chiunque ama la Città e il Publico suo, che vi si conservi ed aumenti la vera Religione, affinchè vi si mantenga ancora l' essercizio delle Virtù, il buon regolamento dei costumi, e sopra tutto il vicendevole onesto amore fra i cittadini, dalche principalmente scaturisce la felicità d' una Republica.* Duos propterea gladios Ecclesiæ suæ paravit Dominus *h*): Spiritualem nempe & Materialem; quorum illum Episcopus; hunc Imperator & Principes gererent. Sic vel ipse testis non suspectus FRIDERICUS II. Imperator, ait: *i*) *Commissi nobis cura regiminis cælitus, & imperiale, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a Sacerdotio fungimur, gladium, adversus hostes Fidei, in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt exercendum.* Et ita pariter S. R. I. ELECTORES, cum ratas declararent donationes Pontifici per RUDOLPHUM I. Imperatorem factas, *Hic est*, ajunt, *qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit, & convertit, ut ejus præsidio Pastor pastorum adjutus oves sibi creditas spirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigat.* Atque hinc est, quod, uti quidem omnium Regum ac Principum, specialissime vero Imperatoris R. G. officium secumferat, ut sit Ecclesiæ Cathol. Advocatus, quomodo CALIXTUS III. Pontifex FRIDERICUM III. Imperatorem alloquitur: *k*) *Considera*, ait, *quod tu Imperator es Advocatus Ecclesiæ, Protector fidei Cath. primus inter Sæculi Principes, primus, qui arma pro Defensione Religionis nostræ induere debeas &c.* Imo: fundamentalis Imperii Lex AUREA BULLA *l*), quando de electione novi Imperatoris disponit, non tam Imperatorem, quam *temporale Caput Populo Christiano* eligi debere statuit *m*). Germanico vero idiomate in RR. Imp. sæpe compellari suevit: Rechter Vogt und Schirm-Herr der Christlichen Kirchen *n*) & alibi: *o*) Wir erwählter Römischer Kayser Vogt und Schirm-Herr

g) In *Tr. Della publica Felicità Oggetto de' buoni Principi. Cap. 6. p.* 33.

h) LUCÆ XXII. v. 38.

i) In *Constit. contra hæreticos.*

k) *Epistola* inter illas AENEÆ SYLVII 385.

l) *C.* 2. *§.* 3. *seq.*

m) Hinc etiam esse, variis videtur, quod quasi Ecclesiasticam Imperator personam sustineat; cum in inauguratione sua ecclesiasticis induatur vestimentis; sacro, Episcoporum instar perungatur oleo: ac tota demum ejusdem electio Episcoporum electioni conveniat. V. G. L. BOEHMERI *Progr. de reliquiis Juris Canon. in Imperatoris electione.* Inde etiam est quod Pontifex Henrico II. Imperatori globum aureum cum cruce imposita tradiderit, ad denotandum Dominium totius orbis christiani. conf. *Mascov.* Princ. juris publ. L. 3. §. 17.

n) *Rec. J. Sub* MAX. I. A. 1512.

o) *Rec. J. de* A. 1518.

Herr der Christenheit 2c. *p*) Idem docent primorum Imperatorum Christianorum CONSTANTINI, THEODOSII, MARCIANI, VALENTINIANI, JUSTINIANI, aliorumque exempla, quibus nihil erat antiquius, quam veræ Religionis esse promotores. Ita autem jam tum LEO M. Pontifex LEONEM Imperatorem sui monebat officii: *Debes incunctanter advertere*, ait, *Regiam potestatem a Deo tibi datam esse, non ad mundum solum gubernandum, sed etiam, imo principaliter ad protegendam & defendendam Ecclesiam q*). Sed perduellium tam Sacerdotio, quam Imperio Donatistarum hoc sensu ferebatur axioma: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* omnem Principi tutelam curamque Ecclesiæ negans *r*).

p) Singula vero Jura Imperatori hoc titulo competentia latius exhibet Diss. *de Romanorum Imperatoris genuina Idea Aug. Trev.* 1760. Adde SENCKENBERGII *Schiagraphiam Majestatis Imperii*, quæ juncta ejusdem Operi: *de Methodo Jurisprudentiæ.*

Item: W. STECK *Vindiciæ Libertatis Eccl. Germ.*

Imo ex ipso Principis officio, h. e. Regaliæ jure jus attendendi in Disciplinam Eccles. derivat. v. ESPEN in *Tr. de Placito regio. C.* 3. Nempe, quod Principis sit Reipl. pacem conservare, & quod eandem convellere posset, præcavere. Quamvis justo longius hac in re processerit v. ESPEN, dum Bullas quoque Dogmaticas non excipit. Præcipuus in hac materia scriptor *Petrus* DE MARCA *de Concordia Sacerdotii & Imp.* Conf. etiam quæ BALUZ. *in Præf. ad Capitularia Regum Franc.* §. X. sq. ubi quæ *Gretserus* contra *Goldastum* hac de re disputaverunt, recenset. BARONIUS ad a. 819. 45. & 47. huc spectant etiam scripta *de j. regio in Ecclesiasticis Ducum Bavariæ.* 4. *Frf.* 1762. & 63. edita.

q) MAIMBOURG *Hist. du Pontificat de S. Leon.* & ejusdem *Hist. de l'Arianisme.* ubi præclarissima *Constantini M.* aliorumque Imperatorum exempla referuntur. *De Theodosii M.* Imperatoris in Ecclesiam meritis conf. TILLEMONT *hist. des Empereurs Romains.* FLECHIER. *hist. de Theodose.*

FLECHIER *Hist. de Theodose le Grand.* Regum Francorum vero Caroli M. & ejusdem successorum laudatissimas pro vera religione curas in abolienda Idololatria, fundandis Ecclesiis, eisdemque concedendis privilegiis, Congregandis Conciliis pro stabilienda Ecclesiastica disciplina & præcipue in Romanam Ecclesiam merita testantur Capitularia RR. Franc. & horum temp. Concilia Annales Ecclesiæ & Imperii.

r) Hoc Axioma multum reprehendit S. AUGUST. *L.* 2. *contra literas Petiliani.*

NATALIS. ALEXANDER Diss. V. *ad Sæc. IV. De Jure* CONSTANTINI *Imperatoris in causis Cæciliani & Felicis Aptungitani nec non in toto Schismatis Donatistarum negotio T.* 4. *Hist. Eccl. p.* 195. *seq.*

§. VII.

Hoc nempe *Advocatiæ* titulo Imperatores *) pientissimi convocarunt Concilia, horumque Canones suis Legibus confirmarunt, hæreticos extirparunt, Ecclesiæ denique de Pastoribus optimis diu providerunt. Etsi quidem allegata hæc momenta sint ejusmodi, ex quibus Protestantes *s*) multa in rem suam pro asserendo suis Principibus Jure circa Sacra proprie tali deducere contendunt: Ast si convocarunt Concilia **) CONSTANLINI, THEODOSII, CAROLI vel ideo Magni: pronum est ex Historia, eos non tam ex suprema quadam in sacris prætensa potestate, sed magis Protectorum nomine convocasse; utpote qui pacem atque ordinem externum in illis conservarent, sumptus Episcopis pro itinere victuque suppeditarent, locumque celebrando Concilio aptum (necdum enim tunc Ecclesia urbes habebat ac Provincias) assignarent. Fecit nempe fiducia, quam in ejusmodi zelosis Principibus Ecclesia posuit, ut eis convocandorum Conciliorum potestatem facile concederet; sed nunquam certe, ut Fidei dogmata definirent *t*). Sed, nonne, ais, extant Leges quamplurimæ, extra

*) Eadem jure in Ecclesiasticis, imo potiora, prætendunt Reges Siciliæ qua Legati nati Pontificis a latere vi bullæ Urbani II. adeo, ut Rex eandem in Regno suo jurisdictionem Ecclesiasticam, qualem Pontifex in Ecclesia universali sibi vindicet. Unde famosus titulus *Monarchiæ Siciliæ*, a libro sub hoc titulo edito, ubi dicta jura latius deducta. Sed hæc prætensa monarchia a scriptoribus Pontificiis præsertim *Baronio* multis impugnata est. conf. *Gundlingiana* P. V. N. 3. *Giannone* hist. Regni Neapol.

Similia jure obtendunt alia Regna. Hispani Bullam Cruciatæ famosam. v. *Raynald.* Galli Libertates suas, de quibus BOSSUET in *Def. Declarationis Cleri Gall.* de Regno Hungar. KOLLAR *de Orig. & usu perpetuo potestatis Legislatoriæ circa sacra Regum Ungariæ. Vindob.* 1764. 8. ubi ait, serenissimos Ungariæ Reges Orienti, & Occidenti, Imperatorum exemplo eadem circa sacra potestate Usos fuisse.

s) CENTURIATORES MAGDEBURGENSES. Item LUDEWIG *c. l.*

PERTSCH in dem Versuch einer Kirchen-Historie.

CIPRIANI in seiner Ueberzeugenden Belehrung vom Ursprung und Wachsthum des Pabstthums.

**) Convocationem Conciliorum Oecumenicorum ab Imperatoribus jure factam defendit GIBERT *in Corp. Jur. Can. Proleg, P. I.* T. 15. S. 5. *Franc.* BALDUINI *Tr. de LL. Constantini.* Quænam hodie sint partes Imperatoris in convocando Concilio disquisivit VAN ESPEN *in Tr. de placito Regio. P.* 5. *C.* 1. Certe Imperatores *Carolus V.* & *Ferdinandus I.* in Conc. Trid. suos non neglexerunt. *Sigismundus* in Conc. Const. & Basil. &c.

t) *Conf.* NATALIS ALEX. *Diss. XI. ad Sac. IV. De Nicæni Concilii convocatione l. c.* p. 210.

P. GREB-

tra quidem Concilium ab Imperatoribus latæ, uti ſunt: *De Fide Catholica*; *de Hæreticis*; *de Baptiſmo*; *Matrimoniis*, u) *feſtis &c.* x) quarum Codices tum Theodoſianus, tum

P. GREBNER (*Leonard*) *S. J. de ſtatu Eccleſiæ & juris Eccleſ. obſervantia ſub imperio ſtirpis Carol.* Bamb. f. ac noviſſimum illud: *Mandement & inſtruction paſtorale de Mſgr l'Archévêque de Paris, touchant l'Autorité de l'Egliſe Paris* 1756.

u) Lex Theodoſii circa nuptias Conſobrinorum laudata eſt ab Ambroſio & Auguſtino. Cæterum Imperatores Chriſtiani non ſolum impedimenta ponebant matrimoniis, ſed in iiſdem quoque diſpenſarunt. Uti patet ex *Cod. Theod. Tit. de Rapt. & L.* 31. *ff. de R. N.* conf. PILATI *Orig. Juris Pontif. fol. p.* 277.

x) De feſtis conf. *Corpus Juris Eccleſ. Auſtriaci.* 8. KOLLAR c. l. Plures olim fuerunt materiæ, quæ hodie referuntur inter Eccleſiaſticas, E. G. de Gradibus Conſang. & Affinitatis, variis Impedimentis &c. de quibus olim Imperatores Edicta proponebant, quæ in Eccleſia quoque obſervabantur. Sed neque ex hoc inferri quidquam poteſt: res enim ita ſe habet: Cum ante Sæculum 8. ab Eccleſia nihil eatenus ſtatutum fuerit; Imperatores ſaltem quoad effectus civiles normam præſcripſere, quas eorundem Conſtitutiones deinde Eccleſia, ne videretur jura Imperii ſubvertere velle, ſit v. ESPEN *in J. E. U. P.* 2. *Tit.* 13. *C.* 1. per Canones Conciliorum etiam quoad effectus eccleſiaſticos ex parte approbavit; partim vero reſtrinxit, uti in materia Divortii &c. Erudite hac de re diſſeruit LAUNOY *in Tr. de Regia circa Matrimonium poteſtate Ar.* 3. *C.* 1. *ſeq.* licet non omnibus hujus Authoris in hac materia principiis accedam. Conf. SAMHABER *de judice cauſarum Matrimonial. Mog.* 1757. Denique nec omittunt Proteſtantes ſubinde allegare Imperatores Chriſtianos veteres: CONSTANTINUM, VALENTINIANUM, MARTIANUM, ANASTASIUM, qui in ſuis inſcriptionibus Pontifices ſummos ac inclytos ſeſe appellarint; uti ex illorum quoque Nummis cognoſci poteſt: ſed, cum Ethnici parere Epiſcopis detrectarent, quid officit, Imperatores Chriſtianos ſtylo recepto Pontificis titulum retinere voluiſſe; vel potius Ethnicis adhuc Officinæ monetariæ Præfectis errorem illum contigiſſe, vel neſciis Imperatoribus Chriſtianis, vel incuriis, vel titulum inanem ſpernentibus. Conf. P. ZACCHARIA *Annali Litterari d' Italia T. I. L.* 1. *C.* 11. ubi recenſet Opuſculum *del Origine de' Cognomi Gentilizi nel Regno di Napoli deſcritta da Gennaro Grande.* 1756. *Napoli.* atque de titulo Pontificis Max. ab Imperatoribus Chriſtianis quandoque adhibito diſſeritur. Conf. etiam *Tr. delle Coſe Gentileſche e Profane traſportate ad uſo ed Ornamento delle chieſe di Giovanni* MARANGONI 4. *Romæ* 1744. ibi Cap. 37. quod ita inſcribit: *del Titolo di Pontifice maſſimo preſſo i Gentili e come aſſunto fu da gl' Imperadori Criſtiani ſenza nota di ſuperſtizione; e come queſto titolo fu attributo a' Veſcovi, e di Pontefice maſſimo a' ſucceſſori di S. Pietro Vicarii di Criſto.* ibi quoque allegat Jo. BOSIUM *Tr. de Pontificatu maximo Imperatorum Chriſtianorum. apud Gravium T.* 5. BARONIUM *ad Martyrologium Rom. die* 22. *Aug. & ad* 9. *April.* De Titulo Pontificis Max. in Nu-

tum Justinianeus, ac Regum Francorum Capitularia pleni sunt? Atenim evolvamus hos Codices, eosque cum Decretis Conciliorum conferamus; & deprehendemus, Leges ibi occurrentes maxima ex parte easdem esse Constitutiones, quas in Conciliis ab Episcopis decretas legimus. Horum nempe hortatu ac precibus easdem suas fecerunt Principes religiosi, promulgando, confirmando, atque in illarum transgressores pœnas quoque temporales sanciendo; quæ omnia nonnisi piissimum eorundem pro Fide Catholica fervorem testantur *y*). Atque sic pariter, dum Episcoporum Abbatumque olim Investituram mediante Baculo & Annulo conferebant Imperatores & Reges, nullum exinde Jus circa Sacra *) vere tale & Majestaticum inferri potest. Licet enim insignia sacra, Pedum & Annulus, tanquam Potestatis spiritualis Symbola, non adeo quadrarent ad Investituram regiam, qua nonnisi temporalia Ecclesiis annexa ex Imperatorum intentione conferebantur: merito tamen hæc permisit Ecclesia, cum rectam eatenus Imperatorum intentionem cognovisset. Neque enim hi unquam Sacri Ordinis quidquam cum illis conferre præsumpserunt; sed, quas Regali plane munificentia ad Religionis splendorem fundarunt Ecclesias, ad easdem, tanquam Patroni pientissimi, Viros Episcopali munere longe dignissimos, & quorum insuper, qua Regni simul Procerum ac Vasallorum perspectam fidem habuerunt, ab Ecclesia canonice promovendos nominarunt, & in effectu tantum præsentarunt, donec HENRICI IV. potissimum temporibus mutata in Dominatum Advocatia, atque in mercaturam abeunte veteri jure Patronatus, pessimi abusus cum dispendio Disciplinæ Ecclesiasticæ irreperent: merito Ecclesia, quos antea permiserat, mores, abolevit; vindicavit Capitulis eligendi liberta-

Numis Constantini & seqq. Imp. usque ad Gratianum conf. MASCOV. Gesch. der Teutschen p. 219. n. 5. late SCHURZFLEISCH *in Diss. de primo Christiano Imperatore* §. 14. seq. SCHOEPFLINUS *de Pontificatu Max. Impp.* Hunc vero titulum Imperatores christianos a Valentiniano omnes, ne excepto quidem Juliano Apostata declinasse testatur ex *Harduino* JOBERT *Introduction à la Connoissance des Medailles.* p. 159. Atque ex his adductis hactenus fundamentis reliqua omnia Acatholicorum pro vindicando Principibus Sæcularibus Jure Sacrorum obmota, quorum seriem longo ordine recenset BOEHMERUS *c. l.* §. 34. elidi facili poterunt. conf. etiam c. NATALIS ALEXANDER in *Hist. Ecclesiast.* locis parallelis.

y) Conf. cit. *Diss. de J. Comit. Imp. circa Sacra.* §. 34.

*) Differentia inter jus Sacrorum sive *in* Sacra, et jus *circa* sacra est talis. Hoc exercent Principes sæculares Catholici, ut consistit. 1.) in jure protegendi & 2.) ab Ecclesia salutariter ordinata exequendi: illud continet 1.) jus in ipsam Religionem (cujus sunt incapaces Laici.) 2.) jus Disciplinæ 3.) ea quæ sunt Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Duo posteriora hæc capita vel immemoriali usu & observantia vel ex speciali concessione, Concordatis Principibus communicantur. ICKSTATT *de j. Regio Ducum Bav. in Eccles.* p. 7.

bertatem; ac sustulit Symbola Ecclesiastica ad Investituram Episcoporum de se profanam haud quadrantia: quin per hoc mutatum vetus Ecclesiæ Systema, cum Jura Pontificis & Episcoporum ab Imperatorum potestate distinguerentur; & firmarentur ad nostra usque tempora z).

CAPUT II.

De Jurisdictione Ecclesiastica per PACEM Westphalicam suspensa.

§. VIII.

Sed ex quo nova LUTHERI doctrina fatale Religionis schisma concitavit, Principes sæculares excussa Episcoporum Jurisdictione Ecclesiastica, novam & hucusque inauditam Jurisdictionis Ecclesiasticæ speciem sibi effinxerunt, atque, ut in pace Westphalica stabiliretur, effecerunt. a) Nempe dira sic postulan-

z) Historiam Invest. Episc. refert MAIMBOURG *in Hist. de la Decadence de l' Empire, & des Differents des Empereurs avec les Papes, au sujet des Investitures, & de l' independence.*

Conf. *Istoria delle Investiture delle dignità Ecclesiastiche contra Luigi Maimburgo scritta dal Card. Enrico* NORIS *fol. Verona.* 1741. ALEX. NAT. *T. VI.* p. 725. sq. *Christ.* LUPI *Diss. de Regia Antistitum nominatione & de Laica antistitum Investitura.* Op. T. 4.

a) Duplex ergo nunc enata est in Imperio Jurisdictio Ecclesiastica: relicto Veteri Episcoporum Jurisdictioni Ecclesiasticæ Juris Diœcesani nomine; hoc vero sub juris Reformandi titulo plerumque comprehenso. Quapropter non inconcinne novam hanc, alteram vero Episcoporum Jurisdictionem Ecclesiasticam antiquam ex mente LL. Imp. & earundem communi loquendi modo compellamus, assentiente BOEHMERO *in I. E. P. L.* 1. *T.* 31. §. 24. Probe discernendum vero est ab hac Jurisdictione Ecclesiastica nova sic dictum *jus Reformandi*, quod in P. W. Principibus J. tam Catholicis quam A. C. addictio concessum est: licet communiter confundi soleant. Hoc enim versatur circa Religionem vel abrogandam vel novam superinducendam tantum; quemadmodum hoc jus diu ante P. W. a diversis Imperatoribus & Principibus christianis vel expellendo vel tollerando diversas Religionum formulas in effectu exercitum est. Jurisdictio Ecclesiastica vero statuum Imperii nova ex mente Pacis W. versatur circa ipsam Religionem dirigendam, quæ suspensa nimirum Jurisdictione Eccl. Episcoporum in hos translata est, uti ex collatis Pacis W. locis singulis apparebit. Poterat enim princeps I. sæcularis solo gaudere jure reformandi Religionem in territorio suo, quin simul jurisdictio-

ſtulante temporum injuria, & tentatis incaſſum omnibus, cedendum erat. Ad vivum plane delineat eas temporum rationes BANNIZA *b)* dum ait: „Illud „ſupererat extremum: aut in decretoriam certaminis aleam totam antiquam „Chriſtianæ Religionis fortunam conjicere, aut relinquendo Proteſtantibus ea, „quæ poſt Pacem Rel. occupaverant, de rerum ſumma paciſci. Si prius libuiſ„ſet, cadente infeliciter alea prælii, prædominante utique tot hoſtium numero „Catholica Religio luguberrimo & proxime obvio propinqua fuiſſet exitio; „ſi viciſſet, aut in ſolitudinem redigere debuiſſet Germaniam, ſi nullos pati „voluiſſet Proteſtantes, aut ſi terram incolis non vacuam maluiſſet, quia jam „altiores egerat radices antiquioris Religionis tædium, & inveterata jamdum „diſſentiendi libertas, quam ut evelli poſſet, cum poſt omnia tamen indulgen„dum id fuiſſet, propter quod, ne fieret, jam tot annorum bello fuerat de„certatum.„ In duriſſimas ergo, licet, Pacis W. conditiones conſentiendum erat. En verba §ſi noſtri inter omnes potiſſimi: *Jus Diœceſanum & tota Jurisdictio Eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus contra A. C. Electores, Principes, Status, comprehenſa Libera Imperii Nobilitate, eorumque ſubditos, tam inter Catholicos & A. C. addictos, quam inter ipſos ſolos A. C. ſtatus uſque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis ſuſpenſa eſto, & intra terminos territorii cujusque jus Diœceſanum & Jurisdictio Eccleſiaſtica ſe contineat.* Ut ut vero dura ſint hæc pacta; nihilominus tamen, nec obſtante ſolenni Pontificis proteſtatione, quam tamen optimo jure, imo ex officio factam demonſtravit *L. B. ab* ICKSTATT, *c)* tanquam pro bono publico & ad evitanda majora mala inita firmiter tenenda eſſe, nemo amplius negabit.

§. IX.

Proſpectum tamen Epiſcoporum Juri Diœceſano fuit eatenus, quod in Inſtrumento Pacis W. *ſuſpenſa* tantum, *non ſublata* in Regula dicatur Epiſcoporum Jurisdictio, quemadmodum ex verbis §i 48. ſupra relatis apparet. Equidem ſublatam plane eandem voluerunt ad Tractatus Pacis Legati Proteſtantes; atque hoc, ut efficerent, omnibus viribus contenderunt *d)*: Fecit tamen Catholicorum pro avita Religione zelus & conſtantia, ut in illam tandem formulam conventum fuerit. Hoc ipſum quidem optime cognoverunt Proteſtantes ſupra relati Syſtematis Juris Epiſcopalis Principum fautores; ut fiduciario tantum jure, Jura

ctionis Eccleſiaſticæ novæ partes reliquas exerceret. conf. SUNDERMAHLER *Diſſ. de ſuſpenſa Jurisdictione Eccleſ.* BARTHEL *de jure Reformandi antiquo.* BANNIZA *de diverſar. Religionum Tolerantia.*

b) In Diſſ. *de Tolerantia diverſarum Religionum in eodem territorio. C.* 2. §. 4.

c) In Diſſ. *de juſta & efficaci ſummi Pontif. proteſtatione contra P. W.*

d) Uti ex MEYERI *Actis Pacis W.* pluribus videndum eſt.

Jura Sacra a Principibus exerceri merito statuerint. BOEHMERI vero & ejus asseclarum systemati Majestatico tanto magis vox *suspensa* obstare videtur, quanto conceptam inde sollicitudinem suam celare minus potest, dum Catholicorum eatenus prout ait, cavillationes timet *e*): sed quidni cavillari ipsum BOEHMERUM dixerim, dum Versiculum Pacis W. *donec dissidia Religionis sopita fuerint*, per *hoc est in perpetuum* interpretari eidem placuit. Nempe, cum Superioritatis territorialis partem dixerit Potestatem in Sacra: æque oportuit, ut nullo unquam pacto eandem resolvi permitteret. Ast sane non gratis de verbulo *suspensa* tantæ contentiones; palam enim sunt insignes, qui inde pendent effectus: si enim suspensa tantum est Episcoporum Jurisdictio; colligere pronum est, hanc eisdem radicaliter adhuc usque competere: cujus effectus præcipue est, quod, si A C. addictus Princeps, qui vi Pacis W. exercuit Jurisdictionem Ecclesiasticam in suos subditos Catholicos, ad Catholicam Religionem rediret, subito Episcopi Diœcesani in ipsum ejusque subditos Catholicos Jurisdictio reviviscat. Quod non praxi tantum, sed & rationi conforme est: Neque enim hos sibi ipsis relinqui oportet: quod fieret, ni Episcopi in illos Jurisdictio revivisceret. Cum enim Princeps Catholicus ex Religionis suæ principiis Jurisdictionis Ecclesiasticæ in suos subditos Catholicos sit incapax, & cum Fideles legitimo Pastore destitutos esse haud oporteat: utique tunc Episcopus Pedum resumet. Cum enim nullæ Principes inter Catholicos & Episcopos tempore Pacis W. de Jurisdictione Ecclesiastica extiterint controversiæ; nullam neque pro illis normam in Pace W. definitam merito dixeris. *f*)

§. X.

Igitur, in quantum Jurisdictio Ecclesiastica Pontificis atque Episcoporum Cathol. suspensa fuit: in tantum hæc interim & in effectu Dominis territorialibus concessa fuit. Equidem de Principibus Aug. Conf. addictis tantum conceptam esse Legem Scriptores Protestantici quidam *g*) contendunt: Catholicis tamen e contrario eadem sibi jura intuitu subditorum protestantium non sine fundamento vindicantibus: Nam & hi clara Legis verba, quibus Jurisdictio Ecclesiastica *intra terminos cujusque territorii se continere* jubetur, jure pro se allegant,

e) In *J. E. P. L. 1. T.* 31. §. 50.

f) Atque hæc pauca dicta sufficiant contra MULLERI *Diss. De Juris Episcopalis in terris Protest. a Catholicis (injuste prætensa) reviviscentia*, Jenæ 1689. quam pluribus] hic excutere, quia nimis longum, & præter scopum meum foret, supersedeo.

g) Uti facit SCHMAUS. *in Comp. Jur. publ. L.* 2. *G.* 14. §. 5. STRUBEN Nebenstunden *P.* 2. *p.* 113. 173. PUTTER *Elem. Juris Publ. Germ.* §. 643. Edit. 3. CRAMER *Obs. Jur. Univ.* 577. T. 2. P. 2.

gant, præsertim cum absque hoc clara sit Regula in Pace W. *b*) stabilita, ut, *quod uni parti justum est, alteri quoque parti justum sit oporteat*. Ast cognoverunt jampridem inter ipsos Protestantes non exiguæ auctoritatis viri, *i*) eandem Catholicis quoque Principibus in subditos suos A. C. addictos in Regula quam optime fundatam esse, *k*) quod & sana Juris Publici Analogia suadet concludere. Numquid enim omnimodam Anarchiam subditis suis relinquent Domini Catholici, ut pro lubitu E. G. in casibus prohibitis contrahere matrimonia, eadem dissolvere, &c. valeant? Sed contrarium perpetua Praxis & observantia in Imperio docet. *l*) Nec moventur Catholici Principes religiosa nimis Protestan-

h) *J. P. O. Ar.* 5. §. 1.

i) Uti KLOCK *de Contribution.* HENNIGES *in Medit. ad J. P.* DECKHERR *in Vind. ad Blum.* MOSER in scripto: Die auf das allerbest gegründete *Jurisdictio Ecclesiastica* Catholischer Landes-Herrn über ihre Evangelische Unterthanen, in *Fabri* St. Canzl. T. 40. Imo id omnes illi fateri coguntur, qui cum BOEHMERO *l. supra c.* Jus Sacrorum ex Superioritate territ. derivant. Ex Catholicis vero invictis illud argumentis demonstrarunt BARTHEL *l. c. Ar.* 5. DE ECKARD *de j. Principis Catholici circa sacra subditorum suorum Protest. Mog.* HAMMER *de j. Principis Cath. c. sacra.* B. Schmidt Reichsfriedensschlüssige Vertheydigung der geistlichen Gerichtbarkeit Catholischer Reichsstände über ihre Lutherischen Unterthanen. Frankf. und Leipz. 1754. BANNIZA *Subsidia Interpretationis Doctrinalis Pacis Rel. & Westph. p.* 11. & alii.

k) *Pl. R. D.* BARTHEL *in Jure Ref. novo Ar.* 5. §. 2. pro hujus rei assertione tanquam primum fundamentum allegat: *Quod Jus Diœcesanum sive Jurisdictio Ecclesiastica necessario sub Jure Reformandi comprehendatur:* eo quod plus sit, Religionem reformare, quam administrare: ergo, cum indubie Jus Reformandi competat Catholicis Principibus; sic iis etiam Jurisdictio Ecclesiastica in suos subditos Protestantes competat. Sed suam huic argumento vim relinquo: id tantum moneo: differt vel maxime jus Reformandi a Jure Diœcesano sive Jurisdictione Ecclesiastica: Et quidem ab antiqua illa Episcoporum Jurisdictione differt I. quod hæc per plura aliorum Principum territoria se extendat, uti Archi-Episcopi Moguntini Episcopalis Jurisdictio per totam Hassiam, & partem Saxoniæ olim se extendebat, cum jus Reformandi e contrario territorii cujusque limitibus compescatur. II. Hanc exercent Episcopi, illam Domini territoriales. Et licet III. in Pace W. æque Principibus Laicis collata fuerit nova quædam Jurisdictionis Ecclesiasticæ species: hæc tamen pariter a Jure Reformandi distinguitur, cum, ut supra monui, alii sint casus, quibus Jus Reformandi, & alii, quibus Jurisdictio Ecclesiastica Principum se exserit.

l) An in Causis Ecclesiasticis Protestantium Jurisdictio supremorum Imperii Tribunalium fundata sit, ex eodem principio decidendum est. Cum enim status Imperii singula Regalia ab Imperatore & Imperio in feudum recognoscant, respectu Jurisdictionis Ecclesiast. independentes esse nequeunt. Idem confirmat praxis S. J. T. præsertim C. J. A. quo spectant inter plurima exempla recenti-

ſtantium admonitione: nempe quod vi principiorum ſuæ Religionis, & nominatim vi C. 16. *x. de foro comp.* absque Sacrilegii reatu eandem ſibi arrogare haud valeant. Neque enim ignari ſunt, quantum ipſis per Religionis ſuæ principia circa eandem liceat; quid vero ipſis circa Religionem Proteſtanticam in territorio ſuo juris competat, ex ſanis Juris Publici principiis derivare, & exceptionem de jure tertii ridere norunt. Sequitur ex his, non Sæcularibus modo Principibus Catholicis hanc Jurisdictionem Eccleſiaſticam juxta quidem principia Religionis, a qua ipſi diſſentiunt, exercendam eſſe; ſed ipſis adeo Principibus Epiſcopis eandem viam eſſe tenendam, adeo, ut, ubi qua Epiſcopi antiquam Eccleſiaſticam exercere non poſſunt, qua Principes novam Pacis Weſtphalicæ Principum Jurisdictionem in Rebus Sacris exercere debeant, cauſas ſubditorum ſuorum Proteſtantium ad normam quidem Aug. Conf. dirimendo; illorum Religionis Miniſtros conſtituendo, & quæ ſunt reliqua. Attamen cum juxta plerorumque Proteſtantium, præſertim BOEHMERI, principia omnes cauſæ ſint ſæculares; adeo, ut in Principum debeat eſſe arbitrio, num ſeparatum Conſiſtorium pro cauſis eorum Eccleſiaſticis erigere velint, ſive non *): pari jure Principum Catholicorum erit, dignoſcere, quid ſuis in terris conducat. **) Certe id gratiæ Principis unice tribuendum erit, ubi ſubditis ſuis, qui in Anno Normali tale non habuerunt, de eo paciſcantur, uti Eminentiſſimum Electorem Moguntinum JO. SUICARDUM ***) cum Civitate ſua Erfordienſi feciſſe conſtat. Equidem paradoxa hæc omnia ſecundum principia Juris Canonici videri poterant; ſed minus, credo, illi videbuntur, qui Pacis W. rationes perſpectas habet. Admiſſo enim uno irregulari, nempe ſuſpenſa

 Juris-

centius in cauſa Freyherrn v. Wetzel contra die Gemeinde zu Mehlbach veneris 16. Jan. 1761. ubi ad Grav. 32. contrarium reſponſum facultatis Juridicæ (Marburgenſis) relatum a *Preuſchenio* in Tr. Daß ein Catholiſcher Landesherr in Ehe- und andren Kirchen-Sachen ſeiner Evangeliſchen Unterthanen zu erkennen nicht befugt ſeye. Gieſſen 1753. ineptum deprædicatur. Et in Cauſa Chriſtianin *contra* Chriſtian Appellationis Jovis 1. Aug. 1765. Concl. werden beſagtem Magiſtrat (zu Nürnberg) ſeine gegen die J. K. M. in Eheſachen zuſtehende allerhöchſte Jurisdiction geäußerte ohnſtatthafte Principia auf das ſchärfſte hiemit verbotten. Er auch zugleich mit Verwerffung derenſelben angewieſen ſeinem Statt- und Ehegericht das hierunter begangene Vergehen nach Vorſchrift des Kayſ. Concluſi d. 31. Oct. 1763. nachdrücklichſt zu verweiſſen, und in Zukunft gemeſſenſt zu unterſagen; als anſonſten J. K. M. gegen Ihn, den Magiſtrat, mit ſchärferen Kayſ. Verordnungen fürzugehen nicht entſtehen würden. Conf. Cramer Nebenſt. Th. 16. Abh. 4.

*) *J. E. P. L.* 1. *T.* 38. §. 17.

**) Quidquid contra nitatur STRUBEN Nebenſt. *P. II. N.* 6. §. 19. Neque enim hic argumentis D. BANNIZA relatis eſſe ſatisfactum arbitror; et P. III. N. 15. von dem jure Conſiſtorii der Evangeliſchen Unterthanen Cathol. Landesherren.

***) Vid. GUDENUS *hiſt. Erfordiens. L.* 3.

Jurisdictione Ecclesiastica Episcoporum Catholicorum, quidni plura ejusmodi in sensu Catholico absurda sequi oportuit? quid enim Episcopi Protestantes? quid Patroni Lutherani ad Beneficia Ecclesiastica? quid Jus Canonicum Protestanticum? & tamen hæc audimus quotidie? Dictis accedit paritas a Judæis, quos secundum Legem Mosaicam Judicant Principes, quin judaizent, aut suas gravent conscientias. *m*)

§. XI.

Tres vero Exceptiones a Regula: quod Jurisdictio Ecclesiastica Episcoporum Catholicorum in A. C. Status eorumque subditos suspensa sit, subjungit §us noster. En ejusdem verba: *Catholicorum A. C. addicti Status Provinciales & subditi, qui A. 1624. Ecclesiasticam Jurisdictionem agnoverunt, in iis casibus modo dictæ Jurisdictioni subsint, qui Aug. Confessionem nullatenus concernunt, modo illis ratione processus nihil injungatur Augustanæ Conf. aut conscientiæ repugnans.* Nempe sermo hic est de Augustanæ Conf. addictis, qui in Principum Cathol. territoriis degunt. Hi Jurisdictioni Ecclesiasticæ Episcoporum porro subesse jubentur, si in A. Normali *n*) h. e. vel semel, unico actu eandem agnoverint, vel nisi eidem per totum hunc Annum se publice subduxerint. Quales vero sint illi casus, qui A. C. non concernunt, innuit *P. Rel.* §. 20. Verbis: **Aber in anderen Sachen und Fällen der Augspurgischen Confeßion, Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, Ceremonien 2c. nicht anlangend.** *Quales sunt E. G. Causa Decimarum, Sacrilegii, Matrimon. Juris Patronatus &c.* Has

m) Cæterum extra Dissertationis præfixum nobis scopum versatur uberior probatio veritatis illibatæ, scilicet, competere Catholicis Imperii Statibus Ecclesiasticam in subditos Protestantes Jurisdictionem juxta modum tamen, de quo mox, exercendam. In dubium Jus illud Catholicis vocatum fuit ferventibus circa Annum 1720. inter utriusque Religionis consortes litibus; Liquido vero agnitum olim a Protestantibus, & agnitum denuo in ipsis Imperii Comitiis ab ipsis etiam Legatis quibusdam Protestantium, Suecico præsertim. Prostat eam in rem *Lipsiæ A.* 1728. *edita Collectio* einiger Schrifften von der Geistlichen Gerichtbarkeit deren Catholischen Landes-Herren über die in ihren Landen befindliche Evangelische Unterthanen. " Magno quidem apparatu, & Actorum Pacis Westphalicæ Jactantia eorum postea Compilator DE MEYEREN Catholicis Statibus hanc insignem Juris sui Territorialis partem inpugnare conatus fuit, sed nec apud suos indiscriminatim fidem invenit, ac hodiedum claris P. W. verbis innixa veritas & praxis manet: Quidquid juris Protestantibus Statibus in suæ Religionis subditos competit, idem juris competere Catholicis statibus in regula, in Protestantes sibi subditos.

n) V. HILDEBRAND *de Anno Decretario. Altorf.* 1705. HOFFMANN *de Die Decretorio Kal. Jan. an. & quatenus ad politica spectet. Tub.* 1750.

Has nempe partes vicissim & Magistratus Protestantes in subditos Catholicos, ubi de Jure competit, exercebunt.

§. XII.

Altera circa suspensam in Regula Jurisdictionem Episcoporum exceptio hæc est: *Eodem etiam jure Augustanæ Conf. Magistratuum Catholici subditi censeantur; inque hos, qui A. 1624. publicum Religionis Catholicæ exercitium habuerunt, Jus Diœcesanum, quatenus Episcopi illud dicto Anno quiete exercuerunt, salvum esto.* Ecce! in hac viceversa agitur de Catholicis subditis qui in Aug. Conf. Statuum territoriis degunt. Hi nempe, licet Regula generalis sit, quod Jurisdictio Ecclesiastica *nova* intra terminos territorii cujusque se continere debeat; Jurisdictio tamen Ecclesiastica *antiqua* in subditos illos Catholicos, qui in Aug. Conf. Statuum territoriis degunt, Episcopis integra conservata fuit, modo aliqua anni Norm. parte in ejusdem exercitii possessione fuerint. Fluit ex his Regula: quod, quale in unoquoque loco in Anno Normali viguit exercitium Religionis, publicum vel privatum; idem porro quoque ibidem vigere debeat. Qui vero nullam in toto Anno Normali Exercitii Religionis speciem exercuerunt, hi nullum quoque posthac exercebunt, utpote qui tolerati tantum dicuntur. o) Stantibus hisce tamen Catholici optimo usque jure defendent, hos ipsos Catholicos subditos in A. C. Statuum territoriis degentes, qui nulla dicti Anni parte nec publicum, neque privatum Catholicæ Religionis exercitium habuerunt, hos inquam ab agnitione Jurisdictionis Sacræ Pontificis Rom. atque alicujus vicini Episcopi vel Commissarii Apostolici circa Pontificalia, Ordines, Approbationes Confessariorum, Dispensationes circa Matrimonium, Jejunium, &c. &c. hoc ipso, quod Catholici sint, essentialiter ac necessario dependere, siquidem hæc Catholicæ Ecclesiæ nota characteristica sit, quod uno sub Capite visibili D. PETRI successore singula ejusdem membra congregentur, a quo mediante Episcoporum ac Sacerdotum Hierarchia quoad Sacra dependeant. Horum vero Jurisdictionem sacram dicti tolerati quoque Catholici, quod *qua tales* tolerati sint, publice recognoscant necesse est, cum tales esse alias desinerent. Nec eorum conscientiæ licebit vim inferre: Quem admodum enim in §. proxime præcedente adductus textus P. W. disponit, *nequid illis A. C. subditis injungatur, quod eorundem Religioni aut conscientiæ repugnat;* ita mox ibidem subjungitur: *Eodem jure A. C. Magistratuum Catholici subditi censeantur.* Igitur, etsi nec in privatis ædibus assistente

o) Quidnam toleratis domi circa Religionem liceat, disquirit cel. MOSER *in Program. de exercitio Religionis Domestico.* hic tamen *exercitium* Religionis improprie sumi debet, ne admittatur error in adjecto. STRUBEN Rechtl. Bedencken 1. Th. N. 13. devotionem domesticam cum exercitio Religionis privato confundit.

te Sacerdote suæ Religionis Exercitio vacare, nec *ordinarie*, privatim licet, Sacramenta administrare liceat, utpote quæ ad privatum Religionis exercitium spectant; *p*) nec prohibendi tamen hi, quin ex Analogia P. W. *q*) *in Vicinia, ubi & quoties voluerint, publico exercitio Religionis interesse, vel liberos suos exteris suæ Religionis scholis, aut privatis domi Præceptoribus instruendos committere non prohibeantur.* Hæc enim licet de A. C. addictis subditis in Principum Catholicorum ditionibus degentibus primario disposita sint; eadem tamen generalis illa P. W Regula, *ut, quod uni justum, alteri quoque justum sit*, in Catholicos quæst. extendenda esse persuadet. Imo: licet non ordinarie, ut dixi; *extraordinarie* tamen quandoque Sacramentorum administrationem ritu Catholico occulte saltem, E. G. moribundis ac debilibus, permittendam esse, prædictis ex rationibus inferre licet.

§. XIII.

Tertia Exceptio, licet hanc primo loco exhibeat §. noster 48. nunc esto, quæ Dissertationis hujus scopus præcipuus est. Ita Textus: *Ad consequendos tamen reditus, census, decimas, & pensiones in iis A. C. Statuum ditionibus, ubi Catholici A. 1624. notorie in possessione vel quasi exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt, utantur eadem post hac quoque, sed nonnisi in exigendis bisce pensionibus, nec procedatur ad excommunicationem, nisi post tertiam demum denunciationem.* Igitur, quemadmodum ex his patet, tantum abest, ut Jurisdictio Ecclesiastica Episcoporum plane *sublata* esse dici possit, ut potius assignatis in casibus ad excommunicationem, qui summus & ultimus ejusdem gradus est, procedat. De effectu vero hujus excommunicationis intuitu subditorum Protest. cum haud exigua sit difficultas, & in varias sententias abeant Doctores: Præcipuorum ex illis sententias excutere juvabit, ac deinde, nostram sententiam eisdem subnectere. Sed, quid in Congressu Pacis W. hac de re actum sit, hic præmittere non incongruum erit.

§. XIV.

Equidem in Pace Religiosa jam dispositum erat, quod *suspensa* Jurisdictione Ecclesiastica Episcoporum in casibus Augustanæ Confessionis Religionem ac fidem, Ordinationem ministrorum, Ritus Eccles. Ordinationes & ceremonias concernentibus, in reliquis tamen Casibus hæc non tangentibus, præsertim intuitu

p) Quo etiam hæc refert Boehmer in Diss. *de privatis Legatorum sacris.*

q) *Ar. V.* §. 34. Conf. Henniges *ad Instr. P. W. sp.* 4. p. 614. Mascov *P. I. P. l. C.* c. 2. §. 7.

ta redituum Ecclesiasticorum sine impedimento exerceri porro debere. r) Conquerebantur tamen in Congressu Pacis Westph. Protestantes, quod, *sublata* licet per Pacem Relig. Jurisdictione Eccles. Episcoporum, hi tamen pergant, eandem in A. C. addictorum statuum subditos in Causis matrimonialibus & aliis exercere. s) quibus tunc jure merito opponebant Catholici: Vi ejusdem P. R. non

r) Religions-Fried §. 20. Damit auch obberürter beyderseits Religions-Verwandte soviel mehr in beständigem Frieden und guter Sicherheit gegen und bey einander sitzen und bleiben mögen, so soll die geistliche Jurisdiction (doch den geistlichen Churfürsten Fürsten und Ständen Collegien Klöstern und Ordens-Leuten an ihren Rhenten, Gült, Zinß und Zehenden, weltlichen Lehenschafften auch anderen Rechten und Gerechtigkeiten, wie obstehet, unvergriffen) wider der Augspurgischen Confessions Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht oder aufrichten mögen, bis zu endlicher Vergleichung der Religion nicht exercirt, gebraucht oder geübt werden, sondern &c. In recessu Imp. Spirensi de a. 1529. §. 10. jamdum ordinatum fuit: Soll keiner den anderen des Glaubens halber vergewaltigen, dringen, oder überziehen, noch auch seiner Rent, Zinß, Zehenden und Güter entwehren.

s) Vid. MEYERI acta Pacis W. T. 2. p. 528. Die Geistliche Jurisdiction und prætendirte Jura Papalia und alles andere, das dem Religions-Frieden in einigerley Weise hinderlich und abbrüchig seyn könte, ist also eingestellet und aufgehoben, daß man sich derselben gegen Evangelische Stände und ihre mediat- und immediat-Unterthanen in keinerley Weise noch Wege anzumassen hat: Darunter dann auch nothwendig die von den Päbsten mit vorigen Kaysern gepflogene Transactiones und Concordata, alle Canones, und was diesem Frieden zuwieder, begriffen seyn. Nichts destoweniger unterstehen sich die Catholischen Erz- und Bischöffe und andere Geistliche, der Evangelischen Stände Unterthanen an theils Orten in Ehe- und anderen Sachen vor ihr Geistlich Gericht zu ziehen, und sie in ihren Consistoriis zu turbiren, dringen auch die Evangelischen an vielen Orten zu haltung des neuen Calenders, dadurch ihnen ihre Fest-Zeiten und Gottes-Dienst verrücket und zerstöhret wird. Ja es haben wohl Päbstliche Nuntii sich unterfangen, die geistliche Jurisdiction in Evangelischen hohen Stifftern zu üben, Evangelische Prælaten ad videndum se privari zu citiren, Dispensation zu ertheilen, Präbenden zu vergeben, und durch protestationes demjenigen, was im Reich zwischen denen Ständen abgehandelt wird, sich zu widersetzen. Wie nicht weniger der Pabst bey Evangelischen Primat, Ertz- und Stifftern auf die erledigte Prälaturen und beneficia, provisiones, wie auch den Evangelischen zustehender geistlicher Güther halben noch vor wenig Jahren Concessiones und Commissiones ertheilet, und die in den Concordatis Germaniæ gegründete und vom Pabst herrührende preces primariæ noch immer wollen gebraucht werden: Daß also der Religion-Frieden auch hierinnen auf eine Seite gesetzt, und alles dem Pabst in die Hände gespielt werden will. Wie dann aus Burchardi Autonomia und der Dillinger Friedhässigen Buch Compositio Pacis genandt, sowohl als andern verbitterten Scriptis genugsam zu ersehen, daß selbige unruhige Leute den Religions-Frieden durch allerhand gefährliche assertiones, (als daß er ein blosses temporal-Werck und abgedrungene toleranz sey, welche diejenigen, so dawider prote-

non plenarie & ex toto abrogatam Episcoporum Jurisdictionem Ecclesiasticam: sed in Casibus tantum in P. Rel. expressis: in reliquis vero non expressis porro subsistere debere eo modo, quo hi usque huc ejusdem in exercitio & possessione fuerint r). Etsi vero ista supra alleg. loco ipsissima mens P. Rel. verbis non ambiguis sed distinctis expressa fuissent, nihilominus Protestantes componendis his, quas vocabant, controversiis remedium obtrudere nituntur, ut nempe Catholici Episcopi jurisdictionem Eccles. prædictam cum omnibus suis speciebus dimit-

protestiret, nicht binde, und quoad Lutheranos strictissime zu verstehen; ... und was dergleichen vorgeben mehr seynd,) gerne gantz übern Hauffen, und die Evangelischen wieder unter die Gewalt des Pabsts werffen und stecken möchten ꝛc.

r) In welchen Fällen und Sachen die geistliche Jurisdiction vermöge Religion-Friedens suspendiret sey oder nicht, ist in solchem Religions-Frieden §. damit auch obberührte ꝛc. mit klaren und unverdunckelten Worten ausgedruckt und versehen: nehmlich wider die Augspurgische Confession, Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen-Gebräuche, Ordnung und Ceremonien ꝛc. Aber in anderen Sachen soll und mag dieselbe durch die Ertz-Bischöffe, und anderen Prälaten, wie deren exercitium an einem Ort hergebracht, und sie in deren Ubung, Gebrauch, und Possession biß dahin gewest, exercirt, geübt, und gebraucht werden. Nichts desto weniger habey die Augspurgische Confessions verwandten Stände bald nach dem aufgerichteten Religions-Frieden angefangen, die Ertz-Bischöffe und Prälaten an solchem ihrem mit klaren, runden und deutschen Worten reservirten exercitio Jurisdictionis Ecclesiasticæ auf alle Weise und Wege zu turbiren, eigene Geistliche Gerichte und Consistoria aufzurichten, und an dieselbe nicht allein diejenige Sachen, welche der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnung und Ceremonien betreffen, sondern auch alle andere der geistlichen Jurisdiction und deren Exercitio oblauts reservirte Sachen zu ziehen, alle Unterthanen und Angehörige von der Ertz- und Bischöffe ordentlichen geistlichen Gerichten und Consistoriis mit Gewalt abzuhalten, und also die Verordnung des Religion-Friedens auch hierinnen zu eludiren, und das zwar nicht nur in denen Fällen, wann die Parthenen der Augspurgischen Confession, sondern wohl auch, da sie der Catholischen Religion zugethan ꝛc. Dessen sich auch sogar diejenigen Stände, allwo zur Zeit des Religion-Friedens und seithero beyde Religiones beysammen gewesen, und ein jeder den andern ruhig dabey lassen sollen, die Augspurgischen Religions-Verwandten aber das Regiment in ihre Hände gebracht und erwunden, und noch heut zu Tage, wie beneben auch dessen ein und andern Orts unterwinden dörffen, daß sie denen Ordinariis locorum die Visitationes der noch Catholischen Gottes-Häusser und darinn sich befindender geistlicher Ordens-Personen sperren, und die neu erwählte Vorstehere sich von ihrer geistlichen Obrigkeit confirmiren zu lassen durch allerhand beschwerliche Worte und Betrachtungen wider die Gebühr abhalten wollen.

Was die Augspurgische Confessions-Verwandten sonsten von Aufhebung der Jurium Papalium, Provisionum, Concessionum, Transactionum & Concordatorum Germaniæ, Canonum &c. angeführt, das ist eine ausser und wider den Religions-Frie-

dimitterent *u*). Ad hæc Catholici quidem ab initio tenori Pacis Rel. rursus insistunt *x*): illis vero plenariæ ejusdem abolitioni iterum insistentibus *y*), Catholici tandem in ejusdem suspensionem ad tempus 40. annorum, additis deinde 10. & post 20. aliis annis consentiunt *z*). Contra hæc vero causantibus A. C. addictis temporalis amicitiæ irrationabilitatem *a*) Catholici quidem in causis matrimo-

Frieden gesuchte extensio, und rühret alles von denen, beym ersten und zweyten punctis zur Genüge abgeleinten irrigen præsuppositis, dahin man sich geliebter Kürtze halben beziehet. *Ib. p.* 559.

u) Dem 5ten gravamini kann anders nicht abgeholffen werden, als wenn sich wider die Evangelischen, es mögen Stände oder privati, oder auch deren Herrn Catholicorum Unterthanen seyn, von den Herrn Catholicis keiner geistlichen Jurisdiction angemasset wird; sondern dieselbe mit allen ihren Speciebus, wie auch die Jura Papalia gäntzlich aufgehoben seyn und verbleiben. *Ib. p.* 571.

x) Die geistliche Jurisdiction in der Augspurgischen Confession verwandten Ständen, Landen und Bothmäsigkeit betreffend, begehrt man Catholischen Theils den klaren Innhalt des Religion-Fridens zuwider niemand damit zu beschweren, verhofft aber hingegen daß die Augspurgische Confessions-Verwandten dieselbe in Sachen ihrer Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, und Ceremonien nicht berührend, zu hindern nicht gemeint seyn werden ꝛc. *Ib. p.* 582.

y) Es sey den hochansehnlichen Deputirten der Herrn Catholischen gar wohl bewust, wie der Religions-Frieden, zu desto besserem Bestand, eben dahin gehe, daß solche Jura und Jurisdictio gäntzlich aufgehoben werden möchte; wie es dann die Erfahrung bezeugt habe, daß etliche Bischöffe unter dem Prætext, ob wäre ihnen etwas von der geistlichen Jurisdiction reserviret, über alle massen weit gegriffen, und gewiß zu befahren, daß, wann die Jurisdictio Ecclesiastica nicht nochmals mit allen ihren Speciebus, wie auch die Jura Papalia (deren die Evangelische ohn das gar nicht geständig wären) gäntzlich aboliret, und gegen die Evangelische aufgehoben würde: so werde das sonst verhoffende gute Vertrauen dardurch über alle massen turbirt werden. Derowegen sie auch hierinnen beständig darbey verharreten, daß mehr gemeldte Jurisdictio Ecclesiastica erga Evangelicos mit sambt den Juribus Papalibus cum plenissimo effectu abgethan seyn müste ꝛc. *Ib. p.* 613.

z) Damit es nun aber das Ansehen nicht gewinne, als trüge man Catholischen Theils zur Weiterung Belieben, als wolten sie, die Catholischen Deputirte dasjenige, so sie in ihrer instruction hätten, auf einmahl und gleichsam in antecessum eröffnen, welches dann darinn bestehe; daß sie nehmlich denen vorher anerbothenen 40 Jahren noch 10. auch da je der Zweck endlicher Vergleichung anders nicht zu erhalten, gar 20. hinzu setzen, also und dergestalt, daß .... auch ferner solche Zeit über die geistliche Jurisdiction nicht allein quoad ritus & Ceremonias suspendiret, sondern auch in causis matrimonialibus, Gestalt in den mediis mit mehrern enthalten, der weltlichen Obrigkeit in certis casibus überlassen würde ꝛc. *Ib. p.* 618.

a) Die Catholische beständen noch auf ihrer temporalitæt: daß aber eine temporalische Freunds-

trimonialibus, ubi principes sæculares ejusdem in possessione essent, his dimittunt *b*): denique his in plenaria ejusdem abrogatione persistentibus *c*): illis vero nequicquam concedentibus *d*) atque sic ambabus partibus in sententia sua persistentibus, Legati Protestantium in Deliberatione 21. Julii habita abrogationi Ejusdem insistentes eandem tamen ad Statum anni 1620. limitandam concludunt *e*): Cujus Sessionis memorabile quidem est Votum Legati Pomerano-Stet-

Freundschafft keinen Bestand haben könne, gebe die Vernunfft; und obgleich sie, die Evangelischen, die sie wol meist über die Helffte ihrer Jahre kommen, solcher inducien etwas geniesen möchten; so sey es doch in effectu anders nichts, als wann man den posteris gleichsam ein Testament auftrüge dasjenige miteinander auszufechten, worüber gantz Teutschland anjetzo zu Trümmern gehe, da doch die Heil. Schrifft diejenigen, so ihre Nachkommen nicht bedenken, fast den Heyden gleich geacht, welches Urtheil sie alsdann auch zu gewarten haben würden ꝛc. *Ib. p.* 626.

b) Ob zwar die geistliche Jurisdiction indifferenter denen Catholischen Ertz- und Bischöffen extra causas Religionis in dem Religions-Frieden reservirt worden; so will mans doch geschehen lassen, daß in den Ehe-Sachen, wann beyde Partheyen der Augspurgischen Confession zugethan, und die weltliche Obrigkeit in Ubung der Judicatur seye, suspendirt bleiben; in andern Fällen aber den Catholischen Ertz- und Bischöffen kein Eingriff beschehen, sonderlichen aber denselben die Jurisdictio über diejenigen Clöster und geistliche Güter und Personen, so bey den Catholischen vermög dieses Vergleichs bleiben, visitando, corrigendo, & confirmando ungeschwächt vorbehalten seyn solle. *T. III. p.* 155.

c) *Ib. p.* 166.

d) *Ib. p.* 198.

e) Brandenburg Culmbach hielte dafür, daß man bey dem Evangelischen Auffsatz bliebe, oder es auf den Statum 1620. würde richten müssen.

Braunschweig Lüneburg: Möchte wünschen daß dieser Punct in dem Religions Frieden bey seiner generalitæt, wie er §. Damit auch &c. gesetzt, verblieben, und nicht durch den §. Aber in andern ꝛc. wäre restringirt worden. Relinqui tamen ipsis posse Jurisdictionem Ecclesiasticam in illa Monasteria, bona, & personas Catholicorum, quæ ipsis in Pace Rel. salva sunt, attamen pro norma saltem Anni 1620. Ubrigens wäre die geistliche Jurisdiction aufzuheben, zumahlen weil sie denen Catholischen nicht viel einbrächte, und nur aus Gifftigkeit wieder die Evangelischen so starck behauptet würde.

Pommern Stettin. Was im Religions-Frieden wegen der geistlichen Jurisdiction versehen, sey bekannt; und hielte er dafür, daß den Catholischen disfals etwas ungleich geschehen: dann in dem Religions-Frieden die geistliche Jurisdiction nicht gäntzlich aufgehoben, sondern nur disponirt worden, in was Fällen dieselbe solte suspendirt seyn, und in was Fällen nicht. Er hielte dafür, man könte es bey dem Statu A. 1620. verbleiben lassen. Man müsse mit raison wider die Catholischen gehen, und dem Religions-Frieden nicht zu viel detrahiren noch addiren.

Würtenberg: die geistliche Jurisdiction hätte den Evangelischen viele Ungelegenheit ver-

Stettinensis qui fuit celebris Wesenbecius, cordate pro justa Catholicorum causa prolatum. Reliquis vero Legatis Protest. Monasterii degentibus adhuc ejusdem abrogationi plenariæ insistentibus *f*) universi Legati Protestantici Lengerichii congregati modificationem quidem expoliunt, in Causis nempe Religionem ac fidei articulos non concernentibus Episcoporum Jurisdictioni deferendum esse *g*); Catholicis vero eidem limitationi non acquiescentibus *h*) SALVIUS Sueciæ Legatus mediatorem sese interponit proposita compositionis formula *i*): quam

verursachet, dann wann sie derohalben nicht pariren wollen, sey darauf die Excommunication (NB.) und dann Vertreibung von Haab und Güthern erfolget; Insonderheit aber sey dieses in puncto Patronatus & Decimarum (NB.) geschehen. Hielte demnach dafür, daß es auf die Generalitæt, und bey der Generalitæt auf Anno 1620. zu stellen sey.

Wetterauische Grafen. Die geistliche Jurisdiction wäre aufzuheben, zumahlen sie den Catholischen nichts einbrächte, sondern nur zu Quälung der Evangelischen diente; und geschehe solches fürnehmlich in puncto Patronatus & Decimarum: Erzähle zu declarirung dessen per Discursum: das Hauß Isenburg seye wegen Noval-Zehenden vom Abt des Klosters N. für dem Vicario zu Maynz verklagt worden &c.

Lindau. Durch die geistliche Jurisdiction wären die Evangelischen, insonderheit die den Stifftern Augspurg und Costnitz etwas nahe, sehr beschwert worden: dann sobald einer forum decliniret, sey er excommunicirt, und auf viel Meilen die Excommunication zu seiner grosen Beschimpfung von den Cantzlen verlesen worden. So hätten dann auch die Land-Gerichte die geistliche Jurisdiction secundiret &c.

Unde ita conclusum fuit: Die geistliche Jurisdictio Catholicorum in der Evangelischen Landen und Stätten sey nach Innhalt Art. 38. Evangelicorum aufzuheben; Es könne aber die Limitatio Art. 18. Cath. §. Sonderlich aber &c. endlich, doch sano sensu, und bedinglich auf Annum 1620. placitiret werden. *Ib. p.* 260

f) *Ib. p.* 284.

g) Was aber anlangt der Catholischen Evangelische Unterthanen, sollen sie zwar in Sachen vor das geistliche Gericht gehörend, sofern sie die Religion und Glaubens-Articul nicht concerniren, vor dem Chor-Gericht, wann sie beklaget werden, zu stehen schuldig seyn. Ihnen aber nicht zugemuthet werden, was wider die Evangelische Religion läuft, und also sollens auch die Evangelischen mit ihren Catholischen Unterthanen halten. *Ib. p.* 339.

h) Ad Ar. XVIII. verbleibet es billig bey dem, was der mehr angeregte Religions-Fried dißfalls nach sich führet, und noch drüber ex parte Catholicorum allbereits eingewilligt worden. *Ib. p.* 362.

i) *Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Evangelicos Electores, Principes, Status, comprehensa Libera Imperii Nobilitate, eorumque subditos penitus sublata esto: Catholicorum vero Evangelici subditi in iis casibus Ecclesiasticæ Jurisdictioni subsint, qui Evangelicam Religionem non concernunt, si nempe loco reorum fuerint: modo tamen occasione processus nihil ipsis injungatur*

quam tamen Catholici iterato respuunt, quod *sublatam* nollent Jurisdictionem Eccles. resoluti nunquam subscribere ejusmodi conditioni. *k*)

§. XV.

Equidem huc usque in Actis P. W. de colligendis censibus, atque adhibendis in hunc finem remediis executivis ex Jurisdictione Eccles. fluentibus expressis Verbis mentio nulla facta est: hoc vero ex eo factum esse pronum est colligere, quod hæc potestas tanquam effectus Jurisdictionis Eccles. sub eadem tacite comprehenderetur: qua ad mentem A. C. addictorum sublata executionis media canonica quoque cessare subintelligebantur: quæ vero Episcopi Catholici, dum prætensæ ab illis *abrogationi* plenariæ jurisdictionis Ecclesiasticæ viribus omnibus hucusque sese opponebant, nunquam se dimissuros aperte satis declararunt. Unde in memorabili Colloquio Cæsareos inter ac Legatos Protestanticos die 6. Febr. 1647. ab his denique Ejusdem Jurisdictionis Eccles. *suspensio* proposita est: exceptis duobus casibus, scilicet matrimonialibus, & iis quæ sunt Ordinis & *Censuræ Ecclesiasticæ. l*). Urgente enim Volmario paucos fore Casus,

gatur quod conscientias ipsorum turbet. Eodem etiam jure Evangelicorum Magistratuum subditi Catholici censeantur. T. III. p. 432.

k) *Ib. p.* 441.

l) Herr Salvius: Folge nuhn der 18. Articul wegen der geistlichen Jurisdiction, da die HH. Catholische priora repetirten.

Herr Vollmar. Wäre in ihrem Aufsatz nach dem Religions-Frieden eingerichtet, und darzu in Ehe-Sachen noch etwas weiter extendirt.

Herr Langenbeck. Man gienge Evangelischen theils auf die gäntzliche cassation oder suspension.

Herr Vollmar. Die Evangelischen wären ja nicht dabey interessirt. Würde extra causas mere Ecclesiasticas nur etwan zwey Sachen betreffen, 1. Die Ehe-Sachen, wo pars rea Catholisch. 2. Visitation der Ordens-Leuten oder Provincialen bey den Catholischen Clöster unter Evangelischer Jurisdiction. Et post quædam.

Herr Langenbeck Fragte: ob es dann zuforderst die Meynung habe, daß die Jurisdiction in communi Regula suspendirt seyn sollte?

Herr Vollmar Fragte: ob sie mit der Catholischen Verwilligung zufrieden wären, doch cum exceptione dieser beyden casuum?

Herr Langenbeck. Müste erst wegen der Regul secundum naturam & ordinem tractandi seine Richtigkeit haben, wann die erst da sey, so wolten sie alsdann auch de exceptionibus reden.

Herr

Casus, in quibus Jurisdictio Eccles. Episcoporum in terris Protestantium locum habere posset, hi quidem effectus Excommunicationis intuitu redituum consequendorum recensent: promittentes in horum Vicem *realiter* ipsis adfuturos ad effe-

Herr Vollmar. Die Jurisdictio Ecclesiastica sey doch bey den Evangelischen sine effectu?

Herr Langenbeck. Es solte zwar vermög Religion-Friedens also seyn; das contrarium aber beschehe, (NB.) indem die Catholischen Bischöffe und Consistoria die Evangelischen, so ihnen desfals nicht recht aufsiengen, gerade excommunicirten, dardurch dann den Catholischen Unterthanen mit solchen Evangelischen mehr zu communiciren und umzugehen ipso facto verbotten, und die Evangelischen entweder nahrloß werden, oder den Catholischen pariren müsten.

Herr Vollmar. Möchten sich super exceptionibus erklären, so wollten sie alsdann auch de Regula reden.

Herr Langenbeck. Præsupposito, daß die Regula Cassationis richtig sey, so hätte er bishero nicht anderst vernehmen können, als daß es den Herrn Catholischen vornehmlich um Einbringung ihrer redituum, decimarum, aus der Evangelischen territoriis zu thun sey; derowegen sie selbsten constituta prius regula Mittel erdencken möchten, dadurch sie ihrer redituum versichert seyn möchten; die Evangelischen würden dieselben gern eingehen, und ihnen die Hand bieten, doch daß dieselben media auch denen Reichs-Constitutionen conform seyn, und denen Dominis territoriorum wider die Rechte nicht zu sehr præjudicirten.

Hic iterum paucis interjectis circa Matrimonia & Visitationes Monasteriorum:

Herr Langenbeck. Das würde man weiter zu bedencken haben. Sonsten in puncto decimarum, aliorumque redituum nochmahls erböthig, ihnen realiter an Hand zu gehen.

Herr G. Trautmansdorff. Die Evangelischen möchten vorschlagen, wie sie die Catholischen dessen versicheren wolten.

Herr Thumshirn. Wolten ihnen schleunig und ohne Verzögerung verhelffen.

Et post quædam.

Herr Vollmar. Das sey das geringste: dem wäre schon im Religions-Frieden providiret. Aber das schwerste sey. 1. Die Ehe-Sachen. 2. Wegen Visitation der Clöster rc.

Herr Langenbeck. Ob dann im übrigen allen die geistliche Jurisdiction, und alle deren actus suspendirt seyn sollten?

Herr Vollmar. Man müste es nicht eigentlich capituliren, dann so könnten sie es nicht eingehen.

Herr Thumshirn. Ponendum ergo fore: Daß die geistliche Jurisdiction suspendirt seyn sollte, exceptis istis duobus casibus: scilicet in matrimonialibus, wo pars rea Catholisch, & iis, quæ sunt ordinis & censuræ Ecclesiasticæ.

Herr Vollmar. Consentiebat. Reliqui nahmens ad referendum. *T. IV. p. 70.*

effectum horum: modo illa in Regula tolleretur. Ad quæ tamen Catholici tenori Pacis Religiosæ iterum simpliciter insistunt m) Novam Protestantes formulam tunc projiciunt quidem n): ast quia in hac noviter abrogationi Jurisdictionis Ecc. cum omnibus quidem suis speciebus insistunt, Catholici in alia proposita formula iterum prioribus inhærent o): quorum denique formulam Protestantes acceptarunt, addita tamen clausula ratione redituum: quod eadem (Jurisdictione Ecclef. ejusque remediis Executoriis) non utantur, nisi post tertiam denique denunciationem p). Quæ formula etiam Volmario ac Salvio in Colloq. 17. Martii habito arrisit q).

§. XVI.

Composuerant interea quidem Legati Cæsarei ex præcedentibus novam formulam, ubi in plenariam quidam Jurisdictionis Eccl. abrogationem consentiunt: causamque redituum ad Normam Anni 1624. alligant r): quam excepit sic

m) Die geistliche Jurisdiction betreffend, habe es bey dem Innhalt des Religion-Frieden zu verbleiben. Exceptis causis matrim. & Visit. Monaster. ut supra. Was die Renten, Zinß und Gülten der Geistlichen anlanget, soll es bey demjenigen, was derentwegen im Religion-Frieden verordnet ist, sein verbleiben haben rc. *Ib. p.* 85.

n) *Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Evangelicos Electores, Principes, Status, comprehensa Libera Imperii Nobilitate, eorumque subditos, tam inter Catholicos & Evangelicos, quam inter ipsos Evangelicos penitus sublata esto, & intra terminos cujusque territorii Jus Diœcesanum & Jurisdictio Ecclesiastica se contineat: ad consequendos autem reditus, census, decimas & pensiones, quæ fundationibus utriusque Religionis sive med- sive immediatis, ex alienis territoriis debentur, Magistratus loci sine respectu Religionis Justitiam administret &c. Ib. p. 97.*

o) *Circa Jurisdictionem Ecclesiast. observetur id, quod in Pace Relig.* §. damit auch. *ordinatum est. Quantum vero ad causas matrimoniales attinet, si utraque pars A. C. addicta fuerit, controversia inter ipsos mota eorum Magistratui dijudicando relinquatur, nisi in forum Cathol. consentiant, Jurisdictionemque Episcopalem sive tacite sive expresse prorogent. Quodsi vero pars rea Catholica fuerit, coram Episcopo ordinario istius Diœcesis aut proximo Catholico conveniatur &c. Ib. p. 127.*

p) *Ad consequendos tamen reditus, census, decimas & pensiones in iis Evangelicorum ditionibus, ubi Catholici Anno 1624. notorie in possessione vel quasi exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt, utantur ii eadem post hac quoque, sed nonnisi in exigendis his pensionibus, & quidem post tertiam demum denunciationem. Ib. p. 149.*

q) *Ib. p.* 155.

r) *Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra*

ſic dicta ultima Proteſtantium Declaratio, ubi Jurisdictionem Eccleſiaſticam Epiſcoporum in cauſis ſaltem redituum, & quæ Religionem nullatenus concernunt, permittunt *s*): qua cum Cæſareorum Proteſtanticis in vicem communicata formula vix non per omnia quidem convenit *t*): niſi quod eidem ipſi in exhibito ſuo Pacis Inſtrumento tantum addiderint Verba: *nec procedatur ad executionem, niſi poſt tertiam demum denunciationem.* A proteſtanticis, uti ſupra dictum, primo in medium allata *u*). Sed iſthæc dum Legatos Cæſareos inter ac Proteſtantes aguntur, necdum tamen deſiverant Catholici reliquorum Principum Cathol. præſertim Epiſcoporum Legati a ſupra relata ſua formula, qua ſuſpendi ſaltem in regula, non plane tolli ſiverant Jurisdictionem Eccleſiaſt. qua nimirum ſublata ejusdem quoque effectum intuitu redituum exequendorum ceſſaturum palam cognoſcebant. (Taceo quod ſic ejusdem plenariam aliquando reviviſcentiam in conſcientias quoque ſuorum Diœceſanorum Proteſt. eo facilius reviviſcituram ſperabant, quos tanquam ſuas oves adhuc perpetuo conſiderabant). Unde Legati Cæſarei conceptam a ſe formulam in hoc puncto ita moderari poſſe arbitrantur: ut pro Verbis: *penitus ſublata eſto*, ponatur: *uſque ad compoſitionem chriſtianam diſſidii Religionis ſuſpenſa eſto x*). Quod ipſum deinde repetierunt; addita tamen poſt Verba: *Eodem jure Evangelicorum Magiſtratuum ſubditi cenſeantur*, hac phraſi: inque hos Epiſcoporum Catholicorum jus Diœceſanum ſal-

tra Aug. Conf. Electores, Principes, Status, comprehenſa Libera Imperii Nobilitate, eorumque ſubditos, tam inter Catholicos & A. C. addictos, quam inter ſolos hos penitus ſublata eſto: & intra terminos territorii cujusque jus Diœceſanum & Jurisdictio Eccleſiaſtica ſe contineat.

Ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas, & penſiones in iis Statuum ditionibus, ubi Catholici Anno 1624. *notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii Jurisdictionis Eccleſiaſticæ fuerunt, utantur eadem poſthac quoque; & quidem nonniſi poſt tertiam demum denunciationem &c. Ib. p.* 188.

s) *Jus Diœceſanum &c.* ut ante. *Ad conſequendos &c. utantur eadem poſthac quoque, ſed nonniſi in exigendis hiſce penſionibus, & quidem niſi poſt tertiam demum denunciationem. Catholicorum Evangelici ſtatus Provinciales & ſubditi, qui Anno* 1624. *Eccleſiaſticam Jurisdictionem agnoverunt, in iis caſibus modo dictæ Jurisdictioni ſubſint, qui Evangelicam Religionem nullatenus concernunt, ſi nempe loco reorum fuerint, modo tamen occaſione proceſſus nihil ipſis injungatur, quod conſcientias ipſorum turbet. Eodem etiam jure Evangelicorum Magiſtratuum ſubditi cenſeantur. Ib. p.* 202.

t) *Ib. p.* 545.

u) *Ib. p.* 573.

x) *Ib. p.* 804.

salvum esto. *y*) quo nempe eosdem effectus ad aliorum Principum subditos protestantes suæ Dioceseos extendebant. Post quæ tandem Protestantes in ultimis suis d. 11. Jan. 1648. *suspensam* admittunt Jurisdictionem Ecclesiast., declarantes: *pro verbis penitus sublata esto ponatur: usque ad compositionem Controversiarum Religionis mutuo consensu initam penitus suspensa esto.* Deinde, quod mireris, addunt: *eodem §. pro Verbo: ad Executionem, ponatur: ad Excommunicationem z*). quod acceptarunt Catholici in ultimis suis *a*): unde conflatum Cæsareanorum iteratum projectum *b*), cui quoque a Legatis Protest. subscriptum *c*): quæ denique formula Concepto Instrumenti Pacis inserta ac deinde rectificata fuit *d*).

CAPUT III.

De effectu Jurisdictionis Ecclesiasticæ intuitu Protestantium Excommunicandorum.

§. XVII.

Ex illis Auctoribus, qui de effectu excommunicationis intuitu Protestantium aliquam mentionem fecerunt, primo loco recensenda mihi videtur Celebris Hen-

y) *Ib. p.* 825.

z) *Ib. p.* 880.

a) *Ad* §. 16. *placet correctura verborum: penitus sublata esto, in hunc sensum, ut Jurisdictio Ecclesiastica usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspendatur, maneatque verbum; excommunicationem pro verbo: executionem. Ib. p.* 928.

b) *Jus Diœcesanum & tota Jurisdictio Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status, comprehensa Libera Imperii Nobilitate, eorumque subditos, tam inter Catholicos & Augustanæ Confessioni addictos, quam inter ipsos solos Augustanæ Conf. Status usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis suspensa esto, & intra terminos territorii cujusque jus Diœcesanum & Jurisdictio Ecclesiastica se contineat; Ad consequendos tamen reditus, census, decimas, & pensiones, in iis A. C. Statuum ditionibus, ubi Catholici Anno* 1624. *notorie in possessione vel quasi exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt, utantur eadem post hac quoque, sed nonnisi in exigendis hisce pensionibus, nec procedatur ad excommunicationem, nisi post tertiam demum denunciationem. Catholicorum A. C. addicti status provinciales & subditi, qui Anno* 1624. *Ecclesiasticam Jurisdictionem agnoverunt, in iis casibus modo dictæ Jurisdictioni subsint, qui Aug. Conf. nullatenus concernunt, modo ipsis occasione processus nihil injungatur Augustanæ Conf. repugnans; Eodem etiam jure Aug. Conf. Magistratuum Catholici subditi censeantur, inque hos Jus Diœcesanum salvum esto. Ib. p.* 964.

c) *T.* 5. *p.* 573. *d*) *T.* 6. *p.* 148.

HENNIGESII ſententia, qui tamen potiùs nihil ſentit, dum *e*) ait: *Ingenue fateor, me hujus loci ſenſum & paciſcentium mentem non penitus aſſequi.* Neque hoc mirum: paradoxum enim cuivis facile videri poſſet, ſummos Osnabrugi Paciſcentes excommunicationem ab Eccleſia Catholica illis pro pœna ſtatuiſſe, qui ſe ab eadem avellere ipſi omnibus viribus contenderunt. Illud vero videtur tanto παραδοξότερον, quod in Actis Pacis W. *f*) legitur: ipſos Proteſtantes hujus diſpoſitionis præcipuos eſſe artifices, utpote qui primi Legatis Cæſareis formulam: *ad excommunicationem*, loco *executionem*, quemadmodum poſuerant Cæſarei, ſuppeditarunt, quin tamen aliqua ratio decidendi, aut prævii tractatus reperiantur *g*). Igitur & hic forte, quod plures viri docti monuerunt, Acta Pacis W. *Mejeriana* ſupplementa patientur.

§. XVIII.

Pari fere modo BUCKISCH. *h*) ne effectu deſtituatur dicta excommunicatio, metuere videtur. Ait enim ille: *Sed ad quid hæc, quæ excludit vel a gremio Eccleſiæ, ſeu a communione fidelium? quod conſcientiam lædere Acatholici omnes ſuſtinebunt, indeque timendum, ne, ſi Catholicus Epiſcopus ad conſequendos e. g. reditus ſuos ex ſtatus A. C. præcipue potentioris territorio hodie excommunicationis medio uti vellet, abſque effectu eſſet.* Si vera eſſet hæc BUCKISCHII ſententia, callide omnino Legatos Proteſtantes Catholicorum projectum §o priori relatum, ubi *executioni* ſimpliciter locum eſſe volebant, correxiſſe, atque pro verbo: *executionem* ſubſtituiſſe *excommunicationem* dicendum eſſet. Scilicet, cum executio mediis civilibus violentis, ut manu militari, arreſto, aliiſque modis efficacibus fieri ſoleat; maluiſſe Proteſtantes armis illis ſpiritualibus, quæ ut ſatis mordaciter ait HENNIGES c. l. *tanquam inania Jovis Capitolini fulmina ſperni ſoleant. Nam, quod ad conſcientias attinet*, pergit ille, *illa ſane ad hunc ictum haud valde expaveſcet, ex quo ſemel ludibriis ſuperſtitioſæ reverentiæ ſe liberatam ſentit.* His inquam armis, quæ ſalvo corpore & bonis integris excipere poſſent, peti ſe maluiſſe, conjici poſſet. Sed quidquid ſit: acceptarunt hanc formulam bene gnari Legati Catholici: unde & dubio caret, fuiſſe, quemadmodum infra apparebit, cur eidem ſubſcripſerint.

Ddd 2 §. XIX.

e) *Medit. ad inſtr. P. W. ad d. §. Lit. P.*

f) Vid. ſupra §. XVI. Not. *x*) *z*) & *a*).

g) Nempe ſuper excommunicatione. De conſervandis vero Catholicis Epiſcopis ſuis cenſibus ac Decimis ſæpius quidem agebatur, ſed propoſita plerumque via ordinaria, nempe ut Magiſtratus loci officium ſuum interponerent. Vid. ſupra §. XV. Not. *n*) *o*).

h) *In obſerv. hiſtorico-polit. ad J. P. W. ad h. l.*

§. XIX.

Cel. vero BARTHELIUS *i*) hunc illi excommunicationi effectum assignat: *ut censura huic Episcopali inobedientes, & hac in parte Ecclesiam non audientes, tandem sicut Ethnici & publicani in Imperio habendi sint.* Recte id quidem: in eo enim ipsa excommunicationis Ecclesiasticæ forma consistit, ut ex ipsius sinu ejecti æquales fiant Ethnicis & Publicanis, qui nullam in Ecclesia partem habent. Sed cum secundum dicta, Protestantes nihil hisce moveri sese profiteantur, imo ab Ecclesia Catholica sponte se divellere contenderint; hinc ne idem per idem diceretur, & ne, quod prælaudatus *Buckisch* jam metuebat, in irritum recideret omnis isthæc dispositio, effectus assignare oportuit legis scriptæ, pactique initi inter summos Paciscentes, ac solertissimos doctissimosque illorum Legatos fœderis conciliatores.

§. XX.

Specialem ea de re fovet sententiam GUNDLING in notissimo suo *ad P. W. Discursu k*), quam sic recito: Allein es ist zu *observi*ren, daß in den *protestir*enden Ländern noch Catholicken geblieben, und von denen ist es zu verstehen (excommunicatio) wann sie in Abtragung deren *Redituum* saumseelig sind. Dann bey denen *Protestanten* ist der Gerichtszwang schon zulänglich. GUNDLINGIUM secutus est *C. A.* HOFFMANN *l*) qui adductis ex parte §phi 48. verbis, Episcopos contra A. C. addictos in exigendis pensionibus ad excommunicationem procedere posse, in c. §pho reperire se non potuisse prætendit. Sed nihil, credo, luculentius apparere poterit, ubi totius §phi contextus *m*) inspiciatur, quam locum illum de subditis *protestanticis* alieni territorii intelligendum esse. Eja! faciamus periculum: Dicit ab initio §phus noster, quod Jurisdictio Ecclesiastica Episcoporum Catholicorum, NB. in Aug. Confessioni addictos suspensa esse debeat; hæc in Regula. Ad consequendos *tamen* reditus (fit exceptio) in iis Aug. Conf. Statuum territoriis, ubi Catholici (*Episcopi*) anno 1624. notorie in possessione vel quasi, exercitii *Jurisdictionis* NB. *Ecclesiasticæ* fuerunt, utantur eadem posthac, nec procedatur ad excommunicationem, nisi &c. En Regulam, & en exceptionem: sed nemo, credo, negabit, exceptionem versari circa idem objectum, circa quod versatur ipsa Regula.

i) In sæpe all. *Diss. de Jure Ref. novo. Ar.* 4. §. 8.

k) Edit. Francof. 1737. ad §. 48.

l) In Diss. Inaug. sub tit. *Oedipus Sphingis Ænigmata solvens*, Mog. 1755. Dub. XVI.

m) Nam *Incivile est*, ait CELSUS *in L.* 24. *ff. de LL. nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita judicare vel respondere.*

Regula. *n*) Igitur cum d. §. de A. C. addictis loquatur, in quos Jurisdictio Ecclesiastica suspensa esto; de iisdem quoque excommunicatio intelligi debet, si census &c. qui Episcopis in eorum terris reservati sunt, ipsis denegare voluerint. Quod enim de Catholicis ibidem dicitur, non sane de Catholicis subditis intelligi potest, cum dicatur de eorum possessione vel quasi Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam certe non subditi, sed Episcopi exercent. *o*) Idem vero ex contextu Tractatuum P. W. latius patebit. *p*) Hoc solum addo, quod GUNDLINGII casus de Catholicis in fine nostri §phi verbis supra §. XIII. relatis adhuc specialiter tangatur. Atqui hunc a superiori Casu differre debere recta ratio suadet?

§. XXI.

Denique videamus, quænam DECKERI celebrati Pacis Religiosæ Interpretis sit sententia: Ita autem iste discurrit *q*): *Sed hic*, ait *insignis nodus: a cujus Ecclesia* (communione excludendus)? *An Catholica? sed hanc non aditurus is, qui diversæ Religionis. An Evangelicæ propriæ? Sed hic nulla imperandi jura largientur ejus Ecclesiæ Ministri. Hoc nempe expressioribus verbis distingui potuisse* autumat. Altius rem istam rimatus est vir doctus, ac quisquam alius: nequicquam tamen ipse definit. Sed neque ipsius dubia ejusmodi arbitror, quæ solvi haud possint. Utique enim Episcopus, cum excommunicando particulam antiquæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ exerceat, ab Ecclesiæ præsertim Catholicæ communione excludit, licet ex mente Legis, ne sine effectu sit ejusdem dispositio, hoc respectu totius Christianitatis, h. e. & Catholicorum & Protestantium effectum exerere debeat. *r*) Uti enim constat, Excommunicatio magnam partem in

n) Hoc vel Grammaticis notum est. Regulas vero interpretationis Legalis tradunt *Ch. Henr.* ECKARD *Hermeneutica Juris Libri II.* Jenæ 1750. 8.

BANNIZA *subsidia Interpretationis Doctrinalis Pacis Religiosæ & Westph.*

Item: *C. G.* HOFFMANN *de ratione interpretandi Leges Imp. R. G.*

o) Idem hoc fatetur BOEHMERUS *in J. E. P. L.* 1. *T.* 31. §. 74. ubi ait: *Hoc Jurisdictionis Ecclesiasticæ fulmen iis relictum est, quod exercere possunt erga subditos statuum Protest. etiam extra suum territorium* addit tamen: *sed meo quidem judicio sine effectu notabili, cum Protestantes talem excommunicationem non agnoscent, cum nequidem Papæ excommunicationem, quæ quot annis die viridium repetitur, extimescant. Nisi*, denique subjungit, *forsan hoc intelligere velis de subditis Catholicis.* Ecce! quam bene ipse distinguat, quid *Lex*, & quid *ipse* pro arbitrio suo statuat.

p) Vid. supra §§. 14. 15. 16. per totum.

q) *In Vindic. ad Blumii Proc. Camer. Tit. de Pace Rel. p.* 372.

r) Excommunicatio enim est effectus Jurisdictionis Eccles. vi cujus infligitur: & vi

in eo quoque consistit, quod reliquo cætui (sic quoque A. C. addictis) ejusdem communio, & omne cum tali commercium interdicatur. Neque enim omnis in eo tantum effectus situs est, quod talis ab Ecclesiæ aditu excludendus sit, sed plures infra allegabuntur Atque sic etiam alterum dilemmatis Caput incassum recidet: Nam quod publicæ Pacis Tabulæ in hoc casu addixerunt Episcopo, & cujus singuli Principes compaciscentes evictionem sunt polliciti; id certe privati quidam Ecclesiæ Ministri haud intervertent.

§. XXII.

Abstineo plurium aliorum investigare sententias: Ego vero, quid in hac re sentiam, paucis habe: *Tot nempe ex omni jure effectus in A. C. addictos cadere, quot per conscientiam ipsorum locum habere possunt, atque Aug. Conf. nullatenus concernunt s)* Conforme hoc est ipsi §o nostro 48., ubi in casu fere eodem, nisi quod hic A. C. addictos subditos *in Episcoporum Catholicorum* terris degentes concernat, de quibus dicitur: si in Anno Normali Episcoporum Ecclesiasticam Jurisdictionem agnoverunt, eidem ipsi porro subsint, *modo illis occasione Processus nihil injungatur Aug. Conf. vel conscientiæ repugnans.* Ita scilicet, quod in ultimo hoc casu expresse statutum est, ex Analogia Juris Publ. cum subsit rationis idenditas, locum habeat, oportet. Igitur effectus illos distinguo in *Canonicos, civiles, ac feudales.* Singulos vero nunc ordine pertractabo.

§. XXIII.

Equidem originem atque fundamentum Excommunicationis Ecclesiasticæ ponunt Canonistæ in Verbis CHRISTI. t) *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Item PAULI u) *quodsi quis non obedit verbo nostro, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Et versu seq. *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.*- Sic nempe nonnisi dolenter, & omni spe aliter medendi elapsa eo procedebatur; attamen ab ingressu templi & sacræ scripturæ auditione talis non semper excludebatur, sed a participatione sacrificii novæ Legis tantum, ac familiari reliquorum fidelium consuetudine prohibebatur, ejusque nomen, ut reliqui ejus exemplo terrerentur,

vi hujus apud ipsos quoque protestantes teste *Bœhmero* adhuc in usu est: ergo ubi hæc per P. W. Episcopis Cath. in Protestantes confirmata est, jure illam ad hunc effectum in ipsa Ecclesia protestantica exercent.

s) Subscripsit nuper huic nostræ sententiæ R. P. ZECH. S. J. *in Tr. de judiciis Eccles. Sect. II. T.* 10. §. 118.

t) MATH. *C.* 18. *v.* 17.

u) *Ad Thessal. II. C.* 3. *v.* 14.

tur, e Diptychis Ecclesiæ erasum legimus. x) Sed quo magis successive primus Christianorum fervor remisit, eo auctæ magis excommunicationes, atque sic, ob nimiam earundem in medio præsertim ævo frequentiam y) despici tandem ceperunt. Unde necesse visum est, veteres excommunicationis formulas intendere, ac civiles quoque effectus iisdem annectere. Terribiles omnino referuntur ceremoniæ in medio ævo solitæ, extinctio ac projectio cereorum, campanarum pulsus, ac dirissimæ illæ Psalmi 108. imprecationes, prolatis simul Core, Dathan, Abiron, ac Judæ proditoris nominibus. z) Hodie vero Excommunicationis effectus canonici continentur vulgato versu:

Si pro delictis anathema quis efficiatur;
Os, orare, vale; communio, mensa negatur.

Quæ

x) Conf. FLEURY *Instit. au Droit Ecclesiast. P. 3. C. 20. §. 2. seq.* VAN ESPEN *J. E. U. P. 3. T. II. C. 4.* & in Tr. *de Censur. Eccles.* DUPIN *Traité des Excommunications.* JO. GERSON *de Excommunicationis Valore.* conf. tamen quæ contra Gersonium disputavit *Bellarminus.* De *Dyptichis eccles.* conf. CABBASUTIUS *in Notit. Eccles.* & *P. Herib.* ROSWEYDI *S. J. Onomasticon ad Vitas Patrum. p.* 1024. De iisdem quoque tractavit Jo. A. DURANDUS *de Ritibus Ecclesiæ C.* 43. & alii.

y) FLEURY *l. c.* Quemadmodum apparebit in exemplis infra allegandis.

z) FLEURY *Discours sur l'hist. Eccles. à la tête du treizieme Volume.* Fuerunt adhuc alii quandoque ritus: veluti quod ad flectendam excommunicati obstinationem Judices Ecclesiastici lapides versus ejusdem domum ac januam projici mandarint. Alii Presbyterum sacris indutum vestibus ad conciliandam ipsi reverentiam erga Ecclesiam, mittebant. Alibi denique feretrum, tanquam sepeliendus esset, ad ingerendam mortis memoriam, afferebant: quas tamen singulares cæremonias vetuit *Concil. Avenion. A.* 1337. *Ar.* 8. Quo spectat præsertim Ritus quondam in promulgatione Bullæ Cœnæ quotannis in die Jovis Viridi adhiberi solitus. Varias excommunicationis formulas vid. apud REGINONEM *de Ecclesiasticis Disciplinis* L. 2. §. 407. 413. alios AA. de Ritu & formulis excommun. vid. apud PFEFFINGER T. IV. p. 458. n. 6. specialem formulam exhibet *Liber diurnus Romanorum PP. C.* 7. ex edit. GARNERII S. J. in hunc modum: *sciat se anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo & ejus atrocissimis pompis, atque Juda traditore D. N. I. C. æterni incendii supplicio concremandum deputari.* Ritum autem antea inauditum adhibuit *Theodorus* Papa contra *Pirrum* Patriarcham Constantinopolitanum, eoquod is post abjuratam hæresin Monothelitarum ad eandem perjurus redierit. Testatur enim *Theophanes* in Chron. & *Anastasius Bibl.* in Theod. & alii quod Papa in Concilio Rom. hunc solenniter condemnatum deposuerit, post hæc, ad sepulchrum Ss. Petri & Pauli se contulerit, ibique accepto sacro Calice aliquot guttis pretiosi sanguinis D. N. I. C. in calamum stillatis, his tanquam sacratissimo Encausto condemnationi antedictæ propria manu subscripserit. Idem

ritus

Quæ ita explicant Canonistæ: ut per *os* intelligatur osculum vel collocutio. Per *orare*, participatio in divinis, h. e. omnibus Ecclesiæ suffragiis, precibus, ac Missæ sacrificiis excludatur. Per *vale*, salutatio, vel quævis alia familiaritas negetur. Per *communio*, commercium aut contractus quicunque interdicantur. Per *mensa* denique convictus atque omnis cohabitatio fiat illicita.

Quæritur nunc, in quantum dicti effectus obtinebunt? ℞. præter punctum II. *orare*, utpote cum Protestantes per Ecclesiæ Romanæ spontaneam desertionem Ecclesiæ suffragiis renuntiarint, omnia quoque reliqua puncta obtinere deberent in Regula, cum neque A. C. nec conscientiæ Protestantium quid repugnans importent. Modo id exequi Episcopis vel integrum semper esset, vel expediret. Nihilominus tamen, si casus existeret, Catholicos saltem ex parte sua ad illius observantiam efficaciter obligari, dubio caret.

§. XXIV.

Maxime vero hic notandi sunt Excommunicationis effectus civiles illi, quos extensa paulatim Disciplina Ecclesiastica non sine Principum sæcularium multiplici consensu introduxit. Recte enim vero BOEHMERUS Excommunicationem Ecclesiasticam comparavit mediæ illi Romanorum capitis diminutioni, vi cujus aqua & igni reo in urbe vel Provincia interdictum erat *a*). Pariter enim

ritus postea in concilio VIII. universali Cplit. adhibitus invenitur contra Photium. Aliud exemplum Memorabile dedit *Clemens V.* Papa contra Venetos occupatores Civitatis Ferrariensis, cujus bullam Excommunicatoriam ait MURATORI ad an. 1309. *la piu terribil edingiusta bulla che. Si sia mai udita. Oltre alle scommuniche e agl' interdetti dichiarò infami tutti Veneziani ed incapaci i loro figliuoli sino alla 4ta generazione d'alcuna dignita ecclesiastica e secolare; confiscati in ogni parte del mondo tutti i loro beni; data facolta a ciaschedun di fare schiavo qualunque Veneziano che lor capitasse alle mani nell' universa terra, senza distinzione alcuna tra innocenti è rei: il che fu orrore: e pure fu eseguito in vari paesi.* Vid. RAYNALDUS ad Dictum annum. Cui simile est exemplum Excommunicationis a *Clemente VI.* Papa in Ludovicum IV. Imperatorem, quod is ad nutum Papæ hac dignitate se exuere detrectaret lata Avenione 13. April. 1346. quæ extat apud eundem *Raynaldum* T. XVI. p. 228. MURATORI ad an. 1348. ex CORIO *Hist. Mediol.* refert Bernabonem & Galeazium Vicecomites Mediolani Dominos à Papa *Clemente VI.* excommunicatos præter alios hujus effectus quoque *a matrimonio* fuisse prohibitos.

a) v. BOEHMER *J. E. L.* 5. *T.* 39.

HEINEC. *Antiq. Rom. L.* 1. *T.* 16. Exemplum hujus rei memorabile refert KOPP Nachrichten von der Gerichtbarkeit in Hessen Ersten Stuck p. 179. ubi in documento exhibito continetur: „quatenus familiam conductitiam, Colonos „&

enim ejusmodi excommunicatione tactus jurium tam publicorum, quam privatorum usu exclusus, tanquam putridum Reipublicæ membrum considerandus est. *b*) Demonstrant hoc insignes illi effectus in foro quoque civili eidem annexi. Ita enim non tantum *non accusare criminis*, sed *nec causam propriam agere in judicio*, ac jus suum persequi tali permissum est *c*), ut proinde actori ejusmodi *exceptio excommunicationis* opponi in judicio possit. *d*) Præterea vero *nec Advocati*, *nec Procuratoris* munus hoc in foro exercere posse Ss. Conciliorum canones disponunt *e*). Pariter *nec ad Notarii*, nec ullum aliud *officium publicum* admitti jubetur, *f*) adeo, ut acta eorum pro nullis habenda sint, & ab officio removendi; Imo si superiores eosdem non removerint, hi quoque ipso jure in bannum delapsi declarantur *g*), Imo, *nec testis in Judicio* esse potest. *h*) Huc

„& inquilinos ipsorum (excommunicatorum) diligenter & publice moneatis, „ut infra 8. dies post vestram monitionem a servitio, cultura bonorum, & „inquilinatu ejusdem desistant penitus & recedant, inhibentes nihilominus „omnibus & singulis vestris parochianis nequis dicto *Erwino* (excommuni-„cato) emendo, vendendo, molendo, piscando, comedendo, bibendo, lo-„quendo, salutando *ignem*, *aquam*, *sal*, cibum vel potum ministrando, aut „alio quovis communionis genere verbo vel opere communicet ullo mo-„do.„

b) Idem confirmat S. Basilius *in Epistola ad* S. Athanasium, cui quærenti de modo excommunicationis Præfecti Lybiæ, respondit: *quod excommunicatus vi ejusdem esse debeat execratio omnium fidelium*, *nemini cum ipso debeat esse aliquod commercium*, *nec aquæ*, *nec ignis*, *nec tecti communio.*

c) Illud etiam expresse prohibuerunt Reges Franc. *in Capitul. apud* Baluz. *T.* 1. *L.* 3. *C.* 180.

d) *C.* 2. *X. de except.* In Constitutione Friderici II. J. de juribus statuum Eccles. §. 7. ita statuit: Item sicut justum est, excommunicatos eorum, dumtamen ab ipsis viva voce vel per litteras eorum, vel per honestos nuncios fide dignos Nobis denunciati fuerint, vitabimus, & nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi in judicio, sic distinguentes, quod Excommunicatio non eximat eos a respondendo impetentibus: sed sine advocato. Perimat autem auctoritas in eis jus & potestatem ferendi sententias & testimonia & alios impetrandi &c. De effectibus Excommunicationis Civilibus conf. passim Kopp. in c. Tr. Von der Hessischen Gerichtbarkiet mittlerer Zeiten ates Stuck §. 114. sq.

e) *V. Concil. Sylvanect. de A.* 1326. *C.* 4. apud Harduin. *T.* 7. *p.* 1532. *Et C.* 8. *de Sent. Excom. in* 6. Item *C.* 7. *X. de Jud.*

f) *In Conc. Aven. de A.* 1326. *C.* 16. *apud* Harduin. *T.* 7. *p.* 1500.

g) *V. Conc. Valent. de* 1248. *C.* 14. *c. l. p.* 447. & aliis.

h) Prout disponitur *c. C.* 8. *de sent. excom. in* 6.

Huc faciunt antiquæ Ordinationes Judiciales, in quibus sæpe dispositum legitur, ut testes interrogentur: Ob sich Zeuge irgends eines Banns bewust seye? Sic superiori adhuc sæculo in der Hof-Gerichts-Ordnung *Georgii Ducis Brunsw. & Luneb.* i) legitur interrogatorium: Ob Zeuge in geist- oder weltlichen Bann, Acht, oder Oberacht begriffen? Generaliter vero adhuc notandum: tales infamia juris laborare k), utpote quæ se sola insignes producit effectus. Huc denique spectat FRIDERICI II. Imperatoris constitutio l): ubi illum, qui per sex septimanas in excommunicatione perstiterit, banno quoque imperiali mactandum decernit.

§. XXV.

Atque hos allegatos hactenus effectus sat multos esse, ac satis fore efficaces autumo, quibus Protestantes, si census &c. Episcopis debitos renuant, compelli possint ad officium. Cum enim hi omnes salva eorundem conscientia, & religionis libertate obtinere possint; credendum est, hoc ipsos effectus paciscentes Osnabrugenses ob oculos habuisse, dum Protestantes, supposito, quod in solvendis decimis &c. morosi fuerint, excommunicationi subjecerunt. Multum equidem Protestantes scriptores, qui de excommunicatione ecclesiastica commentati sunt, uti BOEHMERUS m) ac PERTSCHIUS n) &c. habent, quod carpant excommunicationis Ecclesiast. effectus: quod, qui canonici tantum ex institutione esse debuerint, non sine gravi Reipublicæ damno in civiles quoque extensi fuerint. Sed relicta Catholicis Canonistis ejusdem defensione o), illud saltem tacendo

i) *De A.* 1639. *Tit.* 43.

k) *C.* 17. *C.* 6. *q.* 1. Conf. CORVINI *jus Can. h. t.* huc spectat C. 12. de sepulchris, vi cujus excommunicatus post mortem quoque privatur ecclesiastica sepultura, cujus famosum Exemplum fuit Henricus IV. Imperator & alii.

l) *De Juribus Statuum Eccles.* quæ extat in *Coll. RR. J. nov.* T. 1. p. 14. & apud SCHMAUSS. *C. J. P. Acad.* ubi sic habetur. *Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis; excommunicationem, si excommunicatus in ea ultra sex Septimanas perstitisse prædictorum modorum aliquo nobis constiterit, nostra proscriptio subsequatur, non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur.* Ultra hæc vero etiam supra all. effectus ibidem ex parte confirmantur.

m) *In J. E. P. L.* 5. *T.* 39.

n) *In Tr.* Vom Recht des Kirchen-Banns.

o) Præter superius all. fundamenta clarissimum est testimonium S. JOAN. Ep. II. ubi ait: *Nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim illi dicit ave, communicat ejus operibus malignis.* conf. VAN ESPEN *J. E. U. P.* 3. *T.* 11. *C.* 4. FLEURY *l. c. p.* 3. *C.* 20. Interim de modo Censurarum in Germania Concilium Basileense Sess. 20. duo decreta fuit, quæ acceptavit Natio Germ. Vid. BOURQUE *Diss. de certis Concilii Basil. decretis maxime hierarchicis.* C. 2. §. XV.

cendo haud possum præterire, qualiter vel ipsæ Ecclesiæ Protest. eandem exerceant, uti demonstrant *Ordinationes Ecclesiasticæ Megapolitana*, *Vinariensis*, ac *Ord. Prov. Saxonica*, quas in extenso BOEHMERUS, quamvis neutiquam approbet, recensendas putavit. Unius nempe ejusmodi infortunati exemplo & terrere bonos reliquos oportuit, tactos vero hoc modo tanto magis ac citius ad sui reconciliationem quærendam permovere mens Ecclesiæ fuit, & summorum Pacis W. conditorum pro casu nostro intentio: Nam nec efficacius, nec promptius revera medium, illis præsertim temporibus, proponere potuissent. p) Neque enim ad ejusdem executionem defecere media: Cum enim ipsi quoque Protestantium Domini territoriales in hanc Pacis formulam consenserint, hoc ipso quoque ad ejusdem evictionem se obligarunt, quoad ea præsertim, quæ, uti dictum, nec conscientiæ illorum, nec Aug. Conf. ullatenus repugnant. Sed, esto forte, quod contra officium, atque obligationem suam in addenda eatenus authoritate sua defecerint; sat magnum nihilominus effectum per Catholicos subditos, suos respective concives poterit sortiri, utpote cum quibus saltem omne eisdem commercium interdictum erit.

XXVI.

Ast nullum extare exemplum, regeris, quo inde a Pace W. exercita aliquando fuerit ejusmodi excommunicatio; sic observantia, optima legum interpres nostræ deficiat; ergo, inferri posset & supponi: per errorem forte hanc formulam Paci W. insertam fuisse. Quibus Rx. Licet indubitata tunc res foret, siquæ exercitii ejusdem hodiedum extarent exempla; ex horum tamen defectu, qui est per accidens, existentiam theseos negandam haud esse. Ad hoc enim, ut validum pro negativa argumentum ex defectu exercitii repeti posset, doceri casum de jure q) necessum esset, ubi locum habere debuisset hæc excommunicatio, & non inflicta fuerit. Imo: licet forte casus extiterint, ubi debiti Episcopis reditus denegati fuerint, tamen nondum fuit necessitatis, ut Censuras statim adhiberent Episcopi, sed rarescente absque hoc earundem inter Catholicos etiam usu, prohibitum nullatenus fuit Episcopis, aliis mediis benignioribus & ordi-

p) Simili fere modo, quo Articulus Noster Pacis W. in Protestantes Decimas & reditus debitos renuentes excommunicationem decernit, tanquam medium exequendi, ita jam antea CLEMENS Pontifex Judæos Francofurtenses Decimas & Census Ecclesiæ renuentes per *subtractionem communionis fidelium* mulctandos decrevit. Apud R. D. WÜRDWEIN *Dioces. Mog.* T. 2. p. 489. ad eundem effectum PETRUS Archi-Ep. Mog. Judæos vestes distinctas ipsis injunctas gerere detrectantes excommunicatione mulctavit Verbis: *ipsi autem (Judæi) per locorum Diocesanos indirecte per subtractionem communionis fidelium excommunicationis sententia percellantur.*

q) Arg. a *Servitutib. præd. urb. quemadm. toll.*

ordinariis uti, donec ad extrema procederent. Sed numquid, suffecissent, ais, hæc remedia ordinaria, nempe imploratio Judicis &c. ergo. Quibus regero: quid vero, si judex vel Dominus territorialis justitiam eatenus denegarit? quid si media hæc ordinaria non suffecissent? En igitur, quomodo per Pacem W. prospectum fuerit Episcopis: nempe ut rescissis omnibus fori ambagibus, si velint, ac brevissima via, tanquam proprii Judices, & NB. exercendo Jurisdictionem Ecclesiasticam, posthabitis aliis executionum modis, per excommunicationem, (cujus etiam effectus supra assignavi sat multos,) decimas ac reditus suos exequi valerent. Atque ex his colligere quoque licet, quare in Actis P. W. loco *executionem*, *excommunicationem* correctum fuerit. Licet enim Protestantes primi legantur eam formulam concepisse; verosimile tamen est, saltem privatim forte a Catholicis aliquam eatenus factam fuisse mentionem, quæ cum reliquis Actorum P. supplementis desiderantur. r) Denique nec error ibi supponi poterit, quod solenniter acceptatum, & approbatum fuit. s)

§. XXVII.

Evidentia hæc erunt, quando consideremus circa census & Decimas Ecclesiasticis solvendas, jam ab antiquo & semper obtinuisse excommunicationis remedium, uti patet ex *Capitular.* REG. FRANC. t) ubi legitur: *qui Decimas pro crebris admonitionibus & precationibus Sacerdotum dare neglexerit, excommunicentur.* Et ALEXANDER III. P. u) mandat Cantuariensi Episcopo, *ut Parochianos, si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellat, ut de proventibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lana decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persol-*

r) Imo nec hisce forte opus est, cum in medio ævo excommunicatio fuerit medium exequendi sententias ordinarium; ita ut executio & excommunicatio plane pro synonimis in effectu acciperentur. Vid. KOPP c. l. 2tes Stück §. 113. sq. Vid. etiam WÜRDWEIN *Diocesis Mog.* T. 1. ubi testes renuentes dicere testimonium censuris ad id compellebantur. p. 339.

s) Cum hic de mente Pacis W. sit quæstio, hanc ex illorum temporum rationibus indagare convenit. Igitur, quidquid sit de hodierna praxi, usu & observantia hujus articuli Pacis W. (de quo pluribus infra dicetur) sufficit tempore Pacis W. hanc fuisse praxin Episcoporum Cathol. in colligendis Decimis reditibusque, de qua testantur ipsi Legati Protestantici in ipsis Actis Pacis W. supra §. 14. & 15. nota e) & l) ibique existentibus Votis Lindaviensi & Langenbeckiano relatis: quod jus, & praxis eisdem per hactenus dicta, in nostro Art. Pacis confirmata fuit.

t) Apud BALUZ *L.* 2. *C.* 38. *&c.*

u) *C.* 5. *x. de Decimis.* Id ipsum quoque mandatur in *C.* 15. *&* 21. *x. eod.* & aliis.

solvant. His insistens SYNODUS TRIDENT. x) *præcipit omnibus, cujuscunque gradus & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscunque aliis Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absolvantur.* Nempe cum Decimæ, postquam generaliter in Germania introductæ fuerant, idque per Conciliorum Canones probante Principe ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, ac propterea fori Ecclesiastici objectum constituerant, oportunius judicarunt Llatores, easdem canonicis potius, quam civilibus pœnis vindicare. Si vero excommunicationis pœna effectum non habuit, tunc demum Comitibus & Missis Regiis injungebatur, ut assisterent Clericis in obtinendis Decimis, & Imperatores ipsi assistentiam suam promittebant. y)

§. XXVIII.

Dicta vero nihil amplius miri continebunt, quando maximam illam in medio ævo excommunicationis frequentiam considerabimus: Nam uti supra ex c. FRIDERICI II. Imperatoris Constitutione perspeximus: in illum, qui ultra 6. septimanas in excommunicatione perstiterit, bannum quoque Imperiale fuisse decretum; sic etiam vice versa in illum, qui per annum in banno imperiali perstiterit, ecclesiastico banno animadvertendum esse decernitur in *Comitiis Francof.* de Anno 1435. in verbis: „Daß das geistliche Gericht dem „Werntlichen Swert geholffen sey; also wenn einer oder mehr Jahr und „Tag in der Reichs-Acht bleiben, daß dann das geistliche Gericht den oder „die in den Pan tue, und desgleichen wer Jahr und Tag in dem Pan belib, „daß dann ein Romischer Kayser oder Konig den in die Reichs-Acht tue ꝛc. „also daß ein Swert dem andern geholffen und beygestendig sey.„ Idem seqq. temp. in pluribus aliis z) RR. J., fusius vero in *R. J. Constant.* de Anno 1507. statutum est: „Wo sich aber begebe, daß ymands wes Stands oder „Wesens der were, an Im selbs in Vergeß seiner selb Ere vnd Wohlfahrt „als hart vnd Verstockt sey, daß Er solch Acht oder Pen nicht achten oder „förchten, vnd als über Sechs Monath, nachdem er solcher Pen wissens „entphangen hett, darinnen freventlich verharren und bleiben würdt, so sollen „fürter die geistliche Ordinarien ihre Vicarien oder Official der Ort und „Stet,

x) *Ss. 25. C. 12. de Ref.*

y) *Capit. R. F. c. l. C. 39.* Conf. VAN ESPEN *P. 2. T. 33. C. 9. G. L.* BOEHMER *de Orig. Decimarum in Germania.* STRUBEN Nebenstunden *P. 3. n. 35.* Vom Ursprung der Zehenden in Teutschland.

z) *R. J. Friburg.* de 1498. & *R. J. August.* 1500. *&c.*

„Stet, darinne solch Ungehorsame Echter wonen, oder sich enthalten, uf „Anruffen und Begern unsers Königlichen Cammer-Richters, mit dem geistlichen Bann und andern Censuren und Beschwerungen fürderlich und ohnverziehlichen; wie sich nach seiner Ordnung gebürt, gegen solchen freventlichen Echtern procedirn und fortfahren ohn alle Wegerung und Auszug, und „also ein Schwerd dem anderen zu Steuer und Hilf kommen, wie dann die „Recht vermegen, und teglich der Geprauch ist, damit die Ungehorsamen „in Gehorsam bracht, und die Urtheil dester schleuniger und fürterlicher exe- „quirt werden ꝛc.„ Atque hæc plurimis ex hist. Imperii exemplis illustrari possent, sed aliqua saltem hic commemorabo: sic RUPERTUS *Pal.* Imperator, dum contra Civitatem Aquensem, WENCESLAI ab Imperio depositi partes tuentem, banno Imperiali nihil profecisset, vocato in auxilium banno Pontificio eandem ad officium reduxit. *a*) Et sic vice versa Pontifex Imperiale bannum invocavit, quando ecclesiastici nulla fuit habita ratio. Triste hujus rei exemplum Historia Mog. suppeditat. Nam cum DIETHERUS Elector Mog. a PIO II. P. excommunicatus ac depositus, Archiepiscopatu se abdicare nollet, Pontifex pariter FRIDERICI III. Imperatoris bannum excitavit. *b*)

§. XXIX.

Bannum Ecclesiæ erat universale remedium coactivum in medio ævo: *c*) atque hinc quoque ad stabiliendam Pacem publicam efficacius fuit nullum visum remedium, quam excommunicatio. Unde in Comit. Norimb. *d*) præsertim, Pontifex fuit Custos Pacis denominatus, ut excommunicatione seditiosos compesceret. Ita autem statuitur: „Und daß solcher Frid dester paß gehandhabet „und

a) v. TRITHEM *Chron. Hirs. ad A.* 1402. *& M. Chron. Belg.* p. 343. Bulla excom. extat apud MARTENE in *Thes. Anecd. T.* 1. *p.* 1713.

b) Conf. SERRARIUS *Hist. Mog. L.* 5.

HELWIG *in Mog. devicta.*

MULLER Reichs-Tags *Theatr. Frid. V. P.* 4. *C.* 11. *p.* 31. 35. & 46. ubi Sent. exauctorat. & Bullæ Pontif. aliud Exemplum de Civitate Erfordiensi vide apud DE GUDENUS *Cod. Dipl. T.* 1. p. 535. aliud exhibet R. D. WÜRDTWEIN *in subsid. Dipl.* Tom. 1. N. 63.

c) Nam ut supra jam notatum, Excom. Eccles. fuit medium executionis generale in foro eccles. Addi etiam possunt in *Subsid. diplom. Cl.* WÜRDWEIN *Tom.* 2. *n.* 64. *&* 65. ubi qua ratione in ejusmodi executione demum ad cessationem etiam in divinis perventum fuerit, continetur.

d) De A. 1467. §. 14. Gutachten der Chur- und Fürsten puncto des Türcken-Zugs und Landfriedens, quod deinde in seqq. Constitutionibus Pacis sæpius repetitum fuit.

„und vollzogen würde, so solt unser Heil. Vatter der Pabst den in der besten „Furm besteten, und bey hohen und schweren geistlichen Pönen zu halten auch „gebieten, und dazu sein geistlicher Richter, Conservatores und Handhaber „an dem Ende zu bestellen = = = = = wieder sie auf Erklärung der Pönen, wie recht „were, zu procediren ꝛc.„ Simili modo ad exequendas sententias in Camera J. latas excommunicatio ab ejusdem Diœceseos Episcopis ferenda statuta fuit in *Ord. Camer. Augustæ* 1555. confecta, quæ dispositio in *Concep. Ord. Cam. noviss.* verbotenus inserta *e*) hoc modo: „Und ob die (Creyß) Obersten = = = = auf „des gewinnenden Theils anruffen vor austräglich und rathsam ansehen, daß „zu solcher vollziehung der geistliche Bann gegen der verlustigten Parthey ge= „braucht würde, alsdann soll der zur Sträff und Zwang des ungehorsamen „auf das förderlichste ihme mitgetheilt werden; doch soll in des gewinnenden „Theils, so er die Acht erlangt hat, Macht und Willen stehen, die gemeldten „executoren oder geistlicher Bann ausgehen zu lassen, zu begehren, und = = = „wollen wir Fleis haben bey Päbstlicher Heiligkeit zu erlangen, daß solcher „Bann nach der Bulla Raymundi *f*) deshalben hievor ausgangen, durch Cam= „mer=Richter und Beysitzer, so geistlich wären, anerkannt werden möchte.

§. XXX.

Quemadmodum vero hactenus in publicis causis excommunicatio locum habebat, sic non minus frequens in privatis erat: uti rursus plurima extant exempla. Medii ævi Episcopi, quoties controversiam cum Laico habuerunt, mox hunc excommunicaverunt, donec is jure cederet. Celebre ejusmodi exemplum denuo suppeditat *Historia Moguntina*: Nam dum Imperante FRIDERICO I. sed in Italia absente, AEpus Mog. ARNOLDUS cum HERMANNO PALATINO in diffidationem incidisset, ille hunc continuo excommunicavit. Celebris inde facta est hæc historia, quod Imperator graviter ferens in reditu suo hæc bella privata, utrumque condemnaverit ad pœnam portandi canes *g*), licet ARNOLDO ob

e) *P. III. T.* 57. §. 12. Bannito vero neque ex re judicata jus remanet. hoc expertus in Camera Imp. Comes ab *Hattstein* olim in bannum Contumaciæ declaratus, postea Victor in alia causa; Nam excipiente parte adversa de banno eidem quondam illato ab immissione in bona per sententiam decreta exclusus fuit, MOSER R. H. R. *P.* T. 1. T. 1. C. 3. §. 28.

f) *Bullam Raymundi*, juxta quam secundum Ordinationem Cameralem, sententiæ exequendæ (ait NEUMANN *in Princ. Proc. J. A.*) asservari in Cancellario Mog. nec in Bullario Rom. contineri; neque præ se ferre Nomen pontificis, ut aliæ bullæ solent, sed *Raymundi Pirrandi* Cardinalis Presbyteri Episcopi Gurcensis, qui tanquam Legatus de latere a. 1503. jubilæum per Germ. publicavit.

g) Uti refert TRITHEM. *in Chron. Hirs.* ad Annum 1165. OTTO FRIS. *L.* 2. *C.* 28.

ob reverentiam Episcopalem dispensatum fuerit. Sic pariter RUDOLPHUS *Comes Habsb.* postea Imperator, quando Episcopo Basileensi diffidationem intulerat, ab eodem excommunicatus fuit; quapropter etiam Legati OTTOCHARI *Boh. R.* eum incapacem Imperialis solii volebant. *h*) Item PHILIPPUS *Suev.* Imperator, ante quam is factus, habuit litem cum Pontifice de finibus Tusciæ, qua occasione a Pontifice fuit excommunicatus, atque hoc sub prætextu deinde Imperii incapax declaratus *i*). Unum ex plurimis aliis adhuc addo exemplum JULII II. Pontif. fœderati Ligæ Cameracensis contra Venetianos, ubi pariter sub censuris & pœnis gravissimis eisdem injunxit, ut, quæ injuste occuparunt, restituerent *k*). Hæc Episcopi: sed nec privati invicem ab excommunicatione sibi temperabant. Nam si vel hi contractus suos sub obligatione excommunicationis ecclesiasticæ inire consueverunt, uti solebant *l*); nihil sane eadem frequen-

h) FUGGER Spiegel der Ehren des Erzhauses Oesterreich. *L.* I. *C.* 10.

i) *v. Epist.* INNOC. III. 29. 33. *&c.*

k) GUICCIARDINI *Historia d'Italia* mihi *pag.* 213. *Histoire de la Ligue faite a Cambraye entre Jule II. Maxim. I. & Luis XII. Ferdinand V. Roy d'Arragon & tous les Princes d'Italie contre la Republique de Venise.* 2. *Vol.* 12. *Paris* 1728. conf. PUTTERI Grundriß der Staatsveränderungen des Teutschen Reichs. p. 156. Edit. 2. ubi aliud exemplum de *Brunone* AEpo Trev.

l) Conf. ESTOR rechtsgelahrheit der Teutschen *P. II. C.* 4. §. 3510.

J. Ch. ECKHARD *de obligat. sub pœna banni eccles. & Imp.* *Jenæ* 1750.

J. RUMPF *de nonnullis conventionibus Germanorum accessoriis, quibus debitores suos arctius obligare nitebantur. Gœtting.* 1755. Exemplum memorabile exhibet SCHEIDIUS in seinen Historisch- und *Diplomatischen* Nachrichten vom hohen und niederen Adel in Teutschland. p. 83. in Dipl. Io. Ducis Brunswicensis de a. 1275. cui clausulam addidit: „Si autem nos, quod absit, „sive heredes nostri pro tempore venerimus contra prædictam ordinationem, „vel violaverimus aliquam etiam sui partem, sustinebimus patienter, quod „Abbates, Præpositi supra nominati in Civitate Luneborg constituti ipso fa„cto statim a divinis cessabunt, & precipue a sepultura mortuorum, & omni„bus aliis Ecclesiæ Sacramentis exceptis penitentiis morientium. Ad hoc „adjectum est, quod si Nos vel aliquis heredum nostrorum ipsam Ordinatio„nem totam vel partem violavimus, eo ipso facto Excommunicationis sen„tentia simus innodati. Si autem aliqui Prelati & sacerdotes pro nostro fa„vore vel timore nollent, secundum quod supra dictum est, abstinere a divi„nis, Bremensis Archiepiscopus, quia a Papa dabitur Executor de plano com„pellere eos ad id poterit per Ecclesiasticam Censuram, qui etiam injurias & „gravamina, si forte nobis a prefatis reditibus evenerint, authoritate D. Pa„pæ per censuram Eccles. similiter exequetur.„ Similem obligationem vid. apud GUDENUS *Cod. Dipl.* T. I. p. 822. ubi Henricus Archiep. Mog. & Albertus Dux Brunswic. sub pœnis Excommunicationis papalis & proscriptionis Rega-

quentius esse poterat. Et quid miri, si in P. W. quoque ejusdem facta fuerit mentio?

§. XXXI.

Restat denique dispicere, siquem in Feudis quoque effectum sæpe dicta sortiatur Excommunicatio m)? Equidem non urgebo, quod GREGORIUS VII. Pontifex relatus a GRATIANO n) Vasallos a fidelitate Domino excommunicato præstanda absolvat: Nec, qui ejusdem vestigia terit, URBANI II. Decretalem o), qua Episcopo Vapicensi in Gallia ita respondit: *Juratos Milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, serviant, prohibeto. Qui, si Sacramenta prætenderint, moneantur: oportere Deo magis servire quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Christiano Principi jurarunt, Deo ejusque Sanctis adversanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cobibentur auctoritate persolvere.* In hoc enim sphæram suæ potestatis prætergressos fuisse Pontifices, communis hodie Doctorum tenet sententia p): Stringunt vero quæ FRIDER. II. Imperator in supra relata Constitu-

Regalis compromittunt in arbitros causas aliquot componendas. Similiter PETRUS Archiep. Mog. civitati Frizlariensi interdictum eccles. comminatus est, in tempore debito pecuniam solveret. Vid. GUDENUS T. 3. p. 91. Sed abusus hos, in causis plane pecuniariis (qualis erat præcedens) adhibendi Excom. Eccles. perstringit MATTHIAS Archiepiscopus Mog. in Dipl. apud GUDENUS T. 3. p. 228. BONIFACIUS IX. Pontifex in bulla apud GUD. *T.* 5. *p.* 837. confirmat ordinationem prædecessoris *Bonifacii* 8. nequis ob debita pecuniaria sine consensu Pontificis in bannum eccles. declaretur. BERTHOLDUS Archiep. Mog. vero ad coercendos eosdem abusus, per bullas Romanas sæpe excitatos introduxit placitum Archiepiscopale, vi cujus nulla Bulla executioni mandetur nisi prius visa sigilli fero Moguntino. KOPP c. l. p. 160. ubi Extractus Diplomatis. Quid deinde contra hos abusus per LL. Imp. & principum Constitutiones speciales ordinatum fuerit, vid. apud eund. *Kopp.* c. l. §. 117. sq. quid hac de re in Concilio Basil. autem & a Nat. Germ. acceptatum fuerit, jam supra memoratum. Vid. Ejusd. Conc. Basil. Decretum IX.

m) Privationis effectum eidem tribuunt ipsi Feudistæ Protestantes:

STRUV. *in Synt. J. F. C. XI.* §. 7. *in f.*

J. Gabr. WOLFF *in Elem. J. Feud. C. VI.* §. 4.

STRYCK *E. J. F. C. VI. q.* 23.

n) *C.* 4. *C.* 15. *Q.* 6.

o) *Ibid. c.* 5.

p) Conf. v. ESPEN *in Commentario ad Decretum Gratiani ad loca all.* & EJUSD. *Tr. de censuris Eccles.*

ſtitutione diſponit, ubi eum, *qui per ſex Septimanas adhibita interea trina monitione, ſe cùm Eccleſia reconciliandi, in excommunicatione permanſerit, ſpecialiter quoque a feudis omnibus excludit, & in bannum Imperii hoc ipſo quoque declarat.* Hæc tamen, ſi caſui noſtro nunc applicare voluerimus, diſtinguendum erit inter Status Imp. immediatos, ac mediatos alios feudi poſſeſſores. De illis enim non eſt quæſtio, cum P. W. tantum de ſubditis Dni territorialis loquatur, nec aliter feudis regalibus excidere dicendi ſunt immediati, quam ſi in Comitiis quoque ſecundum normam in *Capitul. Noviſſ. Ar. XX.* præſcriptam in Bannum Imperii declarati fuerint. Intererat enim Statuum Imp. ne temere in bannum J. declararentur. Attamen ſi mediati, aut privatæ conditionis Vaſalli fuerint, tunc all. FRIDERICI II. Conſtitutio tantundem obtinebit, donec abrogata eſſe demonſtretur. Nam & absque hoc talis in Regula feudi incapax dicendus erit, ſi, ut ſupra memoratum, tanquam cui aqua & igni interdictum eſt, habendus ſit. Igitur, cum & iſte effectus in Proteſtantes ſalva quidem eorum conſcientia cadere poſſit, quidni ſecundum Regulam ſupra ſtabilitam adſcribi poſſit illis, qui pro caſu §i noſtri 48. P. W. debitos Epiſcopis reditus denegando, ſacra eorum fulmina concitarint. Sic ſane non prorſus inania, ſi executioni dabuntur.

§. XXXII.

Atque ex hactenus deductis, quantum ſatis, patere arbitror, quænam Inſtrumenti Pacis circa quæſtionem propoſitam fuerit vel eſſe potuerit intentio: Patet enim Epiſcopos Catholicos tempore Pacis W. fuiſſe evidenter in poſſeſſione exercitii excommunicationis eccleſiaſticæ pro conſequendis a proteſtanticis alieni territorii ſubditis ſuis reſpective Diœceſanis, debitis reditibus ac decimis; quam & ipſi Proteſtantes in Tractatibus Pacis W. plus una vice clariſſimis verbis agnoverunt, quæ res fecit, ut in ipſo Pacis W. Inſtrumento eadem Epiſcopis Cath. facultas, ut ſupra jam monui, tanquam reliquiæ Juris Diœceſani quoad alia ſuſpenſi, expreſſe confirmata fuerit, eo quidem effectu, ut Proteſtantes, licet voluntarie ab Eccleſiæ Cath. communione diſceſſerint, ex hoc tamen *ceu novo ex titulo*, & ad effectus recenſitos excommunicarentur. Hæc de ſenſu Pacis

NAT. ALEXANDER *in Hiſt. Eccleſ. T. VI. p.* 687. Ubi de Henrici IV. depoſitione agit.

Conf. *Defenſio declarationis celeberrimæ, quam de poteſtate Eccleſiaſtica ſanxit Clerus Gallicanus Auct.* JAC. BEN. BOSSUET *juſſu Ludovici M. elaborata. Luxenb.* 1730.

Vid. tamen RAYNALDUS *ad An.* 1682.

Conſtat denique quid ratione novi Officii de S. Gregorio VII. Pontif. actum fuerit. v. Europäiſche Fama *P.* 325. *p.* 9.

cis W. circa dictum passum historice quasi proponebam: Nam non ita facile hæc in praxin hodie deducenda arbitror: Ex quo enim res Judiciaria Imperii eam, in qua hodie conspicitur, formam induit, ut hac via tanquam longe commodiori suum cuique consequi integrum sit; ipsa experientia teste constat, inde ab ipsis Pacis W. temporibus, quibus hæc paulatim cœpit esse cultior, ejusdem amplius in effectum adductæ vix ullum extare vestigium. Neque porro facile quid ejusmodi metuendum erit: præsertim cum defœcatis nostris temporibus longissime aliena sit hodierna, quæ inter J. Status utriusque Religionis consuevit, tractandi methodus, a violentis illis medii ævi moribus, quibus uti penes Laicos in armis & bello, ita penés Ecclesiam omne præsidium in Anathematis fulmine necessario repositum erat. Sed nonne denique quotidiana docent exempla, vere benignam esse matrem Ecclesiam, quæ media quævis alia contra filios licet immorigeros in mansuetudine tentare malit, quam ut ita facile procedat ad EXTREMA. q)

Animad-

q) Sed quid de Praxi? sane hodie mutata judiciorum formula, mutata etiam est praxis circa dispositionem Pacis W. §. 48. de qua hactenus egimus. Ex quo enim cessaverunt Archidiaconi Episcoporum Jurisdictionem Eccles. immediate per territoria Principum Sæcularium in sic dictis Judiciis Synodalibus exercere, de quibus conf. R. D. Würdwein *Commentationes de Diœcesi Moguntina in Archidiaconatus distincta*, & supra cit. Kopp *in Tr.* von der Gerichtbarkeit in Hessen in mittleren Zeiten. Et introducta per R. J. N. nova Executionis formula: sublato nimirum Banno contumaciæ: cessat etiam modus exequendi Canonicus per Excommunicationem. *Sicuti enim* ait Cramer *in Syst. Proc. Imp. S.* 5. *T.* 1. §. 1608. *Excommunicatio ex Doctrina juris Can. vel ex capite delicti vel contumaciæ infligitur, ita olim bannum erat duplex vel delicti vel contumaciæ. Hodie autem Bannum contumaciæ sublatum est per R. J. de a.* 1654. §. 36. *in f. quod etiam repetitum in Capit. Caroli VII. Art.* 20. §. 11. *cum allegatione rationis.* Ibi autem sic habetur: „Und soviel das Bannum contu„maciæ betrifft, wollen Wir selbiges als ein aus vielen considerationen unzulässiges „Mittel gar abthun und es in Civilibus causis auch bey denen civilibus coercendi & „compellendi mediis bewenden lassen.„ Pari ergo passu ambulabat Excommunicatio tanquam remedium Exequendi juris Can. præsertim ob abusus quibus, ut supra dictum ab ipsis Pontificibus, Episcopis ac præsertim Conc. Basil. c. l. remedia parabantur dum ab his multifariam restrictæ fuerunt. Eodem spiritu in *Capitulat. Caroli VII. art.* 14. §. 3. Statutum remedia spiritualia non indiscrete contra Pincipes Imp. esse adhibenda. Privatis vero per Judices Eccles. censuris gravatis ad Imperatorem vel S. J. T. Recursus commendatur in R. J. N. §. 164. conf. *Obs. hist. jur. in Concord. Not. Germ.* apud Cramer Nebenst. Th. 121. *Obs.* 2. *p.* 21. sed hodie, immutata dicto modo judiciorum formula morosi vel reluctantes prius coram ipso Dno territoriali laico conveniendi, atque si is justitiam administrare in subditos, vel si ipsi tanquam debitores principales Decimarum aliorumque æditŭum eosdem persolvere Catholicis

Episco-



Animadversiones Editoris.

Ad §. V. Quam hic in nota subjecta laudat Autor Diss. P. FRIDERICH S. J. *de Idea Nomothesiae Ecclesiasticae*, *in Thesauri hujusce Tomo 2.* reperies *N. 1.*

Ad §. *VII.* Ad Autores in not. citatos de Pontificatu Romanorum Imperatorum maximo addenda *Commentatio Critico-Historica inauguralis de Pontificatu Romanorum Imperatorum maximo solo honoris titulo fulgente defensa Heidelbergae 1764.* Praeside JOANN. WILHELMO ANTONIO DAHMEN p. m. Jurium quondam Professore clarissimo; *Autor* in fronte praefertur JOANN. OTTO CULLMANN.

Praeter eos porro, quos ad hujus §. finem nominat in notis Autor scriptores de sat famosis circa investituras turbis rem eandem pertractavit ANTONIUS PEREIRA *Lusitanus in Comment. Historica et Theologica de gestis ac scriptis Gregorii Papae VII.* adversus *Henricum IV. Imp.* recusa Viennae 1773. qui et jam alias sat notus est ob *Tentamen Theologicum*, *in quo demonstratur*, *ubi Apostolica Sedes adiri non possit*, *devolvi ad Dominos Episcopos facultatem dispensandi in publicis impedimentis Matrimonii etc. Olysipone latine editum 1769.* nunc etiam germanice versum. Universim de Commentat. aut Diss. antea citata animadvertendum id saltem hic putavi, ab hoc scriptore passim sine ullo delectu critico, quod tamen vel maxime ejusdem fuisset adhiberi in rem suam Autores, quo opera aut omnino spuria sunt compluribus, taliaque esse argumentis sat gravibus convincuntur, aut quibus tanquam manifestis partis unius hostibus, in alteram vero studio inclinantibus nimio, fides satis firma tribui ex Criticae regulis non potest: sed haec videlicet examinare, aut saltem non dissimulare e re *Pereirae* et

Episcopis detrectaverint, tunc demum in hos in supremorum J. Tribunalium alterutro agendum erit pro Mandato de non contraveniendo Legibus Imperii publicis praesertim Paci Westph. S. C. quemadmodum *in Ord. Cam. P. 2. T. 20.* §. 20. dispositum: „Daß wider die Aechter außerhalb Friedbruchs Haab und Gut „am Cammer-Gericht procediret werden solle. Nempe executionem tantum in bona, non in personam faciendam, cessantibus reliquis banni effectibus. Vid. etiam *R. J. N.* §. 193. & *Capitul. J. art.* 1. §. 11. & conf. DECKHER *Consult. P.* II. De Remediis *contra Violatores Pacis Relig. & W.* Et in *Vindic. ad Blum.* p. 310. LUDOLFF *Jus Cam. S.* 1. §. 4. *p.* 33. *sq.* PÜTTER *Introd. in Rem jud. Imp.* §. 328. *Jo. Ferd. Guil.* BRAND *de Camera Imperii in causis sacris non judicante, executionem tamen decernente si tanquam brachium saeculare invocata fuerit, Wezlar.* 1759.

et ſcopo minime fuiſſet. Huc ſpectant *Pſeudo*-WALTRAMUS *Naumburgenſis* in Tract. *de inveſtitura Epiſcoporum et Abbatum*, *et* SIGEBERTUS *Gemblacenſis*, de quibus vide *animadverſionem meam Tomo 1. hujus Theſauri p. 267.* Aliqua hic addenda adhuc de *Pſeudo*-BENNONE: Cardinalis creatus fuiſſe dicitur a Pſeudo-Pontifice *Clemente III.* ante *Guiberto*, eidemque dein individuus comes adhaeſiſſe: eidem attribuitur *vita S. Gregorii VII.* Ne probabile quidem aliquibus videtur ejusmodi BENNONEM tempore *S. Gregorii* aut vixiſſe aut ſcripſiſſe, cum de eo usque ad diſſidia *Lutheri* nemo mentionem faciat, atque tum demum hic partus lucem viderit: aut ſiquidem *Benno* iſte confictus plane non eſt, ipſius fidei nihil plane tribuendum eſſe, tum quod apertus fuerit juratusque *Gregorii* hoſtis, tum quod tam infanda de *Gregorio* mentiatur, quae nunquam vel ipſe *Henricus IV.* id certe non omiſſurus huic Pontifici minime objecit: ut taceam apertiſſimis coaevorum ſcriptorum teſtimoniis impudentiſſima haec commenta manifeſtae falſitatis convinci poſſe; quod jam praeſtiterunt GRETSERUS *in Apologia pro Gregorio VII.* quam in prima editione mox *Tomo 2. defenſionis Bellarminianae* ſubjunxit, NATAL. ALEX. certe hac in re non ſuſpectus, quippe quem conſtat geſta *Gregori VII.* non omnino probare, Cardin. GOTTI *in Colloquiis Theologico-polemicis et Gregorii VII. vindiciis* atque alii.

Ad §. XII. Quid in ſe complectatur exercitium Religionis domeſticum, non convenitur, quemadmodum videre eſt apud Anon. in den Grundſätzen von dem offentlichen Privat und Hauß-Gottesdienſt nebſt einiger Erläuterung derſelben aus offentlichen Staats-Handlungen 1765. 3. Cap. Von dem Hauß-Gottesdienſt, ubi varias ipſorum Proteſtantium de hac re opiniones adducit. STRUBEN exiſtimat in ſeinen rechtlichen Bedenken Tom. 1. Bedenken. 13. ſaltem plures familias convenire poſſe pro exercitiis Religionis ſuae, etſi tantum exercitium domeſticum ipſis ſit permiſſum: atenim perperam, cum ſane in ſenſu proprio, praecipue, quodſi, prout hic ſit, domeſticum opponatur privato, nil aliud velit, niſi quod quisque *domi ſuae*, non vero in aedibus alienis peragit: voces autem cum hic agatur de Jure Reformandi Dominorum territorialium reſtringendo, omnino proprie atque etiam ſtricte ſumendae ſunt. Nullibi vetitum eſſe ait STRUBEN plures familias hoc in caſu convenire; verum invertere rem debuerat, atque probare id expreſſe etiam invito domino permiſſum fuiſſe hujusmodi ſubditis, atque ita Jus Reformandi, pro quo in regula ſtandum ſemper eſt atque praeſumendum, limitationem hic quoque et reſtrictionem eam recepiſſe, ut, licet Dominus conventus ejusmodi prohibere vellet, id minime poſſet. Porro inquit licitum eſſe etiam ob negotia alia profana pluribus convenire: hoc enimvero aperte nimium probat; nam licitum quoque eſt ob hujusmodi negotia in foro aliisque locis publicis coire, an ſimile

 quid

quid ad exercitia Religionis obeunda subditis permittit STRUBENIUS, idque Domino invito, quodsi anno normali nec publicum nec privatum Religionis suae exercitium habuerunt? Ingens itaque est inter utraque negotia discrimen, atque in causis quidem Religionis, ubi subditis res est adversus Dominum suum, plus ipsi praetendere nequeunt, nisi quod apertis verbis ipsis in textu pacis concessum fuit. Mirum quoque est, quod GEORG. LUDOV. BOEHMER *Princ. Jur. Can.* §. *321.* immo et L. B. de CRAMER Nebenstunden Part. 9. n. 3. velint, ejusmodi subditos apud Ministrum Religionis suae in vicinia posse liberos suos ad Baptismum offerre, quod quidem ex Art. 5. §. 34. P. W. constare volunt. Atenim in citato §. hoc nequaquam conceditur, sed illud solum, quod liberos suos aut per praeceptorem domi privatum Religionis suae principiis possint imbuere, aut ad eundem finem ad scholas quoque exteras dimittere. Est nimirum ingens inter hanc instructionem et Baptismum discrimen: illa enim nisi a praeceptoribus ejusdem Religionis tradi nequit; Baptismus ex cujuslibet Religionis principiis a Ministro quoque alienae Religionis valida ratione confertur. Quare observantiam etiam passim contrariam esse, et conspirare cum dictis nostris fatetur cit. Anonym. in den Grundsätzen 2c. Cap. 3. §. 40. Vom auswärtigen Taufen.

Ad §. *27.* In ipsis instrumentis Laicorum pro fundationibus piis inter alias formulas satis terribiles in eos, qui has fundationes violaturi essent, mentio quoque fit excommunicationis incurrendae: ita in *Alsat. diplomat. Part. 1. N.* 9. in Charta *Eberhardi* Comitis Alsatiae de anno 728. sub finem legitur: *Siquis vero quod futurum esse non credimus, si ego ipse aut aliquis heredum aut proheredum meorum aut ulla opposita persona vel etiam quislibet homo praesentem paginam vel que acta mea que ego devoto animo pro eterna retribucione feci et firmare rogavi, infringere conaverit, vel temptare aut minuere presumserit, is primitus iram omnipotentis Dei et omnium sanctorum vel angelorum ejus offensionem, sed et cuncte eglesie catholice* EXCOMMUNICATIONEM *et ab omni populo Christiano se extraneum* etc. N. 12. in *Charta ejusdem* de anno 731. idem repetitur. N. 37. in Charta *Sigfridi Dynastae* de anno 768. dicitur: *siquis ego ipse aut de heres ac proberedibus meis vel quislibet ulla opposita persona qui contra hanc tradicionem venire conaverit, aut infrangere voluerit, inprimis iram Dei incurrat offensus et ab omni limine sanctorum* EXCOMMUNICATUS *appareat, et sociante fisco auri uncias III. et de argento pondera V. exsolvat.* Stilus hujusmodi documentorum non offendet eum, qui ejus aevi monumenta sibi notiora effecerit.

XII. JO-

XII.

JOANNIS PETRI BANNIZA U. J. D.

Jurium quondam in Universitate Wirceburgensi dein Vindobonensi Professoris &c.

DISSERTATIO GERMANO-HISTORICO-CANONICO-PUBLICA

DE

DIVERSARUM RELIGIONUM

IN EODEM TERRITORIO TOLERANTIA AC RECEPTIONE GENERICA ET SPECIALI.

Wirceb. 1739.

PROSCENIUM.

Antequam hac Disputatione potissimum *de Tolerantia ac Receptione diversarum Religionum in eodem Territorio tum generali tum speciali*, ac quæ eo coincidunt agam, & ad penetralia teneræ hujus materiæ accedam, operæ pretium existimo, si prius in *juris Permittentis* indolem & naturam accuratius inquisitum fuerit, quia tradente Bartholo *ad L. 1. ff. si cert. pet.* nonnisi cognitis generalioribus ad specialem cognitionem perveniri potest. Duo igitur præsentis Dissertationis erunt capita: Primum in pertractanda *legis permittentis in genere natura, objecto, ac divisionibus* occapabitur; Secundum complectetur *in specie*, quæ *ad Tolerantiam ac Receptionem diversarum Religionum in eodem Territorio* referenda videbuntur.

Salebrosus non diffiteor in hanc materiam ingressus, in qua tot diversissimorum justitiæ thematum anfractus, tot difficultatum scopuli superandi, totque diversæ opiniones ac mentes convincendæ coalescere videntur; verumtamen aleam jaciendam statui, ratus sordere lauream, quæ de facili venit; ac vel id præcipue in spem erigit, quod hæc in lucem proditura lucubratio Lectorem reper-

repertura sit rerum germanicarum conscium, veritatis amantem, candidum & humanum, qui huic Academico specimini, quod nemini officere, omnibus modestia duce licitum esse dignoscitur, id ipsum juris non partium studio noverit impertiri, quod omnibus & singulis in eo assertum confido; nemini enim in eo quidquam vel ambitiosum, vel cuiquam odiosum occursurum, sed absque immaturo affectu Disputationis thema demonstratum, quantum breve tempus *tolerare* potest *spero*, cum meram *tolerantiam spiret*. Quid enim Imperantis Majestati decedit, quando leniori remedio suum finem assequitur, quem rigore juris tentato vix ac ne vix quidem consequi sæpe licet. Dabis proinde Lector Benevole mihi de recepto, quod comiter omnia colit, *Jure Permittente, atque Tolerantia* tractaturo, si minus gratiam, at saltem veniam, quam nemo non meretur, qui quid agit, quod *jure permittente* conceditur; & nemo denegabit, qui humana singula etiam a se aliena non existimaverit; cum hic Legum patriarum cultoribus veritatem potius, quam earundem interpretem sistere cum pace omnium & singulorum decreverim, spiritus nempe ubi vult, spirat.

CAPUT I.

De Tolerantia, sive Lege permittente in genere.

§. I.

Homonymia permissionis evolvitur.

Nomen *permissionis* quod in nostro hic sensu cum nomine *receptionis* vix non idem est, varie accipi potest, nam quædam dicitur permissio facti, quæ consistit in mera negatione impedimenti vel operis, quo possit efficaciter pediri actio alterius, seu quando hoc vel illud non impedio, quod impedire possum, licet non tenear, & talis est permissio, qua Deus peccata permittit, quia licet possit impedire de facto, ne fiant, non impedit tamen, nec vult impedire, sed permittere, ut fiant; ita & leges consensu vel authoritate recipiuntur, quarum summa sæpe injuriam portat, ut axioma commune asserit. Dixi: *quo possit efficaciter impediri.* Quia quandoque λῆ *permissio* valde abusive sumitur, uti, cum jocando dicimus: *permitto, ut pluat.*

Quotuplex sit permissio?

Quædam est permissio juris, quæ consistit in negatione prohibitionis; & hæc duplex est: alia *negativa*, & consistit in mera negatione præcepti & prohibitionis, quando non præcipitur, nec prohibetur, quod per se malum non est, neque ut tale prohiberi potest, qualiter permissi dici possunt actus indifferentes ut tales, vel saltem quando lex præcisive se habet, actum tamen non facit honestum, licitum aut impunibilem; quæ proinde & consensu & usu recipiuntur. Quemadmodum ante LEGEM POMPE-

JAM

JAM nulla de parricidio lege cautum fuit, ob id tamen occidere parentes licitum vel impune fuisse, non est credendum. Alia est *positiva*, quæ firmatur aliquo decreto vel voluntate Legislatoris; hujusmodi permissio subdividitur primo in *potestativam*, quando Legislator permittit actum jure naturæ quidem liberum, per jus tamen positivum impedibilem, dando jus eundem libere ac licite exercendi, uti Jus Gentium mihi permittit capere feram. Sic & Lex 12. Tab. permisit cuilibet Civi Romano Patri-fam. testamenti factionem, & ut Parentes possint testamento liberis suis impuberibus dare Tutores. 2do in *pure permissivam*, quæ est circa actus illicitos, per quam conceditur tantum impunitas inter homines, & alio nomine vocatur *permissio impunitatis*; veluti quando Lex 12. Tab. permittit occidi furem nocturnum, atque hæc indulgeri quandoque potest propter spem majoris boni, quomodo Ecclesia permittit Judæos vivere suis ritibus, quia sperantur eo facilius ad religionem Christianam traducendi. *a*) vel ad evitandum majus malum, sicut de Jure Civili fuit permissus Concubinatus. His addunt multi Theologi permissionem *dispensativam* etiam quoad culpam, & hujus exemplum constituunt in polygamia in lege veteri Patriarchis indulta. P. Krimer superaddit *b*) permissionem *coadjuvantem*, cujusmodi nominat illam, qua Ecclesia permittit Clericum plecti juste a Judice Laico, eum degradando. *c*)

Quomodo Permissio positiva subdividatur.

Declaratur exemplis.

a) Can. Qui sincera. 3. Dist. 45.

b) Tom. I. d. Canon. tit. 2.

c) Juxta Canon. Degradatio. de pœnitent. in 6.

§. II.

Permissio simpliciter posita intelligitur plerumque de actibus malis vel saltem indifferentibus maxime quando Deo tribuitur, quandoque tamen etiam in bonam partem accipitur, prout sumpsit Apostolus *a*) inquiens: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum Imperium.* id est: permittendo, non præcipiendo; loquitur autem de actu matrimonii, qui malus non est. Interdum vice versa verbo *præcipere* permissio significatur, ut in text. *b*) ibi: *Qui casu partem digiti sibi absciderunt, aut aliquid facientes se non sponte percusserunt, Canones NB. præcipiunt Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici.* Quod Glossa interpretatur per λῃ *permittunt*, atque ita accipi debere probat ratio subjecta, scilicet: *in istis casus veniam meruit.* Eodem modo locus *c*) in quo dicitur: *Apostolos præcepisse secundas nuptias propter incontinentiam hominum*, explicandus est de permissione; certum siquidem, secundas nuptias non præcipi, cum nemo ad illas obligetur, itaque recte λῃ *præceptum* pro boni evenientis permissione interpretamur, neque enim secundis nuptiis labes aut malitia inest, id quod il-

Quo sensu in textibus accipiendum verbum Permissionis?

lud S. Hieronymi ostendit, *d) Ego nunc libera voce proclamo: non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere.* Post quæ, λη *recepta* idem supponit, nempe rem tolerandam usu aut consensu recipere.

a) I. ad Corinth. 7.

b) Can. Qui partem. 6. Dist. 55.

c) in Can. Hac ratione. 9. Caus. XXXI. q. I.

d) Can. Aperiant. Caus. XXXI. q. I.

§. III.

Permissio pure negativa præcepti affirmativi vel negativi non cadit sub legem proprie permissivam. Ratio 1ma.

Permissio pure negativa præcepti affirmativi vel negativi non cadit sub Legem proprie permissivam, quia 1mo, ad inducendam negationem præcepti frustra esset ferre aliquam legem; satis enim est, non existere legem prohibentem. 2do, Hæc pura omissio prohibitionis vel præcepti est carentia juris: ergo lex volens talem permissionem, intenderet carentiam juris, adeoque nec ipsa posset esse lex, nec jus faceret. Ut enim lex ferri possit, necesse est, ut ejus effectus sit in potestate legislatoris; at vero actus permissionis pure negativæ, qui non possunt prohiberi vel præcipi, non sunt in potestate Legislatoris: per consequens nec super illis ferri potest lex, eo quod non dependeant a voluntate Legislatoris etiam indirecta, sed ex se sint tales. 3tio, Ejusmodi negatio legis nullam proprie habet causam, sed ex se talis actus eo ipso est permissus, dum non prohibetur; sicuti negatio essendi, quæ intelligitur in re possibili nunquam futura, non ex Deo, sed ex se habet, quod sit nihil, quia illa nihil est, nisi creetur *a*). ita etiam actus ex eo præcise, quod non prohibetur, nec præcipitur per legem, non habet a lege, quod sit permissus, sed id habet ex se, & idem ex se habet quod non recipiatur.

Ratio 2da.

Ratio 3tia desumitur a paritate.

a) Conf. P. Hörmonseder. in Theolog. natur. q. 43. de Ente possibili.

§. IV.

Ad legem proprie permittentem requiritur positiva voluntas Legislatoris.

Recte igitur censuit Fabri *a*) illas esse leges proprie permissivas, quæ dant facultatem quid agendi, aut saltem impunitatem exercendi actiones, quæ alias fieri non possent, nisi permitterentur. Itaque requiritur ut id genus permissionis firmetur Decreto aliquo positivo & voluntate Legislatoris *b*) Et de tali lege fere prædicatur illud, quod notat. Fabri cit. loc. ibi: *cum lex aliquid permittit* (scilicet positive) *imperat.* permittit enim imperando, prout Paulus JCtus diserte respondit: *c*) Legem *Falcidiam esse latam, quæ primo capite liberam legandi facultatem dederit usque ad dodrantem.* Jam vero dare est actus positi-

ſitivus, qui ex nuda negatione ſequi non poteſt; attamen lex Falcidia non eſt præceptiva directe, ut enim talis eſſet, deberet obligare illum, ad quem dirigitur, quod non facit Lex Falcidia in d. primo capite; quia nemo eodem jubetur legata relinquere, aut pro Legatariis dodrantem bonorum aſſignare, ſed cuilibet intra dodrantem legandi libera facultas relicta eſt. Atque id ipſum negationi nequit attribui tanquam a permiſſione toto, quod ajunt, cælo diſtinctæ, prout colligitur ex Ulpiani verbis: d) *Quæ clauſula non illud pollicetur reſtiturum, ſi leges permittant; ſed ſi leges non prohibeant.* Quæ ſatis innuunt, aliud eſſe permittere, aliud non prohibere. Hinc etiam deducit FABRI ad d. Legem brocardicon illud: *Omnia illa ſunt per legem permiſſa, quæ non inveniuntur prohibita*, verum quidem eſſe in legibus prohibitivis, quas ferri neceſſe eſt circa res cæteroquin permiſſas, non etiam in permiſſivis, quæ feruntur ſuper rebus, quas alioquin facere non liceret: & exemplum ponit in legibus latis circa hæreditates ſive teſtamentarias, ſive legitimas, *Inſtit. quib. non eſt permiſſ. condere teſtam.* quoad has, inquit, obtinere regulam: *Quidquid permiſſum non eſt, perinde illicitum eſſe, acſi eſſet prohibitum;* eo quod nulla prohibitione ſit opus, ubi ſufficit non permiſſio. Sic itaque ſi quæratur, cur hodie naturales non poſſint hæredes inſtitui extra caſum *L. fin. Cod. de natural. lib.* nec ſuccedere ab inteſtato extra caſum *Auth. Licet. Cod. eod.* neque rurſus deportati, peregrini, & ſimiles? non convenit reſpondere: quia ſunt prohibiti, ſed quia non ſunt permiſſi. Ita Laudatus FABRI:

Senſus Axiomatis: Ea eſſe permiſſa, quæ non ſunt prohibita?

a) ad L. 7. ff. de LL.

b) Suarez de LL. Lib. I. cap. num. 8.

c) in L. 1. ff. ad L. Falcid.

d) in L. 28. §. quod ejus. 2. ff. quib. ex cauſ. maj. in intergr.

§. V.

Dubium videri poſſet: an ejuſmodi diſpoſitio Legiſlatoris actum permittentis inter ſpecies legis collocari poſſit? cum effectus cujuscunque legis in eo conſiſtat, ut inducat obligationem, ideoque pro recepta aut recipienda habeatur, hic autem effectus quaſi repugnet Diſpoſitioni Permiſſivæ. Accedit, quod Lex debeat eſſe regula actuum juſtorum; actus vero qui fiunt juxta legem permittentem non ſint juſti; quis enim uſuras lucratorias, concubinatum, cædem filiæ adulteræ cum adultero a patre factam dixerit eſſe actus juſtos? At cum Modeſtinus a) perinde legis virtutem in eo, quod permittit, ſtatuat, ſicut eidem attribuit, *imperare, vetare, & punire;* per conſequens inferre licet, quod ſicut in reliquas ſpecies Lex dividi poteſt, ita etiam diſpoſitio legis, per quam permiſſio conceditur, recte inter ſpecies legis referatur. Et vero tametſi lex

An Lex poſitive permittens ſit Lex proprie dicta? ideoque pro recepta habenda.

permittens non obliget eum, cui favet, obligat tamen tum judices, ne in illum, qui actum a lege permissum exercet, animadvertant, tum reliquos, ne quenquam actum a lege permissum exercere volentem impediant, quem effectum quoque consequitur is, qui facit actum in se bonum lege facultatem ejus exercendi concedente, quod tamen intelligendum de illis, qui permittentis sunt subditi; alias enim eos lege sua alteri quid permittente non posset obligare, cum nulla detur jurisdictio in non subditum. Sufficit igitur ad rationem legis, quod leges permittentes habeant latenter admixta præcepta, sine quibus non posset intelligi permissio, ut specialiter decreta per Legem. Nec refert, quod hujusmodi Leges non ferantur per verba præceptiva satis enim est ea subintelligi. Sicut nec ob id minus justæ sunt, quod earum objectum remotum sit actus malus; siquidem materia earum proxima scilicet permissio, mala & injusta non est, cum honestum sit minus malum permittere, ut majus evitetur.

Quid sufficiat ad rationem Legis?

Objectum Legis permittentis malum non est.

Dixi: Objectum remotum esse actum malum, puta ut operabilis est, non autem sub ratione permissibilis. *b*) Neque dixeris: Peccatum esse effectum Legis permittentis, quod eam sequatur executio peccati permissi, quia tametsi Lex præcipiens, vel prohibens malum per se quoque influat in actum bonum, vel omissionem mali, hoc enim eo fit, quod utraque quantum potest inducendo per se intendat positionem boni, vel omissionem mali; aliud tamen est in Lege permittente, quia illa nec intendit peccatum, nec illud inducit positive, nec præbet activam occasionem illius, sed impedit majora mala.

a) in L. 7. ff. de LL.

b) Suarez in Tract. de LL. L. I. cap. 9. num. 6.

§. VI.

Distinctio Puffendorffii inter Permissionem plenam, & minus plenam

Probatur & aliis Authoritatibus

Matrimonium [illegible]modo [illegible]ur [illegible]

Hanc permissionem, quæ *impunitatis* vocatur, PUFFENDORFF. *a*) permissionem minus plenam nuncupat, vi cujus actus tantum agenti transit impunitus; illam vero quæ liberam & honestam pro utroque foro licentiam agendi tribuit, Legem permissivam plenam appellat. Neque hæc Legis permissivæ divisio caret authoritate, nam D. THOMAS *b*) inter varios permissionis modos reponit & illum, quo minus bonum relicto meliori permittitur; prout matrimonium respectu Virginitatis, cujus status est melior, permittitur, quod de permissione mere negativa intelligi non potest, siquidem Lex non tantum non illud prohibet, sed dat positivam facultatem, seu jus ad illud non nisi propriæ voluntatis electione adimendum, multisque condecorat prærogativis Confirmatur id quoque authoritate ISIDORI, qui de Lege permittente sic ait: *c*) *Omnis Lex aut permittit aliquid; ut vir fortis præmium petat, aut vetat &c.* præmium vero non petitur, nisi ob rem bene & laudabiliter gestam, eamque petitio-

titionem Lex non tantum negative permittit, sed dat operanti speciale jus ad postulandum tale præmium, ad cujus consequendi spem vigore virtualis promissionis Lex virum bene meritum exstimulat, & simul imperium in Republica obtinentem obligat ad dandum tale præmium viro forti, quando secundum Legem petit, & nihil adest, quod rationabiliter impediat. Atque hoc modo inquit SUAREZ, Lex concedens favorem, quando non præcipit illum acceptare, sed in operantis arbitrio relinquit, eo uti, vel non uti, permissiva dicitur, quamvis non tantum negative disponat, sed aliquid positive concedat. Recte igitur Lex permissiva in plenam & minus plenam dividi potest, sive in eam, quæ est simul concessiva *liceitatis* actus; & in illam, quæ tantum *impunitatis* est.

Admittitur distinctio Pufendorffii.

a) De Jur. Nat. & Gent. Lib. 1. cap. 5.

b) in 4. Dist. 33. q. 21. art. 2.

c) Dist. 3. Can. 4.

§. VII.

Actus permissi in jure sæpe confunduntur cum licitis.

Apparet ex Dictis; objectum remotum Legis permittentis in posteriore significatu acceptæ esse actus in se vitiosos, qui tamen partim intuitu humanæ fragilitatis, vel ob bonum commune societatis humanæ impuniti relinquuntur, ac propterea tales actus quandoque in jure civili dicuntur liciti; *a*) unde HUGO GROTIUS, dupliciter aliquid licere indigitat, *b*) *primo: Quod rectum ex omni parte plumque est, etiamsi quid fieri possit forte laudabilius; alterum, quod salva pietate & officiorum regulis fieri non potest, sed quod apud homines pœnæ non subjacet.* Atque eodem sensu locutus est Cicero pro Cornelio Balbo: *Est aliquid, quod non oporteat, tametsi licet; quidquid vero non licet, certe non oportet.* Quamvis ad hunc sensum licitum capiatur minus proprie, quia, quod ita licitum dicitur, ipsis veræ justitiæ regulis adversatur, vel saltem non ex asse convenit, & Leges humanæ, per quas liceret actus hujusmodi, neminem in foro conscientiæ securum reddunt. Nec unquam potuerunt jura Civilia immunem culpa præstare agentem actum per se malum, sed ad summum potuerunt non admittere contra illam accusationem, aut litem, aut pœnam. Unde hanc inter Legem *disponentem* ac *permittentem* differentiam statuunt DDres, quod illa, si sit justa in foro externo, sit & justa in foro interno, adeoque in foro Poli præstet securitatem, nisi sit lata ex præsumtione, quæ in foro interno cessaret; hæc vero hunc effectum non operetur.

Dupliciter aliquid licere dici potest.

Differentia inter Legem disponentem, ac permittentem.

a) in L. 42. ff. de R. J. ibi: in conjunctionibus non solum, quid liceat, considerandum, sed & quid honestum sit.

b) De Jur. B. & P. lib. 3. cap. 4.

Sola honestas Legalis pro foro poli non sufficit

Jurisprudentia Civilis intendit facere bonum Civem.

An etiam bonum virum?

§. VIII.

At quomodo, inquies, conveniunt hæc cum effato Juris Consulti: *a) Justitiam colimus, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, sed etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes. Resp.* Hæc omnino non pugnant. Verum enim est, quod Jurisprudentia Civilis intendat bonos facere justitia & bonitate legali, quæ est virtus inclinans ad observantiam omnium Legum in ea republica, in qua quis degit, ad salutem publicam ordinatarum; non item bonitate, quæ inclinet ad inducendam conformitatem cum omnibus Legibus Divinis etiam circa actus mere internos versantibus; ad quos justitia Legalis, quæ est finis Jurisprudentiæ civilis, se non extendit, quia nec potest judicare de internis, qua ratione dixit Ulpianus: *b) cogitationis pœnam nemo patitur.* Proindeque tantum respicit illos actus, qui ex mente Legislatoris ordinantur ad tranquillitatem publicam, adeoque multa dissimulat ac tolerat, ac tolerando recipit quæ justitiæ, Universali repugnant, uti sunt: concubinatus, usuræ lucratoriæ, præscriptio cum mala fide &c. non alio ex fine, quam quod Legislator ea, quæ ad justitiam universalem pertinent, ad obtinendum suum finem ultimum, qui est salus reipublicæ, in Leges præceptivas redigi non judicarit esse necessarium.

a) L. 1. ff. de Just. & Jur.

b) L. 18. ff. de pœnis.

Transitio ad cap. 2.

Ex dictis non obscure deducitur Juris permittentis, consequenter & Recipientis necessitas, de cujus nimirum Legis permittentis *in genere* spectata *natura, definitione, divisione, objecto, & effectibus*, satis, ut opinor, in hoc Cap. per octo §§. actum est. Nunc tandem in altero Cap. ac sequentibus triginta tribus §§. ea, quæ, quid *in specie de Diversarum Religionum Tolerantia ac receptione in eodem territorio* salvo cujuscunque jure, nec non justo & æquo salvo veraciter statuendum, & candide sentiendum sit, innuere possunt, quantum fieri potest, brevissime persequar, hoc ut exequar, sit.

CAPUT II.

De Tolerantia ac Receptione in specie Diversarum Religionum in eodem Territorio.

Asseritur de regula prudentiæ & de antiquo

§. I.

Quanquam in aprico sit, quod sanior Politia pluralitatem Religionum in Republica non facile debeat, aut possit admittere, sed omni studio ante omnia conan-

conandum sit, ut vera, eaque unica Religio, & unanimis recte Deum colendi formula sarta tecta servetur, quo dissensionum & motuum civilium omnis ansa præcludatur, quas nulla magis fax accendit, quam Religionis diversitas, unde Civitates concuti, & lacerari regna necesse contingit, dum quisque pro Religione sua movetur, & movet; nihilominus tamen dantur quoque rationes, quæ plurium Religionum in una Civitate permissionem & receptionem exigant; cujusmodi foret, si plus mali ex eliminatione, quam ex earum tolerantia secuturum prudenter prævideretur, tunc enim veræ politicæ regulis consentaneum, ex duobus malis minus eligere.

jure non nisi unam religionem esse fovendam

Posse tamen exigentibus circumstantiis in eodem Territorio unam se qui, & unam alteramve tolerari.

Non igitur sine ratione primum quidem Carolus V. & Ferdinandus I. Cæsares cum Statibus Protestantibus Transactionem Passaviensem & Anno 1555. Pacem Religiosam Augustæ Vindelicorum concluserunt, quemadmodum Ferdinandus III. Imperator post tot annorum bella, & vastatam penitus Germaniam, ad avertendam hanc ærumnosam sortem, pacem vidit necessariam, licet pœnitendam. Confecta est ea die 10. Junii, Anni 1648. Cum Rege Galliæ Monasterii Westphalorum, Romano Pontifice, & Venetis intercedentibus; cum Suecis vero Osnabrugæ, Cæsare & Imperio coactis cedere exteris hostibus Sueco & Gallo post tricennale bellum tot urbes, ditiones, & vix non integras provincias, cum gravissima circa Antiquam Religionem immutatione. Sunt quidem, qui remissius egisse Carolum V. arguant, utpote qui Lutherum, cum sub publica fide in Wormatiensem consessum venisset, intactum dimiserit, & armis fractos Protestantium Duces clementius habuerit, sed petulantis calumniæ potius arguendos censeo ignaros rerum illos, qui nascentia tunc mala reipublicæ extinguere quasi per mollitiem neglecta, increpare contendunt; at ignaris rerum proclive est inconsulta loqui. Viderat etenim Princeps ille & sapientissimus, nec non Antiquæ Religionis fidelis ac strenuus assertor non omnia, quæ cum justitia vellemus, pari felicitate terminari. Terruerat exemplum damnati per Constantiense Concilium Joannis Hussi, & quod millium sanguine hujus combusti cineribus fuerit parentatum, nec componi potuisse tantos motus, priusquam Concilium Basiliense non flammis, sed lenitate efferatos mitigasset. Et si quæ ejus culpanda foret actio, esset ea fortasse, quod fuso Joanne Friderico Saxoniæ Electore, captoque Philippo Hassiæ Landgravio, quasi nimium securus militem omnem dimiserit, ut Oeniponte sedens enermis eventum Tridentini Concilii expectaret, nec non Mauritio Joannis Friderico Agnato, in quem Electoratum Saxoniæ transferebat, gerendi contra Magdeburgenses belli summam minus caute commiserit. At vero quis divinasset Augur, Mauritium tam recenti Electoralis in se dignitatis beneficio devinctum, ex fidissimo Cæsarearum Partium Duce acerrimum mox hostem evasurum? cum Rege Galliarum Henrico I. (alii melius scribunt Henricum II.) coiturum in fœdera? &

Transactio Passav. & PaxReligrationabiliter inita.

Ubi quibus cum & quibus intercedentibus confecta sit Pax Westphalica?

Carol. V. ab ignaris rerum immerito traducitur;

A quorum assertione & somniis vindicatur.

In quo tamen forte culpandus?

Mauritii Electoris contra Cæsarem molitiones.

& eodem, quo indictum est die, imparato Cæsari ac Domino suo inauspicata proprio adjuncto milite arma illaturum? Ast hæ vicissitudines fuere rerum humanarum, nec semper providum esse, & sapere ulli mortalium concedunt. Quocunque demum modo factum sit, vere dici potest, victoria & occasione tunc gnaviter usos fuisse Protestantes, ubi ancipiti bello, & a vicinis naufragante Antiqua Religione in Germania, tabulas regionum piscari solitis, & a diversis junctis exercitibus pene obrutum, ac circumventum Cæsarem ad pacis & compositionis consilia proniorem fecit præsentis imago periculi, & ipsi in secundis armorum suorum successibus spe consequendi ea, quæ alias ab armato frustra exspectassent, confidentius, quæ cuperent, in Pacis articulos referebant. Et vero metam votorum suorum sunt assecuti liberationem duorum Captivorum Joannis Friderici, & Philippi Hassiæ Landgravii, liberam religionis suæ exercendæ facultatem, eorumque bonorum Ecclesiasticorum, quæ ad immediatos Imperii Status non pertinent, neque ad Ecclesiasticos tempore factæ Transactionis pertinuissent, retentionem, Jurisdictionis Ecclesiasticæ, salvo tamen decimarum, Censuum & Feudorum jure, erga se, suosque Augustanæ Confessioni addictos suspensionem usque ad finalem Religionis compositionem, sive per generale, sive per nationale Concilium adnitente Cæsare procurandam. Catholicis vero præter cautionem mutuam de non offendendo, & restitutionem eorum, quæ per istos motus amiserant, præstitam, nec non Reservatum Ecclesiasticum: vulgo dicitur der Geistliche Vorbehalt (quem articulum Ferdinandus I. ex potestatis plenitudine decidit) nihil favoris tributum est. Hæc summa Transacti Passaviensis per Recessum Imperii Augustanum, qui Religiosæ Pacis nomen habet, confirmati; sed cum his non acquiescerent Protestantes, & sub Reformationis titulo plus ultra hinc inde progrederentur, & quotidienis Catholicorum querelis aures Cæsaris Ferdinandi II. fatigarentur, is confecto bello Bohemico Victor, adeoque jam liberior sibi Pacis Religiosæ interpretandæ Imperatorium sumpsit arbitrium, promulgato de restituendis bonis Ecclesiasticis post Passaviensem Transactionem ademptis, quod tricennalis belli potissima causa fuit; ut & ipsum, postquam Suecorum contra Cæsarem copiis Augustanæ Confessioni Addicti per Germaniam sese conjunxissent, & post Nordlingensem cladem Suecis vix non exitiosam etiam Galli accessissent, Cæsaris & Catholicorum non minus, quam Augustanæ Confessioni addictorum vires vehementer attrivit, donec & hos & illos tam diuturni belli, quo nihil aliud agi videbant, nisi ut invitati hospites Germaniæ jugum imponerent, pertæsos Pax Osnabrugo-Monasteriensis rursus univisset, sed conditionibus ex parte Catholicorum multo, quam ante durioribus, cum non tantum bona, quæ Protestantes post Pacem Religiosam occuparunt, tum immediata, a) tum mediata, b) in eorum manibus permansere, termino restitutionis in Ecclesiasticis, & quæ intuitu eorum in politicis mutata sunt, in diem primam Januarii Anni supra millesimum sexcentesimum vigesimi quarti rejecto. In quo-

Quies publica Germaniæ est finis Pacis Religiosæ.

Protestantium ad Concilium generale, vel nationale provocatio.

Querela Catholicorum adversus Protestantes de fracta pace religiosa.

Regis Sueciæ ad partes Protestantium accessio.

Rex Galliæ contra Cæsarem.

Annus Decretorius, sive restitutionis & re-

quorum numero fuere Archi-Episcopatus duo: *Magdeburgicus* & *Bremensis* in formam Ducatuum redacti. Episcopatus sex: *Verdensis*, *Halberstadiensis*, *Mindensis*, *Caminensis*, *Suerinensis*, *Ratzeburgensis* dicta Pace quoque sæcularizati, in quam sortem pariter venit Abbatia Hirsfeldensis Domui Hassiacæ Casselensi sub Principatus titulo relicta, præter quinque alios Episcopatus jam ante ab Antiqua, & Christiano-Catholica Ecclesia tractos ad fiscum, quorum in Saxonia tres: nimirum *Misnensis*, *Merseburgensis*, & *Numburgensis*; In Marchia duo: scilicet *Havelbergensis*, & *Lebusiensis* recensentur, cum innumeris sparsim Abbatiis, Prælaturis, Monasteriis &c. *c*)

spective retentionis bonorum Ecclesiasticorum normalis 1624. d. 1. Jan.

a) Instr. Pac. Westph. §. Bona Ecclesiastica 14. Art. 5.

b) Cit. Art. 5. I. P. W. §. 25. & 26.

c) Gotthelff. Struv. Syntagm. Jur. Publ. cap. 18. §. 16.

§. II.

In Imperio Romano-Germanico exercitium primo duarum; Deinde trium Religionum Lege publica stabilitum. Sub certis tamen conditionibus.

Post hæc vigore Transactionis Passaviensis, & subsecutæ ita dictæ Pacis Religiosæ duntaxat Antiqua Romano-Catholica Religio, & ea, quæ Augustanæ Confessionis nomen sibi indiderat, in Imperio Romano-Germanico exerceri poterant. Pax vero Osnabrugensis *a*) Suecis inter reliquas conditiones Pacis ita desiderantibus etiam tertiam adjunxit, videlicet Reformatorum sic dictam, a Calvino conceptam cum Protestantibus aliis exæquatam, ita ut quidquid juris aut beneficii, tum Pax Religionis, & Westphalica cæteris Catholicis, & Augustanæ Confessioni addictis Statibus, & subditis tribuunt, id etiam sic dictis Reformatis competere debere receptum venieret; & quia Aug. Conf. addicti jus reformandi plenum Reformatis controversum fecerant, ratione hujus transactum reperitur, ut si quis Princeps, vel alius Territorii Dominus, vel alicujus Ecclesiæ Patronus posthac ad alterius Partis Sacra transierit, aut ditionem aliquam, vel jure successionis, vel Pacis Westphalicæ, aliove titulo acquireret, posset quidem exercitium Religionis suæ citra subditorum onus, & præjudicium in residentia sua habere, non tamen ibidem immutare publicum prioris Religionis ad Annum Normalem exercitium, neque reditus prioribus adimere, & suorum sacrorum hominibus applicare, vel sub prætextu Juris Episcopalis, aut Patronatus, subditis Ministros alterius Confessionis obtrudere.

a) Instrum. Pacis Cæsareo-Suecicæ Osnabrug. Art. VII. *Unanimi quoque Cæsareæ Majestatis, omniumque Ordinum Imperii consensu placuit, ut quidquid juris aut beneficii, tum omnes aliæ constitutiones Imperii, tum Pax Religionis, & publica hæc Transactio, in eaque decisio gravaminum, cæteris Catholicis, & Augustanæ Confessioni addictis Statibus & subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.*

§. III.

Imperator & Status Cath. immerito traducuntur, quod iniverint Transact. Passav. & P. W.

Fuerunt tamen rerum ignari, qui non minus Transactionem Passaviensem, quam Pacem Westphalicam acri stylo insectati sunt, quod nempe Imperator & Catholici visi fuerint approbare ea, quæ Aug. & Reformatæ Conf. dogmatibus concedebantur, neque fas ajebant fuisse, Imperatorem ac Principes Imperii attribuere sibi potestatem in sacra, & bona Ecclesiastica sibi non competentem, eademque Aug. Confess. relinquendo, involare.

Hos tractatus rationes ponderosissimæ exigebant

Verum quam immerito Majestas Cæsarea, & Catholicæ Religionis Status utriusque Pacis nomine sic permittente Deo coarctati fuerint, nemo non eorum, qui istorum temporum, quibus utraque pax conclusa fuit, notitiam habuerit, facile animadvertet.

1ma Ratio est: quia Nervus bellorum gerendorum defuit Carolo V.

A duobus potentissimis hostibus invadebatur Carolus, alter jam occupatis Alpum jugis imminebat cervicibus: alter ut omnes a Belgio suppetias arceret, Germaniæ sese visceribus cum validissimis copiis torrentis instar infuderat. Deerat miles, nummus, arma, commeatus, Vicini Protestantibus fœderati ab omni parte infesta moventes arma distractam urgebant Hispaniam, quo minus Principi periclitanti succurreret. Catholicorum in Germania nullus, qui vel copias mitteret, vel quas haberet, ne ipse domi obsideretur, ad justum exercitum contrahendum dimittere auderet. Si quid Copiarum Ferdinandus Frater in armis alebat, ex Hungariæ finibus adducere id perinde fuisset, ac vigilantibus ad invadendam Hungariam Christiani nominis hæreditariis inimicis Turcis nudum latus exponere. Viderint cuiquam prudens potuisset Carolus Imperator? si rerum statu tam turbido atque ambiguo inermis ipse se suosque hostium ensibus objecisset, & non potius Pacem licet duram fuisset amplexus? ubi nisi hoc medium placuisset, & suam & Antiquæ Catholicæ Religionis incolumitatem in præceps dedisset. Æquus rerum contemplator ex una parte hæc ponat ad stateram, in altera ponderet, quid pro pace redimenda admiserit pientissimus Princeps; reliquit nempe, id unice anhelantibus Protestantibus Confessionis novæ exercitium, reliquit ea bona, quæ jam occupaverant. Verbo: permisit, uti sane res ipsa accipi debet, quod impedire amplius non poterat, id est: suo more circa normam credendi agere salva cæterum per omnia Religione Catholica.

2da Ratio fuit, bonum proprium, & religionis.

Minus malum permittendum, ... majus ...itandum.

Quid, quæso, in eo mali est? multa facere malum est; ferre, cum mederi non possis, malum non est. Stat generalis conclusio: permittendum est minus malum, ut evitetur majus, quando evitare utrumque non est possibile. a) Mala facere, ut bonum eveniat, fateor, non licet: at pati, quæ prohiberi

amplius

amplius non possunt, vetitum non reperio, multo minus alium rem agere sinere, cum impedire non possis. *b*)

a) Confer. supr. cap. 1. §. 5. circa fin.

b) add. Becan. L. V. Mannual. Controv. cap. 15. p. 719.

§. IV.

Eadem & longe gravior ursit ratio pro Ferdinando III. acceperat, uti compertum est, gloriosissimus hic Princeps a Patre una cum sceptro gladium, Imperium scilicet gravissimis malis belloque implicitum & cum externis & cum domesticis hostibus, scissum dissensionibus, tot belli cladibus lacerum, exercitum destitutum auxiliis, quin & insidiis imminutum, ære, milite, imo & incolis aut fuga dilapsis, aut cædibus, inedia, aut vario morborum genere confectis; exhaustum jam torcular calcaverat, id est: molem belli sustinuerat solus, omnibus aliis Catholicis Principibus aut gementibus, aut oneri imparibus. Illud supererat extremum, aut in Decretoriam certaminis aleam totam Antiquæ Christianæ Religionis suamque fortunam conjicere, aut relinquendo Protestantibus ea, quæ post Pacem Religiosam occupaverant, de rerum summa pacisci. Si prius libuisset, cadente infeliciter alea prælii, prædominante tot utique hostium numero, Catholica Religio luguberrimo & proxime obvio propinqua fuisset exitio; Si vicisset, aut in solitudinem redigere debuisset Germaniam, si nullos pati voluisset Protestantes, aut si terram incolis non vacuam maluisset. quia jam altiores egerat radices Antiquæ Religionis tædium, avulsi Ecclesiarum thesauri & inveterata jam dum dissentiendi libertas, quam ut evelli posset, cum post omnia, tamen indulgendum id fuisset, propter quod, ne fieret, jam tot annorum bello fuerat decertatum. Bona profecto Ecclesiis adempta, & ab Aug. Conf. addictis jam tum occupata, quorum in iis temporum circumstantiis recuperatio difficillima, & vix non desperata habebatur, tanti non fuere, ut propter ea vindicanda non tantum Cæsar, & Catholici se totos in proximum, quod supererat præcipitium sinerent agi, sed & Avitam Religionem Catholicam totam in præsentissimum, & inevitabile adducerent periculum. Prudentis nempe est, ubi res integra servari non potest, operam dare, ut prospiciatur incolumitati ejus, quod est principalius; sic enim ubi quis de bonis fortunæ, ac de vita periclitatur, vitam redimit jactura bonorum; si alterum, id est: aut corporis, aut animæ salus naufragetur, ut animam salvet, corporis integritatem ac salutem prodigit. In dicta pace agebatur, aut de bonis quarundam Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum in Protestantium manibus relinquendis, aut de multis animarum millibus, quæ, si iidem armis superiores mansissent, ad eorundem opiniones & sacra pertrahendæ prævidebantur, aut blanditiis

Turbulentus Imperii Status sub Ferdin. III

Ejusdem motiva ineundæ pacis.

Traditur quædam regula prudentiæ.

Quid actum in Pace Religiosa.

Saluti animarum omnia bona temporalia post ponenda.

tiis cessuræ, aut violentiæ. Dic Sodes! utrum horum dignius, & cujus conservationi magis intendendum? utique animarum conservationem bonorum, sine quibus Ecclesia stetit, àc stare potest, jacturæ anteferendam judicabis. Siquidem ipse Salvator mortalium mortem obiit non pro muris ac bonis, ut ditaret Ecclesias, sed pro animabus, ut eas sibi lucrifaceret, quantumque sit animæ unius pretium, Evangelico declaravit aphorismo: a) *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Præstitit ergo juxta prudentiam sacram & prophanam sinere, ut bona temporalia ad tempus avellantur, quam ut tot animarum millia cum Religione in portu non collocarentur; interim solius Dei est, illa in tempore restituere quæ in tempore novari permiserat.

a) Matth. 16. vers. 26.

An Imp. & Cath. Status ineundo Pac. Relig. usi sint potestate sibi non competente? Respondetur ad obj. ex querela Pauli III. Pontif. contra Pacem Religiosam. Cæsaris & Catholicorum Principum prudens factum.

§. V.

Nec dici potuit Cæsarem ac Catholicos Principes ita paciscendo fuisse usurpatores potestatis sibi non competentis, aut ut Paulus III. Carolo V. Imperatori exprobrasse legitur, *falcem in alienam messem immisisse.* Siquidem tam in Pace Religiosa, quam Westphalica bona Ecclesiarum non tam data, quam permissa sunt, adeoque jure Advocatiæ, vi cujus Ecclesiæ bona, ejusque jura tueri obstringitur Imperator, hic & nunc se non usurum, sicut eo rerum statu, tot hostibus ejus domum ab omni parte unice prementibus, revera eo uti non potuit, fide data promisit, quæ promissio non tantum licita fuisse dicenda est, sed & temerarius audiisset, si defendendo bona Ecclesiæ caduca, insimul quod de Antiqua Religione supererat, hanc impulisset in casum. Imo si minus remedio pacis tempestatem armorum, ob copiam hostium undique immane quantum insurgentem, & secundis successibus audacem, Cæsares & Catholici Principes avertissent, imprudentissime vel ex hoc capite sibi consuluisse viderentur; quoniam Pace, ut factum est, inita, quædam duntaxat bona sunt permissa; ubi si ancipiti aleæ Martis rem decidendam commisissent, & obstinassent urgere fortunam armorum toties adversam, in periculo fuissent perdendi omnia; per consequens ratio postulabat, ut potius ista jam absque hoc occupata in manibus Protestantium relinquerent, & reliqua beneficio Pacis conservarent; cum Pax ipsa futuram desuper Dei omnipotentis dispositionem toties desideret, per verba P. W. *donec de religione aliter conventum fuerit;* ac de *suspensa*, & non de *sublata*, jurisdictione Ecclesiastica agat.

Num ad valorem Pacis Relig. uti & Westph.

Quod si ob requisitum Ecclesiasticum consensum Transactionem hanc ratam non habendam dixeris; Ajo: hunc in iis, quæ vitari non possunt, frustra requiri, in propatulo esse. Elucescit autem ex supradeductis, (§. IV. per tot.) tempo-

tempore dictarum Transactionum, nisi Augustanæ Confessioni addictis quædam permitterentur, periculum bona omnia Ecclesiastica perdendi inevitabile fuisse, & si vel semel adhuc acie decretoria infeliciter fuisset dimicatum, videbatur conclamatum de summa rerum, & bona omnia, etiam ea, quæ usque ad eam diem Deo & Ecclesiæ tenebantur intactæ, fuissent in deperdito. Cui igitur bono Ecclesiæ authoritas, quæ causæ vulneratæ nullum allatura erat remedium? Lex necessitatis omni lege fortior est; in Canonibus dispensare non facile; in lege necessitatis coacte liberum est, atque hoc ipso, quod dispensationem admittat, necessitatis strictæ rationem amittit. Interim Romana Curia & circa regulas fidei, & quæ eo spectant, tum munus, tum authoritatem qua potentèr potuit, intemerate impendit. Nec erit dignus Zelotes, qui ex eo arguendos criminabitur Cæsares aliosque Episcopos & Status Catholicos, quod tot Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, Abbatias, Monasteria, aliaque permittendo in manibus Augustanæ Confessioni addictorum eisdem illicitum, aut spontaneum favorem præstitisse videantur, ideoque incurrerint excommunicationem BULLÆ: COENÆ DOMINI. Resp. Quam alienum sit hoc a vero, ex eo intelligi, quod neque in Pace Religiosa, neque Westphalica quidquam actum fuerit de veritate hujus, vel alterius Religionis, sed quidquid eo pertinet, ad generalis, vel nationalis Concilii cognitionem, ac definitionem fuit reservatum; cum tamen nulla ratio concordiæ in fidei doctrina initi posset, pax Protestantibus in Imperio, & unio duntaxat cum reliquo Imperii corpore permissa est, quæ in tanto rerum motu & convulsione Imperii tanquam maxime necessaria nec recusari, nec efficaciter corrigi potuit. Ideoque non occurrit, quomodo is, qui transigit, ut sua sarta tecta servet; qui permittit alium in possessione rei occupatæ, quam ei metu majoris imminentis mali relinquere cogitur, non turbare, ejusdem fautor haberi, eoque in censuram BULLÆ COENÆ: incidere mereatur? Neque reperitur, quod Papa Innocentius X. quamvis per Fabium Chisium Episcopum Neritonensem, qua Nuntium Apostolicum *a*) contra conclusa Pacis Osnabrugensis, & Monasteriensis per Bullam *b*), quæ incipit: *Zelo Domus Dei.* 20. Nov. 1648. sub decreto irritante editam fuerit protestatus, aut Ferdinandum Imperatorem, aut Episcoporum, vel Ministrorum quempiam, qui dictis Tractatibus manum applicarunt, censura Ecclesiastica perstrinxerit, quod haud dubie factum fuisset, si quem horum in re peccaminosa (quæ per liberum consensum tantum constituitur) versatum fuisse judicasset. Quod autem nihilominus contra utramque Pacem promulgari fecerit, quæ Summum Antiquæ Religionis Pontificem decet, protestationem, haud dubie eo fine factum est, ne quæ dictis Transactionibus in præjudicium potestatis & Ecclesiæ Apostolicæ, nec non Catholicæ Religionis gesta, pacta, atque Cæsaris, & Catholicorum Statuum coacto consensu, firmata aut potius vulnerata erant, aliquando ex eo capite in consequentiam trahi possent, quasi hæc præsente Apostolicæ Sedis Legato acti-

requiratur consensus Ecclesiasticus?

9. Negative & resolvitur objectio.

Necessitas non habet legem.

Objectio 2da contra præcedentem thesin.

Quæ diluitur.

Non est reprehendendus, qui transigit, ut sua sarta tecta servet. Innocent. X. Papæ contra Pacem Westphal. protestatio per Nuntium Apostolicum.

Affertur genuina ratio iteratæ protestationis.

tata probataque fuissent, sed ut eatenus tanquam res inter alios acta pro nullis haberentur.

a) Fabii Chisii, Episcopi Neritonensis, & Nuntii Apostolici iteratam protestationem contra Pacem Westphalicam, omnesque sanctiones in ea conditas in præjudicium Ecclesiæ Romanæ, & S. Sedis Apostolicæ, per extensum dedit ante annum ad calcem Dissertationis de Pacificationibus Imperii circa Religionem, Plur. Reverendus & Magnificus D. Doct. BARTHEL in hujate Universitate Sacrorum Canonum Prof. celeber.

b) Idem Bullam, quæ incipit: *Zelo Domus* DEI. Romæ promulgatam, pariter integram exhibuit cit. loc.

§. VI.

Alii quoque Reges Cath. cum Augustanæ Confessioni addictis de eorum exercitio addictis subditis tolerandis transfegerunt.

Interim tamen non sine exemplo, soli Imperator, ac Status Catholici cum Protestantibus de eorum exercitio addictis subditis tolerandis, ac bonis occupatis relinquendis conventiones iniverunt. Fecerat idem jam antea Sigismundus Imperator cum Bohemis, Galliæ Reges cum Hugonottis, Rex Catholicus cum Batavis. Quemadmodum quoque post lustra neque Cæsarum, neque Catholicorum, sive Ecclesiasticorum, sive Sæcularium quispiam de validitate hujus illiusve pacis unquam dubitavit; imo omnes retro Imperatores ad utriusque pacificationis observantiam vigore capitulationis sese eo usque obstrinxerunt, *donec nempe de religione aliter conventum fuerit:* prout sua Sacra Cæsarea Regiaque Majestas CAROLUS VI. eandem sese observaturam promisit. a) Hinc quoque, ne quis vim ac valorem sive Pacis Religiosæ sive Westphalicæ, quæ ad prioris interpretationem subsecuta est, impugnare præsumat, severe inhibitum est. b) Quod ut strictius observetur, Augustissimus Imperator ipsemet ad animadvertendum in Authores Scriptorum Pacem Westphalicam oppugnantes per Capitulationem suam illuc ab inde c) obstringitur, & germanus omnis ubique juramento firmat.

Impp. vi Capitulat. ad observantiam Pacificationum adstringuntur.

a) Capitulat. Noviss. Art. II. vers. wollen die guldene Bull ꝛc.

b) Per Instrum. Pac. art. 5. §. 50. ibi: *Utriusque Religionis Magistratus severe prohibeat, ne quispiam publice privatimque concionando, disputando, scribendo, consulendo Transactionem Passaviensem uspiam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur.*

c) Art. 2. circa fin. vers. zumahlen auch diejenige ꝛc.

§. VII.

Tempori & necessitati parendum est.

Ex his satis, opinor, probatum esse, per Pacem Religiosam, & deinde Westphalicam Cæsares & Principes Catholicos pure permissive (Cap. I. §. V. in

in fin.) se habuisse, nihilque eis imputandum, quod tempori & necessitati inevitabili paruerint; nemo proinde neque unam, neque alteram pacem, sed potius necessitatem, ex qua utraque descripta est, incuset. Quemadmodum enim in navigando tempestati obsequi prudentis est Navarchi, & ut aliquando nave salva portum teneat, eamque subducat periculo, parte mercium per jactum perdita, quod reliquum est, redimere; ita & Cæsaribus in administrando Imperio providendum fuit, ut cum minore jactura quædam deperire permitterent potius, quam ut Antiquam Religionem Catholicam una cum Republica in occasum præcipitarent. Hoc enim vero malum facere non est, sed permittere, quæ impediri non possunt. *a*)

Probatur tum a simili,

Tum ex S. Litt.

a) Vid. 3. Reg. 22. & 41, & 2. Paralip. 17. vers. 5.

§. VIII.

Unde in Catholica Religionis exitium conspiratio?

Quilibet, qui tantam Religionis causa in Germania perturbationem, tamque fatales dissensiones legerit, non immerito mirabitur, unde in gente tot abhinc sæculis sincere Catholica Religione imbuta, & fidele tam repentina mutatio? unde sub Imperatoribus potentissimis juxta ac piissimis in Avitæ Religionis periculum tam funesta sequela? Verum ex quo tempestas illa exorta sit, quoniam nec narratione, nec probatione indiget, rem ipsam Evangelicæ ponderationi subjiciendam brevibus puto, ubi a Christo statutum: *Vestrum non est nosse tempora .... quæ posuit Pater in potestate sua a*) Paucis tamen innuendum censeo: An. 1517 Bellum indictum Ecclesiæ ab Indulgentiis, quas promulgare cum prohibitum Luthero, is a Leone X. Romano Pontifice post crebras admonitiones, Anno 1520. anathemate percussus; dein a Carolo V. Cæsare, cum videret Religionum discordiam maximos in Imperio esse producturam turbarum impetus, nec eum a nova sua sententia avelli posse, per Edictum Wormatiense solenniter proscriptus est; at postquam tegente eundem Saxoniæ Electore in Alstetensi recessu in Thuringia delitescens declinato periculo evasisset, novæ quoque Religionis ex veteris ruinis ædificandæ consilium sumens, Invocationem Sanctorum, Sacrificium Missæ, Eucharistiæ sub una specie sumptionem, Purgatorium, Hierarchiam Ecclesiasticam, Consilia ac dogmata Ecclesiæ Antiquæ Catholicæ de præsentia Christi in Eucharistia, antiquas Dei Cæremonias, aliaque plurima quamvis jam a Christi, Apostolorum, ac Patrum temporibus continua serie tradita, a Religione Catholica aperte cauta, & ab Ecclesia non interruptim stabilita, tum concionando, tum libris editis perstringere, atque privata authoritate abrogare, adeoque Reformatorem Ecclesiæ agere incœpit, Christianam vivendi doctrinam moralem, & sacra, & jura, & bona Ecclesiastica liberaliter condonando, Quo prævio credendi emolumento varios Electores

Historia refertur de ortu & Progressu Lutheranismi.

Lutherus Leone X. Pontifice Max. excommunicatur.

Hic ab Electore Saxoniæ detinetur.

Lutheri doctrina contra Religionem Romano-Catholicam.

Cur plurimos patronos

invenerit? res ac Principes, & horum exemplo semsim subsequutas Civitates Imperii Liberas, quarum viginti quatuor invenit sequaces, in fœdus tacite habuit; ut præteream rusticam per Germaniam seditionem, qua ad trecenta hominum millia absumpta creduntur.

Confessio Augustana a Cæsare improbata. Cæsar deinde cum post multa colloquia de componendis dissidiis tentata, videret omnia indies in pejus ruere, sibique a Protestantibus formulam *b*) Confessionis fidei suæ die 25. Junii Anno 1530. in Comitiis Augustanis oblatam improbasset, interim tamen usque ad 15. April s anni sequentis deliberandi spatium dedisset, edictoque ut bona Ecclesiastica occupata restituerentur, neve inquietando Catholicos, eosve ad nova attrahendo, quidquam novaretur, cavisset, nihil nisi protestationes, & postea Smalcaldicum fœdus Anno 1537. in se concitavit *c*), Protestantibus, sibi innoxiam defensionem obtendentibus, ubi in facto tot Ecclesiæ, & Catholici passim violenta manu exspoliabantur, quo factum, ut imminente gravissimo Christianitati a Turcarum inundatione periculo, Cæsari tanquam Legitimo Capiti necessaria, & justa petenti subsidia detrectarentur, ita quidem, ut dum Solimannus Viennam cum trecentis Turcarum millibus obsideret, & non Germania tantum, sed & universa Europa Christiana in extremo versaretur discrimine, Protestantes, & otiosa fere tota Germania tantarum calamitatum Imperii decretoriam vix non aleam jacientis spectatrix consederint.

Fœdus Smalcaldicum contra Cæsarem initum.

Vienna a Turcis obsessa.

a) Actorum 1. vers. 7.

b) Huic subscripserunt Joannes Elector Saxoniæ, Georgius Marchio-Brandeburgensis, Ernestus & Franciscus fratres & Duces Lüneburg. Philippus Hassiæ Landgravius, Wolffgangus Dux Anhaltinus, & Civitates Imperiales duæ, Norimberga & Reutlinga. Accessere successu temporis alii Proceres & Civitates, fiduciam suam vel in potentia Unitorum Principum, vel in absentia Cæsaris eo tempore in propellendis Turcarum irruptionibus occupatissimi collocantes.

c) Bellum tandem a Carolo V. contra Confœderatos Smalcaldicos suscipiebatur.

Carolus V. quare Protestantes pro hostibus Imperii declaratos proscripsit?

§. IX.

Omnibus lenioribus mediis incassum tentatis Carolus V. Imperator, cum a Protestantibus vilipendi edicta sua, fœdera, conspirationesque jactari, copias ac pecunias ad bellum faciendum colligi comperisset, eosdem pro hostibus Imperii declaratos proscripsit.

Primi Anno 1546. sub explicatis signis apparuere Protestantes Saxone, & Landgravio Hassiæ Ductoribus tanta freti suarum virium fiducia, ut non modo

modo bellum denuntiare Cæsari, verum Imperatoris etiam titulum eidem abrogare non dubitarent, eum compellando: *qui pro Cæsare se gerit*. In ipso autem Bello Smalcaldico Anno 1546. cœpto, & Anno 1547. finito Joannes Fridericus Saxoniæ Elector, & Philippus Hassiæ Landgravius, prioris exercitu in prælio ad Mulbergam fuso, capti, in Cæsaris potestatem pervenerunt, quorum uterque deinde, cum exspectatione diutius sub custodia haberetur, Mauritius, & Albertus Marchio Brandenburgicus icto (ut supra cap. 2. § 1. dictum) fœdere cum Henrico II. Galliarum Rege, postquam Oenipontum usque Tiroleos urbem penetrassent, Carolum Cæsarem occupaturi ad Passaviensem Transactionem tragicam hanc belli Civilis expeditionem perduxerunt, multa Protestantibus permittente Carolo, quæ prohiberi vi, & armis temporis circumstantiæ non patiebantur.

Protestantes bellum denunciant Cæsari.

Exitus Belli Smalcaldici.

§. X.

Primam turbationis patriæ sementem fecerunt genimina Confessionis Augustanæ; prorumpens etenim Religionis libertas in exemplum, & vix non in libertinismum abierat, cum omnes ac singuli discrepantium opinionum Antesignani Sacram Scripturam contra traditiones orthodoxas interpretantes pari jure niti volebant, prædicente S. Apostolo Paulo de iis, qui prurientes auribus a veritate antiqua auditum avertunt; nec non ipsis, qui aliis hanc viam aperuerant, Protestantium Theologis id ipsum confitentibus in scripto Electori Saxoniæ, ac Principibus suis exhibito, teste Chytræo *b*) in verbis: *Videmus, quanta mala ex hac divisione existant, quanta contumacia & petulantia Vulgi, quæ secta, qui errores quotidie proveniant.*

Confessio Augustana.

Prima nempe ad fabulas Conversio Anabaptistarum fuit, qui in Roteranistas, Munzerianos, Adamitas, Stebleros, Sabbatharios, Clancularios, Manifestarios, Dæmonisalvos, communia omnia habentes, Condormientes, Ejulantes, Davidistas, Memnonistas, Polygamistas, in summa, in sectas quadraginta & unam dimensi sunt. Anabaptistis proximi Sacramentarii, quorum agmen Carolstadius, ejusque Symmista Huldericus Zwinglius, & Oecolampadius duxere, minimum in tringinta quinque discrepantes de fide opiniones abierant. Ipsi Lutherani statim Antiquæ Religioni adhuc proximiores in exordio suo in tria genera discesserunt, nempe in molles, rigidos, & mixtos. Inter molles reputati Adiaphoristæ sic dicti, quod constitutiones, & Cæremonias Catholicæ Ecclesiæ inter adiaphora collocent. Medii, seu mixti in semi-transubstantiatores, Extravagantes, Confessionistas, & Recalcitrantes divisi. Ne quid de Semi-Lutheranis memorem, qui Lutheri doctrinæ de suis opinionibus assuerunt varia, quorum minimum octodecim opiniones diversæ numerantur. *c*)

Recensentur variæ Sectæ quæ pullularunt.

In quæ & quot genera ipsi Lutherani statim discesserint?

Ubi non est unio, ibi nullus dissensionum finis.

Ex quibus apparuit, violata Ecclesiæ unitate dissensionum nullum esse finem, & quæ facta, non Spiritu Pacis, sed dissensionis subrepsisse.

a) 2. Timoth. 4. vers. 3. & 4.

b) in Histor. Confess. Augustanæ fol. 235.

c) juxta Ulenberg. in vita Flaccii.

§. XI.

Unde Religio sic dicta Reformata?

Porro ex Lutheri sensu nata est, quæ a Calvino nomen & formam habuit, sic dicta Reformata Religio. Hæc e Gallia sensim in Germaniam & Belgium illata spiritu infelici, quem prætulit prima editio Institutionum Calvini, exhibens pro symbolo gladium flammis circumdatum, cum lemmate: *Non veni Pacem mittere, sed gladium*, novis omnia tumultibus implevit, igne, sanguine & cæde. Itaque cum Religione tam inquieta, tamque violentis nixa principiis Pax visa est vix, aut ne vix quidem consistere posse diuturna; cum enim tam Augustanæ Confessioni addicti, quam Reformati neque Ecclesiæ, neque Imperatoris & Imperii jurisdictionem recognoscere vellent, sed controversias etiam occasione Religionis, & Pacis Religiosæ motas, aut in Comitiis omnibus Statibus præsentibus, aut coram Commissariis utriusque Religionis æquali numero delectis disceptari, decidique postularent, cum facile prævidendum erat, se, qui nullo servato juris ordine ipsimet Actores ac judices possessiones Ecclesiasticas contra tenorem Pacis occuparunt, per mandata *sine clausula* ad eorum, & quod interdicto *unde vi* consentaneum est, etiam ad fructuum a die occupationis perceptorum restitutionem, quæ multis aliquot auri myriadibus constituta esset, obligatum iri, ipsis Protestanticis Jurisconsultis Causæ suorum Principum in via juris obtinendæ diffidentibus; Primo quidem ad aleam belli decursum est, Verum, cum post tentatam tot præliis fortunam armorum pars utraque prudenti consilio ponderasset, se, si extrema persequeretur, exteris regionem ambientibus ludibrio & prædæ futuram, tandem transactione componere fatale bellum maluit, quam luctuosam ancipitemque exspectare victoriam, quæ victo victorique servile jugum imponeret.

Quæ fomenta calamitosissimum Germania bellum, quod post datas ultro citroque clades in Pace Westph. restinguendum fuit, reaccendi fecerunt?

§. XII.

An Religio Catholica dici debeat tolerata?

Quibus ita compositis non injuria sæpius dubitatum & quæsitum fuisse memini; *rectene Augustanæ Confessioni, aut sic dicta Reformata, aut vice versa ulterutri Religioni junctus, Antiquam Catholicam Confessionem ac fidem appellare possit toleratam sive receptam?*

Respondetur ad quæstio-

Inprimis Cath. Antiq. Religionem omni ævo receptam statuere non dubitarem; deinde distinguendum omnino existimarem quoad Religiones singulas ex

ex tribus nominatis: An quæratur habito respectu ad particularia territoria Statuum, ubi una Religio reliquis prædominatur, & tum hujus intuitu quadantenus, id est: quoad tolerantiam localem reliquæ, adeoque & Catholica videntur dici posse toleratæ. Ita enim in territorio Regis Borussiæ qua Electoris ac Domini multorum Principatuum, Catholici, & Augustanæ Confessioni addicti pro toleratis habentur, cum sic dicta Reformata Religio ibi sit dominans. Si vero consideretur Religio Catholica respectu totius Imperii, eo respectu minus recte eandem pro toleranda habendam existimarem; eo quod ex Actis Recessuum Imperii planum fiat, Electorem Saxoniæ, & Hassiæ Landgravium, reliquosque eisdem adhærentes initio, cum novitia eorum Religio Caroli V. sententia proscriberetur, nihil nisi securitatem & liberum exercitium Confessionis suæ, & suspensionem Ecclesiasticæ jurisdictionis postulasse. Hoc quid aliud est, quam petere, ut tolereris, neve Legibus reus fias? De quo omne dubium exhaustum puto per expressa verba Pacis Westphalicæ: *Salva per omnia Religione Catholica*, tanquam a Christianis primis derivante, & unice vera, & una Ecclesia propter quam alia nunquam extitit, & quæ supra petram a Christo posita durat continua.

nem sub distinctione.

Qua ratione Religio Catholica minus recte dicatur tolerata? Sed rectius Lutherana & Calvinina pro talibus, qua noviter receptæ habenda?

Enimvero perpendebant Protestantes, sese tum quoad exercitium Confessionis suæ, tum etiam quoad bona Ecclesiarum occupata jus nullum obtinere, neque sibi contra Catholicorum actiones jus ullum de jure competere posse, ideo id unum sibi agendum cogitabant, ut impedirent, ne Legibus secum agi posset, quibus stantibus prætensos tum violentis, tum clandestinis occupationibus titulos solem non laturos facile agnoscebant, id quod assecuti sunt, Catholicis ad Pacis compositionem, & actionum adversus se competentium suspensionem adactis, cui rei argumento est famosum illud INTERIM. Sed quod *interim* Antiqua Religio *per omnia Salva* statuatur, exinde non invenio, eam inter *toleratas* aut *receptas* connumerari debere. Hoc vero fatendum credo, quod in specie ubi alia dominans est, pro tolerata quoad exercitium censenda veniat, recepta quippe ab omni ævo; & rursus eandem pro recepta statuendam existimo, ubi favore Domini Territorialis ultra normam Anni Regulativi aut illa, aut inter duas alias hæc, quæ dominans non est, recipitur ac toleratur. Cum cæterum duas noviores toleratas semper atque receptas Pax ipsa denominet ac designet; Domino Territorii vero liberum omnino & cautum sit absque præjudicio propriæ receptas tolerare, atque tolerandas recipere.

Quid actum in famoso illo *Interim*?

Per quod cum temporales duntaxat induciæ usque ad definitionem futuri Concilii indulgerentur, neque ea suspensione sibi satis cautum Protestantes adverterent, ulterius progressi, eo tandem rem perduxere, ut ratione bonorum occupatorum neque intra neque extra judicium stabilis, ac perpetuæ Pacis con-

Quid in Pace Religiosa?

 ser-

servandæ causa conveniri, aut interpellari possent, & suspensa usque ad finalem Religionis compositionem jurisdictione Ecclesiastica, ipsis quoad Religionem ritus, ordinationes, & constitutiones Ministrorum, sua libertas integra relinqueretur, nullumque impedimentum vel obstaculum injiceretur. *a*) Id ipsum extensum Pace Osnabrugensi, *b*) ut tametsi (quod Deus prohibeat) de Religionis dissidiis amicabiliter conveniri non posset, nihilominus conventio de retinendis iis, quæ prima Januarii Anni millesimi, sexcentesimi, vigesimi quarti possederint, perpetua sit, atque ita Aug. Conf. addicti suspensionem actionum adversus se tempore non limitatam obtinuerunt.

Quid tandem in Pace Westphalica?

Concluditur Religionem Catholicam in Imp. Rom. Germ. minus, recte dici toleratam.

Ex quibus utique infertur, negandum non esse, toleratam primitus libertatem Religionis Carolo V. Cæsari deberi, Catholicos in omnium eorum bonorum (uti monstrant a tot retro sæculis memoriæ impressa ad irrefragabile diutissimæ possessionis testimonium Catholicæ Religionis vestigia) possessione indubitata fuisse; adeoque restitutionis remedia sine controversia, competiisse, quibus ubi per pacem renuntiarunt, utri sana ratione prædito tolerati videbuntur? an ii, quibus vindicias Lex ipsa tribuit, an vero illi, quibus Pacis causa usus & possessio permittitur? Profecto ad prima devenire oportet rei cujusque initia *c*) quæ si hac in parte curatius perpenderimus, nemo non agnoscet, tam Augustanam Confessionem, quam sic dictam Reformatam Religionem, cum sensim utraque in Imperium irreperet, securitate duntaxat laborasse distracto deinde per bella Ecclesiæ Protectore & Advocato Carolo V. eo excrevisse, ut eandem gratiam cum Antiquæ Religionis cultoribus adepti, nunc vere tolerati ac recepti habendi sint. Nec obstat dictis, si quis ex eo inferre velit, unam Religionem perinde ac alteram dicendam esse toleratam ac receptam, eo quod in Pace Westphalica *d*) conventum sit, ut inter *utriusque Religionis Electores, Principes & Status omnes, & singulos sit æqualitas exacta, mutuaque, ita ut, quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum;* Nam licet hoc & verum certo respectu, & venerandum iis omnibus esse debeat, qui tenerrimas Patriæ circumstantias aut norunt, aut ut boni Cives, & charitatem colentes Christiani amant, dicta tamen de Tolerantia & Receptione locali, nec non de jure quærendo, non item quæsito amittendo capienda esse quilibet facile intelliget, qui Catholicis in Instrumento Pacis Religiosæ ab ipsis Protestantibus Antiquæ Religionis prædicatum tributum esse legerit, & sana mente cum æqua lance meminerit, non *sublatam*, sed tantum *suspensam* esse jurisdictionem Ecclesiasticam, neque de ea, quæ *Salva* manere debet, sed de illis, de quarum tolerantia noviter, & quidem sub conditione: *Donec de Religionis dissidio aliter conventum fuerit*, adeoque *Salva per omnia Religione Catholica* plus cessum atque indultum obvenire, quam verbis & facto ab omnibus utrinque Compaciscentibus expressum atque stipulatum fuit; Cum in historica fide compertum omnino & innegabile sit, Augu-

Satisfit objectioni.

Inter utriusque Religionis Status quæ sit æqualitas, adumbratur.

stanæ

ſtanæ Confeſſionis dogmata tum Antiquis Eccleſiæ Conſtitutionibus, tum ab Imperatore Maximiliano I. in Epiſtola ad Leonem X. ex Conventu Auguſtano data Anno 1518. & a Carolo V. Wormatiæ Anno 1521. dein Spiræ Anno 1529. iterum Auguſtæ Vindelicorum in Comitiis prohibita primitus & damnata fuiſſe, & quorum in communionem Proteſtantes admiſſi ſunt, hæc eis per Cæſarem, & Catholicos teſtibus Actis publicis primum denegata, ac dein ex indulgentia ob bonum commune Pacis, diſponente ſic eo, in cujus manu omnia ſunt, permiſſa ac recepta fuiſſe. Satis ex his elucere puto quænam ex tribus ſupra dictis Religionibus, & quo ſenſu poſſint dici vere toleratæ, ac receptæ, cum & ſano ſenſui omnino repugnaret, illam, quæ *Antiqua* prius & ab ævis fuerat religio, quam *ſalvam per omnia* omnes compaciſcentes & deſiderarunt, & ſtabilierunt, inter toleratas aut receptas ſtatuere, atque ſic quod fuit ac dudum erat, pro novo baptizare velle, & aſſerere.

a) Ita tabulæ Pacis Religioſæ art. 5. & 6.

b) Art. V. §. 14. in fine: *Si vero, quod Deus prohibeat, de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſit, nihilominus hæc conventio perpetua ſit, & Pax ſemper duratura.*

c) L. Pomponius. 15. ff. de negotiis geſtis.

d) D. Art. V. §. Tranſactio 1. in fin.

e) Matth. Cap. 13. verſ. 24.

§. XIII.

Quia vero per præfatam Pacem Religioſam, ac ſubſequentem Weſtphalicam Principes, ac Status Catholici, quibus de cætero exercitium reformandæ Religionis non minus, quam aliis Auguſtanæ Confeſſioni addictis eodem jure, eademque æquitate competere textus ipſe docet, a) Landſaſſios, Vaſallos, & ſubditos ſuos cujuscunque generis, qui quacunque anni ſupra Milleſimum ſexcenteſimum vigeſimi quarti parte publicum, vel privatum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium habuerunt, in quieta poſſeſſione illius, una cum annexis: uti ſunt conſtitutio Conſiſtoriorum, Miniſteriorum tam Eccleſiaſticorum, quam Scholaſticorum, jus patronatus, nec non templa, monaſteria, hoſpitalia, Fundationes cum omnibus reditibus, acceſſionibus ac pertinentiis relinquere pacto teneantur; reipſa vero contingat, quod Jus Sacrorum receptæ Religionis, & nominatio ſubjectorum ad hæc Conſiſtoria, Miniſteria Eccleſiarum Auguſtanæ aut Reformatæ Confeſſionis, Scholas & alia, in Principem Statumve Catholicum jam eodem anno decretorio jure hoc munitum & gaudentem devoluta ſint; aut etiam Catholicus Princeps in Territorio Auguſtanæ Confeſſioni addicto, in quo Prædeceſſores ſui id genus Præſentationum & Ordinationum peregerunt, ſucceſſerit; hinc ratio Dubitandi moveri poſſet, an tutum illi ſit, ejusmodi jura

Ingreſſus ad Quæſtionem ?

An, & quæ jura Status Catholici in

Subditos Augustanæ Confessioni addictos possint tute exercere? ra in subditos suos Aug. Conf. addictos exercere, qualia nempe Status Protestantes Territorii jure exercent? Summa rei videtur, quod non vacet culpa, qui usurpat jurisdictionem sibi non competentem, ordinationes enim in Ecclesia Christi facere solius est potestatis Ecclesiasticæ, cui expressis verbis primariæ, in S. Petro, & Apostolis, & per hos Discipulis jus clavium, & pascendi gregem Fidelium cura per prædicationem, Baptismum & remissionem peccatorum a Christo Domino, & non Regibus, Principibus, aut Magistratibus commissa;

Ratio dubitandi depromitur ab incompetentia Jurisdictionis. nam insanum foret supponere, Ecclesiam, quam HOMO & MAGISTER DEUS *super firmam Petram ædificavit, & ad finem mundi duraturam b*) declaravit, ad tempus, & personam unam restrictam, adeoque abhinc aut desertam, aut non reperibili nova authoritate novam adstruere velle, cum una tantum Ecclesia & extra hanc nulla salus præciso textu decreta fuerit. Per consequens delictum existimari posset, Ministros instituere & cœteris sese ingerere muniis, quæ ex Antiquæ Religionis fide tantum Episcopali reservata constant potestati ab dignitati. *c*)

Resolutio quæstionis propositæ. Re tamen penitius inspecta facile dignoscendum venit in dicta hypothesi Pacis Religiosæ, ubi reciproca paciscentium omnium Lege Augustanam Confessionem, & Reformatorum Religionem recipere ac tolerare conventum fuit, neminem se obnoxium reddere si ordinationes & Jura Sacrorum Religioni receptæ ac toleratæ conformiter jure quod obtinet territoriali, eadem Lege & fide præscribat. reliquaque peragi jubeat, quæ ex decantata illa Regula: *Cujus est Regio, illius quoque est Religio*, cuique Germanorum in suos subditos jure Superioritatis Territorialis exercenda competunt.

Removetur ratio dubitandi. Nec in recessu quidquam habet allata illa Ratio dubitandi, quod receptarum ac toleratarum Religionum ordinationes, ac Ministros constituens, Jurisdictionem Ecclesiasticam contra Legem Christicolarum incompetenter usurpet; Cum hic id tantum exerceatur, quod nova Lege receptum, & ad certas temporis moderni aut futuri conditiones ac regulas tolerandum, mutuo statutum est; Notum præterea est ac compertum, quod per Pacem Religiosam, *d*) & deinde per Westphalicam, *e*) Jus Diœcesanum, & Jurisdictio Ecclesiastica Episcoporum Catholicorum, non vero potestas, usque ad compositionem Christianam dissidii Religionis certo respectu, & conditione posita, suspensa sit, potestas enim in animam Catholici, sive Antiquæ fidei asseclæ nec suspensa unquam fuit, nec suspensam Paciscentes voluere; jurisdictio vero in res & personas, quæ Episcopis ademptæ fuere, abs se corruebat. Proinde cum Ecclesiastica jurisdictio de facto sit impedita, utique res redit ad jus naturæ pristinum, quo stante sacrorum ordinatio ad Principem re sic constituta pertinuit; omnis enim res facile redit ad naturam suam. *f*) Quandoquidem igitur Religio,

Jurisdictio Ecclesiastica ad primævam suam naturam quando redeat?

Qua ratione ju-

gio, ut eſt virtus moralis Rerumpublicarum Moderatoribus pro parte, id eſt: quoad curam obſequii & executionis competiit, eoquod finis humanæ ſocietatis, quæ eſt tranquilla & ſocialis hominum vita, remota Religione obtineri nequeat, nihil video, quod nunc poſt latas Pacis Leges impediat, quo minus, cum nemo alius ſit, qui Jure Divino hanc jurisdictionem, quoad ſuperiorem Eccleſiaſticum, ſuſpenſam exercere poſſit, ejusdem exercitium Principi Politico per ſubſtitutam Territorii cauſam relinquatur. Durius enimvero certe foret dicere, in data hypotheſi nullum rerum ſacrarum receptarum judicem exiſtere, aut ſubditis eam aſſerere, quam Domino loci Catholico ejusdem exercitium attribuere; qui niſi ab alio fortius jus habente excludatur, fundatam habet intentionem ex eo, quod datus ideo ~~ſit ei gladius~~, *ut ſit Dei Miniſter, vindex in iram ei, qui male agit.* *g*) — risdictio Eccleſiaſtica etiam Principi Politico relinquenda?

Atque id quoad Proteſtantes eo fortius militat, quod apud eos ſacrum ſanctumque habeatur illud: *Cujus eſt Regio, illius eſt Religio.* — Probatur tum quoad Proteſtantes.

Quoad Catholicos vero ad eximendum ſcrupulum facit, quod Religioni Catholicæ conducibilius ſit, ut Miniſtros ſuæ communitati diverſæ Religionis, & ordinationes conſtituat Dominus Catholicus, quam ſi circa hæc nullus ſit, qui ordinet, vel perſonis ſingulis, aut communitati harum rerum libera adminiſtratio concedatur, per conſequens nemo rationabiliter negabit, ubi Eccleſiaſtica Catholicorum poteſtas absque eo ſeſe exercere amplius non poteſt, ea per Principem Sæcularem Catholicum pari Lege bene ac juſte peragi, ſuadente ſic prudentia, & ſiccis verbis diſponente Pace Weſtphalica, quæ Principibus Auguſtanæ Confeſſionis in ſubditos alterius Religionis omnia illa aſſerit, quæ contra ſalvam Religionem Catholicam, extra poteſtatem in animam, concedi poterant. Quidquid igitur in ſupra poſita hypotheſi Dominus Catholicus facit circa prædicta ſpiritualia ex eadem Territorii Lege in locis & rebus, quæ Catholicorum juri ac fidei amplius ſubjecta non ſunt, ſua tamen, hoc juſte facit, quippe qui ea peragit, quæ rationabiliter omitti aut denegari non poſſunt. Nam prout aperta neceſſitas Tolerantiam ac Receptionem alterius Religionis juſtificat, ita intereſt omnium ſuſpenſa jurisdictione Eccleſiaſtica, Principem Territorii illam habere, eumque Conſtitutiones circa toleratarum ac receptarum Religionum Sacra conſervare; hoc enim ſolo modo præcaveri poteſt, ne populus Religioni ex cauſa urgente indultæ addictus, cui promiſcua, quod velit, credendi licentia permittenda non eſt, deinceps in plurium novorum articulorum doctrinam pronus abripiatur, prout per Pacem, & tot S. R. I. Conſtitutiones ſapientiſſime cautum eſt, nullam aliam præter tres ſæpe dictas, Religionem recipiendam ac tolerandam eſſe. — Tum quoad Catholicos. — In certis circumſtantiis intereſt Eccleſiæ Jurisdictionem Eccleſiaſticam per Principem ſæcularem exerceri.

a) Vigore Inſtrum. Pacis Oſnabrug. Art. V. §. 31.

b) Matt.

b) Matth. Cap. 16. verf. 18.

c) Arg. Cap. Tua nos. X. de Homicid.

d) §. Damit auch. 20. Pacis Relig. de Anno 1555. ibi: bis zu endlicher Christlicher Vergleichung der Religion, die Geistliche Jurisdiction ruhen, eingestellt und suspendirt seyn und bleiben.

e) d. Art. V. §. Jus Diœcesanum. 48.

f) L. si unus 27 §. 2. Verf. quod & in Specie. ff. de Pactis.

g) ad Rom. 13.

§. XIV.

Decisio causarum fidei non competit Principibus Laicis.

Ex modo demonstratis principiis prono velut alveo fluit, uti & ex Christiana regula in propatulo est, quod, quamvis ubi agitur de quæstione: *An hoc, vel illud sit de fide? aut an hæc. vel illa opinio sit heretica?* Id definire non ad sæcularem, sed privative ad Ecclesiasticam potestatem pertineat, uti 1mo probatur ex Sacra Scriptura. Ezech. 22. *Sacerdotes populum meum docebunt, quid inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum, ostendent eis: & cum fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt Leges meas, & præcepta mea.* Argumento quoque deducto ex Deuteron. 17. verf. 8. ubi DEUS illis, qui dubitant circa intelligentiam Legis Divinæ, præcipit, ut ascendant ad Summos Sacerdotes, atque ex eis quærant solutionem, subjungens: *Quæ indicabunt tibi judicii veritatem, sequerisque sententiam eorum.* Quod, si necessarium visum fuerit pro Statu Legis Mosaicæ; multo magis militabit pro Statu Legis Novæ, quæ non circa figuras, cruenta sacrificia, & cæremonias tantum occupatur ut vetus, sed altissimis, & ab humano intellectu vix comprehensibilibus, ac per obsequia fidei credendorum constat articulis. Quo etiam facit.

Probatur tum ex S. Scriptura.

Tum ratione.

2do, Quod ostendi non possit, quisnam Principi Sæculari aliquid circa Sacra, Sacramenta, fidem, aliave Religionis negotia definiendi potestatem concesserit; Inprimis *non Christus Dominus*: nam hic Petro (uti supra monitum fuit) & Apostolis, eorumque Successoribus nunquam interrupta serie claves Regni Cœlorum una cum ligandi solvendique potestate concredidit, & pascendas oves, id est: fideles dirigendos docendosque (asserto, tot verbis ipsius Evangelii, ac Divorum Apostolorum Petri & Pauli effatis meridiano sole, clariore) commisit, non autem Tiberio tunc Imperanti, nec Herodi, aut Pilato. Deinde non etiam *populus & subditi*: hi enim nihil aliud, quam quod ut membra corporis mere politici habuerunt, id est: potestatem mero politicam conferre potuerunt, spiritualia vero dijudicare, & in iis a falso verum separare ab hac potestate est remotissimum, ejusques sphæram activitatis plane superat. Hinc recte concludit Doctor Angelicus a) verbis: *Quæ autem sit ad veram beatitudinem via, & quæ sint impedimenta ejus, ex Lege Divina cognoscitur, cujus Do-*

Tum authoritate SS. Patrum.

ctrina pertinet ad Sacerdotis officium. Juxta illud Malachiæ 2. *Labia Sacerdotum custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus.* Sic & Apostolis dictum: *b*) *Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam* DEI; Hæc autem regitur verbum DEI interpretando, docendo, & errores corrigendo, quæ omnia ab eadem radice proveniunt. Hoc & agnovit Justinianus *c*) constituens: *Si Ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habento Civiles Magistratus cum ea disceptatione, sed Religiosissimi Episcopi secundum Sacros Canones finem imponunto.* Quod subsequentes tot piissimi Imperatores, & sæcula omnia per tot Conciliorum, Regum, ac Principum, capitularia & constitutiones uno semper ore & facto venerati sunt. Hinc Hosius Cordubensis Episcopus unus ex Patribus, qui primo Niceno Concilio interfuerunt, Constantium Imperatorem redarguit his verbis: *Desine quæso Imperator, ne te misceas Ecclesiasticis, sed potius ea a nobis disce. Tibi* DEUS *Imperium commisit, Nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit.* Et ad eundem Leontius Episcopus: *Miror, quomodo ad alia vocatus aliis rebus te immisceas, militaribus enim & Politicis præfectus, in his, quæ ad Solos Episcopos pertinent, præesse vis?* Quibus primorum Conciliorum Romanæ, & aliarum Sedum Statuta, plana Ecclesiæ authoritate notorie adstipulantur, nec est, quod hic desuper ulterius vagemur, & pluribus authoritatibus probemus, cum in casu (quo de fidei controversia, aut etiam de quæstione: *An hæc, vel illa opinio antiqua fidei sit, aut hæretica?* definienda tractatur) quo Ecclesiastico Superiore etiam militet textus expressus in cap. ut inquisitionis. 18. §. prohibemus de Hæret. in 6. ibi: *Ne judices sæculares de hoc crimine quoquo modo cognoscant, cum NB. sit mere Ecclesiasticum.* Ubi signantur dicitur: *quoquo modo*, id est, nec principaliter, nec incidenter.

Potentius urget 3tio dictum Christi: *d*) *Si autem Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ubi non dicitur, habendum pro Ethnico, qui Principem non audierit, huic enim resistens fit rebellis, at hoc asseritur, si quis Ecclesiæ judicio contradixerit, habeatur ut Ethnicus. Quare nec Christus in Novo Testamento ea, quæ Dei, cum illis, quæ Cæsaris sunt permixta voluit, prout in Antiquo & idem Deus præcepit, & contra-facientes non interruptim punivit. Ex quo evidenter concluditur, in his, quæ fidem & Ecclesiam concernunt, Ecclesiam, non Principem, legitimum existere superiorem, & ab ejus dependere judicio, quem gremio suo dignum, quemque exclusum pronuntiet. Quod ipsum omnibus ac singulis in Pace Religiosa & Westphalica Compaciscentibus Summæ curæ fuisse vel ex eo patet, quod in utraque nil de forma credendi, sed tantum de norma tolerandi, ac pacifice invicem convivendi ratione, magna utrinque prudentia providentiaque cautum fuerit; quodque Pax appelletur *Religiosa*, neutiquam tamen sit *Spiritualis*, Religiosa quidem, quo-

Concluditur ad Ecclesiam pertinere, controversias fidei judiciali potestate dirimere.

quoniam Religioni data; non vero spiritualis, utpote non dogmatica circa fidem, sed normalis mere, & tranquillatis publicæ in Imperio regulativa.

a) Divus Thomas de Regimine Princip. Lib. I. cap. 13.

b) Act. 20. vers. 28.

c) in Novella 123. cap. 21. in fin.

d) Matth. 18 vers. 17.

§. XV.

Quinam præterea actus jurisdictioni Ecclesiastica substant.

Eadem ratione actus contra constitutiones Pontificias Legis Naturalis, vel Divinæ declarativas, ex cathedra promulgatas circa materiam ad morum naturalium, & Evangelicæ veritatis moralis honestatem pertinentem, saltem quoad forum internum, Ecclesiæ jurisdictioni subjiciuntur. *Quod addo:* Quia quandoque ob speciales circumstantias Potestas Civilis in foro externo ejusmodi actus posthac potest & præcipere & permittere. Verumtamen postquam aliquid esse de fide, sive per Sedem Apostolicam, sive per Concilia Generalia, fuit definitum, & hanc sic declaratam hæresin quispiam complexus esse convincitur: quod tamen in Germania super receptis ac toleratis Religionibus sentire non evenit: contra hunc quoad punitionem, etiam jurisdictionem Potestatis Civilis esse fundatam non est dubium. Ita Zoesius, a) & Schambogen b) potenter punitionem, non vero definitionem hæreseos ad crimina mixti fori referentes, tum quod alias per eam Reipublicæ tranquillitas, & totus rerum omnium ordo convellatur, tum etiam quod Imperatorum, ac aliorum, Principum tanquam Ecclesiæ Protectorum incumbat officio contra contemptores Legum, & Definitionum Ecclesiasticarum insurgere, ut ea, quæ ab Ecclesia definita sunt, validioris sint observantiæ. Hæ saltem Leges Catholicorum sunt, interim hic locus non vacat, aliorum mentes, aut usus latius attingere. Contrariam quidem sententiam tuetur Farinac. c) Benedictus Capræ, d) Carpzov. e) Barbosa, aliique cum glossa in cap. *Ut inquisitionis 18. vers. quoque.* add. Jodoc. Damhauder. f)

Punitio Criminis hæreseos est mixti fori.

Alii tenent contrarium.

a) Ad Decretales Gregorii IX. tit. 1. num. 4.

b) Ad Jus Canon. tit. 2. De Constit. num. 34.

c) De hæres. quæst. 186. num. 252. & de inquisit. Lib. 1. num. 127.

d) Repetit. Jur. Tom. 6. in Clementin. Dispendiosam. de Judic. n. 32.

e) Pract. Crimin. p. 3. q. 110. num. 88.

f) In praxi rer. Crimin. num. 54.

§. XVI.

Quod attinet mentem Aug. Conf. Addictorum, aut sic dictorum Reformæ-

matorum; posteaquam Protestantes in rebus ad Ecclesiam fidemque spectantibus Apostolicæ Sedis, & potestatem & congruum examen recusarunt, œcumenicæque Synodi judicio cessere, quod in limine tanta contentione omni ex parte desideratum erat, atque in ea cum Episcopis voces decisivas contra totam priorum Conciliorum formam obtinere contenderunt, ipsis autem non Papam, non Episcopum, non Traditiones, sed solam Scripturam dirimitricem Controversiarum Religionis & reaccessum ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem nonnisi Dei, qui pacis est author, speciali aspirante gratia, prout hanc ipsam proloquium Instrumenti Pacis Westphalicæ supponit, sperare videtur; nam ipse Solus Sanctus, Solus altissimus, solus in manu habet corda, ut sicuti quam mundus dare non potest, sed suam insufflat & impertitur Pacem, ita & solus infelici germaniæ, quæ triplici Religionis spiritu regitur, unum & antiquum spiritum nunc misericorditer reddere possit, quo tandem restituatur *unum corpus in vinculo Pacis, occurrens in ædificationem Corporis Christi in unitate fidei, & agnitionis Fidei Dei. a)* An Christianæ compositio Dissidii Religionis sit speranda.

Præsensere idipsum, qui Paci Westphalicæ conficiendæ fuere præpositi, eaque de causa *Instrumento* dictæ Pacis *b)* tam sancte, tam solerter, ac toties inseruere, ut quicunque, seu Catholici, seu Augustanæ Confessionis Status die prima Januarii Anni millesimi; sexcentesimi vigesimi quarti, bona Ecclesiastica immediata possederint, *ea omnia, & singula usque dum de Religionis dissidiis per* DEI *gratiam conventum fuerit, tranquille & imperturbate possideant;* . . . . *Si vero, quod* DEUS *prohibeat, de Religionis dissidiis amicabiliter conveniri non possit, nihilominus hæc conventio perpetua sit, & Pax semper duratura.*

a) Ad Ephes. 4. vers. 4.
b) Art. V. §. 4.

§. XVII.

Actum hic egerim jam post vulneratam causam movendo quæstionem: An isthæc bona ea tempestate per Pacem Religiosam, ac subsecutam Westphalicam tuto pro dimissis agnoscere ac concedere, sive, ut termino recepto utar, sæcularizari potuerint? siquidem ut supra statim (in Princip. cap. 2. §. 1.) utramque Pacem per illas temporum ac rerum circumstantias rationabiliter initam, & licitam fuisse asserui, prolixius deductum est, hoc loco meminisse contentus, *Secularizationis* vocabulum latinæ puritati incognitum, usu invaluisse tempore Pacis Westphalicæ ob sermonis compendium; eoque designatur actus, quo res Sacræ, vel Ecclesiastico nexu in cultum & servitium omnipotentis Dei directe vel indirecte obstrictæ revocantur in conditionem sæcularem, sive ab eo nexu prorsus liberantur. An bona Ecclesiarum per PacemRelig. & Westphalicam tute sæcularizari potuerint?

Principibus non licet bona Ecclesiarum sæcularizare vi alti Dominii.

Ejusmodi porro Sæcularizationem quidam licere volunt Principibus ex capite Dominii eminentis, quasi res Dei, ac Sancta ejus Ecclesia sint instar privatorum, qui vitam, & quem ipsi trahunt spiritum, communi saluti, nedum bona, obligati sunt impendere; ajunt enim, qualemcunque hominum cœtum, adeoque & eum, qui vocatus est in communionem fidei, & Sacramentorum, intuitu Reipublicæ privatorum conditionem subire, ac discriminari a Republica, tanquam partem integri ab integro.

Utpote quorum Jurisdictioni hæc non substant, uti bona privatorum.

Verum utut admittam potestati sæculari jus esse exigente necessitate, vel magna utilitate publica vi Dominii eminentis suo modo utendi bonis subditorum; eandem tamen rationem esse nego & pernego rerum sacrarum, ac earum, quæ Deo & Ecclesiæ consecratæ sunt. In Reipublicæ subsidium Princeps auferre potest bona privatis, quoniam & quoad personas, & bona ejus potestati subjiciuntur; bona Ecclesiæ nullius sunt hominis, sed Dei sunt. Quo jure Dominii vindicabit sibi inferior ea, quæ illata sunt in Sanctuarium Domini Dei? Valet hic illud Christi: *Date ea, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*, cujus dominium eo, quod homines sibi tribuunt, dominio eminenti longe est eminentius, nec divagari desuper necessum puto.

Quod probatur tum Authoritate S. Petrum.

Unde & in Edicto restitutorio Ferdinandi II. dicitur: Ecclesiasticæ fundationes, ac bona Divini juris sunt, & ad solum Deum, & Ecclesias vigore fundationum pertinent. Quo etiam facit illud S. Ambrosii ad Valentianum Imperatorem, dum Mediolani pro Arrianis Ecclesiam posceret intrepide scribentis: a) *Noli te gravare Imperator, ut putes in eis, quæ Divina sunt, Imperiale aliquod jus habere.* Hinc pathetice Deus ipse b) conqueritur iratus: *An spoliet homo* Deum, *quemadmodum vos spoliastis me? & dicitis, qua in re spoliamus Te? decimis & oblatione*, puta: bonis oblatione fidelium Deo dicatis.

Tum ex Sacris literis;

Non igitur tanti est dominium eminens, ut manus extendat in bona Deo sacrata, prout agnovit quoque, etsi gentilis Jurisconsultus Paulus c) pronuntians: *Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.* Nec perinde jurisdictioni Principum Ecclesiasticæ Personæ, ac Laici subsunt, utpote quæ non solum humano, sed etiam Divino jure a Sæcularium personarum exactionibus perhibentur immunes, d) nec ad collationem subsidiorum regulariter obligantur, e) nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem conspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes necessitates, vel utilitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, id viderint necessarium; atque spontanee potius ad conservandam illam protectionem publicam concurrant, qua & ipsi feliciter fruuntur & gaudent. Proinde non eadem decempeda dominii eminentis in bonis Ecclesiarum, qua in bonis subditorum Principibus esse utendum, in aperto est.

Tum denique ex Jure Canonico.

a) ut

a) ut habet Epist. 33. ad Marcellin.

b) Malach. 3. verf. 8.

c) in L. 182. ff. de Reg. jur.

d) in Cap. Quanquam. 4. de Censib. in 6.

e) Juxta Cap. Non minus 4. ✠ de immunit. Eccles.

§. XVIII.

Causa unica & vera, ob quam bona Ecclesiastica possint saecularizari, est summa necessitas.

Præstat igitur, si de Sæcularizatione bonorum Ecclesiæ quæritur, ad necessitatem gravissimam, extra quam Principi hoc remedium adhibere fas non est, recurrere; siquidem jus illud, quod ea, quæ Dei sunt, Deo: & quæ Cæsaris, Cæsari reddi præcipit, ac quæ Deo semel dicata sunt, ad humanos usus amplius transferri prohibet, non est ex numero illarum Legum immutabilium, ut bonorum ejusmodi ad pristinam conditionem sæcularem translatio non possit necessitatis circumstantia saltem ad tempus, cohonestari; sicut cohonestatus fuit actus, quo David in necessitate panes propositionis comedit, *quos non licebat ei comedere, neque his, qui cum eo erant, sed solis Sacerdotibus.* Ad quod exemplum Christus ipse a) provocat.

Assertio firmatur ratione.

Probatur quoque variis exemplis ex S. Scriptura.

Quemadmodum quoque urgente durissimo necessitatis telo Religiosissimi Hebræorum Reges hoc Sæcularizationis remedio usi leguntur, ita quidem, ut eos Prophetarum nemo hoc nomine coarguerit. Sic Hasaëli portarum Hierosolymæ claustris incubanti magnam vim auri ex templi Gazophylacio sublatam misisse legitur Joas. b) Ezechias Assyriorum Regi Sennacherib propitiando confringens ipsas templi valvas, nec temperans sibi a laminis propriæ devotionis ardore suffixis, & omne argentum, quod repertum erat in domo Domini, ut conflaret summam trecentorum argenti, & triginta talentorum auri, cum propriis thesauris obtulit. c)

Non potuit aliter restitui quies & tranquillitas in Germania, quam per Sæcularizationem bonorum Ecclesiarum.

Si lubeat fateri, quod res est, in fatali tamque diuturno, quo premebatur Germania bello, ejus in occasum inclinante fortuna, non aliud conciliandæ Pacis necessariæ magis, quam decoræ remedium supererat, nisi Ecclesiasticorum (quorum restituendorum causa tantos motus accenderat) bonorum sæcularizatio; alias vastatis omnibus Imperii Provinciis, tot urbibus dirutis, & quasi suis sedibus evulsis, maxima incolatuum parte, aut hostili ferro, aut inedia consumpta, neque sufficientibus post tot expensas auri myriades in ulteriores expeditiones ærarii viribus, Germaniam in ipsa Germania vix reperturi fuissemus.

Qua tamen Sæcularizatione non hoc actum dici potest, quasi Imperator ac Catholici in Protestantes Status dominium eorum territoriorum a tot sæculis ad

Dominium bonorum Ec-

§. XX.

An Dominus stante Pace Relig. & Westph. novum dogma nec tolerare sed prohibentem docentem punire possit, & quomodo?

Atque, cum jam supra (§. XV. h. cap. 2.) in genere definiverimus, in ntum Dominus Catholicus contra hæreses intra Territorium suum grassantes i potestatis executivæ procedere possit, in casu, quo jurisdictio Ecclesiastica n vigorem retinet; ex illis facile concluditur, privative eundem suspensa luti per Pacem publicam contigit) jurisdictione Ecclesiastica in Docentes um, & non toleratam Religionem, & seditiosis concionum fabellis popu commoventes tanquam Pacis publicæ turbatores, prout delicti gravitas & publicæ status exigit, animadvertere posse & debere. In somite quippe forandum est malum, quando adhucdum crimen in paucis est, ut ad omnes or & agnitio perveniat, postquam enim contagium majorem populi partem cit, animique pietatis aut hypocriseos aperte non receptæ glaucomate inati sunt, severioribus remediis rem irritari potius, quam sanari tristi ex entia, omni ævo compertum est.

Docet id ipsum historia & Eventus tum in Belgio.

Quamobrem errantium multitudo, modo a seditionibus turbulentis absti:, benignius habenda, sæpe enim diæta curat, quos phlebotomia perdidis. Belgium testis est, in quo, postquam Philippus II. Rex Hispaniarum lis Provinciis Hispaniæ Inquisitionis insuetum, ut illi interpretabantur, ju imponere statuit, infinitis cladibus Theatrum apertum potius, quam visum & cautum fuit, nimio Zelo ac fervore Religionem Antiquam a Provi iis, maximam partem Religionis ab obsequio Regis avellente.

Tum in Gallia.

Nec felicior fuit in opprimendis per duras Quæstiones in Gallia Hugo s Franciscus I. ejusque Successor Heinricus II. nam sic nec extincta scintil nec incendiorum flammæ suppressæ fuerunt, quin potius contra Reges suos ierosis exercitibus stipati Caput extulere Viris armisque potentes, ut Histo satis notant.

Non armis, sed viris doctis & probis præstat errantium multitudinem ad veram & sanam doctrinam lumine Evangelii asserta conciliorum veritate & fide historiæ Ecclesiæ cum lumine ac dono fidei est reducere.

Præstat igitur Viros pietate morum, scientia & doctrina Evangelii, Histiæ Ecclesiasticæ, ac Conciliorum fide præstantes seligere, qui errantes iter reducant telis doctrinæ, pietatis & sapientiæ, cum pertinacibus intre:, cum falso Zelo illusis pie ac benigne, cum frigidis serio, cum dubiis e ac confidenter, cum omnibus prudenter tractare sciant, studeant ac ne, & quibus vera sæpius Religio calumniose depingitur, falso præconce opiniones adimere, allaborent.

§. XXI.

Quoniam vero, ut recte docet Concilium Tridentinum, a) nihil est, quod ... ad pietatem, & DEI cultum assidue instruat, quam eorum vita & exlum, qui in sortem Domini vocati se Divino ministerio dedicarunt, dande

clesiarum per Sæcularizationem neutiquam translatum est in Protestantes.

ad Ecclesias, earumque Ministros spectantium transtulissent; non enim eorum dominium Cæsar, aut Principes Catholici sibi vendicarunt, nec Ecclesiæ non consentienti adimere potuerunt; at solummodo, cum spes ea recuperandi, aut defendendi non superesset, in sæculi nomina abire permiserunt, eorum defensione sese abstenturos polliciti. Quam tituli justitiam, & fidei bonitatem Pax Westphalica ipsa per conditionem & formulam hanc: *Donec controversiæ Religionis amicabili partium conventione universali definitæ fuerint*, non obscure innuere videtur, fors tunc jam memor: *Alia esse judicia* DEI, *& alia hominum.*

Concluditur sæcularizationem bonorum Eccl. in casu gravissimæ necessitatis extra noxam esse.

Sæcularizatio itaque bonorum Ecclesiasticorum exigente summa necessitate, maxime ubi ad superiorem Ecclesiasticum aditus aut haberi nequit, vel est perdifficilis, aut periculosus, aut plane frustraneus, ex parte Principis, utpote permissive se gerentis, & defensionem sabtrahentis extra noxam esse, suadente rerum impossibilitate, confitendum videtur. Extra hunc casum Princeps in Ecclesiæ bona se ingerens non recte suo fungeretur officio juxta illud: *d*) *& erunt Reges Nutritii tui.* Illa vero sæcularizatio, quæ Ecclesiastici superioris consensu & authoritate perficitur, ex causa quoque majoris utilitatis fieri posse, non ambigitur. *e*)

a) Matth. 12. vers. 4.

b) 2. Reg. cap. 12. vers. 17. & 18.

c) 4. Reg. cap. 18. vers. 14. & seq.

d) Isaiæ cap. 49. vers. 23.

e) Juxta Cap. 1. & 7. X de reb. Eccles. non alienand.

§. XIX.

An princeps Catholicus post Pacem Religionis subditis suis Aug. Conf. addictis ordinationes Ecclesiasticas præscribere possit?

Pari ratione ex Cap. 2. §. XIII. circ. princip. abunde liquet, Principem Catholicum suspensa per Pacem Religiosam, & Westphalicam jurisdictione Ecclesiastica Consistoria pro suis subditis Augustanæ Conf.-addictis constituendo, ordinationes Ecclesiasticas receptæ Religioni conformes inducendo, licite ac de jure aggere. Sicut enim ad occurrendum querelis subditorum contra stabilita suæ Religionis Principia, & dictamina conscientias suas gravari obtendentium, prudenter observandum est, quod pacto conventum fuit; ita vice versa ejusmodi ordinationes juxta traditas eorum Religionis regulas recte præscribuntur, eo duntaxat fine & principio, ut stabilita communiter jurisdictione Ecclesiastica, vi potestatis naturalis & Civilis Dominus Territorialis tanquam positum circa ejusmodi sacra Reipublicæ Caput inter subditos tranquillitatem obtineat, quæ nunquam stabit immunis a turbis, si absque Ministris & regula populus fluctuans omni vento doctrinæ circum ageretur, cum tres tantum in Germania receptæ sint Religiones. Unde sequitur

§. XX.

§. XX.

An Dominus ſtante Pace Relig. & Weſtph. novum dogma nec tolerare ſed prohibentem docentem punire poſſit, & quomodo?

Atque, cum jam ſupra (§. XV. h. cap. 2.) in genere definiverimus, in quantum Dominus Catholicus contra hæreſes intra Territorium ſuum graſſantes ex vi poteſtatis executivæ procedere poſſit, in caſu, quo jurisdictio Eccleſiaſtica ſuum vigorem retinet; ex illis facile concluditur, privative eundem ſuſpenſa (veluti per Pacem publicam contigit) jurisdictione Eccleſiaſtica, in Docentes falſam, & non toleratam Religionem, & ſeditioſis concionum fabellis populum commoventes tanquam Pacis publicæ turbatores, prout delicti gravitas & Reipublicæ ſtatus exigit, animadvertere poſſe & debere. In fomite quippe præforandum eſt malum, quando adhucdum crimen in paucis eſt, ut ad omnes terror & agnitio perveniat, poſtquam enim contagium majorem populi partem infecit, animique pietatis aut hypocriſeos aperte non receptæ glaucomate faſcinati ſunt, ſeverioribus remediis rem irritari potius, quam ſanari triſti experientia, omni ævo compertum eſt.

Docet id ipſum hiſtoria & Eventus tum in Belgio.

Quamobrem errantium multitudo, modo a ſeditionibus turbulentis abſtineat, benignius habenda, ſæpe enim diæta curat, quos phlebotomia perdidiſſet. Belgium teſtis eſt, in quo, poſtquam Philippus II. Rex Hiſpaniarum liberis Provinciis Hiſpaniæ Inquiſitionis inſuetum, ut illi interpretabantur, jugum imponere ſtatuit, infinitis cladibus Theatrum apertum potius, quam proviſum & cautum fuit, nimio Zelo ac fervore Religionem Antiquam a Provinciis, maximam partem Religionis ab obſequio Regis avellente.

Tum in Gallia.

Nec felicior fuit in opprimendis per duras Quæſtiones in Gallia Hugonotis Franciſcus I. ejusque Succeſſor Heinricus II. nam ſic nec extincta ſcintilla, nec incendiorum flammæ ſuppreſſæ fuerunt, quin potius contra Reges ſuos numeroſis exercitibus ſtipati Caput extulere Viris armisque potentes, ut Hiſtoriæ ſatis notant.

Non armis, ſed viris doctis & probis præſtat errantium multitudinem ad veram & ſanam doctrinam Lege Evangelii aſſertam conciliorum veritate & fide hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cum lenitate ac dono fidei reducere.

Præſtat igitur Viros pietate morum, ſcientia & doctrina Evangelii, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ac Conciliorum fide præſtantes ſeligere, qui errantes ſuaviter reducant telis doctrinæ, pietatis & ſapientiæ, cum pertinacibus intrepide, cum falſo Zelo illuſis pie ac benigne, cum frigidis ſerio, cum dubiis clare ac confidenter, cum omnibus prudenter tractare ſciant, ſtudeant ac noſint, & quibus vera ſæpius Religio calumnioſe depingitur, falſo præconceptas opiniones adimere, allaborent.

§. XXI.

Quoniam vero, ut recte docet Concilium Tridentinum, a) nihil eſt, quod magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui in ſortem Domini vocati ſe Divino miniſterio dedicarunt, dandâ eſt

est opera, ut Episcoporum, Prælatorum & Clericorum vita & mores populo nunquam scandalo, semper sint exemplo.

Per quos Grex Catholicus regi oporteat.

Præcipue vero tales Catholico gregi præficiendi sunt Episcopi, qui per meritorum suffragia ad Pedum, & Infulam pervenere, ac qui, quæ suæ sint partes agnoscant, seque ad labores, & sollicitudines pro DEI gloria vocatos esse intelligant. O quantum valet unius Episcopi vigil oculus, ut ab ovili Christi lupos arceat! quam alte in animos fidelium veri Pastoris illabitur charitas, qui aberrantes requirit oves, ut ad Ecclesiæ ovile exemplo magistri Christi, præeundo feliciter ac suaviter reducat! cum jugum ejus suave sit & onus ejus leve, nempe volentibus, ac mandatis ejus obedientibus, & cooperantibus.

Unde tot diversæ Religiones.

Si præterita repetamus, quid tot diversarum opinionum viam patefecit? nisi quod, ut Epistola D. Pauli *b)* prognosticat, tunc vaticinii, nunc veritatis ratio evenerit, atque ut egregie inquit Florimundus Raymundus, *c)* cum nonnulli Pastorum genio indulgerent, & divitiarum deliciis immersi in utramque aurem dormirent, tum vetus ille Ecclesiæ militantis hostis Diabolus muros Ecclesiæ pluribus in locis male custoditos adoriri opportunum duxerit. Inde ruina populi, inde tot animarum defectio; & quid miri est? *Totius Familiæ Domini* (verba sunt Sacratissimi Concilii Tridentini) *d) Status & Ordo nutare incipit, si quod requiritur in Corpore, non inveniatur in capite.*

a) Sess. 22. cap. 1. de Reformat.

b) 2. Timoth. 4. vers. 3. & 4.

c) In Histor. de ort. & progress. hæres. Lib. 1. cap. 1. num. 2.

d) Sess. 24. de Reformat. cap. 1.

§. XXII.

Quare qui præter Toleratas Relig. nova dogmata cudunt, & turbas miscent, severius coërcendi?

Dixi (§. XX. in princ.) eos, qui ab Avita ac recepta fide discedentes præter Religiones Toleratas in Imperio novas de fide opiniones cudunt, miscent turbas, nec moniti desistunt, merito severius coërcendos esse, sunt enim de facto turbatores Status Publici, adeoque geminato sese flagitio contaminant, & sunt contaminatores Legum patriarum.

Non est penes status alias sectas tolerare; licet vellent paci-

At nec eos immunes a pœna relinquendos censeo, qui Christianam quidem, attamen falsam & ultra Religionem Toleratam quamvis privatim, ac sine scandalo amplectuntur. Quod enim per Tractatus Pacis Religiosæ, ac subsecutæ Westphalicæ *a)* in Imperio Romano-Germanico tribus his Religionibus datum est, in consequentiam non temere producendum est, nec vaga opinionibus omnibus indulgenda libertas; itaque neque tales tanquam insontes relinquendi, nam licet

licet in publicam tranquillitatem non perinde peccent, verendum tamen eſt, ne tacitum virus diſſimulanter in alios diffundant, ideoque a talibus cavendum, monet Apoſtolus ad Titum: *b*) *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem de vita, ſciens: qui ſubverſus eſt, & deliquit, cum ſit proprio judicio condemnatus.* Præterquam quod & ipſa Pax Weſtphalica deſuper aperte loquitur. ſice & privatim vivere?

Et quia pro menſura delicti debet eſſe correptionis & pœnæ modus, in id genus homines mitioribus plerumque viis, quales ſunt confiſcatio, relegatio, aut graviorum quandoque onerum impoſitio, principem uti, non erit inconveniens, ut vel in ipſo pœnarum moderamine clementiam agnoſcant, & temporalium rerum jactura perterriti, vel relinquant impedientem animoſitatem, vel illam compellantur amplecti veritatem, pro qua obdurata aures ſufficere ſtulte aſſerunt. Atque idem ſuggerit Gregorius ille Magnus: *c*) *Si Ruſticus, inquiens, tantæ perfidiæ & obſtinationis fuerit inventus, ut ad* DEUM *minime venire conſentiat, tanto penſionis onere gravandus eſt, ut ipſa exactionis pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare.* Quomodo Hæretici ſint puniendi?

Itaque qui a recepta Religione deſcivi, cogetur indirecte per extrinſecas afflictiones calamitate ſua doctus reſpiſcere. Et cur per brachium Poteſtatis Sæcularis non cogeret Eccleſia perditos filios, *ut redirent, ſi perditi filii coëgerunt alios, ut perirent? d*) Et ad veram Religionem reducandi?

a) Inſtrum. Pac. Oſnabr. Art. VII. in fin.

b) cap. 3. verſ. 10. & 11.

c) Can. Jam vero. Cauſ. XXIII. Quæſt. 6.

d) Can. Schismatici Cauſ. XXIII. Quæſt. 6.

§. XXIII.

Prædictis non obſtat, ſi quis objecerit fidem eſſe donum DEI, & quia donum non datur niſi volenti, eam debere eſſe liberam juxta effatum S. Auguſtini *a*) *cætera poteſt homo nolens, credere vero non niſi volens.* Unde optime ſcribit Lactantius: *b*) *Quis imponet mihi neceſſitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi.* Nam ℟. 1mo: Omnis virtus eſt donum DEI, utpote qui eſt fons, & Author omnis boni, & tamen ob omiſſum actum virtutis præceptum juſte punimur, adeoque qui non allicitur ad illum virtutis amore, pœnarum tamen metu recte compellitur, porro fides eſt & lumen, quod Miſericordia DEI nunquam negat, ſi qui dubius eſt, ſincere petat, prout in conſcientia tenetur. Ad object. neminem cogi poſſe ad fidem. Reſp. 1mo explicando.

Reſp. 2do Fides utique libera eſſe debet quoad internum aſſenſum, id eſt: quoad actum credendi, quia poteſtas humana non poteſt ſubditos cogere ad Reſp. 2 ſub diſtinctione

actum internum credendi, potest tamen id quoad actum externum, quia Princeps ad conservandam Pacem in Republica potest prohibere exercitium non toleratæ Religionis, utpote quod nec tolerare, imo potius eliminare speciali conventione adstrictus est.

In primitiva Ecclesia Hæretici non fuerunt puniti & quare?

Equidem in Ecclesia primitiva hæreticos pœna corporali punitos fuisse non legimus; neque ea facultas erat ob infidelium potentiam, & fidelium paucitatem, nec eo descendere fuisset expediens propter scandala, quæ tunc facile potuissent oriri. Postea paulatim puniti sunt, nunc exilio, *c*) nunc mulcta pecuniaria, *d*) nunc amissione omnium bonorum, *e*) Denique eis, qui hæresin Eutychianam & reliquas pertinaciter docere dein tentaverint, ultimum supplicium statuerunt Impp. *f*) ex quo proinde Conclusio supra (§ XXII.) posita magis confirmatur.

Diluitur etiam objectio 2da

Si regeras: textus desumptus ex Apostolo ad Titum *g*) inquit: *Hominem hæreticum devita, sciens, quia superbus est*; non autem habet: *occide*: Ergo nihil videtur probare. ℞. Ex Becano, Apostolum non scripsisse Principi Politico, qui gladio corporali, sed Episcopo, qui gladio spirituali, id est: increpatione & excommunicatione debeat uti, hinc in textu græco legitur Παραιτȣ, id est: *rejice*.

Ostenditur hæreticos ab Episcopis tradi posse Brachio sæculari puniendos.

Quod si eo tempore fuissent Principes Christiani, quorum Curiæ tradi potuissent ab Episcopo hæreticus pertinax, & falsa dogmata divulgans, potuisset utique Titus Episcopus ejusmodi seductorem, & a se excommunicatum, sed incorrigibilem gravioribus pœnis subjugandum extradere; hæretici enim, cum per baptismum sint ingressi Ecclesiam, tenentur Ecclesiæ tanquam subditi parere, adeoque Hæc jus quæsitum habet, quando a fide in baptismo data recedunt, eos tanquam rebelles coërcendi, siquidem malitia hæretici Ecclesiam jurisdictione sua privare non debet, proinde casu quo videt censuris & pœnis, quas ipsa infligere potest, nihil profici, juste implorato Brachio sæculari utitur ad tollendum scandalum de medio populi. Verum id ea ætate, cum Imperator, ac Magistratus gentiles essent, ratio temporum æque non patiebatur, neque tunc ea introducere traditione Patrum, & Consensu Ecclesiæ liberum erat, quæ deinde salva fidei substantia, aut in meliorem ordinem & frugem redacta, aut aperto usu, & ausu introducta ac tradita fuere.

a) Tract. 26. in Joan.

b) in Lib. V. Inst. cap. 19. Conf. & Ziegler de jur. Maj. Lib. 1. c. 16. §. 3.

c) L. Arriani 5. Cod. de Hæreticis.

d) L. Cuncti Hæretici. 3. Cod. eod.

e) L. Manichæi 15. in fin eod,

f) L.

f) L. Manichæo 11. eod. quæ est epitome ex Eclog. Περι Βασιλ Μανιχαίων c. 25.

g) Cap. 3. verf. 10.

§. XXIV.

Prælictæ pœnæ adversus sectarios non tantum latæ, sed & probabilius exercitæ fuerunt.

Quidam existimant, prædictas pœnas (§. XXIII. circa med.) potius ad terrorem latas, quam exercitas fuisse; verius tamen est, etiam merito illas hæreticis fuisse inflictas, quippe qui teste Baronio *a*) maxima ex parte Magi, & ut S. Leo *b*) scriptum reliquit, fuerunt perversissimum hominum genus, in quod quasi in quandam sentinam cum turpissimarum sordium concretione scelus omne confluxerat.

Eadem causa impulit S. Augustinum, ut, (quamvis scripsisset, *c*) nondum scilicet expertus, quantum mali hæreticorum auderet impunitas: *Nemini bono in Ecclesia Catholica placuisse, si usque ad mortem in quenquam licet hæreticum sæviatur*) Bonifacio Africæ Proconsuli suaserit, pœnis adhibitis Donatistas & Circumcelliones in viam veritatis reducere, siquidem vias insidebant; multosque, ut infectores sui essent, seducebant. Anabaptistas tanquam fractæ Pacis reos, & seditionum incentores igne ac ferro delendos Comitiali Cæsaris, ac Statuum Imperii consensu conclusum ostendit Recessus Imperii Spirensis, sive constitutio de Anabaptistis Anno 1529. primitus facta, atque postea Anno 1544. & 1551. renovata.

Recessus Imperii An. 1529. de delendis Anabaptistis.

Qua conditione in Imperio subditi diversæ a Domino Territorii, toleratæ tamen Religioni addicti tolerantur.

Nec minus in tabulis Pacis Westphalicæ *d*) subditi Catholicorum Augustanæ Confessioni addicti, & vice versa diversam a Territorii Domino, toleratam tamen, Religionem professi, quando *nec sponte migrare volunt, nec a Domino jussi sunt*, *e*) ea conditione patienter tolerantur, & conscientia libera devotioni suæ vacare, vel in vicinia, ubi & quoties voluerint, publico Religionis exercitio interesse non prohibentur: *Si officium suum cum debito obsequio, & subjectione adimpleant, nullisque turbationibus ansam præbeant.*

Concluditur Hæreticos seditiosos juste puniri.

Quam ob rem si bonis retentis emigrare possint, ac debeant ii, qui diversam, attamen Legibus Imperii non damnatam Religionem colunt; quis inique agi dixerit, si subditi specie Religionis turbida, & factiosa molientes gravioribus pœnis, Lege vero publica vetitam licet privatim, ac sine scandalo sectantes, exilio, vel si plures in ejusdem farinæ hæresin lapsi copiosius emigrando Rempublicam pecuniis spoliarent, publicatione bonorum mulctentur?

a) Ad Annum Christi CCLXXVII.

b) Sermon. 5. de jejun.

c) Lib. III. adversus Cresconium.

d) Art. V. §. placuit porro 34. per tot.

e) Sic enim debet intelligi cit. §. 34. ne contradicat §. *Quod si vero subditus.* 36. d. Art. V.

Principi duo sunt cavendi scopuli, subditis in alienas a sua Religione distractis.

§. XXV.

Delicata profecto & perplexa res est, Principem agere, populis in alienas a sua Religiones distractis, duosque cavendos habet scopulos, hinc *Politicam timiditatem*, inde *præsumptuosam præcipitantiam.*

Primus scopulus: Politica timiditas.

Quandoque Principes hæreses in suis ditionibus serpentes sub prætextu, seditiones, aliave Reipublicæ mala evitandi, passi fuerunt adolescere, timentes ubi non erat timor, dehinc justo DEI judicio, cujus causam segnius egerunt, aut plane neglexerunt, deserti, evitare cupientes charybdim, impegerunt in scyllam, eaque, quæ tam caute sibi videbantur effugere, sensere graviora discrimina.

Quomodo secure subditi ad veram Religionem reducendi; Probatur ex Historia Sacra.

Obviandum est Principiis, & nec ignavo timore ad insanientis plebeculæ minas statim dimittendus est animus. Integerrimus Regum judæorum *Josaphat* populum nactus idololatriæ mordicus inhærentem exemplo sit, quantum firma in Deum fiducia, & Zelus solerti prudentia temperatus ad subditos ad veræ Religionis studium reducendos valeat; quando sacer textus, a) hoc inter ejus encomia collocat: *Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini etiam excelsa, & lucos de Juda abstulit.*

Alter Scopulus: Præsumptuosa præcipitantia.

Quod alterum attinet scopulum, is est cœca, & incauta præcipitantia, quæ quidem Principes ostendit ferri Zelo Religionis, sed non eo, qui sit secundum Legem & scientiam, prout Magnus ille. David b) *se* comedi *Zelo Domini, non* devorari *optavit.* Videre fuit Principes indiscreto id genus impetu populi sui reformationem urgentes, dum subditorum quietem turbarunt, solio deturbatos, nec Religionem tamen introductam, quod satis superque edocent historiæ.

Quid Principi considerandum subditis in alienam a sua Religionem distractis.

Est igitur habenda ratio virium temporumque, ac circumspecte considerandum, quo in statu sint ejus ditiones, & an paucos, an vero multos habeat subditos alienæ a sua, & non toleratæ Religioni addictos? Si enim totum ejus populum, vel maximam ejus partem viderit ultra Leges Pacis Westph. heterodoxam, non poterunt Zizania sine tritici simul destruendi periculo extirpari, ideoque ingentes rerum conversiones declinaturus dissimulatione & sibi, & subditis proficua utatur, leniter ac sensim procuret, ut ignorantibus lux veræ doctrinæ oboriatur, & errantium in rectam viam reducantur animi.

a) Lib. 2. Paralip. cap. 17. vers. 6.

b) Psal. 68. vers. 10.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quin imo id cuilibet observandum Principi volenti subditos ad fidem, quæ recepta est flectere, ut eos de veritate illius sufficienter faciat erudiri; quomodo enim credent si non audiant, a quo intelligunt, quid eis sit credendum; quod nisi fiat, eveniet, ut subditi, dum male credere prohibentur, bene autem credere non docentur, nihil credant, vel credere sciant, devolvanturque in abyssum aut Atheismi, aut Libertinismi, aut Religionis delirii ac subsannationis.

Qua ratione subditi ad Principis sui Religionem reducendi.

Providendum igitur de Sacerdotibus probis ac eruditis, qui scientia præstent, verbo moveant, exemplo trahant ad agnitionem veritatis. Ideam hujus rei in prælaudato *Josaphato* exhibet sacer Codex; *a*) Is enim, cum hanc ob causam, eversis licet a patre Idolorum fanis ac statuis, & idololatriæ exercitio tota Judæa proscripto, populum tamen ad veteres cultus redire videret, quod vanitatem Idolorum non satis esset edoctus, adnitente Sacrorum Pontifice novem Levitas assumpsit, duosque Sacerdotes ordinavit tanquam Missionis munus obiturus, qui errorem idololatriæ e mentibus populi evellerent, & Legis Divinæ observantiam inculcarent; utque majus daret prædicationi pondus, quinque viros Principes Sacræ Legis Doctoribus superaddidit, qui Levitarum conatus sua authoritate promoverent.

Subditis providendum de Sacerd. probis & doctis circa negot. Religionis.

Postquam ita Religionis veritas populo sufficienter est proposita, non habet, quod Religionem sibi conqueratur obtrudi, sed similis est iis, *qui a veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur*, *b*) siquidem vel laborat ignorantia affectata, vel saltem vincibili, eoquod nolit Verbi Divini prædicationi aures mentemque applicare, vel si veritatem agnoscat, in retribuenda perfidia est pertinax, ideoque nisi pactis publicis aliter, uti in Germania nostra, Pace Religiosa, ac Westphalica cautum sit, intrare in Ecclesiam, est compellendus, idque etiam quoad eos, qui in Imperio Romano-Germanico Anno 1624. exercitium unius ex tribus Religionibus publicum vel privatum non habuerunt, ita tamen, ut non nisi migratio eis injungi possit, *c*) est intelligendum.

Quæ ratione populus de adempta libertate Religionis conqueri non potest.

a) Paralip. L. 2. cap. 17. vers. 7.

b) Rom. 10. vers. 14.

c) Juxta Art V. §. 36. Instrum. Pacis Osnabrug. verbis: Quod si vero subditus, qui nec publicum, nec privatum suæ Religionis exercitium Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto habuit, vel etiam, qui post publicatam Pacem, Religionem mutabit, sua sponte emigrare voluerit, aut a Territorii Domino jussus fuerit, liberum ei sit, aut retentis bonis, aut alienatis discedere, retenta per ministros administrare, & quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas, vel persequendas lites, aut debita exigenda, libere & sine litteris commeatus adire.

An Augustiss. Imp. In terris Protestantium jure Primariarum Precum gaudeat? & quo jure?

§. XXVII.

Quandoquidem de rigore sive severius, sive moderatius pro varietate circumstantiarum in Heterodoxos non toleratos a Principe Catholico exercendo, de iis vero, qui Religionem Lege publica admissam profitentur, tolerandis, hactenus verba fecimus, incidit dubium: An Augustissimus Imperator in terris Protestantium jus Primariarum precum exercere possit?

Quæst. hæc ante P. W. valde fuit agitata.

Ratio dubitandi 1ma.

Equidem ante Pacem Westphalicam id reperio valde fuisse controversum. *1mo*: Quod plures contenderent hoc jus Imperatoris Augustissimi dependere ab indulto Apostolico, consequenter cum in Protestantium terris Papæ jurisdictio sit suspensa juxta tabulas Pacis Religiosæ, *a*) ubi conventum dicitur, *ut Ecclesiastica jurisdictio .... adversus Augustanam Confessionem, Religionem, Fidem, Ministrorum constitutionem, Ecclesiasticos ritus, ordinationes, Ceremonias, quas instituerunt, aut instituri sint, usque ad finalem Religionis compositionem non exerceatur*; idcirco ipsum quoque jus Primariarum precum suspensum videri; Papa enim non plus juris in Imperatorem transferre potest, quam ipse habeat, & quod effectus reguletur ex sua causa, nec possit causa secunda ultra illud, quod infunditur a causa prima. *b*)

2da ratio dubitandi.

Deinde: pro negativa facere existimabant, eandem Pacem Religiosam, *c*) cum ibi quoque sancitur, Status Imperii fundationes, Monasteria, & alia bona Ecclesiastica ante Tractatum Passaviensem occupata retinere debere pacifice.

Prædicta Quæst. decisa in P. W.

tum quoad loca immediata,

tum etiam mediata.

Notatur differentia inter utraque loca.

At vero superveniens Pax Westphalica-Osnabrugensis huic controversiæ colophonem imposuit, *d*) quando conventum: *ut ubi Sacra Cæsarea Majestas jus Primariarum Precum exercuit, id etiam imposterum exercere valeat; dummodo decedente Augustanæ Confessioni addicto in ejus Religionis Episcopatibus eidem Confessioni addictus ad normam Statutorum, & observantiæ idoneus precibus fruatur.* Et hoc in loco Instrumentum Pacis Westphalicæ loquitur de Episcopatibus, & locis immediatis. De mediatis tamen pariter in eo *e*) conventum: *Ut in quibuscunque etiam fundationibus mediatis Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto die prima Januarii Sacra Cæsarea Majestas primarias preces exercuit, exerceat eas imposterum ad modum circa bona immediata antea explicatum*; cum hac tamen differentia, ut observat Henniges *in meditat. ad Instrum. Pac.* Quod in beneficiis, quæ vacant in capitulis, ac locis immediatis Cæsari simpliciter & sine ulla restrictione sit facultas exercendi Preces Primarias, ubi eas antea exercuerat; in bonis econtra mediatis non aliter, quam si eas an. 1624. prima die Januarii exercuerit. Rationem allegat, quod cavere voluerint Status Protestantes, ut Imperatori quam minimum in conferendis bonis Ecclesiasticis mediatis sit arbitrium.

a) De Anno 1555. §. Damit auch 20.

b) Ibid.

b) Ibid. §. Dieweil aber. 19.

c) L. Pede §. prædium. ff. de Legat. 2.

d) Art. V. §. Ubi Sacra Cæsarea Maj. 18.

e) Sc. in §. omnia quoque Monasteria. 26. d. Art. V.

§. XXVIII.

Cæterum unde Jus Primarias Preces dirigendi natum, & quod antiquissimæ potius consuetudini ac exercitæ præscriptioni natales debeat, ex sequentibus facile dijudicandum erit. Antiquitas Juris Primariarum Precum.

Nam hoc palmare argumentum est, quod nullus hactenus repertus sit Historicus, qui Authenticum hujus concessionis Cæsaribus factæ instrumentum produxerit; quin imo fatentur ipsi scriptores passim ante tempora gloriosissimi Rudolphi I. Imperatoris, quem comperimus vixisse Anno 1273. nullum reperiri diploma harum Primariarum Precum, sed in illo Rudolphi expressam esse antiquam consuetudinem Prædecessorum preces dirigendi. En formula Precum Rudolphi I. „a) Rudolphus &c. Cum *ex antiqua, & approbata a Divis* „*Imperatoribus, & Regibus ad Nos producta consuetudine*, quælibet Ecclesia in „Nostro Romano Imperio constituta, ad quam Beneficiorum Ecclesiasticorum „pertinet collatio super unius collatione Beneficii Precum Nostrarum primarias „admittere teneatur; Devotionem Tuam rogamus, quatenus huic Clerico de „Ecclesiastico Beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reverentiam Sa„cri Imperii studeas liberaliter providere. Datum anno Regni nostri primo. Preces Rudolphi I. Imperatoris.

Carolus IV. Imperator inauguratus Anno 1345. Primarias preces quoque direxit eadem asserta antiqua consuetudine. Formula illarum precum b) hæc est: „*Cum itaque* Nobis *tam de jure, quam antiqua, & approbata consuetudine* „*hactenus observata* competat, quod ex Coronationis nostræ solenniis in quolibet „Monasterio in Imperio constituto unam tantum personam virtute Primariarum „Precum Nostrarum ad Beneficium Ecclesiasticum facere possimus promoveri. „Hinc est, quod pro Petro Conradi vobis Primarias dirigimus Preces Nostras, „Devotionem vestram hortamur; & per Regalia sceptra mandantes, quatenus „præfato Petro de Beneficio Ecclesiastico, quod vacat ad præsens, vel quod pri„mum vacaverit, ad vestram collationem spectans, authoritate Primariarum „Precum Nostrarum providere debeatis, quavis contradictione cessante, jus no„strum & *dictam consuetudinem* in præmissis nobis taliter servaturi, prout jura, „& liberalitates vobis, & dicto vestro Monasterio a Prædecessoribus Nostris da„tas Nos delectat non minuere, sed augere. Preces Caroli IV. Imperatoris.

a) apud Goldastum constitut. imperial. Tom. III. p. 406.

b) Quam exhibet idem Goldast. Tom. I. pag. 343.

§. XXIX.

b) Matth. 10. verf. 16.

c) in §. Item excommunicamus. 14.

d) & §. feq. 15. in quibus duobus §§. contineretur, fi quid effet, quod allegari poffet, neuter tamen de cafu præfenti h. §. difponit.

e) L. fin. ff. de jurisdictione.

§. XXXII.

Dicta declarantur Exemplo.

Quæ modo dicta funt (§. præced. in fin.) pro meliori intellectu declarari poffunt exemplo, quod ponit FRANCISCUS de ARAUXO *a*) in Rege Catholico, Madriti, & Cordubæ vendente cuidam privilegium, ut ipfi foli liceat locare & commodare pro certo pretio paramenta nigra, candelabra, & fimilia pro exequiis Defunctorum. Quid dicendum, fi huic fe oppofuiffet aliquis fuperior Ecclefiafticus, ex hoc capite, quod convenientius fuiffet, ut cum cadaver, & funus ad Ecclefiam pertineat, eidem quoque hoc lucrum relinqueretur? Utique ab eo ratio quædam convenientiæ allegata fuiffet; ex eo tamen nemo intulerit, privilegiato propterea ufum privilegii jufte potuiffe impediri, fi Ecclefiam habentem fimilia paramenta prohibuiffet aliis ea elocare; fiquidem præterquam quod Ecclefiæ & Clericis negotiari fit interdictum, per hoc privilegium nihil fuit inhibitum, quod effet proprium Ecclefiæ, ut Ecclefia eft, funt enim hæ res mere temporales, utpote quæ *b*) *dicuntur magis vivorum folatia, quam fubfidia mortuorum;* adeoque Prælatus ejusmodi privilegio fefe opponens fruftra fub convenientiæ fpecie quæftus fuiffet lædi libertatem Ecclefiafticam.

Quid in fimilibus cafibus obfervandum?

In cafibus igitur fimilibus, ubi Ecclefia & Refpublica tamquam duæ Civitates confiderantur, non aliter eft pugnandum, quam ut rite & pacate omnia fiant, eo connitendum eft, ut adhibito compofitionis fubfidio, quælibet Poteftas fefe intra fuos limites prudenter, moderate ac cum reciproca veneratione contineat, præcepto illo Evangelico: *c*) *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

a) Difp. 12. de Stat. Civ.

b) Can. Animæ. C. XIII. Quæft. 2.

c) Matth. 5. verf. 24.

Conclufio totius Differtationis.

Atque hæc pro Inftituti noftri ratione de nobiliffima & graviffima Religionis materia, cujus in Sacro Romano Germanico Imperio noftro frequentiffima occurrunt dubia, quæ non folum in fupremis Imperii tribunalibus, fed etiam in Comitiis vix non quotidie controvertuntur, ut potui, & debui Catholicorum more, quin ex integro compacifcentium omnium animo, candide ac veraciter differere placuit. Neve juftos Differtationis limites exceffiffe increper, hic

hic pedem sisto, fertilissimumque scribendi campum ingressus, spicilegiis his paucis collectis abeo; hac tamen Lege, ut quicunque hæc tanget, absque omni contentionis, & calumniæ Zelo animum una mecum afferat tum ab omni partium studio alienum, tum ab omni disputationis non fundatæ pruritu liberum, quem & ego omni ex parte sanum sincere profiteor.

O. A. M. D. G.



Animadversiones Editoris.

Ad §. *XVI. C. II.* Autor hic recte inquit studiose pluribus in locis P. W. clausulam illam adjectam fuisse, donec *dissidia Religionis iterum Deo adjuvante sint componenda.* Nostris diebus compositionem ejusmodi nulla ratione sperari posse contendit celeb. JERUSALEM in opusculo, quod inquit jussu illustrissimi cujusdam Ministri a se editum fuisse. Prodiit denuo 1772. hoc titulo: Von der Kirchen-Vereinigung, ein Bedenken des Herrn Abts Jerusalem. Id potissimum ratione Catholicorum unioni huic obstare contendit a p. 14. seqq. quod ipsi velint in Ss. Eucharistia verum post consecrationem adesse Christi corpus, et sanguinem, atque huic deinde dogmati tanquam praecipuo Religionis Catholicae fundamento plurima alia circa pompam exteriorem, ritus, ceremonias inaedificent. Wird es uns (ita deinde interrogat) gleich so leicht möglich seyn, diesen göttlichen Erlöser in einer jeden geweihten Hostie als körperlich gegenwärtig anzubethen? und einem lebendigen Leib, ohne alle wesentliche Eigenschafften eines solchen Leibes, und wiederum alle Eigenschafften des Brods ohne deren natürliche Substantz zu denken, und dies für eine Grundwahrheit unseres Glaubens zu erkennen? Quis vero exspectasset tantam in hoc Mysterio capiendo difficultatem futuram Viro, qui, cum se Lutheranum hactenus professus fuerit, Christum saltem in sumptione adesse sub pane ex Ecclesiae suae principiis admittere debuisset? atenim, quod Lutherani ipsi non sine stupore in hoc oraculo suo exceperunt, nomen quidem Lutherani in ipso hoc opusculo antea citato retinuit *Jerusalemius*, alias autem in doctrina de praesentia Christi in Eucharistia aperte ad Calvinistas defecit: en ipsius verba p. 16. 17. 18. Wir Lutheraner brauchen zwar auch das Wort *praesentia realis*, aber wer nur einiger massen weiß, was wir darunter verstehen, und wie sich die Reformatoren schon gegen alle Consequenzen dabey verwahret, der wird auch wissen, daß wir dadurch NB. der Römischen Kirche keinen Schritt näher kommen, als die Reformirten. Uns ist das Abendmahl ein feyerliches Ge-

dächtnismahl des Todes des Erlösers zugleich das feyerlichste Bekenntnis, daß wir ihn für unsern Erlöser, und seinen Tod für das grosse Versöhnungs-Mittel halten ꝛc. Quae deinde plura addit vel ipsissima sunt Calvinistarum sensa, vel saltem ab his salva omnino Religione sua usurpari possunt. Frustra videlicet hodie cum hujuscemodi hominibus de materia Religionis tractes, ubi tam effraenem, quemadmodum inter ipsos Protestantes plures queruntur, sentiendi libidinem sibi arrogant, ut ne libris quidem symbolicis aliquid amplius, quam quousque libet, tribuere velint. Ne justis quidem et perspicuis de Catholicorum doctrina ideis imbutum se esse *Jerusalemus* in hoc suo opusculo non una vice ostendit, adeo susque deque miscet omnia, uti dum verbis supra citatis interrogat, an corpus quoddam vivum sine essentialibus ejusdem attributis concipi queat? quasi vero Catholici existiment Corpus Christi non habere ea, quae ad essentiam corporis vivi requiritur, quod ne somniant quidem. Conf. P. ALOYSII MERZ S. J. Frag: ob der berühmte Herr Abt Jerusalem von dem Glauben seiner Väter, und der ganzen Lutherischen Kirche, in der so wichtigen Lehre von dem Abendmahle nicht vollkommen abgefallen seye, in den H. Weyhnachtsfeyertagen beantwortet 1772. Frag: ob das Bedenken des Herrn Abts *Jerusalem* von der Kirchen-Vereinigung dem Christenthum überhaupt zum Vortheil, der Lutherisch-Evangelischen Kirche aber, und dem Herrn Verfasser insonderheit zur Ehre gereiche, an dem Feste der H. *Hilaria* beantwortet 1772. Frag: ob der berühmte Herr Abt *Jerusalem* in der That ein so starker *Theolog* seye, wie er als ein solcher in der *Protestanti*schen Kirche angesehen und verehret wird, in den Osterfeyertagen beantwortet 1773. Caeterum FEBRONIUS in Praefat. *Tom.4. Part.1. 1773.* mirum quantum sibi applaudit in sensis JERUSALEMI de ejus opere, quae prout ea FEBRONIUS latine reddidit ipse hic refero: „An (inquit „*Jerusalemus*) FEBRONII systema proponam? verum est per illud nobis Romanam „Ecclesiam propinquiorem futuram; sed hoc systema neque erit, neque poterit esse „systema Sedis Romanae, quam tamen nos, quoad usque Providentia aliter dis„posuerit, tanquam centrum Romanae Ecclesiae debemus respicere. Porro „quam parum haec Curia ad hoc systema tanquam suum agnoscendum hactenus „disposita sit, evincunt ejusdem adversus illud commotiones, et scripta, quae „pro suscepta ejus refutatione ipsa procurante eduntur. Si tamen absque cu„jusquam offensione liceat dicere, quod ex praesentibus agitationibus, quas divina „Providentia in Christiana Republica permittit, ad futura tempora augurari „posse putem: videtur idem illud systema, quod ab omnibus, qui ab erudi„tione sive politica, sive philosophica, aut a cultu elegantiorum literarum lau„dem appetunt, tanto plausu recipitur (*igitur a politicis, philosophicis, Belleteri*„*stis, sit verbo venia, non a Theologis*) quod a primariis Catholicis Aulis atque „Universitatibus sustinetur (*qui de Universitatibus praecipue id probat* JERUSALE„MUS?

„MUS?) adeo, ut etiam Viennae post tertio repetitum examen innoxium repu-„tatum sit (*huic igitur examini in materia de ipso systemate Ecclesiae cedere debent* „*judicia Pontificis et tot Episcoporum*, quos ipse FEBRONIUS *legitimos in causis* „*Fidei judices acriter defendit*) hic inquam fere videtur, praesertim, si insimul „ad reliquas quas cernimus extraordinarias vicissitudines animum adjicimus „(sed quas? *procul dubio ex mente etiam* FEBRONII, *excidium Religiosorum Or-„dinum*, *immunitatis Ecclesiasticae integram abolitionem*, *bonorum ecclesiasticorum ad* „*quosvis pro lubitu fines applicationem*, *haec enim videmus*) hoc illud systema futu-„rum quod Providentia tanquam medium reuniendae cum tempore Christiani-„tatis prae aliis velit adoptare. Verum Theologi etiam optimis consiliis suis „ad hunc finem hactenus nihil valent conferre. Sola Providentia hac in re „omnia potest. Haec, si illud suum opus est, idem per certiora, saniora et suaviora „media ad suum finem perducet; quam omnis humana sagacitas valeat excogi-„tare. Divisio Religionum, quae ante duo saecula cum dimidio contigit, non „poterat aliter, quam perviolentas concussiones perfici: reconciliatio econtra „per faciliores et gratiores vias procuranda videtur. Et si ex citis passibus, „quibus illa hactenus profecit, ad futura liceat concludere videbimus tranquil-„le, eam cum tempore progressuram longius, quam omnes mortalium cona-„tus queant perficere, et humana ratio ausit exspectare. Hactenus JERUSA-LEMUS prout illam in encomium suum et consiliorum suorum approbationem adducit FEBRONIUS: quem et jam alias Protestantium laudibus tantum tribuis-se constat. Ut autem et illud videat, quid Catholici alii (*non Jesuitae*, utpote quos efferatus homo l. cit. potissimos unionis adversarios affirmat, atque in quorum excidio aperte triumphat) de ejus systemate praesagiant, testimonium viri recitabo, cui et FEBRONIUS, nisi affectibus suis plane in transver-sum actus fuerit, et eruditionem et judicii gravitatem non vulgarem con-cedere debebit: ita autem inquit Autor der vertrauten Briefen zwi-schen einigen Geistlichen von dem vorgeblichen Verderbnisse der Geist-lichkeit und derselben Immunität. 36. Brief p. edit. sec. 189. „Die „Febronianer haben aus der jezigen Lage der Umständen leicht vorausge-„sehen, das die Zusammenberufung eines allgemeinen Kirchenraths bereits „unmöglich sey, und bey einem Menschenalter kaum zu Stande gebracht wer-„den könnte. Sie erkennten zugleich, das durch den starken Einfluß der welt-„lichen Mächten die Freyheit nach dem regelmäßigen Sinne der göttlichen „Schriften zu urtheilen nicht ungestört verbleiben würde, damit also jenes „Richteramt welches wenigst in solchen Verlegenheitsfällen bißhin erkennt wor-„den ist, vereitelt und fruchtlos gemacht werde, so haben sie darauf gearbeitet, „daß die richterliche Vorzüge des Römischen Pabstes ausser einer allgemeinen „Versammlung der Kirchen-Prælaten abgewürdiget, die Erz- und Bischöffe „jeder Nation unter ihren besonderen Patriarchen zu trennen, und auf diese

„verdeckte Art das ganze geistliche Richteramt in eine ewige Ohnmacht verse-„zet werde, welches in dem Hauptwercke eben das saget, als solches mit den „Protestanten gänzlich aus der Kirche verbannen. Ist das von Christo begwal-„tigte Richteramt einmal eingestellet, oder durch die weltliche Mächte unter-„drückt worden; so wird die wahre Heilsordnung nach und nach verkehret, „die zur Seeligkeit nöthige Bedingnissen werden als überflüssig erkläret, die „nüzliche Heilsmittel werden abgeschaffet, und endlich wird die von Gott ge-„stiftete Religion in ein politisches Staatsblendwerck verstaltet, und eine „elende Freydenckerey eingeführet werden. Haec ille, atque deinde sequelas speciales plures deducit, atque concludit demum ipsissimis FEBRONII armis tueri se quouscunque in Religione Novatores utcunque pestilentes, imo & ipsius Religionis Christianae hostes osoresque posse Qui placeat FEBRONIO isthaec Catholici scriptoris praesagia? utra veriora sint an quae ex JERUSALEMO pro sese adducit FEBRONIUS, an quae eidem opponit Catholicus, eventus docet; hoc enim teste omni exceptione majori evidens est, ne Ludimagistrum quidem Protestanticum adhuc ex principiis *Febronianis* ut ut late in ipsa vernacula dispersis Catholicam Religionem amplexum fuisse: ex alia vero parte præcipue inter eos, qui in Aulis *Febronianum* systema extollunt, Religionem vix ullo adhuc loco esse luce meridiana pro dolor clarius est atque evidentius.

Ad §. XXII. Verissime hic inquit Autor ne ex Legibus quidem Imperii vagam opinionibus omnibus libertatem indulgendam esse: de effraeni plane hac libertate quaeritur Vir inter Protestantes Celeb. JOANN. JACOB. MOSER „in den Abhandlungen aus dem teutschen Kirchenrecht 1772. N. VI. wie „weit sich die Freyheit derer Evangelischen in Teutschland in Lehrsachen nach „denen Reichs-Grundgesezen erstrecke oder nicht? p. 203. seqq. his verbis, „postquam in *famosissima Bibliotheca Berolinensi*, allgemeinen deutschen Bibliothec „15. Band. 1. Stück. p. 32. 37. 38. 12. Band. 1. Stück. p. 11. &c. eidem „aperte faveri animadvertit: und ist es an deme, daß, wann es so fortgehet, „daß öffentliche Lehrer der heil. Schrifft, und noch dazu auf hohen Schulen, „wohin die, so die Theologie erlernen wollen, aus vielen grossen Ländern ge-„bannt seynd, (wann mann auf das allerglimpflichste davon reden will) ihre „grosse Gelehrsamkeit und Belesenheit hauptsächlich dazu anzuwenden scheinen, „die Lehre von der Gottheit Christi, vom heil. Geist, von dem Ansehen derer „bishero unter die göttliche Bücher des neuen Testaments gerechneten Schriff-„ten zu untergraben, und jedem Lehrer auf dem Catheder und der Canzel eine „unumschränckte Freyheit beylegen zu lehren, was er nur immer will; wo in-„dessen viele andere mit darzu behülfflich seynd, und es darauf anlegen, daß „die öffentliche Lehrer in Kirchen und Schulen nicht mehr Bekenner und Thä-„ter der Christlichen Religion, sondern gesittete Heyden und ehrbare Natura-„listen

„listen erziehen mögen: so könnten wir bald in solche Zeiten gerathen, da nicht „nur obiges, wenigstens hier und da eintreffen, sondern auch noch weitere „solche Folgen im Geist- und Weltlichen entstehen würden, die mann am Ende „allerseits zu lernen Ursach haben würde. Has equidem sequelas apud Protestantes demum existere mirum non est, quippe qui judicem in his causis respuunt spiritumque illum privatum, quem denuo toties explosum MOSER l. cit. p. 228. vult defendere, tanquam cuivis fidelium promissum facile quoque eludent *Berolinenses:* id dolendum, quod in praecedente animadversione ex scriptore Catholico cit. attulimus, *Febronianum* systema ad hoc præcipitium paulatim quoque apud Catholicos vel potius Pseudo-Catholicos viam sternere.



XIII. JO-

XIII.

JOANNIS PETRI BANNIZA U. J. D.
&c.

DISSERTATIO
DE

VERA RELIGIONIS LIBERTATE
IN TRITICO

PER ZIZANIA NON SUFFOCANDO VINDICATA ADVERSUS BINAS DISSERTATIONES THEOLOGICAM: DE ZIZANIIS NON EVELLENDIS: ET JURIDICAM: DE LIBERTATE RELIGIONIS TUBINGAE ET GIESSAE CATTORUM EDITAS,

Wirceb. 1746.

Sicut colliguntur Zizania, & igne comburuntur, sic erit in consummatione sæculi, mittet Filius hominis Angelos suos, qui colligent de regno suo omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Matth. XIII. verſ. 40. ſeqq.

Purgabit aream suam, & congregabit triticum in borreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Luc. III. verſ. 17.

LECTORI SALUTEM.

Scitum & tritum eſt illud Philoſophi: Amicus PLATO, amicus SOCRATES, ſed magis amica veritas, cujus amore vel propria tollere ſapientem decet. Hoc ſecuti ſtitimus decem abhinc annis veritatem Legum Patriarum Cultoribus in publica Diatriba *de Tolerantia ac Receptione diverſarum Religionum in eodem territorio*,

ritorio, veniaque in fine præfaminis *a*) modeste petita cum pace omnium ac singulorum pro more & libertate Academica *de libertate Religionis* ibidem disseruimus. At ecce! nobis eo nomine præter omnem opinionem bis scribitur literaria dica, dictamque Dissertationem cum ventilare, tum refellere conantur præprimis Celeb. ac summe Venerandus D. CHRISTOPHORUS MATTHÆUS PFAFFIUS, Magnum in orbe literario nomen! *b*), & qui hunc secutus est Clariss. D. JOANNES CHRISTOPHORUS BALSER *c*), Hic JCtus *Giessensis:* Ille Ss. Theol. Doct. ejusdemque Professor Primarius, Acad. *Tubing*. Cancellarius &c. Quemadmodum vero tantam Tantorum Virorum, quam suspeximus & mirati sumus industriam, patienter tolerare tacendo haud potuimus, ne TOLERATORIBUS de principiis nostris Catholicis quicquam remisisse videamur, ita defensionem mox paravimus eo promptius & liberius, cum neutrius Præstantissimi Viri Refutatio ea claritate fulgeat, ut oculi nostri illa perstricti, aut quid recte, aut quid perperam ab ipsis dicatur, nullibi videre queant; neque nos usque adeo timidi sumus, ut visum eloqui non audeamus. Quid autem causæ sit, quod ipsa, quam intendimus hic, APOLOGIA, quamque amice excitati statim adornavimus, in publicam literarii theatri scenam non prodierit citius, fuge quærere Lector, atque iterum iterumque vale.

a) Quod præmisi dictæ Differt. *de Tolerantia diversarum Religionum.*

b) in Differt. Theologica eademque Juris Ecclesiastici *de* ZIZANIIS *non evellendis* ad Matth. XIII. vers. 24. seqq. habita TUBINGÆ ad D. XVIII. & XIX. Novembris Anno MDCCXXXVII.

c) in brevi Disquisitione *de libertate Religionis.* GIESSÆ CATTORUM. Anno MDCCXXXVIII.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

PERIOCHA.

Antecessoribus in Academiis competit interpretatio doctrinalis Legum Imperii publicarum, II. modo debitæ cautelæ adhibeantur. III. per Zizania neutiquam intelligitur Religio Catholica, neque IV. reliquæ receptæ vel toleratæ Confessiones. V. Clausula Art. VII. §. 2. I. P. stringit Protestantes æque ac Catholicos. VI. occasio & princeps scopus Dissertationis.

PERICOPE I.

Quid ex Parabola de Zizaniis potissimum, ac aliunde, statuendum de Tolerantia diversarum Religionum?

§. I. Non semper una in Republica viget Religio; quandonam vero pluralitas Religionum sit toleranda, §. II. Christus docet per Parabolam de Zizaniis; qua abutuntur plurimi Pseudo-Politici. Una unica Religio vera. §. III Quomodo Princeps suas regat provincias; Ei, non competit Jus sacrorum, sive potestas quædam dispositiva, sed tantum executiva. §. IV. Partialis Exegesis Parabolæ de Zizaniis; Hæc quando evellenda, sint ex illa ipsa Parabola ostenditur. §. V. Religionis veræ nota characteristica.

PERICOPE II.

Quid econtra cum ex hac Parabola aliisque similibus S. Scripturæ textibus, tum ex Jure Naturæ & Gentium Protestantici Authores pro Autonomia quarumcunque Religionum passim extorqueant?

§. I Autonomiæ Etymon in genere; Ejus origo. §. II. Autonomiæ Etymon in specie. §. III. Transitio ad Autonomistarum argumenta. §. IV. Primum desumunt ab incertitudine veræ fidei. §. V. Instant. 1. non competere Principi politico Jus eradicandi Hæreticos §. VI. Inst. 2. neque Ecclesiæ §. VII. Arg. 2. Eorum innititur probibitioni Salvatoris generali in d. Parabola. §. VIII. & Inst. 1. verbis textus emphaticis, §. IX. Instant 2do & volunt, gratis asseri, tunc esse evellenda Zizania. cum a Tritico dignosci nequeant. §. X. Arg. 3. neminem recte cogi ad fidem. §. XI. Inst. 1. nequidem quoad actum externum. §. XII. Inst. 2. neque Deum ad fidem bomines cogere. §. XIII. Libertatem conscientiæ conantur probare ex Jure Naturæ. §. XIV. Arg. 5. deducunt a Tolerantia Judaorum. §. XV. Inst. 1. Diversitatem Religionis non parere turbas, id quod Belgium §. XVI. nec non Helvetia, §. XVII. & Regnum Turcicum doceret. §. XVIII. Arg. 6. Autonomiam posse evinci ex Pace R. & W. §. XIX. Inst. Un. Eandemque esse Reipubl. proficuam putant.

PERICOPE III.

Qualiter Autonomistis, eorumque argumentis sit respondendum?

§. I. Transitus ad Resolutiones argumentorum contrariorum. ad Arg. 1mum ℞. tum retorquendo, tum negando suppositum. Autonomia est origo confusionis, & via ad Syncretismum. In rebus Fidei autboritati & traditioni

ditioni potius, quam rationi obediendum. Protestantium calumnia in S. Pontificem, nominatim CONRINGII *&* PFAFFII. *Stabilitur Summi Pontificis jurisdictio in universam Ecclesiam. §. II. Ad 1mam Instantiam* ℟. *1mo sub distinctione, & 2do eandem retorquendo in Adversarios. §. III. Potestas coercendi haereticos competit & Principi, & Ecclesiae; patet ex necessitate; & probatur authoritate, nec non ex Jure Divino ac Humano. Ostenditur porro, quid contra Haereticos expediat 1mo, 2do, & 3tio. §. IV. Ad Arg. 2dum* ℟. *quod prohibitio Patrisfam.* Nollite colligere Zizania, *non sit generalis. Quae Responsio & ad 1mam Inst.* ἀναλογικῶν *traducitur. Ad secundam Inst. Negatur suppositum: quod Zizania a tritico dignosci nequeant. §. V. Ad 3tium Arg. demonstratur, quomodo quis ad fidem cogendus. §. VI. Similiter ad 1mam & §. VII. ad 2dam Instantiam. §. VIII. Quid sit conscientiae libertas, docet Responsio ad 4tum Arg. ubi etiam satisfit Arg.* BALSERI, *&* NOODTII. *§. IX. ad 5tum Arg. affertur Disparitas inter Tolerantiam Judaeorum & Haereticorum. §. X. ad 1mam Inst.* ℟. Autonomiam *non esse Imperio proficuam, adeoque nec fovendam. §. XI.* ℟. *ad secundam Inst. & paritatem ab* Helvetis, *item §. XII. ad 3tiam Inst. ab Imperio* Turcarum *desumptam. §. XIII. ad Arg. 6tum declaratur, quid in Pace Relig. & Westph. circa libertatem conscientiae sit actum. §. XIV.* ℟. *ad unicam Inst. rejiciendo Paradoxon politicum, scil. quod per animorum in fide divisionem sit quaerenda unitas.*

PERICOPE IV.

An Instrumentum P. W. Libertatem Religionis & Conscientiae salvam velit adeo, ut praeter tres in Imperio R. G. stabilitas religiones, non prohibeatur alius cujuscunque Sectae tolerantia absoluta, non simplex, non privata?

§. I. Exlegem Religionis libertatem & menti Paciscentium contrariam esse probatur; §. II. Immo & patulis Instr. P. W. verbis. §. III. Ad 1mum Adversariorum augumentum, Protestantes non voluisse sibi manus ligare, ℟. *N. suppositum. §. IV. Ulterior eorum Instantia diluitur. §. V. Arg. 2dum ita confutatur, quod per Tolerantiam aliarum Religionum Catholicis nullus favor obvenerit. §. VI. Instantia (non potuisse restringi libertatem alias Sectas tolerandi) refellitur. §. VII. ad 2dam Inst.* ℟. *sub distinctione. §. VIII. Neque eapropter loquor contra Imperii praxin. §. IX. Damnatur Autonomica sive Exlex Religionis libertas. §. X. Conclusio Dissertationis.*

PERIOCHA.

Satis jam ab aliis demonstratum est, tantum abesse, ut Doctoribus in Academiis de publicis Imperii Legibus æternum quasi silentium injunctum sit, ut potius inter primarias officii eorum partes referendum videatur, Jurisprudentiam publicam interpretatione doctrinali sedulo pertractare *a*).

Quid, amabo! vetuissent Pacis *Westphalicæ* Architecti *b*), ne quisquam publice privatimque docendo, scribendo, prædictam Pacem uspiam impugnet, aut contrarias assertiones inde deducere conetur, nisi pro certo ac constituto habuissent, liberam esse ac licitam ejusdem lectionem ac tractationem, si modo debitæ cautelæ adhibeantur. In materia Religionis in delicato hocce scribendi genere, quanta modestia, ac circumspectio, qui termini adhibendi sint, res ipsa loquitur, & Instrumentum Pacis *Osnabrug.* docet; effrœnis enim cujusvis dicendi licentia Reipublicæ semper perniciosissima extitit *c*).

Quare iterum iterumque solenniter protestor, ac sincere contestor, quod sicuti per Zizania neutiquam intelligi potest avita Religio Catholica, ab ipso Cœlesti Patre-familias CHRISTO JESU plantata, seminata, ab Apostolis per universum orbem terrarum diffusa, usque ad consummationem sæculi infallibiliter duratura, ita nec velim hic adversus Transactionis *Passaviensis*, Pacis *Religiosæ* atque *Westphalicæ* scita designare per Zizania duas in Imperio Romano-Germanico successive receptas Confessiones, sed alias Sectas omnino non toleratas. Quibus favere, quoniam Imperii Legibus prohibetur *d*), non sine admiratione observavi Insignem de reliquo PFAFFIUM constanter ita asserere: *e*) „non prohibetur alius Religionis tolerantia absolute . . . . id, quod jubet con„scientiæ libertas, quam salvam quoque I. P. vult Art. V. §. 16. 34. 48. Art. „VII. §. 1. Certe, pergit ille: *f*) hæc mens Protestantium est, qui clausu-„lam

a) HERMANN. HERMES in fasc. J. P. c. 1. n. 31. OLDENBURG. in præfat. ad LYMN. enucl. HORN. J. P. cap. 1. §. 29. BUCKISCH ad procem. Instr. Pac. obs. 2. VITRIAR. Instit. J. P. procem. n. 18. *Per-Illustris & Magn.* D. De HABERMANN. *Consil. intim.* & CANCELLARIUS AULICUS &c. ante in hujate Universitate *Prof. Celeb.* in Comm. J. P. Diss. 1. cap. 2. q. 4. n. 14.

b) Art. V. §. 50. *I. P. Osnabr.*

c) Art. V. in pr. & §. 1. I. P. O.

d) Pac. Rel. §. 17. Rec. Imp. de Ann. 1566. §. 5. Art. VII. §. 2. *I. P. Osnabr.*

e) in dissert. Theol. de *Zizan. non evellendis.* pag. 25.

f) loc. cit.

„lam *a*) (*præter Religiones supra nominatas nulla alia vel recipiatur, vel toleretur*) „a Catholicis suppeditatam alio sensu admittere haud potuere.„ Idem docent plurimi ab eodem citati, inter quos alii non incelebres viri existimant *b*), clausulam hanc eandem ob rationem quia a Catholicis sit suppeditata, eosdem etiam solos obligare vi suorum principiorum *c*), neutiquam vero stringere Protestantes, apud quos summa viget conscientiæ libertas *d*).

Verum enimvero, licet tantis Viris ex me obstrepere vix ausim, cum ne Hercules quidem contra duos, veritati tamen non possum non assentiri, cum tenuem mentem meam, & cujuscunque veridici sanum reflexum effugere non possit, qua mente, & super quibus Religionibus, aut super qua conscientiæ libertate per Summos Paciscentes statutum, quæve Confessiones Novitiæ præter firmam antiquam Religionem oblatæ, ac nonnisi cum perpetua & constanti exclusione, proscriptione, damnatione omnium aliarum sectarum, tandem dira ac dura necessitate sic urgente in Imperio R. G. civitate donatæ fuerint. Ridiculum sane sana mentis regula ponderatum videretur, si ideo Lex ipsa lata non obligaret, quia non a trium Religionum Asseclis uno ore proposita aut suppeditata, & postquam tamen ab omnibus simul Paciscentibus unanimi consensu sancita & promulgata est, per somnia quædam aut meditationes privatas infructuosa censeri posset, & facto non obligans, quæ facto omnia & omnes ligavit. Et quæ tandem laudatissimæ alias Paci *Westphalicæ e*) æneo huic libertatis *Germanicæ* muro supererit vis, si post quædam lustra, quæ verbis sonant, factis contra expressa pactorum verba obligatione non reciproca dissonarent; Pacta debent esse mutua, & leges ultro citroque obligatoriæ. Ad elucidandam igitur TRITICI puritatem (quam ipsa CHRISTI agricolæ & Authoris verba non

 sat

a) Supr. cit. Art. VII. §. 2. *I. P. Osnabr.*

b) STRYCK. de Cautel. testam. cap. 3. §. 8. p. 80. HENNING. in Meditat. ad J. P. pap. 866. BOEHMER in jur. Eccl. Protestant. Tom. 1. pag. 55. seqq. Tom. 2. pag. 34. seqq. Tom. 4. p. 1022. seqq. TREVER in parergis *Götting.* Tom. I. L. 2. n. 2. §. 11. pag. 46. FLEISCHER in diss. de jur. Reform. & Emigr. §. 25. pag. 30. ZECH. in Medit. de Jur. Reform. pag. 327. seq. THOMASIUS ad MONZAMBANO pag. 225.

c) BRUNNEMANN in Exam. Jur. Publ. general. axiom. 5. cap. 6.

d) Protestantici Authores passim, præcipue superius citati, quibus addi possunt GERARDUS NOODT *JCtus* BATAVUS & LIEBENTHALIUS.

e) Pacem Westphalicam *laudatissimam* voco eo sensu, quo Catholici Scriptores eandem cum BRIETIO *diu exoptatam*, cum BRACHELIO *omnium Germanorum votis expetitam magnoque gaudio exceptam testantur;* nimirum gaudio, non nisi in temporis necessitate, majoris mali aversione, pacisque triginta annos exulis reductione fundato, atque adeo solummodo respectivo.

ſat criſtallinam adhuc effeciſſe, plusquam dolendum veniret, ſi lætæ cujusque mentis inſtinctu Evangelia conſtanter evellere liceret) exercitamentum hoc pro ingenii mei peritia, Deo aſſiſtente, ſubire decrevi. Sed omnia veritati, antiquitati & puritati non niſi Catholicæ ſubmiſſa volo, ut vel nolentes videant, quam *Inſtrumenti Pac. Oſnabr.* clauſulæ *a*) ſenſum ſine ſenſu torqueant Proteſtantes. Quo non contradicto, Sectæ omnes in Imperio tutæ nidulari, quinimo pleraque Schiſmata deforme corpus vultumque, *Auguſtanæ Confeſſionis* Fictitia ac variata veſte poſſent exornare, & τῦ φαυχκισμῦ, non ſecus ac olim ſub ejusdem Confeſſionis pallio CALVINISMUS ad uſque *Weſtphalicam* Pacem male, quia contra pacta, delituit, quod & *Auguſtanæ Confeſſioni* probroſum, & utrique Paci cum *Religioſa* tum *Weſtphalica* foret derogatorium. Cæterum in hoc quidem argumento ſic verſabimur, ut eorum, quæ tam ſalutariter in I. P. monita cautaque fuere, *b*) memores, rem ipſam abſque invidia tractando diſtinctis quatuor Pericopis, nulli detrahamus, neminem laceſſamus, ſed cuique honorem ſuum, ſuam cuique laudem tribuamus, attamen in aſſerendo tuendoque vero nequicquam diſſimulaturi.

PERICOPE I.

Quid ex Parabola de Zizaniis potiſſimum, ac aliunde, ſtatuendum de tolerantia diverſarum Religionum?

§. I.

Non ſemper una in Rep. viget Religio.

Beatam non ita ſemper Rempublicam tenere contingit iis, qui τὸ κύριον exercent, ut ab omnibus ſubditis ſanctiſſimæ Triadi in illius fidei confeſſione rite ſerviatur, cujus veritas a primis initiis tot divinitus demonſtrata ſignis, tot Martyrum teſtata ſanguine, tot manifeſtata prodigiis, per orbem univerſum diffuſa, crevit adverſis, inclaruit perſecutionibus, per hæreſes omnibus retro ſæculis preſſa, nunquam tamen oppreſſa ſurrexit, nec ab ipſis inferorum portis ſuperabitur *c*). Exurgunt ſubinde homines novitatis avidi, ſcientiæ *inanis* vento turgidi, Religione, niſi quam ſibi finxere, vacui, ab avita fide devii, miſcent turbas, ſpargunt dogmata, incendunt populos *d*), malum ſub cineribus

Quandonam pluralitas Religionum toleranda.

a) Art. VII. §. 2. in fin.

b) Art. V. in princ. & §. 1.

c) Math. XVI. v. 18.

d) Eorum præterea indolem emphatice expreſſerunt Gentium Doctor 2. ad Tim. 3. v. 1. & ſeq. Apoſtolorum Princeps 2. Petri 2. v. 1. & S. *Judas* Apoſtolus Epiſt. v. 4. 10. & ſeqq.

bus gliſcens advertit nemo, aut ſi adverſum fuerit, & ii, quibus illud opprimendi negotium datum, id ipſum mollibus ſententiis aut etiam occultis machinationibus alant, eo facile excreſcit multitudo in ſectam cœce ruentium, ut abſque diſcrimine & convulſione ſalutis publicæ, id eſt, abſque præſentiſſimo totam Rempublicam perdendi periculo deinceps coerceri haud poſſit. Hic præſtat diverſitatem Religionum tanquam *κακὸν ἐν κείμενον*, ſeu medium ſervandi totum, Princeps toleret, condonet tempori, & e duobus malis minus eligat *a)*

§. II.

Docet Christus per Parabolam de Zizaniis.

Docet hoc ipſe CHRISTUS Dominus Salvator noſter ſub Parabola *b)* quam confluentibus turbis in litore Maris GALILEÆ propoſuit de Patrefamilias, cum inimicus homo agro bene culto & ſeminato noctu ſuperſeminaſſet lolium, prohibente ſervis, ne Zizania evellerent *c)*, ne evellendo Zizania, evelleretur ſimul cum eis & triticum; & ex adverſo præcipiente: *Sinite utraque creſcere*, id eſt, Zizania & bonum ſemen *uſque ad meſſem.* Ad hanc ipſam Parabolam jam *κατ᾽ ἐλπίδα* provocavi *d)*, eaque ſcio abuti plurimos Pſeudo-politicos, volentes evincere, Reges ac Principes (qui per Patrisfamilias vocabulum hic indigitantur) poſſe ſemper & indiſtincte permittere, ut diverſæ Religiones, quarum una vera ſit, reliquæ falſæ, ſimul in eodem territorio, ſicut Zizania & triticum in eodem agro, ſuccreſcant. Atque ſub hoc ſcuto, teſte *Paulo Diacono e)* ſeſe latere tutos & tectos jam plurimis ante ſæculis exiſtimarunt MANICHÆORUM, PAULINIANORUM & ATTINGANORUM Patroni, cum in prædictos ſectarios MICHAEL BALBUS Imperator pœnam capitalem promulgaſſet,

a) vid. diſſ. mea *de Tolerant. Relig. Cap.* 2. §. 1. & 4.

b) Math. XIII. v. 24. ſeqq. Cujus Parabolæ fuſiorem exegeſin. adjunxit D. PFAFFIUS Comm. 38. ſeq. in Comment. Theolog. *de tolerandis vel non tolerandis in Religione diſſentientibus*, eandemqne repetiit in diſſ. Theol. *de* ZIZANIIS *non evellendis* a pag. 1. uſque ad 6. quod jam ante ipſum fecerant SS. PP. & Sacrarum Litterarum Expoſitores Catholici.

c) ZIZANIA vox eſt Evangelica, CICERONI & DEMOSTHENI incognita, & ut obſervant Interpretes, nec Ebræa, nec Græca. Sunt tamen, qui ab Ebræo vocabulo זונין illam derivent, quorum ſententiam approbaret Vir linguarum orientalium peritiſſimus PFAFFIUS, niſi זונין juxta BUXTORFIUM in Lexico Rabb. & Talm. col. 680. 681. deſignaret triticum degenerans. Significant ergo Zizania lolium, & omne impurum ſegetem vitians & adulterans, quales ſunt avenæ, juxta illud *Virgil. Georg. I. Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.*

d) In mea diſſ. *de Tolerant. Relig.* pag. 85.

e) lib. 24. Rerum Roman.

gasset, cum nostrorum temporum Syncretistis *a*) sentientes, omnes in Christum credentes juxta Apostolum *b*) salvari posse, & tametsi ab Ecclesia nonnullis opinionibus dissentirent, suæ conscientiæ relinquendos esse *c*). Verum si una unica

Una unica Religio vera.

a) Una cum his ac Pietistis MARCOS ANTONIOS *de* DOMINIS, OCHINOS, BEZAS, JO. CROCIOS, HOBBESIOS, aliosque plures enumerat Celebris ætatis nostræ Polemicus *Adm. Rdus & Exim.* P. PICHLER in pugna decretoria *de vera Christi Ecclesia*, edita *Augustæ*. Anno 1710. fol. m. 32. & seq. subjungens: Idem faciunt Politici quam plurimi, qui se profitentur Confessionistas, & tamen Catholicos æque ac Calvinistas salvari posse existimant, utpote credentes in Christum. Addit, his accenseri posse multas aulas *Protestantium*, ubi *Indifferentismus* per Catechetica tyrocinia Juventuti aulicæ instillatur, non unum ob finem politicum, qualem prodidit FABRICIUS Professor Theolog. *Altorffi* in Scripto publico Anno 1708 cum Serenissimam Principem WOLFFENBYTELIANAM ELISABETHAM CHRISTINAM CAROLO VI. Imperatori Augustissimo desponsatam, salva conscientia ad Religionem Catholicam transiisse defendit, *eo quod etiam Salutem suam in ea consequi possit.* Notum est distychon illud:

I, licet, ELISABETH, nullo sub judice lis est,
Salvificam CAROLI posse tenere fidem.

An etiam Per-Illustris D. Cancellarius PFAFFIUS Syncretistis citra injuriam annumerari possit, nihil ad me, viderint ipsi Collectores *Dresdenses*, qui eundem contra humanitatis leges appellare non erubescunt: Einen *Syncretistischen* Pilister, *Religions*-Flicker, *Unions*-Circkel, & quæ sunt plura ejusmodi elogia, in tertio decennio der Unschuldigen Nachrichten sat liberaliter de eodem sparsa, eoquod in conciliandis *Lutheranis* & *Calvinianis* calamu[illegible]s fuerit occupatus. vid. Tom. XXX. der Unschuld. Nachr. p. 478. ibi: „[illegible]m Cancellariat haben ihn (D. PFAFF.) die Calvinisten verholffen, weil sie gewust, daß Er mit ihnen unter der Decke läge, und an Ausbrütung einer Union arbeite. Gott hat aber seine Anschläge zu nichten gemacht.„ Mihi certe non probantur ejusmodi Scommata in Virum tam vastæ, tam profundæ eruditionis, quæ vel sola requireret, ut major ipsi reverentia haberetur. Legi merentur literæ, quas circa unionem miscuerunt invicem Celeberrimi Viri D. PFAFF. *Tubing.* & D. CYPRIAN. *Saxo-Gothan.* quæ extant in dem abgedrungenen Unterricht von Kirchl. Vereinigung der Protestanten sub. Litt. A. & B.

b) Joann. 3. v. 15.

c) Cujusmodi aphorismis jam olim *Confessio Augustana* de abusibus Art. I. & ult. in fine consolata est suos: *in nullo fidei Articulo Ecclesiæ nostræ dissentiunt ab Ecclesia Catholica, tantum in paucis abusibus disconvenimus &c. Nihil apud Nos receptum est contra Scripturam, aut Ecclesiam &c.* Et hæc est esca, quam rodenti conscientiæ vermi objiciunt vermiculosi nostri temporis Critici, vermem suum ut sopiant ac extinguant.

unica duntaxat fides est, extra quam nemo salvari potest *a*), qua ratione stare poterit, ut, cum tot fidibus una fides luditur, & toto cœlo ab invicem hi & illi discrepant in substantialibus articulis, in unius tamen fidei confessione dici queant consonantes, & unius Ecclesiæ, a cujus unitate voluerunt esse separati, membra haberi mereantur? nam & tanquam infidelis reprobandus est ille, qui vel in uno dogmate obedientiam Ecclesiæ denegaverit, juxta illud *b*): *Quicunque legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

§. III.

Quomodo Princeps suas regat provincias;

Proinde Princeps Lege DEI victurus, in suo territorio Orthodoxos & adversam Religionem profitentes æqua lance fovere non potest, tametsi sub hac vulpina pelle sese clandestine insinuent, quasi a Religione Orthodoxa in nonnullis duntaxat discrepent. Non ita administrare suas Provincias debent Principes Christiani, ut omnem quoad suos subditos curam Religionis abjiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, & usurpent illud *Donatistarum*: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* quod tantopere reprehendit S. AUGUSTINUS *c*) Omnino interest Regnantis, rescribente THEODOSIO Imperatore *d*) *ut non solum pacifice, sed & pie subditi vivant.* Idem censuere THEODOSIUS & HONORIUS: *e*) *non aliud aut Belli laboribus aut pacis consiliis ordinamus, nisi NB. ut verum DEI Cultum orbis nostri plebs devota custodiat.* Singulis Regibus dictum est a Domino, quod DAVIDI dicitur: *f*) *Tu pasces populum meum Israël.* Quod tamen non eo sensu dici velim, quasi in rebus Religionis ac fidei Principibus jus sacrorum, aut potestas quædam *dispositiva* & *administrativa* competat tanquam Ministris aut Judicibus, sed quod quædam *executiva* eis tanquam Advocatis & Defensoribus sit commissa *g*). Hoc olim observarunt Christiani Prin-

Ei non competit Jus Sacrorum.

a) Uti Scriptores Polemici ex Christi Oraculis, Sacra Scriptura & SS. Patribus demonstrative passim ob oculos ponunt, quæ omnia pro scopo hic proposito supponenda.

b) *Jacobi II.* v. 10. Textus Græcus ita habet: Ὅςις γὰρ ὅλον τὲν νόμον τηρήσει, πτάισει, δὲ ἐν ἑνὶ γέγονε πάντον ἔνοχος.

c) Lib. 2. cont. Literas PETILIANI cap. 92.

d) ad CYRILLUM.

e) ad MARCELLINUM.

f) 2. Reg. 5. v. 2.

g) Hoc ideo expresse hic monitum volo, ne rursus D. PFAFFIUS Cacotechnia sat illiberali mihi affingere possit hanc hederam uti in diss. Theol. de ZIZANIIS pag. 16. ibi: „ Crederes, Calamum esse Juris Consulti Protestantis, qui hæc

Principes, hoc ore, corde & opere testatus est CAROLUS MAGNUS: a) si *Ecclesiarum Dei servis magnificentiam nostram impertimur, eorumque studiis libenter obsequimur, id Nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus.* Obsequium offert, non arrogat Primatum, vult esse Minister in defensione Ecclesiæ, non Dominus.

§. IV.

Quando evellenda Zizania.

Sed ut redeam ad Parabolam b), in ea se offerunt Ministri Patrisfamilias, h. e. Reges & Principes, c) qui DEI vices in terris obeunt, promptos ad evellenda Zizania, NB. si ea eradicanda esse Paterfamilias judicaverit; ita enim ad eum servi: d) *Domine nonne bonum semen seminasti, unde ergo habet Zizania?* & postquam responsum retulere: *inimicus homo hoc fecit*, dixerunt: *vis, imus & colligimus ea? e)* At noluit Paterfamilias, *ne servi forte colligentes Zizania, eradicarent simul cum eis & triticum*, ubi bene adverti ad causalem est necesse, quæ est, ne servi, scilicet Reges & Principes, dum Zizania & lolium, i. e. falsas sectas radicitus extirpare nituntur, etiam triticum i. e. veram Religionem affligant & de medio tollant; ut a contrario si cesset periculum, si metus iste non subsit, sed omnino de frumentorum certa stabilitate securitas maneat, ex mente Patrisfamilias Zizania sint eradicanda, falsæ Religiones eliminandæ, Hæretici ad veram fidem compellendi, juxta Oraculum CHRISTI: *compelle intrare f)*; Præsertim cum infelix lolium præ herbis salubribus soleat pullulare g), ex quo periculum oritur, ne triticum a Zizaniis, si in eodem agro succrescant, & vera Religio a sectis, si in eodem Regno tolerentur, sensim suffocentur.

§. V.

hæc pingat, & Juri Canonico & Principiis Catholicorum e Diametro contraria.„ Mirum, Calamus meus Catholicus, velit nolit, debet esse Protestanticus, circa ea nimirum, quæ in diss. *de Tolerant. diverſ. Relig. cap.* 2. §. 13. *pag.* 51. *seq.* scripsi, quod falsissimum esse, remotis perspicillis Islebicis ibidem nemo non videt.

a) apud SIGONIUM Lib. 4. de Regn. Italiæ.

b) Math. XIII.

c) Ut supra monui.

d) loco cit. apud Math.

e) ibidem.

f) Lucæ XIV. v. 23. Id quod adversus Doctissimum PFAFFIUM monemus, qui Parabola hac abutitur, & hæreticos omnino tolerandos esse statuit in *diss. Theol. de* ZIZANIIS pag. 6. & in Comm. Theol. ad verba Christi: *compelle ad intrandum.*

g) Huc pertinet versus *Virgilianus I. Georg.* Infelix lolium & steriles dominantur avenæ. ISIDORUS lib. 17. cap. 9. ideo dici putat, *infelix lolium*, quod sit inutile & infœcundum.

§. V.

Hoc metuendum esse, quilibet facile intelliget, qui consideraverit, ipsa docente æterna veritate: *a*) *angustam esse portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam.* i. e. veram Religionem austeram esse, & carnis sensualitati contrariam, ideoque difficultate maxima hominum animis inseri; spatiosam vero esse viam, quæ ducit ad perditionem *b*), h. e. Sectariorum dogmata ad speciem plausibilia videri, & plerumque ad libertatem vitæque licentiam carni blandientem, ad quam homines non minus propendent, quam lapis ad lapsum, studiose esse composita, ideoque nisi potestas aliqua obsistat, avide recipiuntur, & pertinacius retinentur. In ejusmodi igitur casibus obstandum principiis, ut opprimatur gliscens doctrina erronea in scintilla, ne, dum lenitati studetur, mollioribus consultis, commune incendium foveatur, & noceatur bonis, dum nocentibus parcitur *c*). Sed audiatur & altera pars! ἐφεξῆς καὶ κατὰ μόνας videamus.

Veræ Religionis nota Characteristica.

PERICOPE II.

Quid econtra cum ex hac parabola aliisque similibus S. Scripturæ textibus, tum ex jure Naturæ & Gentium Protestantici Authores passim extorqueant pro Autonomia quarumcunque Religionum?

§. I.

P*rænotandum Primo*: AUTONOMIA, (qua voce SCHWEDERUS *d*) male *Reservatum Ecclesiasticum* indigitat) nomen ex Hellade mutuatum, & ante *Lutheri*, *Calvinique* tempora inauditum in Imperio Romano-Germanico, in genere *libertatem* dicit, vel *licentiam* potius agendi credendive quod lubet. Germanis appellatur die Freystellung. Debet infausta hæc soboles, unitatis fidei (quæ præcipua est Religionis veræ nota Characteristica) exterminatrix, Schismatum

Autonomiæ Etymon in genere.

Ejus origo.

a) Math. XVII. v. 14.

b) Math. VII. v. 13.

c) Confer. diss. mea de *Tolerantia diversarum Religionum* cap. 2. §. 20. ubi in fomite præfocandam esse hæresim, dum adhuc in paucis est, docui: postquam enim contagium majorem populi partem infecerit, severioribus remediis rem irritari potius, quam sanari, ex historia & tristi experientia tum in BELGIO, tum in GALLIA comprobatum. Confer. etiam infr. Pericop. III. §. 3. in fin.

d) Introduct. in Jus Publ. Part. gen. cap. 3. n. 23. pag. 58.

matum fœcunda parens, discordiarum civilium nutrix, natales suos illis sæculi decimi sexti *Novatoribus*, de quibus jam dudum prædixit *Gentium Doctor a)*; His, inquam, Parentibus natales suos debet AUTONOMIA, Imperii avitis Legibus, moribusque contraria, obstetricem agente sic dicta *Reformatione Evangelica*, cujus etiam per Sacræ paginæ abusum male firmata & pessime propagata dogmata *b)* pepererunt *libertatem illam agendi credendive quod lubet*, quæ est ipsissima AUTONOMIA.

§. II.

Autonomiæ Etymon in specie.

Prænotandum secundo. AUTONOMIA tamen in specie, & prout in Actis Imperii publicis sumi solet, solam significat *libertatem credendi*, oder die Freystellung der Religion, quæ per tot motus quæsita a Protestantibus, qui sese vindices libertatis Germanicæ audacter & publice proclamarunt, tandem in Transactione *Passaviensi c)*, Paceque *Religiosa d)* a Confessionistis, etsi non sine limitibus variis, uti infra dicetur, obtenta est, sed privative, exclusis *Calvini* Asseclis. At & suis denique votis mactati sunt illi, sectis cæteris more veteri proscriptis. Unde in strictiore sensu pro *libertate credendi*, in sensu vero communissimo in Actis Imperii publicis pro *libertate credendi*, prout opposita est Reservato Ecclesiastico, seu pro *libertate credendi etiam Ecclesiasticis indulta*, passim accipitur. Quot autem & quæ in Actis Imperii publicis memorentur AUTONOMIÆ species, quidve circa easdem Historia Imperii memorabile posteris commendet, non prolixe minus, quam fideliter exponunt FRANCISCUS BURCKARDUS *e)*, Juris-Consulti DILLINGANI *f)* nec non Admodum Rdus & Eximius P. IGNATIUS SCHWARTZ S. J. in Alma Catholica *Ingolstad.* Universitate olim Historiarum Professor Celeb. *g)*; ad quos Lectorem meum potius ablegare, quam furaces in aliorum messem falces mittere placet.

§. III.

a) I. ad Tim. 4. v. 1. & seq.

b) V. G. *non esse intolerabiliorem tyrannidem, quam conscientiis dominari; Obligari neminem ad quidpiam credendum, nisi id Scriptura clare exprimeret; Scripturæ interpretationem cujuscunque judicio relictam; Ad credendum neminem nec cogi debere, nec posse &c.* aliaque plura, quæ Reformatoris Lutheri fuere ausu heroico vulgata prima principia.

c) Ann. 1552. die 2. Aug.

d) Ann. 1555.

e) Tract. de *Autonomia* P. I. per tot.

f) in Compos. Pac. cap. 5. n. 27. seqq.

g) in Colleg. Histor. P. 4. qu. 2. tot.

§. III.

Jam ex Oraculo CHRISTI de ZIZANIIS non evellendis (ad quod a) quoque κατ' ἐλπίδ. provocavi) Illustris Cancellarius Tubingensis CHRISTOPHORUS MATTHÆUS PFAFFIUS b) & Cl. D. JOAN. CHRISTOPHOR. BALSER J. C. Giess. c) aliique Protestantici AUTONOMISTÆ pro tolerantia quorumcunque in fide dissentientium sequentia fundunt Argumenta.

§. IV.

Argumentum I. d) Certe quis hæreseos in foro Poli reus sit, authentice decidere in foro Soli nemo valet, ubi veritatem quisque se sequi credit, & demonstrationis tam ambigua heic penes plerosque lux & sub judice lis anceps est. Prævidit diversas in sententias de fide abituros aliquando Christianos OPTIMUS MAXIMUS SALVATOR, & si eradicaturi se invicem dissentientes essent, Ecclesiam in speluncam latronum degeneraturam.

Primum arg. desumitur ab incertitudine veræ fidei.

§. V.

Instat I. Huic malo Christus positurus obicem, Legem hanc prohibitivam in Evangelio dedit, reprimeret ut inconsultum male Sapientium Zelum, ostenderetque, esse hoc Divinæ Majestatis reservatum jus, sententiam authenticam in judicio extremo & dicendi & exequendi. Unde concludit e): Si solis Angelis Messoribus jus eradicandi in extremo judicio Hæreticos competit, si Divinum hoc Reservatum est, Magistratui sane politico in hoc mundo non competit: ergo tolerandi illi, nec evellendi sunt pœnis civilibus vel capitalibus.

Principi politico non competere jus eradicandi hæreticos.

§. VI.

Instat II. f) Nec ista quicquam operatur ratio, quæ desumpta est a jure Ecclesiæ per BAPTISMUM, quo hæreticus in illam fuerit ingressus, in hunc com-

Neque Ecclesiæ.

a) in diss. *de Tol. Relig.* c. 2. §. 25. pag. 85.

b) Quod hunc Authorem præ cæteris nominemus, ansam dedit illa ipsa dissertatio Theologica de ZIZANIIS *non evellendis.*

c) in Brevi Disquisitione de LIBERTATE RELIGIONIS per tot. qua eandem meam Differt. de TOLERANTIA DIVERSARUM RELIGIONUM IN EODEM TERRITORIO refellere conatus est, quo Jure, quave injuria prudentioribus dijudicandum relinquo.

d) vid. D. PFAFFII Diss. Theolog. de ZIZANIIS non evellendis pag. 5.

e) D. PFAFFIUS ibid.

f) ibid. pag. 28.

competente. Quid si in Ecclesia Hæretica BAPTIZATUS quis sit, num & illi competet hoc, quidquid fingitur juris? Sed neque Ecclesiæ est pœnas irrogare, vel civiles, vel capitales, nec a pœnis civilibus olim ab hæreticis sumtis ad justitiam facti concludi posse, ex eo liquet, quod Divinis hic, non humanis vel Legibus vel factis standum sit.

§. VII.

Objectio 2da prohibitionem Salvatoris esse generalem.

Argumentum II. Catholicis porro asserentibus eradicationem Hæreticorum non esse simpliciter prohibitam, sed saltem tum, quum id fiat cum periculo TRITICI *a*); contradicit Celeb. PFAFFIUS *b*) propter prohibitionem Salvatoris generalem, ex hoc factam capite, quia præviderit ille, fore, ut in dijudicatione Tritici & Zizaniorum tantopere olim errarent homines, loco Zizaniorum vel cum Zizaniis evulsuri Triticum.

§. VIII.

Et verba textus emphatica.

Instat I. Et ERNESTO de EUSEBIIS *c*): non significant verba: *finite utraque crescere*, spondete Zizaniis absolutam impunitatem, vel publici Juris authoritate ea in agrum recipite, vel facite potestatem triticum opprimendi, vel ipsi in gratiam Zizaniorum illud eradicate & Zizania plantate, vel eodem pretio & loco utraque habete, & æquali cura custodite: Reponit *d*) verba textus esse plane emphatica: *finite utraque crescere usque ad tempus messis.* Eodem, ait, itaque modo ab evellendis Zizaniis abstrahenda manus est, uti ab evellendo Tritico: maxime, cum, si violentis modis eradicarentur dissentientes in fide, nullaque ipsis subinde concederetur Tolerantia privilegiata, excitarentur bella, ipsos quoque Eradicatores internecioni datura.

§. IX.

Gratis asseritur, non esse evellenda Zizania, cum a Tritico dignosci nequeant.

Instat II. Et CORNELIO a LAPIDE *e*) addenti, tunc saltem non evellenda Zizania, cum a Tritico dignosci nequeunt;

Respondet *f*) ficulneum esse oppido hoc dicere, non prohiberi quod per se non sit, nec possibile est.

§. X.

a) ipso CEL. PFAFFIO sibi ita objiciente in cit. dissert. p. 5.

b) in cit. diss. p. 6.

c) in *Judicio Theologico super quæstione*: An pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita? pag. 39.

d) Supra laudatus PFAFFIUS in sæpe cit. diss. p. 6.

e) in Matth. cap. XIII. fol. 286.

f) *loc. cit.*

§. X.

Argumentum III. In hunc modum adornatur ab eodem D. PFAFFIO *a*): Non recte coguntur in fide dissentientes ad profitendam fidem, quam falsam esse putant, cogerentur enim sic ad nefandam hypocrysin Deo, omnibusque Bonis merito exosam.

Objectio 3tia neminem recte cogi ad fidem.

§. XI.

Instat I. ac largiendo mihi *b*), fidei utique actum cogi posse externum, sed addit, hoc ipsum caput esse quaestionis, num recte cogantur in fide dissentientes? quid enim juvat, si quis cogatur extrinsece, repugnet intrinsece.

Nequidem quoad actum externum

§. XII.

Instat II. LIEBENTALIUS *c*): Etsi DEUS posset ad unam omnes Religionem traducere, neminem cogit, multo minus ergo debet cogere homo. Quid, quod omnibus saeculis diversas Religiones DEUS publice exercere sit passus: unde & CHRISTUS suis Discipulis libertatem indulsit, dum dixit: *vultis & vos abire?* unde Apostolus: *oportet esse hareses d*), addi posset etiam illud: *sinite utraque crescere e*), id est, Zizania & bonum semen. Item: *necesse est, ut veniant scandala f*). Quos similesque S. Scripturae textus *g*) passim Toleratores victrice fronte jactant, & nobis Catholicis opponunt.

Neque Deum ad unam fidem homines cogere.

§. XIII.

Argumentum IV. ex JOANNE CHRISTOPHORO BALSERO *JCte Giessensi h*) desumitur: De Jure Naturae & Gentium Religio est ab omni Imperio libera, si modo Reipublicae non obsit, ergo *Autonomica* Religionis libertas est fundata in Jure Naturae & Gentium: ergo permittenda, & nemo mortalium cogendus ad certam fidem, aut ne desciscat a sua, vi ulla ab ullo impediendus. Hoc ipsum Argumentum aliis terminis inculcat GERARDUS NOODT JCtus

Objectio 4ta ex jure Naturae desumpta.

a) in cit. diss. pag. 28.

b) in Diss. de ZIZANIIS cit. pag. 28.

c) in Coll. polit. disp. 13. §. 4. fol. 426.

d) 1. Cor. 11. v. 19.

e) Matth. 13.

f) Matth. 18. v. 7.

g) 1. Cor. 3. v. 11. & seq. Rom. 14. v. 3.

h) in Disquisit. de Libertate Religionis cap. I. §. 2. 3. 4. quos §§. in unum argumentum brevitatis amore contraxi.

JCtus Batavus: Natura omnes fecit pares, & cuivis dedit facultatem disquirendi sua, nec ullam imposuit necessitatem alterius poscendi judicis quoad proficua: ergo quivis de sua salute suo uti judicio potest, & quoad Divina liber est *a*).

§. XIV.

Objectio 5ta tolerari Judæos.

Argumentum V. ita concinnatur a prælaudato Dom. PFAFFIO: *b*) tolerantur Judæi in Imperio a Principibus Christianis, qui permittunt eos non solum in sua perfidia & infidelitate permanere, sed etiam Synagogas, & ut ipsi loquuntur, scholas ædificatas habere, atque in iis superstitionis suæ ceremonias exercere: ergo.

§. XV.

Diversitatem Religionis non parere turbas, Conatur probare ab Exemplo Belgii,

Instat I. c) Neque enim diversitatem Religionum in eadem civitate per se turbas parere, prout tot exemplis, & maxime exemplo Belgii fœderati constet, ubi flos commercii & Reipublicæ a tolerantia Religionum pendet. Quidsi pluribus Argumentis huc spectantibus evolvendis operam commodasset Vir Celeberrimus? qualia sunt, quæ omisit. Nam

§. XVI.

Nec non Helvetiæ,

Instare II. potuisset & addere Helvetiam, in qua Catholici simul ac Acatholici unam componunt Civitatem; nec non

§. XVII.

& Regni Turcici.

Instare III. ac intento digito monstrare latissimum Turcarum Imperium, in quo sine ulla pacis publicæ perturbatione tolerantur *Græci*, *Schismatici*, *Christiani* ac *Persæ*. Sed hæc omnia sicco pede prætervolare placuit Viro eruditissimo.

§. XVIII.

a) Ejusmodi Ideæ sunt ex *Luthero* depromptæ, qui ait 2da parte von weltlicher Obrigkeit: „Auch liegt einem jeden sein eigen Fahr daran, wie er glaubt, und muß für sich selbst sehen, daß er recht glaube: dann so wenig ein anderer für mich in die Höll oder Himmel fahren kan, so wenig kan er auch für mich glauben oder nicht glauben ꝛc. Weil es dann einem jeden auf seinem Gewissen lieget, ob er glaubt, oder nicht glaubt, und damit der weltlichen Gewalt kein Abbruch geschiehet, soll sie auch zufrieden seyn ꝛc. und lassen glauben, was, oder so wie man kan und will, und niemand mit Gewalt dringen: dann es ist ein Freywerck um den Glauben, darzu man niemand kan zwingen ꝛc.„

b) In diss. de ZIZANIIS pag. 25.

c) In ead. differt. pag. 8.

§. XVIII.

Argumentum VI. denique ita nectitur passim ab Autonomistis: *Autonomia Confessionistis* Anno 1555. Lege Imperii publica, scil. Pace *Religiosa* per Augustissimos Imperatores CAROLUM V. & FERDINANDUM I. concessa est, ac per Pacem *Westphalicam* ad Calvinianos quoque extensa Anno 1648. ingenti totius Imperii commodo, ac manifesto tranquillitatis post tam longum exilium denuo revocatæ emolumento, applausuque Germaniæ publico. Huc quoque collimat sæpe allegatus Dr. PFAFFIUS, & Objectio VI. Autonomiam Protestantibus esse indultam.

§. XIX.

Instat ultimo: *a*) si plena conscientiis ubique constaret libertas, quam sanior dictitat politica, si principium universalis tolerantiæ totius, quaqua patet, Ecclesiæ Christianæ permearet latifundia (quod vero stante Monarchia Ecclesiastica, quæ teste experientia in ipsa Ecclesia Catholica tot turbas intestinas excitavit hactenus, fieri nequit) aureum Christianis redderetur seculum, strepitus gravaminum Religionis quiesceret quantocyus &c. Atque hic est *Autonomicus* ACHILLES, hæc sunt maximam partem PFAFFIANA & BALSERIANA Analecta in Dissertationibus altera: de ZIZANIIS *non evellendis*; altera: de *libertate Religionis*, dispersa, pro tolerantia quorumcunque in fide Dissentientium, & Separatistarum & Fanaticorum &c. Eandem Reip. esse proficuam.

PERICOPE III.

Qualiter Autonomistis, Eorumque argumentis in Pericope II. relatis sit respondendum.

§. I.

Parum fortassis profecisse videbor, nisi etiam rationes omnes ac singulas præced. Pericop. allatas profligavero, quibus evincere conantur *Autonomiam*, seu prætensam conscientiæ libertatem exlegem esse in Republica permittendam. Sequar proinde orbitas ab Adversariis falcatas, ac tela, quæ vibrant, ordine retundam, sic tamen, ut si plura quandoque in eundem scopum dirigant, una responsione omnia sim confracturus, aut penitus neglecturus, si manu imbecilli & languida illa torqueant. Respondetur Autonomistis.

Ad

a) cit. Diss. pag. 8. & 25.

Object. I. diluitur I. retorq.

Ad Argumentum (Pericop. 2. §. 4.) ℟. dupliciter. 1. *indirecte*, retorquendo: *Certe, quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet, ubi veritatem quisque se sequi credit, & demonstrationis tam ambigua heic penes plerosque lux & sub judice lis anceps est:* Ergo cuivis permittenda quævis: Ergo etiam error, superstitio, idololatria, & cætera Religionis ludibria vana atque impia eodem jure toleranda, etiam cum justo metu, ne veræ nitor Religionis Vicinitate Sacrilegii contaminetur; Ergo eodem modo ab evellendis Zizaniis abstrahenda manus, uti ab evellendo tritico *a*) etiam cum periculo, ne Triticum per Zizania suffocetur. Sequela est cunctis Apostatis, hæresum Architectis, Idololatris, & Atheistis favorabilis, adeoque scandalosa, & certo falsa: Ergo & Antecedens, unde sequitur. Item: *demonstrationis tam ambigua heic penes plerosque lux, & sub judice lis anceps est, scilicet quanam sit vera religio:* Ergo religio salvifica non est *civitas supra montem posita*, sed *abscondita*; non est *lucerna supra candelabrum, sed sub modio posita: b*) Ergo a Christo non est certo determinata semita salutis: Ergo de fide, & in fide sumus minime certi: Ergo nobis desunt sufficientia media ad salutem; quæ omnia, etsi de Protestantica D. PFAFFII Religione, ubi nullus judex, certitudo nulla, admodum verificentur; tamen ab ipsismet sanioribus *Aug. Conf.* addictis ut paradoxa rejiciuntur. Et quid posset esse ad indifferentismum conducibilius?

II. Neg. suppositum.

℟. 2. Negando bis suppositum; inprimis, quod ad sequendam vel retinendam religionem judicium humanum sufficiat; nam requiritur divinum, verbo DEI expressum. Deinde, quod lis anceps sit, quænam sit vera & unice salvifica religio, Christo ejusque verbo, juxta Ecclesiæ infallibilis sensum intellecto, veram fidem, fide divina credibilem, certissime demonstrante. Cumque fatente & Celeberrimo PFAFFIO *c*) de ejusmodi Zizaniis Christo sermo fuerit, quæ dignovere servi, possunt utique Zizania dignosci a tritico, h. e. vera religio a falsis; qui ergo asserere potuit vir doctissimus: *d*) certe quis hæreseos reus sit, authentice decidere nemo valet? contradictionis vitio hæc asserta laborant, sed & manifesti erroris. Item ex verbis: *Veritatem quisque se sequi credit, & demonstrationis tam ambigua heic penes plerosque lux est*, colligitur, D. PFAFFIUM forte de illo genere hominum esse, qui nulla authoritate moveantur, qui nihil credunt, nisi quod argumentis invincibilibus verum esse didicerint.

a) Uti in terminis vult D. PFAFFIUS sæpe cit. Dissert. Theol. de ZIZANIIS &c. pag. 6.

b) Matth. 5. v. 14. & 15.

c) in superius cit. Diss. Theol. *de* ZIZANIIS *non evellendis* pag. 6. & in Comment. Theol. *de tolerandis in religione dissentientibus* Comm. 26. seqq.

d) in Diss. de ZIZANIIS pag. 5. ex allatis Adversarii verbis.

rint. At nihil novum nobis Ille proponit; jam multo abhinc tempore ab iis, qui extra Ecclesiam sunt, hoc loquendi idioma percepimus.

Sed nonne tanta libertas, seu potius licentia credendi a primordio Reformationis (ut vocant) in tantam continuo confusionem erupit, ut vereri non immerito, qui uni parti adhærebant, debuerint, processu temporis, tot futuras Religiones, quot erant Regiones, tot credentium diversa corpora, quot Urbes & familiæ, & pene quot capita? Intervallo enim tam modico LUTHERI asseclæ in tot se Schismata discideran *e*) ut nisi modus denique positus esset, totum sic dictæ Reformationis mysterium in primo sui exordio dissolutum fuisset. Autonomia est origo confusionis.

Qui autem hodie, prout DD. PFAFFIO & BALSERO bonum videtur, nulla penitus authoritate stringuntur, sed prout judicio humano, & ingenio quisque proprio sibi formam credendi præscripserit, sic credunt, illi in tantam confusionis abyssum feruntur, ut syncretismum induentes Religionem susque deque habeant *f*). Eorum nonnulli pro arbitrio Scripturas sacras interpretantur, aut omnino ex iis expungunt, reformant, vilipendunt, & in nihilum redigunt. Sunt iterum alii, qui deploranda animi cœcitate ipsum adeo Baptismi Sacramentum non necessarium docent, atque ita, quod hactenus cum tanta religione observatum est, tanquam primum Christianitatis fundamentum, ad interitum sui suorumque, e pectoribus eliminant. Nota loquor, & ea, quæ dudum *Protestantium* viri cordati, quosque *Augustana* Confessio tenet, e medio tolli magnopere vellent, & ut fiat, magnis viribus allaborarunt. Et via ad syncretismum.

Non ergo me pudet in eorum numero censeri, qui almæ antiquitati, sanctæ puritati, sinceræ veritati, universoque Catholico Corpori, summisque Capitibus Authoritati & traditioni potius,

e) Uti in Differt. mea *de Tolerantia* &c. pag. 40. probavi ex ULENBERG. Authore Protestantico; sed quia hic D. PFAFFIO in Diff. Theol. de ZIZANIIS pag. 12. est Scriptor fabulosus, aliud ac irrefragabile testimonium substituo ex Imperii Recessibus, sic CAROLUS V. Cæsar testatur, prætensam Reformationem *varia, eaque horrenda nova dogmata atque sectas parturiisse*, in Recessu Spirensi de Anno 1529. §. 3. „Und aber zu Entschuldigung allerley erschrecklichen neuen Lehren und Secten bishero gezogen, und ausgelegt hat werden wollen: damit dann solches abgeschnitten, und weiterer Abfall, Unfried, Zwietracht, und Unrath fürkommen werde 2c.„

f) id-quod non ex me dictum volo, sed ex Collect. *Dresdens.* der Unschuldigen Nachricht, ad quos cum ipse D. PFAFFIUS provocet in sua Diff. de ZIZANIIS &c. pag. 23. in not. liceat & mihi provocare ad eorundem Tom. XXV. ubi de suis Theologis ita testantur: „Die gewanderte Theologi haben (wie die Erfahrung bezeugt) den schönen Syncretismum in Teutschland angefangen, pflegen auch solchem gemeiniglich noch beyzupflichtem, und ein solcher ist der berühmte D. PFAFF.„

quam rationi obedientum in rebus fidei.

pitibus se submittunt. Nec cœca eapropter me tenet obedientia & submissio, sicut tenet innumeros Plebejos, homines omnino illiteratos, id enim didicisse mihi videor, nullam certiorem salutis esse viam, quam, cum Ecclesiæ *g)* authoritati, ex præcepto Domini *h)* me substerno *i)*. Quod eo lubentius & feci hactenus, & facturum me spero usque ad finem vitæ, quia hoc est illud rationabile fidei obsequium, DEO & Ecclesiæ tam a Regibus, quam a subditis æqualiter debitum, hoc est illud Evangelicum leve onus, & suave Christi jugum, quod Prætensi Reformatores, & ab Ecclesia & a se invicem divisi, excussere non modo, sed etiam illorum haud degeneres Nepotes per injuriam pacis publicæ eversivam, omnes Romanæ Sedi adhærentes, præcipue vero eidem Sanctæ Sedi vinculo juramenti obstrictos, quales sunt Cæsares, Electores, aliique Principes Ecclesiastici, ad illius jugum (ut proterve ajunt) humeris decutiendum, inducere contendunt *k)*. Quo spectat & illa CALLISTI *Helmstadiensis* nominatim CONRINGII ore animata apostrophe, *ut eum* (Pontificem) *missum faciant, qui illa impia* (jura) *missa facere nolit, & desperatis aliis remediis, (cum jure Naturæ, Divino, ac humano id liceat) semet ipsos Protestantium exemplo, in libertatem vindicent l)*. Pertinent huc & D. PFAFFII THEOSOPHII *Tubingensis* seditiosa dicteria, ubi inquit: *Episcopi sane Germani m) ex veteri jure, quod laudavimus, Romano & dignitate & jurisdictione æquales sunt, ut mirum sit, quod jugum illius nondum humeris decusserint, qui & deinceps patientur facile cum Protestantibus, ut suas Roma res sibi habeat Pontifex, suaque*

Protestantium calumniæ in S. Pontificem, nominatim Conringii & Pfaffii.

se jactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Sed

g) de qua pronuntiavit Divus HIERONYMUS contra LUCIFERIANOS circa finem *in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata ad usque hanc diem durat.*

h) Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

i) Hinc recte monet P. R. Exim. & Clariss. D. meus Collega D. BARTHEL Canonum Professor Celeberr. in Diss. de *Pacif. Imp. circa Relig.* pag. 70. In rebus fidei, authoritati & traditioni potius, quam rationi obediendum esse. Possetne quis meliorem dare rationem, quam ab *Augustino* datam? *Non crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.*

k) DANIEL TOSSANUS paulo fidentius declarat: *Præcipuam Confessionis Augustanæ substantiam, consistere in suppressione Papatus* Not. (a) in Libro quodam, dicto Trostschrifft an alle gutherzige Christen, edito Anno 1579. NEUSTADII in Palatinatu. Tit. de Confess. August. ut testatur BURCKARDUS DE AUTON. Part. 3. cap. 6. vers. so bekennen sie auch.

l) Tomo operum 4. Dissert. *de Majest. Civilis officio circa Sacra* §. 57. fol. 625.

m) in Dissert. Theolog. de ZIZANIIS &c. pag. 10. nota (p).

Sed amabo! quomodo hæc cohærent cum iis, quæ verissima alibi *n*) scripsit modestissimus D. PFAFFIUS: „Se nullo scil. præpostero odio ferri in *Romanam* Ecclesiam, vel Pontificiam dignitatem &c. optare se se, ut Pontificem, tanquam summum Universalis Ecclesiæ Doctorem, & tanquam vera credentem & docentem Episcopum satis deprædicare, & ad usque sidera posset extollere &c. . . . . . . Sibi non probari Protestantium scommata in Pontifices &c." Ita ille dictorum suorum non semper memor. Deinde pergit citatus D. PFAFFIUS *o*): *Non est possibile, ut Episcopi Romani in universam Ecclesiam Christianam suprema jurisdictio exsculpi possit* ex Matth. XVI. 18. 19. Joh. XXI. 15. 16. 17. utique si adhibitis perspicillis Islebicis oracula hæc sacra quis contempletur; aliter vident Catholici. Interim qui jura summi Pontificis stabilita cupit inspicere, fontes Polemicos adeat, quos in meam Diatribam Juridicam non derivo. Id tamen tacere nequeo, errorem esse, nulloque honore a D. FFAFFIO reproductum, quod per Can. 6. Concilii NICÆNI *non nisi in Ecclesias Suburbicarias ad Diœcesin spectantes Romanam jurisdictio tribuatur Romano Pontifici;* nam lectionem hanc, quæ RUFFINI interpretationi innititur, commentitiam probat novissima versio ex Græco apud R. P. MESNILIUM citatum a R. P. SCHWARTZ S. J. *p*) Unde inquit ALSATIUS: *quid hic Urbicaria & Suburbicaria somniamus, de quibus nec vestigium est in verbis Concilii.* Quid, quod in Nicæna Synodo expresse legitur Can. 39. *q*) *Ille, qui tenet sedem Romæ, caput & Princeps est omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut* PETRUS. Et cit. Can. 6. *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*, sicuti refertur hic Canon a Concilio CHALCEDONENSI, quo lecto Patres dixere:

Stabilitur S. Pontificis Jurisdictio in univers. Ecclesiam

 „Per-

n) „vid. in dem nöthigen Unterricht, Antwort auf die 28. Frag fol. 555. & seq. Es ist wohl an dem, daß der Römischen Kirch nichts beschwerlicher und härter fallet, als wann man ihr Haupt den Pabst den Anti-Christ nennet; und wie wünschte ich nicht, daß ich denselben, als den vornehmsten Lehrer der allgemeinen Kirch, und als einen rechtglaubigen Lehrer und Bischoff hier nur recht hoch herausstreichen, und bis an die Wolcken erheben könte. Ich kan wohl mit Grund der Wahrheit sagen, daß ich in meiner Seel nicht den geringsten bitteren Affect häge, der nur etwas wieder die Römische Kirch, oder seine Päbstliche Hochheit sprechen möchte . . . . . . Also kan ich auch der Unsrigen Verfahren hier nicht billigen, wann sie aus den Schrancken der *Modestie* gehen, und ihre Zung und Feder so sehr wieder den Römischen Pabst spitzen . . . . . . Man muß gleichfalls eben dergleichen Consideration vor den Römischen Pabst, als das Haupt der Römischen Kirchen, und einen Grossen Printzen von Italien machen.

o) in Diss. Theol. de ZIZANIIS pag. 10. in nota (p).

p) Colleg. Hist. Part. V. Q. 6. pag. 531.

q) Hunc Canonem legitimum esse, probat ex S. ATHANASIO, MARCO, & JULIO I. Pontific. EUGENIUS LOMBARDUS Lib. 2. §. 5. fol. 308. *in Regali Sacerdotio.*

pra laudatus Exim. P. IGNAT. SCHWARZ S. J. unica, sed solida ratione politica confirmat *f*). Mirum proinde Celeb PFAFFIUM porro sic argumentari: *g*) „ Nec a pœnis civilibus olim ab hæreticis sumptis ad justitiam facti concludi posse. „ Eoquod neque Protestantium Pars potior refragetur *h*), eos, qui sectantur errores in Imperio non toleratos, quique ipsis etiam Protestantibus inter hæreticos veniunt, vi quoque pœnali *juste* compelli, armisque edomari absolute posse.

Hæreticos juste coerceri, patet ex necessitate, atque probatur authoritate,

Patet inprimis ex necessitate in ordine ad Tritici puritatem, & Ecclesiæ Pacem conservandam, & cum Reipublicæ quoque tranquillitatem a Fidei Christianæ discordia infringi, politica tradit schola; patet etiam ex necessitate in ordine ad Pacem status Politici restituendam, quidquid enim tuendæ Religionis Unitati, ac puritati, id ipsum etiam tuendis Imperiis servit. Patet porro authoritate & consensione unanimi tot Imperatorum, & Ecclesiæ in reprimendis Novatoribus, errorumque fautoribus *i*); Et licet Ecclesia ab Apostolis aucta sit in Spiritu lenitatis, per miracula, non per arma, ac violentiam, ut appareret Divina Virtus, inde tamen non sequitur, illicitum esse, dillatata Ecclesia, naturalibus uti remediis, eamque, si lenitatis media frustrentur, severitatis Spiritu defendere, ac conservare. Quin imo ipsimet Apostoli non semel severioribus mediis usi sunt, uti PETRUS cum ANANIAM, & SAPHIRAM repentina morte multavit *k*). Paulus cum ELIMAM Magum excœcavit *l*). Justa igitur severitas Ecclesiæ neutiquam est improbanda. Hæc paulatim crevit crescente Hæreticorum insolentia *m*); nam initio puniebantur exilio tantum *n*), subin mulcta pecuniaria *o*), postmodum amissione omnium bonorum

f) Colleg. Histor. P. V. Q. 6. §. 6. & P. VII. Q. 9. §. 2.

g) in Diss. de ZIZANIIS *non evellendis* p. 28.

h) vid R. P. IGNAT. SCHWARZ Colleg. Hist. P. VII. Q. 9. sect. 7. §. 1. ubi hoc ostendit ex Authorum Protestanticorum JOANNIS NORDERMANNI, ALTHUSII &c. imo & ex ipsissima *Lutheri* doctrina. Quin etiam ipsemet CALVINUS hæresin SERVETI morte afficiendam esse censuit, edito insuper libello, in quo licitum demonstrat in hæreticos gladio animadvertere. Fuere & alii, ut BEZA, & JOANNES BORGERMANNUS BEZÆ assecla, qui capitali supplicio plectendos hæreticos dixere. Confer *Michaël de la Roche* dans les Memoires Literaires de la Grande Bretagne Tom. IX. pag. 11.

i) teste Illustrissimo PELZHOFERO *ni Arcan. Stat.* Tract. de Relig. cap. 2.

k) Actor. 5.

l) Actor. 13.

m) Confer. Diss. mea de *Tolerant. diverf. Relig.* cap. 2. §. 23.

n) L. Ariani Cod. de Hæret.

o) L. Cuncti hæretici ibid.

rum *p*), tandem pœna capitis, quam VALENTINIANUS, & MARCIANUS decreverunt *q*). Hinc breviter ſic colligitur: Quod eſt conforme tot Imperatorum, Regumque legibus ac edictis, quod tot firmatum eſt exemplis, (quæ cum ubique oculos incurrant, labore ſuperfluo hic recenſerentur) quod denique omni Juri Divino *r*) ac Humano *s*) conſentaneum, id licite fit, ibi *ad juſtitiam facti loncludi poteſt*, & nequaquam iniquum eſt: atqui ſubditos, errorum fabros, fautores, in hæreſin relapſos, erroremque cum pertinacia tuentes, vi etiam ad ſaniora compellere, eſt tale quid: Ergo licite fieri poteſt, & neutiquam eſt injuſtum; niſi ipſas leges, aut injuſtas dicere, aut Imperatoribus poteſtatem eas ferendi velis diſputare cum D. PFAFFIO, quod ſacrilegii inſtar eſt *t*). Nos JCti non de legibus, ſed ſecundum leges judicamus. Quoad hos ipſos tamen Sectarios in Imperio Romano-Germanico non toleratos (de quibus & quidem cum pertinacia errores ſuos tuentibus unice hic mihi ſermo eſt *u*); nam hæretici ſimplices plectendi non ſunt, nedum capite *x*); non expedit ſemper, adhibere eadem ubique remedia, ſed ea, quæ malo opportuniora ſunt, præhabenda, ex Politicorum communi *y*). Sic *expedit I.* ſeveritas contra hæreſiarchas, ſeu primos errorum plaſtas, Novatores, & turbarum incentores. Unde maxime hic quadrat illud: *Principiis obſta z*). Nec Principi negligendus initio æſtus morbi, ſi ſemel pernicioſa conniventia negligitur Gangræna, ſi inclementi clementia fovetur in ſinu vipera, nec ipſo in ortu ſuffocatur, *ſi mala per longas*, & male indultas, *invaluere moras*, *ſero medicina paratur a*). Econtra *expedit II.* mitiora

nec non ex Jure Divino & humano.

Contra hæreticos quid expediat imo?

Quid 2do?

p) L. Manichæi ibid.

q) L. quicunque Cod. de Hæret.

r) Ad Galat. 5. v. 12. *utinam abſcindantur, qui vos conturbant.*

s) dicente JUSTINIANO Imperatore in L. 4. Cod. de Hæret. *quod in Religionem Divinam committitur, in omnium fertur injuriam.*

t) L. 3. Cod. de crimine Sacrilegii.

u) juxta Proteſtantionem ab initio in *Periocha* ſolenniter præmiſſam.

x) Cauſ. 2. q. 1. Can. 18. Cauſ. 11. q. 3. Can. 22. & 42. Cauſ. 24. q. 3. Can. 37. & q. 4. Can. 13.

y) teſte Illuſtr. PELZHOFERO in Arcanis ſtatus Tract. de *Relig.* cap. 3. ubi Illuſtr. hic Statiſta ſuppeditat plura media pro conſervanda Religionis Catholicæ puritate & veritate.

z) add. Diſſ. mea de *Tolerant. diverſ. Relig.* cap. 2. §. 25. ibi: *Obviandum eſt principiis.*

a) Ovid. Lib. de remediis Amorum.

tiora adhibere remedia, si adultum jam malum est, si sic invaluit supra vires, ut minus moderata severitas totam Ecclesiam majori periculo exponeret; toleranda minora mala, ad præcavenda majora, non eliminanda tunc Zizania, ne cum eis eradicetur simul & triticum *b*).

Quid ...stio? *Expedit III.* in reducendis erroneis, maxime occultis, neque Rempublicam perturbantibus prædicationis, Doctrinæ, aliaque mansuetudinis Ecclesiasticæ media adhibere, antequam ad rigorem Legum pœnalium procedatur. Ita S. AUGUSTINUS mansuetudinem commendat, ut nonnisi necessitati ultimæ, extremi supplicii medium reservetur; quo casu, inquit *c*), sicut Rex DAVID, cum sine ABSOLONIS cæde pax reduci non posset, filium luxit, sed tamen supplicium tulit, non tam temporalem deplorans filii mortem, quam æternam. *d*).

§. IV.

℞. ad ...dum Argum. *Secundum* Argumentum ejusque singulas Instantias (Pericop. 2. §. 7.) ex superius (Pericop. I.) deductis, facile est dissolvere; licet enim prohibitio Patrisfamilias: *Nolite colligere* ZIZANIA: quoad externam verborum figuram sit generalis, ex mente tamen expressa: *ne eradicetis simul cum eis & triticum*, hanc recipit per antededucta (Pericop. I. §. IV.) limitationem, ut, si possint Zizania absque tritici simul destruendi periculo extirpari, sint eradicanda.

℞. ad ...imam Instantiam. Ad I. Instantiam: (Pericop. 2. §. 8.) Id quod modo dixi de prohibitione Patrisfamilias, eam non esse absolutam, sed conditionatam; ἀναλογικῶ quoque ad ejusdem præceptum: *finite utraque crescere*, traductum volo. Ut enim verba textus emphatica sint, exiis non sequitur, quod Doctissimus PFAFFIUS *e*), nimirum eodem modo ab evellendis Zizaniis abstrahendam esse manum, uti ab evellendo tritico. Non significant illa verba: *finite* &c. eodem pretio & loco utraque, h. e. Zizania & bonum semen habere &c. ut sagaciter observavit ERNESTUS de EUSEBIIS *f*). Huic a D. PFAFFIO data responsio *g*) si ad trutinam revocetur, videtur Vir Doctissimus in contextu sibimet contrarius esse, dum ait: „*Si violentis modis eradicarentur dissentientes in fide, nullaque ipsis NB.* SUBINDE

b) in d. Diss. mea loc. cit. ibi: *Est igitur habenda ratio virium.*

c) in Epist. ad BONIFACIUM Antiq. edit. 50. novæ 185.

d) videatur *Compelle* &c. Authoris MATTHÆI MERULÆ, ubi pluribus Divi AUGUSTINI mentem atque sententiam vindicat. Item Eminentiss. Cardinalis BELLARMINUS Controv. Tom. 2. G. l. 3. c. 2. ubi plures replicas diluit.

e) in Dissert. de ZIZANIIS pag. 6.

f) loc. cit. allegatus.

g) ibidem.

DE *concederetur tolerantia privilegiata, excitarentur bella, ipsos quoque eradicatores internecioni datura.* Quodsi enim dissentientibus in fide tolerantia privilegiata SUBINDE concedenda, ergo non semper ac indistincte: ergo non eodem modo ab evellendis Zizaniis abstrahenda est manus, uti ab evellendo tritico: sed ab illis tantum *subinde h*), ab hoc autem *semper.* Hinc deliberato constanter dixi, dissentientes in fide, *regulariter* & citra necessitatem tolerandos non esse; quin enim publico bono, & communi totius Reipubl. conservatione ita efflagitante, ab hac regula exceptio fieri, atque aliis diversa a cultu antiquo, jussu, & lege Divina ordinante in civitate recepto, Sacra profitentibus plenum religionis exercitium, atque in tantum conscientiæ libertas indulgeri possit, dubium non est, & ipsa experientia satis comprobat *i*).

Ad evitanda denique *bella ipsos quoque eradicatores internecioni datura*, salutariter monet S. AUGUSTINUS, coërcendos, non occidendos hæreticos, sic, ut neutiquam neget hanc potestatem, sed inculcet exercendæ potestatis opportunitatem, addita causa *k*): *Si occidendos in his sceleribus putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum judicium aliquid inde proveniat; quo comperto illi* (DONATISTÆ) *in nostram perniciem licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos vestris judiciis ingeramus.*

Ad II. Instantiam (Pericop. 2. §. 9.) ℟. N. quod ficulneum sit oppido, dicere, tum saltem non esse evellenda Zizania, ubi a tritico dignosci nequeant. Ad probationem: Non prohibetur, quod per se non fit, nec possibile est: atqui (videtur velle innuere D. PFAFFIUS) non est possibile evellere Zizania, si a tritico dignosci nequeant: ergo. ℟. concessa majore Nego Suppositum Minoris, quod Zizania a tritico nunquam dignosci possint. Responsio hæc patet ex supra dictis. Non sunt evellenda Zizania, si absque periculo eradicandi simul & tritici, evelli non possunt, nimirum, si vel dignosci nequeant, prima enim germina Zizaniorum & tritici similia sunt *l*): vel si discernantur equidem, radicibus autem tritici immixtæ & Zizaniorum radices sint, ut unis evulsis evellantur ℟. ad 2dam Instant.

Qqq 2

h) Fatente & Celeb. PFAFFIO iterum alibi in Differt. sua de ZIZANIIS pag. 4. in verbis: *non sine præcipuo quodam boni seminis periculo.* Jes. LXV. 8. SUBINDE *eradicantur.*

i) vid. supr. *Pericop. I.* de *Tritico per Zizania non suffocando.*

k) in Epistola ad DONATUM Proconsulem 127. quæ refertur in Decreto GRATIANI Cauf. 23. q. 5. Can. 3.

l) Matth. XIII. v. 26. *cum crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & ZIZANIA.*

lantur & alteræ *m*). Ex his colliges: An solide solverit D. PFAFFIUS formatas sibi objectiones *n*).

§. V.

℞. ad 3tium Argum.

Ad III. Argumentum (Pericop. 2. §. 10.) Respondeo: jam diu ante D. PFAFFIUM asseruit S. AUGUSTINUS *o*) suam fuisse opinionem, neminem cogendum pœnalibus Cæsarum legibus ad veram fidem: *ne hypocritas, falsos & simulatores Catholicos haberemus.* At vero ibidem mox addit, opinionem ætate graviorum contrariam in effectu prævaluisse, DEO sic disponente ob necessitatem & utilitatem multiplicem. Unde ait: DEI *misericordia factum, ut legum terror, pravis & frigidis animis necessarius, duritiam verbis non emendandam, medicinali severitate flecteret, ac emendaret.* In eadem epistola inquit *S. Pater*: pœnales illas Imperatorum leges fuisse plurimis admodum salutares: *quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, ac furiosa illa pernicie liberatos, gratias agunt.* Addit: *melius quidem est, quis dubitaverit? ad* DEUM *colendum doctrina homines duci, quam timore vel dolore compelli: sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimento probavimus, & probamus) prius timore vel dolore cogi, & postea doceri, aut quod jam verbis didicerunt, opere sectari.*

§. VI.

℞. ad 1mam Instantiam.

Ad I. Instantiam (Pericop. 2. §. 11.) ℞. Si *hoc ipsum caput est quæstionis: num recte cogantur in fide dissentientes? p*) cur Protestantes, tam *Augustana*, quam sic dictæ *Reformatæ* Confessioni addicti in omnes novorum dogmatum fabros, doctrinæ a sua alienæ seminatores severe inquirunt, & per pœnas judicialiter in eos animadvertunt? cur pullulantes sectas carceribus suffocant, exiliis mulctant, igne ferroque extinguunt? ut testatur ipsorum sic dicta Historia Ecclesiastica per totum *q*).

Ego sane non video, cur Magistratus ad ea media adigere nequeat hæreticos, quibus errorem agnoscant, agnitumque fugiant, ac detestentur? nam dicen-

m) notante & ipso Doctissimo PFAFFIO in Dissert. de ZIZANIIS pag. 1.

n) in sua Dissert. de ZIZANIIS pag. 5. & 6.

o) in Epist. ad BONIFACIUM Antiq. edit. 50. novæ 185.

p) juxta D. PFAFFIUM loc. supr. cit.

q) Im sogenannten Bilder-Saal Authore Protestantico Chronologischer Anhang, oder Summarische Fortsetzungen, gedruckt 1715. Nürnberg. Kirchen-Geschichten von Anno 1601. bis 1710. c. 2. fol. 1. & c. 43. Von der Confeßionisten, und Reformirten Kirchen-Geschichten.

dicente Apostolo Gentium, *non sine causa gladium portat Magistratus r*); quia hunc in finem, ut improbos, blasphemos coerceat, quales esse hæreticos ipsimet cum *Luthero* & *Melanchtone* asserunt Protestantes. Sic & legimus illud *compelle s*), quod non modo moraliter, ac improprie sumendum, ut vult Eruditissimus PFAFFIUS *t*), sed etiam intelligendum est de coactione externa & propria, si opus sit. Rectissime Sapiens *u*): *da Sapienti occasionem, & Sapientior erit.* Testis est Divus AUGUSTINUS supra relatus, quam multis salutaris timor sanam mentem indiderit. Sic HIPPONEM *x*) Imperatoris mandatis DONATIANÆ ereptam hæresi, refert idem S. Pater *y*).

§. VII.

Ad II. Instantiam (Pericop. 2. §. 12.) ℞. *z*) ipse DEUS neminem cogit *directe*, evertendo libertatem, sicut neminem cogit ad bonum; ast cogit *indirecte*, interminando judicium, & pœnas æternas. Sic omnibus sæculis DEUS permisit adulteria, furta, homicidia, Sacrilegia: ergo a Magistratu non punienda, nec impedienda, sed toleranda? Sic Christus *Augustino* Interprete *a*) permisit Discipulis libertatem, quia necdum constituta Ecclesia, nec ejus regimine firmato secundum illud Propheticum: *adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei. b*) Acceptata a Gentibus fide, & constituto regimine, potestate sua usa est Ecclesia, & juxta Parabolam Evangelicam, *c*) *qui initio invitati, ut venirent,* subin *introducti*, denique *intrare compulsi sunt.* Sic *oportet esse hæreses*, spectata inconstantia humana, superbia, in novitates proclivitate, *d*) qualis erat *Corinthiorum*, ut dicerent: *Ego Pauli, ego Apollo &c.* DEO permittente ad suorum probationem, necesse est sequi hæreses, sicut necesse est, sequi

℞. ad 2dam Instant.

Qqq 3

r) ad *Roman.* 13. v. 4.

s) Luc. 14. v. 23.

t) in Comment. Theolog. ad verba Christi: *Compelle &c.*

u) Proverb. 9.

x) *Hippo, Africæ* civitas est, quam D. AUGUSTINUS de Civit. Dei 22. 8. *Hipponem* Regium vocat.

y) in Epist. 48. ad VINCENTIUM.

z) cum R. & Eximio P. IGNATIO SCHWARTZ Colleg. Hist. P. IV. Q. 7. p. 196. seq.

a) De Verb. Domin.

b) Psal. 71. 11.

c) Luc. 14.

d) teste S. AMBROSIO, CHRYSOSTOMO apud *Cornel. a Lapide* in cit. Versum.

qui scandala: Veruntamen *væ homini illi per quem Scandalum venit e)*. Sic illud: *Sinite utraque crescere*, non probat teste S. *Hieronymo f)* malum esse tolerandum, & non potius impediendum, puniendum, eradicandum; siquidem DEUM expresse mandantem legimus: *auferratis malum de medio Vestri, g)* Sed non esse eradicandum *præmature*, dum nedum dignoscitur ab hominibus; nec *cum periculo* eradicandi etiam tritici, ut rationes allatæ (§. V.) satis utique evincunt. Mihi profecto mirum videtur, quod Protestantici Authores, ad suam Autonomicam libertatem tuendam, ejusmodi textibus: *oportet esse hæreses &c. Sinite utraque crescere, Zizania & bonum semen* &c. uti non horreant, (sicut & Doctissimus PFAFFIUS Dissertationem Suam *de Zizaniis non evellendis* inscripsit) quasi vero illi ipsi foverent lolium, & Religio Protestantica, hæresis dici deberet, & Autonomistæ, Zizania? Quod si tamen ultro sic vellent, pertinacius refragari quis posset?

§. VIII.

R. ad 4tum argum. *Ad IV. Argumentum* (Pericop. 2. §. 13.) priusquam respondeam, pauculis *prænotandum:* Veram conscientiæ libertatem nunquam fuisse *autonomicam*, seu *exlegem*, etiam in primo statu naturæ; sed semper suffultam per regulas seu leges, quibus ad omnem rectitudinem dirigebatur, nam conscientia potest esse recta vel erronea, bona vel mala: ergo ne sit erronea, ne sit mala, necesse habuit legum directione, præcipue post lapsum: Unde provisum illi de legibus *naturæ, timoris, amoris.* Adeoque sicut libertas, Jure naturæ licita atque permissa *h)*, non est *naturalis facultas ejus, quod* absolute *cuique facere libet*, sed, ut etiam Ethnici Jure-Consulti addidere *i) nisi si quid vi, aut jure prohibeatur*, quin hoc officiat quicquam libertati *k)*: Sic libertas Religionis non est *absoluta facultas colendi Deum, ut lubet*, sed, ut decet, juxta leges, sive datas, ut in statu naturæ integræ, sive naturales, a DEO conditas; vel etiam naturales, ut in statu naturæ lapsæ.

R. ad Arg. Balseri. Ex his Sponte sua patet falsitas argumenti BALSERIANI; atque cum JCtus hic Protestanticus docere non reformidet, quod Religio Reipublicæ, spirituale regimen temporali, æterna terrenæ felicitati, verbo: finis medio, velut ancillæ Domina subordinetur, est tam facile refutabilis, quam refutatione indi-

e) Matth. 18. v. 7.

f) aliisque, quotquot sunt Interpretes Catholici S. *Scripturæ* in hunc locum.

g) Deuteron. 21. v. 21.

h) HOPPIUS ad §. 1. Inst. de jure personar.

i) juxta FLORENTINUM L. 4. ff. *de Statu homin.*

k) HOPPIUS cit. loc.

indignus. Deinde, si juxta AUTONOMISTAS: *de Jure Naturæ & Gentium Religio sit ab omni Imperio libera, modo Reipublicæ non obsit*: Quæri posset: quænam sit illa Religio Reipublicæ innoxia? Protestantes hoc titulo cohonestabunt suam, ANABAPTISTÆ, ZWINGLIANI, aliique suam æque ac dicent, immerito gloriari hac prærogativa Religionem Protestanticam, etsi in Imperio toleratam, eoquod saltem ex primis *Lutheri* principiis foveat bella, tumultus sub prætextu propagandi Evangelii, inducat *Autonomiam* sub specie Scripturæ cujusvis captui, & arbitrio relictæ &c. Quæ omnia, aliaque plura, ex ipsis Reformatoris hujus formalissimis terminis, ostendere possent, ac demonstrare. Denique licet de Jure Naturæ sit æqua libertas juxta rationis dictamen inter indifferentia, v. g. locandum, vel non locandum prædium, non tamen est æqua libertas inter modos Divini Cultus unum eligendi præ altero, sed debet juxta consilium rationis eligi simpliciter dignus DEO; & ille quidem, quo coli se cupit & mandat DEUS *l*).

Ad GERARDI NOODT JCti Batavi Discursum sane paradoxum, ℟. N. paritatem, quæ ab indifferentibus ad non indifferentia claudicat, & nulla est. Quot, quæso, putas Religionum & Sectarum nomina oritura, si suæ quisque fidei faber esse nulla Religionis, nulla civili lege prohiberetur? An non in ejusmodi Rempublicam quadrare existimas, quod de confini patriæ suæ regno olim BUCHANNANUS cecinit: ℟. ad Disc. Noodtii.

Quisque sibi fidem, sibi format quisque Magistrum,
Nusquam plus fidei, perfidiaque fuit.

Hoc principium, quod summa veritatis & æquitatis lux collustrat, ipsi etiam Ethnici perviderunt, licet præpostere ad rituum & superstitionum Paganicarum uniformitatem conservandam id applicarint. Sic *Romanis* libera adhuc Republica Deos aut novos, aut exteros asciscere, nisi publica authoritate, integrum non erat; sed, siquis privata authoritate peregrina Sacra induxerat, ea publica Senatus authoritate damnata esse, apud *Livium m*) aliosque *Romanarum* rerum Scriptores legimus.

§. IX.

Ad V. Argumentum (Pericop. 2. §. 14.) de Judæis quod affertur, ℟. Dispar est ratio Judæorum, & Hæreticorum. Siquidem 1) ab illis toties suo malo ℟. ad 5tum argum.

l) Confer. Libellus Precatorius Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis FRIDERICI CAROLI *Episcopi Bamberg. & Wirceb.* pientissimæ & nunquam intermoriturae memoriæ, quem senectutis Suæ partum immortalem ultimis ante obitum luctuosissimum annis proprio calamo exaravit, passimque solida Catechesi miscuit.

m) Lib. IV. 30. XXV. 1. XXXIX. 16.

lo domitis, ac per Pseudo-Messias delusis minus metuendum est periculi perturbandæ quietis publicæ, etsi non deforent animi, defutura esset potentia, qua misera illa orbis ejectamenta, ac vilia capita penitus carent. 2) Iisdem econtra Jure Communi non prohibetur Imperium *Romanum n)*, nec inviti ad Baptismum trahi possunt; An vero eorum infantes invitis parentibus baptizare liceat? dissentiunt Theologi nostri, *Thomistæ* a *Scotistis o)*, sunt enim extra Ecclesiam, quæ *de iis non judicat*, *qui foris sunt p)*, nec Constitutionibus Canonicis ligantur *q)*; Hi vero, quia fideles adhuc sunt & Christiani, ac cum Catholicis in Ecclesia, Fideque fuere uniti (supr. §. III.) ad eam semel susceptam servandam cogi possunt *r)*; ex quo enim veritatem cognoverant, non debebant amplius retrogredi *s)*. Quin imo per rerum temporalium spoliationem, si respectu ad Ecclesiam id fiat, reduci ad Ecclesiam possunt *t)*; non enim majus est, unde sacrificium Deo possit offerri, quam si ordinetur, ut hi, qui in suam & suorum perniciem debachantur, coerceantur competenti vigore *u)*, facillimeque

n) L. 6. Cod. de *Paganis*. Oldrad. Conf. 264. & ex eo Alexand. Conf. 24. n. 18. Vol. 6. Conf. 13. n. 23. Vol. 7. Mager. tract. de *Advocat. armata* cap. 8. n. 255. sqq. Ideoque ipsis in R. Imp. præscriptus est etiam vivendi modus, præsertim Anno 1530. Augustæ sub Rubr. von Juden, und ihrem Wucher.

o) Scotus enim in 4. dist. 4. quæst. 9. Gabriel ibidem quæst. 2. dubio 5. Dionysius Carthusianus in 4. dist. 4. quæst. 7. Villalobos Tom. I. Tract. 5. difficult. 15. num. 7. fatentur quidem, non esse licitum privatis personis, eorum infidelium infantes, ipsis invitis, baptizare; docent tamen id esse licitum Principi, qui eos civiliter tantum sive politice subditos habet, imo teneri curam habere, ut baptizentur omnes illi parvuli, cautela tamen adhibita, ut a parentibus separati, ad adultam ætatem pervenientes, ad eos non redeant, & periculo apostasiæ non exponantur. Econtra non licere, publica etiam authoritate Principis, baptizare invitis parentibus infantes infidelium, qui politice tantum & civiliter subsunt Ecclesiæ, seu Principibus Christianis, docet Divus Thomas hic art. 10. Capreolus vero, Marsilius, Catharinus, & Serra docent Principem Christianum non posse parvulos infidelium, etiam *serviliter* ipsi subditorum, a parentibus invitis separare, & ita separatos baptizare. Cui opinioni tamen communiter contrariantur Thomistæ, Cajetanus, Sodo, Ledesma, Nunno, Cabrera, Candidus, & alii, quos citat & sequitur *Martinez à Prado* hic dubio 7. §. 6.

p) I. Corinth. 5.

q) cap. *Gaudemus* de divort.

r) Can. *Displicet* Cauf. 23. q. 4.

s) Luc. 9.

t) Can. *quo jure* Dist. 8. Can. *de Liguribus* Cauf. 23. q. 5.

u) Can. *quali nos* Cauf. 23. q. 5.

meque in hoc summi Numinis speratur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur *x*).

§. X.

Ad I. Instantiam (Pericop. 2. §. 15.) ℞. Dolendum sane est, quod nostra ætate non desint, qui censeant *y*), profusam Imperio quidlibet credendi licentiam, & *Autonomiam* fovendam; quam opinionem & veritas historica, & sana ratio erroris sat crassi arguit. Et re nulla vires Reipublicæ magis infringi, quam dissidio religionis, sive unus regat, sive pauci, sive universi, erudite probat Clariss. D. GLETTLE *z*). Mirum quam pulchre in eos Politicos invehatur ATHEOMASTIX *a*), ubi deducitur, sine sui internecione ex pluribus religionibus nullam posse esse conflatam Rempublicam, nisi Christum bicipitem nobis fingamus, tricipitem ut Cerberum, septicipitem ut Hydram fabulemur, cum tantum una sit fides, una Cathedra super *Petrum*, Domini voce fundata *b*) &c. atque uti olim *Romanus* Populus *Constantio* Imperatori *Arriano*, libertatem ejusmodi, seu' duas tantum Religiones obtrudenti, ac præter Pontificem Catholicum *Liberium*, *Felicem*: præter Catholicam veritatem: *Ariana* deliria ponere conanti, obclamavit: *Unus* DEUS, *unus Christus*, *unus Episcopus c*). Unde non est, cur *Batavicam* in discordi religione concordiam invideant, vel æmulentur Respublicæ Orthodoxæ, quæ tranquillitatem Status externam, absque dispendio quietis internæ, atque verissime *Christiana*, & quærere debent, & procurare subditis obligantur. Immo vero jam dudum intesti- | ℞. ad Imam Instant.

x) L. 10. Cod. de Feriis. vid. OLDRAD. Conf. 51. & incomparabilis Author FRANCISCUS BURCKARD. Tract. de *Autonom.* Part. 3. cap. 31. ubi num. 6. reddit disparitatis causas, cur Judæi præ hæreticis sint tolerandi. Videantur etiam passim Theologi nostri Polemici. Addatur *Blas. Paschalis* Scriptoris Galli acutissimi Tract. de *veritate Religionis Christianæ* cap. 10. §. 22. in verbis: „Populus Judaicus comparatus est præcise & manifeste, quatenus deserviat in testem Messiæ; cujus Libros custodit & amat; sed & non amat, nec intelligit eos. Et prædicta sunt hæc omnia, dictum est enim, quod populo huic concredita sint judicia Dei, veruntamen sicut liber obsignatus.

y) D. PFAFF. in Differt. de ZIZANIIS &c. pag. 8. & *Protestantes* passim.

z) Tract. de Crim. publ. Part. 4. cap. 3. §. 2. n. 16. Videantur etiam *Dillingenses in Compos. Pac.* cap. 5. quæst. 29. n. 59.

a) seu Diss. advers. Relig. Hist. Polit. *Guilielmi ab Assonleville.*

b) Matth. 16.

c) in tripart. Histor. Eccles. lib. 5. cap. 18. THEODORET. in Histor. Eccles. Lib. 2. cap. 17.

testinis dissidiis conflagrasset *Batavia*, nisi mutuus metus æqualis potentiæ in obsequio singularum religionum cives contineret, & Principum vicinorum ambitus hunc opulentissimum *Europæ* angulum sibi invicem invidentium, ab externis insultibus, & nutriendis domesticis motibus securum præstarent. Sensit tamen & ipsa impulsum sibi arietem, cum *Arminiani*, adversarios *Calvini* opiniones sectantes, qui rerum potiuntur, a Clavo tentarunt excutere.

§. XI.

℞. ad 2dam Instant.

Ad II. Instantiam: (Pericop. 2. §. 16.) *Helvetos* quod attinet, popularem amplexi sunt Statum, & quisque pagus tanquam Dominus uti legem, ita & religionem statuit; facilius igitur quilibet, ne quid in ruinam publici status moliatur, attendere potest, & junctis aliorum viribus opprimere, quod non proinde in aliter constituto, & vastiore regno perfici potest.

§. XII.

℞. ad 3tiam Instant.

Ad III. Instantiam: (Pericop. 2. §. 17.) Æque parum urget, quod in Imperio *Turcarum* sine ulla pacis publicæ perturbatione tolerentur Græci, Schismatici, Christiani ac Persæ. Barbarus enim in Imperio illo despotico rigor eo provectus, ut qui vel unum *Alcorani* apicem in dubium vocare ausus fuerit, inevitabili supplicio impalationis, excoriationis, exustionis, aliorumque tormentorum afficiatur, immanior est, quam ut in Christianis ditionibus quisque tanti emere velit liberum religionis exercitium. Unde LIPSIUS ait *d*): quod *Turcas* attinet, una inter eos religio, & væ capiti illius, qui verbo, aut facto eam turbet; alienas tantum, nec corruptas ex ea, sed plane adversas permittunt, atque ita communicandi, aut differendi vix cupiditas est, aut causa; contemnunt enim magis inter se, quam contendunt. Pone in media *Europa Judæos*, *Turcas*, *Sinenses* (modo non immani numero) nihil turbabis Religionis, aut Ecclesiæ pacem. Adde, quod una Religio dominans sit apud *Turcas*, reliquæ mussant, & falsæ illi ac barbaræ vel invitæ submittunt fasces dignitatis; nec ad honores aut militiam cuiquam aditus patet, nisi per illam: quid mirum ergo, si onere miserrimæ servitutis oppressæ sileant cæteræ?

§. XIII.

℞. ad 6tum Argum.

Ad VI. Argumentum: (Pericop. 2. §. 18.) ℞. *Autonomia*, quæ per tot motus quæsita a Protestantibus, qui sese *Vindices libertatis Germanicæ* audacter & publice proclamarant, illis tandem in transactione *Passaviensi e*), Pace-que

d) in Dialog.

e) Anno 1552. d. 2. Augusti.

que *Religiosa*, *f*) etsi non sine limitibus variis indulta est, sed *privative*; exclusis *Calvini* asseclis *g*). Denique & hi (Sectis tamen cæteris omnibus ex Imperio, more veteri, proscriptis) suis votis mactati sunt per *Pacem Westphalicam h*). An ingenti totius Imperii commodo, applausuque Germaniæ publico, præcipue in sensu Protestantico, quo jubilant, hac Pace stabilitam conscientiæ libertatem, *Augustanæ Confessionis* tolerantiam firmatam, & contra tenorem *Pacis Religiosæ*, ad sic dictos *Reformatos i*) extensam? Nescio sane, an tam facile Status Catholicos habuerint conjubilantes, cum universi orbis Christiani applausu; etsi Cæsar & Catholici compaciscentes Pacem *respective* salutarem agnoverint, nempe *respectu majoris mali* ac *Germaniæ* desolationis omnimodæ evitandæ *k*). Ecquis etiam ex adversariis (si modo non degeneraris in caudicem)

f) Anno 1555.

g) per additam clausulam: „doch sollen alle andere, so obgemeldten beyden Religionen (Catholischen und Lutherischen) nicht anhängig seyn, in diesen Frieden nicht gemeinet, sondern gänzlich ausgeschlossen seyn.„

h) Anno 1648.

i) *Instr. Pac. Osnabr.* Art. VII. §. 1. Quamvis jam ab Anno 1566. a Protestantibus in gremium suæ Confessionis (ex quo Fidei istius inconstantia patet) tanquam in fide etiamnum infirmi, *ut ajunt:* Als schwachglaubige Christen, se se receptos gloriati sint, ideoque & se *Protestantium Fratres*, *Unito-Protestantes*, *Correspondentes*, *Evangelicos*, appellari in Imperio voluerint. Quæ vero ea Correspondens sit Doctrinæ Unio, testes imploro Protestantium animos sinceros. Videatur D. CYPRIANI epistola responsoria ad D. PFAFFIUM, de dato *Gothæ* 21. Junii 1720. in abgetrungener Unterricht von Kirchl. Vereinigung der Protest. Beylaag B. ibi: „De Pace inter Protestantes conciliandæ sententiam meam, quoniam illud bis a me petiisti, candide significabo ...... Existimo igitur, nos cum Reformatis in unam eandemque Ecclesiam coire non posse, donec errores suos, saltem præcipuos, deposuerint, nisi veritatem Religionis nostræ & civilem Posterorum nostrorum securitatem, turpiter velimus prodidisse. Agnoscis, ipsos non leviter, sed gravissime errare, ac ne quidem de testamento Christi idem nobiscum sentire .... Taceo, non esse Reformatorum unam Confessionem, neque adeo sciri posse, cum quibus pax ineunda sit. Id autem nosse magnopere necessarium arbitrabuntur, qui nollent tot controversias capitales in domum suam recipere, aut sub reformatæ religionis prætextu fraterno amore complecti. „Sed quale pretium tulerit D. PFAFFIUS, testantur Collectores der sogenannten unschuld. Nachrichten Tom. XXII. pag. 93. ibi: „und werden dem Herrn Authori (D. Pfaffen) seine Liebste Glaubens-Brüder die Calvinisch-Reformirten so wenig Danck dafür wissen, als aufrichtige Lutheraner.„

k) ut testatus est Cæsar in procem. Pacis *Westphalicæ:* Postquam a multis annis orta in *Romano* Imperio dissidia, motusque civiles eousque excreverant &c. Unde multa Christiani Sanguinis effusio cum plurimarum Provinciarum desolatione secuta est &c.

persuadere sibi poterit, utramque Pacem, *sine summa cogente necessitate* fuisse initam a Catholicis Statibus, per quam in Imperium recepta nova Religio, prius ab iisdem his Statibus, ut & ab Imperatore MAXIMILIANO I. prohibita, in epistola ad LEONEM X. in Conventu *Augustano* data, Anno 1518. & a CAROLO V. *Wormatiæ* Anno 1521. item *Spiræ* Anno 1529. iterumque *Augustæ* in Comitiis Anno 1530. damnata atque proscripta? *l*).

Non tamen ideo, quod summam, & urgentissimam eligendi minoris mali necessitatem intervenisse dicamus, mox corruunt Leges Pacis *Westphalicæ*, ut D. PFAFFIUS vociferatur *m*); Nam etsi Pax Westphalica diceretur ein geharnischter Fried, ein gezwungener Vergleich, quod a FRANCISCO BURCKARDO de Pace Religiosa dictum asserit PFEFFINGERUS, nihilominus *valida*, *legitima*, *rationabilis* consisteret, utpote fœdus voluntarium, juratum, & publicum, ut jam dudum de Pace Religiosa prudenter resolverunt Dillingenses *n*).

Ad

l) Confer. Dissertat. mea *de Tolerantia Diversf. Relig.* ubi cap. 2. per integros sex priores §§. satis, ut opinor, probatum est, per Pacem *Religiosam* & *Westphalicam* Cæsares & Status Catholicos *pure permissive* se habuisse, nihilque eis imputandum, quod tempori & necessitati inevitabili paruerint. Colligitur quoque ex declarationibus publicis, ex Scriptorum testimoniis, ipso CONRINGIO suffragante, in INNOCENTII Bullam fol. m. 547. Tom. 2. ubi fatetur, quod *Cæsari, & Ordinibus Germaniæ necessitas Reipublicæ id expresserit*, fol. 541. *in summam & extremam necessitatem refundit.*

m) Contra me, in sua Differt Theol. *de* ZIZANIIS *non evellendis* pag. 10. in terminis: „Si *decuit* INNOCENTIUM X. protestari contra Pacem Westphalicam, si Pax hæc *in præjudicium tertii*, Ecclesiæ nempe Romanæ injuste vergit, si consensu Cæsaris & Statuum Catholicorum *coacto* omnia fuere gesta, & potius causa *vulnerata*, quam firmata, si *nullitatis* vitio laborat Pax Westphalica, qui itaque validam, qui legitimam, qui rationabilem illam in antecedentibus pronuntiare potuit Vir Celeberrimus? Hinc quasi non solum *contradictionis vitio hæc mea asserta laborarent*, quin *& manifesti erroris*, ait: *Summos Paciscentes prætensa Romanæ Sedis jura non agnovisse.*„ Sed poëtatur Author, nam sumit partem pro toto, Protestantes pro omnibus Paciscentibus in *Instr. Pacis Westphalicæ;* Horum Doctrina contra Sedem Pontificiam novimus, alia insedit mens animis Compaciscentium Catholicorum, qui satis agnovere, per dictam Pacem gravissimis Ecclesiæ, Apostolicæ Sedis, Ordinisque Ecclesiastici præjudiciis se se subscribere *fatali temporis acerbitate, & armata Protestantium, iisque Fœderatorum vi ac potentia compellente.* Quomodo ergo subjungere potuit Vir Celeberrimus? „*nihil contra Sedem Romanam in P. W. actum est, cujus prætensa jura Summi Paciscentes non agnovere, nihil contra Ecclesiæ jura &c.*„ INNOCENTIANAM demum Protestationem (de qua supra) necessariam fuisse ac utilem, præter PFAFFIUM, & PFAFFIO similes, nemo inficias ibit. Vid. desuper R. P. SCHWARTZ Colleg. Hist. P. V. Q. pag. 505.

n) *De Composit. Pacis* cap. V. q. 29. ad II. fol. m. 130. seq.

§. XIV.

Ad Instantiam ultimam: (Pericop. 2. §. 19). In qua ad Imperii nævos D. PFAFFIUS refert animorum distractionem, & occulta odia, ob diversitatem religionis; cui Ulceri emplastrum imponit ex plena circa fidem sentiendi libertate, ut cuique visum, si modo ea ad turbas excitandas non abutatur. Ita enim aureum, inquit, Christianis redderetur sæculum, &c. Strepitus gravaminum quiesceret quantocyus &c. *o*). ℞. Hoc Paradoxon politicum: quod scilicet per animorum in fide divisionem quærenda sit unitas; concordia vero per multiplicem in Religione discordiam, ad usque Protestantica tempora, Imperio *Romano-Germanico* fuisse incognitum. Nostra tantum ætate, quod doleas, non desunt, qui cum D. PFAFFIO censeant, proficuum esse Reipublicæ, si religione subditi discordent; quam opinionem & veritas historica, & sana ratio erroris sat crassi arguit. Et re nulla vires Reipublicæ magis infringi, quam dissidio religionis, sive unus regat, sive pauci, sive universi, erudite probat Cl. GLETTE *p*). Hinc quocunque criterio id modernus Protestanticæ Politicæ Architectus scribat, alii tamen testantur oppositum Nos breviter sic: serventur Pacta, & Gravaminum Religionis strepitus quiesceret quantocyus. ℞. ad ult. Instant.

Quodsi autem tantopere conscientiæ libertatem urgeant Protestantes, cur ergo sibi arrogant Jus Reformandi? Cur subditos diversam Religionem amplectentes, licet pacifice vivant, jubent emigrare? Non allegabo jam persecutiones, quas ipsi moverunt contra eos, quos in fide suspectos sibi crediderunt; paucis tamen adducam contra D. PFAFFIUM, unde tot intestinæ turbæ excitatæ hactenus. PHILIPPUS KNIPSCHILD Syndicus *Eslingensis q*) ita hac de re: „Recens exemplum seditionis Anno 1625. experta est Lindavia. Quis enim ibidem plebem adversus Magistratum excitavit alius, quam turbulentus Ecclesiæ Minister, M. ALEXIUS NEUCUMB. Quis nuperrime CAMPIDONI rebellionem populi adversus Magistratum movit, & Rempublicam pene evertit alius, quam ambitiosus & avarus Pastor, M. SCHALTER. Quis alius adhucdum hodie inter Magistratum & cives *Heilbrunnenses* machinatur, quam elatus Ecclesiæ Minister, M. JOANNES CONRADUS HIE-

o) Hoc arcanum status, forsan suppeditavit Schediasma famosum, hunc titulum præseferens: „Ein Christliches Bedencken, der Königl. Würde in Hispanien zugeschickt, wie man allen Aufruhren und Empörungen, so in den Niederlanden von wegen der Religion zu besorgen, möge begegnen, und die Ketzerey ausrotten.„ Conclusum fuit: *per autonomicam libertatem, & prudentiam in tolerandis sectis.*

p) Quæst. Juris P. IV. c. 3. §. 2. n. 16. jam supr. §. X. citatus.

q) Lib. 2. *de Jur. & Privil. Civit. Imp.* cap. 3. n. 245.

HIEMER. „ Hactenus KNIPSCHILD, Author Protestanticus. Quid JOHAN. WEILAND Anno 1606. *Donawerdæ*, quæ civitas exinde libertatem suam amisit, agitarit, vid. SCHOCK. r) verbo, Religionis dissidium omnia tumultibus implevit, igne, sanguine & cæde, juxta illud: *non veni pacem mittere, sed gladium s)* Et quid plura commemorem? cum ea commemorando finire non possem. Plures AUTONOMISTARUM Replicas more suo solide diluit *Adm. R. ac Exim. P.* IGNATIUS SCHWARTZ *S. J. t)*. Nec meretur insignis hic Author immaturam cujusdam *Professoris Catholici* censuram hanc: *u) cautius vero loquatur Publicista necesse est*; cum, si alicubi minus moderato stylo *Protestantes* insectari videatur, Catholicam veritatem multis calumniis prius provocatam vindicet.

PERICOPE IV.

An Instrumentum P. W. libertatem Religionis & Conscientiæ salvam velit adeo, ut præter tres in Imperio R. G. stabilitas Religiones, non prohibeatur alius cujuscunque Sectæ tolerantia absoluta, non simplex, non privata?

§. I.

Ex legem Religionis libertatem & Instrumento Pacis W. & menti Transigentium contrariam esse probatur.

Quanquam Insignes Juris Publici Doctores Protestantici doceant, quod Status Imperii non obstante clausula *I. P. Westph. x)* præter firmam antiquam Religionem *Catholicam*, quæ proprio suo Jure in Imperio R. G. viget, præter AUGUSTANAM & f. d. *Reformatam* Confessionem in Pace *Religiosa* & *Westph.* cum expressissima aliarum sectarum exclusione receptas, aliæ hæreses citra ullam necessitatem vi superioritatis territorialis tolerare possint; illud tamen (quod prolixa pace Tantorum Virorum *y)* dictum sit) a tenore ac mente Pacis & *Religiosæ*, & *Westphalicæ* alienum esse videtur.

§. II.

r) Lib. 1. *de Sedit.* cap. 12.

s) vid. Differt. mea *de Tolerant. Diverf. Relig.* cap. 2. §. XI.

t) Colleg. Hist. P. V. Q. VII.

u) in Differt. Historico-Juridica *succinctam historiæ Pacificationem Religiosam concernentis Synopsin exhib.* statim in princ. sub not. (a). Fuldæ Anno 1738.

x) Art. VII. §. 2. in fin. ibi: „Sed præter Religiones supra nominatas nulla alia in Sacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur. „

y) Supra in Periocha hujus Diss. nominatorum.

§. II.

Primo enim repugnat hæc Adversariorum doctrina ipsi *Instr. Pacis Westph.* quod cit. *Art. VII. §.* 2. in fine sic loquitur: Sed præter religiones supra memoratas nulla alia in S. R Imperio recipiatur vel toleretur. Geminas hæc propositio complectitur partes. Prima est: *Religiones supra memoratæ, Catholica scil. & Augustana*, & f. d. *Reformatæ Confessio recipiantur & tolerentur.* Secunda est: *Nulla alia in Imper. Rom. recipiatur vel toleretur:* Ergo & præter illas nullam aliam possunt recipere aut tolerare Sacri R. G. Imperii Status, quia universalis negativa est excludens, juxta naturæ suæ veritatem, quamcunque aliam. Nullum proinde est ipsorum effugium, in quod se abscundunt *Protestantes*, distinguentes inter exercitium publicum & privatum, cum omnis alia aut recipi, aut tolerari negetur jam antecedenter ad omnem distinctionem inter publicum & privatum exercitium, quod utique supponit existentiam aut possibilitatem alterius cujuscunque religionis, quæ cum universaliter negetur, nescio, cur ad inopem hanc distinctionem recurrant. Neque alia etiam fuit Partium Transigentium, *Catholicorum* scilicet & *Protestantium*, mens & voluntas. *Catholici* namque tot bellis attriti, in extremam redacti calamitatem, ut religioni ac fidei tum acerrime vexatæ succurrerent; *Protestantes* econtra ne, opimis bonorum Ecclesiasticorum spoliis elati, Dominis ea legitimis cedere cogerentur, in honoratiores, & rei *Catholicæ* magis proficuas rationes caput inclinare detrectantes in hanc demum sententiam concesserunt, ut præter bonorum Ecclesiasticorum quietam possessionem, liberum utrique Parti religionis exercitium relinqueretur, si vel publicum, vel privatum in ANNO NORMALI habuerit, extenso hoc privilegio in *Instr. Pacis W.* etiam ad *f. d. Reformatos* hucusque exclusos. Ultra igitur, quam quod ipsis concessum est, progredi minime possunt z), tum quia ita transegerunt, actus enim ultra transigentium intentionem nihil operantur; tum quia ipsis possessio bonorum Ecclesiasticorum legitimis suis & prioribus possessoribus ademptorum, & merissime ad evitandum Religionis exterminium relictorum concessa & secura religionum libertas contra indefessos, inanes tamen *Catholicorum* conatus permissa est & tolerata, *donec Controversia Religionis amicabili partium compositione universali definiatur a).* Quod privi- imo ex patulis J. P.W. versis.

z) Conf. mea Differt. *de subsidiis interpretationis Doctrinalis Pacis Relig. & Westph.* §. 12. *per tot.* quam sub meo præsidio An. 1741. die 16. Decembr. hic Wirceb. defendit Adm. R. D. GEORGIUS KÖNIG U. J. L. Parochus Herleimensis Zelosissimus.

a) I. P. W. Art. V. §. 25. Mirum, præstantissimum Virum D. PFAFFIUM hanc *conditionem* toties in I. P. repetitam *impossibilem* declarare in Diss. de ZIZANIIS *pag.* 9. Mirum, velle ipsum eapropter *Pacem ipso facto reddi perpetuam*, cum tamen conditio impossibilis pactum, aut quemcunque actum inter vivos reddat

privilegium, eoquod Catholicis satis odiosum & fatale fuerat, ultra terminos extendendum non est, cum in consequentiam trahenda non sint, quæ a Jure communi exorbitant b). Quis jam somniabit? ne febricitans quidem, liberum esse Protestantibus Imperii Statibus recipere aut tolerare alias in ditionibus suis religiones, cum ipsorum tantummodo privilegiata sit tolerantia, & non indulta libertas, quascunque alias Sectas recipiendi, quæ novum hodie monstrum (AUTONOMIA) parturiet. Excessus hic esset Privilegiatorum satis culpabilis, & Imperio plurimum nocivus.

§. III.

Imum Argum. Adversariorum.

Non desunt tamen, quibus se defendunt, arma & fundamenta. Asserunt 1mo: Status *Protestantici* minime voluerunt sibi manus ligare, ut omnem aliarum religionum tolerantiam sibi prohibuerint: ergo adhuc ipsis hoc licet. Ad quod R. 1. falso luduntur supposito nostri Adversarii, credentes sibi *prius* facultatem competiisse, cum nullam habuerint, nisi ex communi per imperium hactenus usitata praxi, id est, ex usurpatione tum temporis usitata, R. 2. Deinde hoc ipsis donato, utique sibi censentur manus ligasse ultra progrediendi, quia tanquam Pars transigens consensere in nullam, plane nullam, ut Instr. Pacis c) insinuat, recipiendam vel tolerandam.

§. IV.

Ulterior eorum Instantia,

quæ diluitur.

Nec juvat ipsos, si reponant: *Catholicorum* nihil interesse, nec ullum pati ipsos præjudicium in exercitio suæ religionis: Ipsis igitur non competere jus prohibendi, ne in propriis territoriis alios aliis Religionibus addictos subditos recipiant Status *Protestantici*; necessitatem tolerandi quoad alias religiones saltem sancitam non esse, Jus vero tolerandi minime sublatum. R. præterquam quod Lex Imperii fundamentalis in hoc casu sufficiat, præscindendo etiam ab omni cujuscunque Partis interesse; Interest CATHOLICORUM vel maxime, cum utique Transigentium intersit, ut conventio, ut transactio servetur & custodiatur. Quod & ipsi Adversarii, nisi contraria opinione præoccupati forent, nobis facile concedent; rimam enim vero ubi vel minimam quis patitur, everti ea & annihilari poterit facillime. Quæ alias securitas? si impunis sit transgressio in uno, impunitas nunquid subsequetur plenaria? Huc scilicet ten-

dat ipso jure nullum. §. 1. *I. de inutil. stipulat. L. 3. ff. de O. & A.* Nemo existimet hanc conditionem frustra Instrumento Pacis insertam esse. Vid. mea Diss. de *subsidiis Interpret. Doctrin. P. R. & W.* §. 10. *not.* (*m*).

b) L. 14. 15. 27. & 32. ff. de LL. L. Leges in fin. Cod eod.

c) d. Art. VII. §. 2. in fin.

tendit nostrorum hodie Adversariorum intentio, in hoc se produnt, quo inclinent, nunquam eo, quod ipsis concessum est, contenti. Falsum etiam est, quod subnectunt, necessitatem solummodo quoad alias religiones sancitam non esse, jus vero tolerandi minime sublatum. Sublatum est jus tolerandi alias religiones propter universalem negativam Instr. Pacis *d*). Non est in transigentis arbitrio, interpretari pactum pro libitu cum alterius Partis Transigentis præjudicio & contradictione, contra prima juris principia docentis, odiosa contra jus inducta, & ob extremam necessitatem suggesta strictissimæ interpretationis esse, & tenorem privilegii, quo *Augustana*, & s. d. *Reformata* Confessio saltem admissæ sunt, præcise inspiciendum esse & attendendum *e*).

§. V.

Obmovent ulterius: Quod in I. P. tres tantum approbatæ & privilegiatæ religiones fuerint, hoc factum solummodo fuisse in favorem CATHOLICORUM, quibus hoc datum & concessum fuit, ne ipsi obligati essent ad aliam religionem tolerandam, non autem libertatem Principum restrictam fuisse, qui jam ab initio reformationis libertatem conscientiæ propugnarunt acerrimi, cum CATHOLICIS dissentientes in fide ejicientibus & proscribentibus nunquam consentientes. Sed errant, qui hoc adstruunt, quia tantum abest, ut CATHOLICIS hac in parte favor aliquis obvenerit, ut supremum potius & extremum malum, proscriptionem Religionis Orthodoxæ ex universo Imp. avertentes, in quascunque conditiones & pacta descenderint, ut fidem in quieta antiquissima possessione stabilirent; *Protestantibus* potius pro temporum illorum injuria, gratia & privilegium factum est, ut ipsorum Religio tolerata liberum meruerit exercitium.

2dum Argum. Adversar.

Quod confutatur.

§. VI.

Frustra instant porro, non potuisse restringi libertatem, utpote nullam, ex dictis. ℞. Licet jam ab initio sic dictæ Reformationis, libertatem conscientiæ propugnarint acerrime in fide dissentientes semper a Catholicis, tota tamen controversia per *Instr. Pacis* sopita, sola tolerantia trium, aut, ut rectius loquar, duarum religionum recepta fuit. Quod tandem propugnatam conscientiæ libertatem concernit, *Catholicis* dissentientibus & reclamantibus ea unice fuit tolerata, quæ per *Instr. Pacis* concessa & privilegiata fuit: ultra non conventum fuit. *Catholici* quod inierunt, coacti fecerunt, plus largiri noluerunt: *Protestantes* non potuerunt, licet voluissent plus prætendere, possessionem secundum Leges Imperii; non liberi arbitrii ingredientes.

3tium Argum. Adversar.

Quod refellitur.

§. VII.

d) Sæpe cit. Art. VII. §. 2. in fin.

e) Conf. mea Diss. *de subsidiis Interpret.* d. §. 12.

§. VII.

Ad Instantiam.

Urgent ulterius: in *Instr. P. art. 7.* stabilita fuit libertas conscientiæ, & salva esse jubetur, ergo liberum est Principi recipere & tolerare alias sectas. Veruntamen cum nimium probare intendant, probant nihil. Distinguo enim, stabilita fuit libertas conscientiæ in sensu accommodo, religionum scil. toleratarum, ut his nihil contrarium injungatur, ut ipsis addicti non cogantur ad fidem antiquam, quam deseruerunt, & ut præterea non debeant expelli, si vel publicum, vel privatum in *Anno Normali* exercitium habuerint, Concedo. in sensu absoluto; Nego & pernego. Nunquam hæc novitia conscientiæ libertas per *I. P.* salva esse jubetur, nunquam stabilita fuit, sicuti nec quæcunque religio, sed PROTESTANTIUM & s. d. REFORMATORUM sola. Enimvero, quid est *Religio?* nisi certa regula credendi, & huic conformiter Deum colendi, quæ sedem prius figit in conscientia, priusquam in apertum prodeat, & sic Religio quoad exercitium audiat. Restricta itaque cum religio vel regula credendi fuerit, ut præter memoratas in I. P. nulla alia toleretur, aut recipiatur, qua fronte AUTONOMISTÆ statuunt? quod libertas credendi quidlibet, & sic permittendi quamcunque religionem, fuerit stabilita sive quoad publicum, sive privatum exercitium, quod nihil fuit, quia censetur exercitium prohibitum, si religio prohibeatur.

R. sub distinct.

§. VIII.

4tum Argum. desumunt a praxi.

At vero contra praxin & consuetudinem loquor, quam alias scio legum dubiarum optimam interpretem. In quibusdam locis non pauci tolerantur MENNISTÆ, ANABAPTISTÆ, SOCINIANI, & alii hujus farinæ, quos privatim devotioni suæ vacantes inter se versari quidam Principes patiuntur, quamdiu tranquille vivunt. Sed nihil vereor, præterquam enim, quod hoc fiat in uno, alterove loco, consuetudo hæc vim legis non meretur; multa subin fiunt, quæ in judicium deducta reprobantur, si mala quæcunque ex Imperio possent eliminari, quam felix ipsius Status! & quam jucunda tranquillitas foret! excitetur Fiscalis Cæsareus, ut insurgens hæc molimina infringeret.

Ad quod Resp.

§. IX.

Damnatur Autonomica sive Exlex Religionis ertas.

Quo fuco jam Insignes cœteroquin Juris Publici Doctores Protestantici tolerantiam tot aliarum sectarum velint depingere licitam, quibus coloribus cohonestare liberam, ignoro; evellendæ potius & proscribendæ forent, quam admittendæ. Alia mens insedit compaciscentibus, & indubie laudatissimis ipsorum Prædecessoribus, alios priora tempora videre Zelotes pro Ecclesia & Imperio. Impune jam permittitur crescere lolium, Zizaniis inter TRITICUM locus datur ex vitio nimirum *S. Script.* perperam intellectæ; *Sinite utraque cres-*

cere

cere usque ad tempus messis. Magnum certe & palpabile discrimen intercedit inter Zizania, quæ inter & cum tritico crescunt, & inter falsas sectariorum doctrinas Zizaniis assimilatas; primum jubet Christus in parabola crescere cum TRITICO propter similitudinem, quam Zizania habent cum tritico, non facile discernibilem, nisi exspectetur tempus messis; secus vero se res habet in loliis & Zizaniis aliarum sectarum, quæ facile discernuntur, in oculos statim incurrunt, si cum tribus in Imperio toleratis confrontantur; imo vero ex ipsarum evulsione, exstirpatione & proscriptione sequitur progressus tritici; felicius assurgunt in culmos tot semina doctrinæ veræ, & tempore messis albescunt securius segetes, horreo cœlesti inferendæ. Absit, CHRISTUM voluisse per allegatam Parabolam quasi solennizare tolerantiam sectarum, lolii nomine venientium; *S. Scriptura* sibi non contradicit, cum ait: *auferte malum de medio vestri*, auferte sectarios e gremio Ecclesiæ & Imperii *f*).

§. X.

Atque hic tandem subsistimus: & haud iniquos rerum arbitros, saltem Catholicos, quibus scribimus, assertis nostris suffragaturos confidimus, æque ac facile dijudicaturos, uter Nostrum, an qui pro Tritico non suffocando militat, an qui pro Zizaniis non evellendis, bonam vel malam causam foveat. Interea nemo, neque Viri Æquissimi, Illustris D. PFAFFIUS, & Clarissimus D. BALSERUS, (quorum utrumque summa tamen veneratione, atque *fraterno* affectu prosequimur, nam, Conclusio Dissertationis.

Quos non in CHRISTI conjungit dogmate constans Relligio, hos *fratres* dicere, Relligio est:)

ægre ferent amplius, quod Catholicorum principia, eo quo debuimus & potuimus modo, candide & cordate pro vera Reipublicæ Christianæ felicitate in medium adduxerimus, veramque Religionis Libertatem juste ac legitime, quia prius provocati, iverimus assertum. Denique preces nostras, licet indignas, ad supremum in cœlis Numen constanter fundimus, dignetur omnibus spiritum veritatis concedere, ac mediis, quæ in hac & priore Dissertatione nostra de Tolerantia Diversarum Religionum in eodem territorio, pro asserenda tuendaque VERA RELIGIONIS LIBERTATE adhibuimus, benedicere, ut TRITICUM PER ZIZANIA NON SUFFOCETUR.

Μόνῳ σόφῳ Θεῷ Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

f) Faciunt huc Pericope Ima & IIItia, quas supra vid. & confer per tot.

FINIS.



Animadversiones Editoris.

Ad Perioch. Autoris. Ad id, quod hic dicit Autor de libertate scribendi in materia Religionis, videri potest Tract. celeb. MOSERI von der Reichsverfassungsmässigen Freyheit von teutschen Staatssachen zu schreiben 1772. in quo pro more suo sat aequus est, atque in specie de materiis Religionis inquit p. 54. *aut universim prohibendum fore, nequid in his materiis scriberetur, idque Republicae nil commodi allaturum, aut utrique parti permittendum, ut jura sua defendere conetur, quod quidem ex mente Legum Imperii ita esse negari nequit.*

Ad Pericop. 2. et 3. Autoris. Nostris praesertim diebus omnimoda in rebus Religionis Avtonomia palam urgetur a compluribus Protestantibus defenditurque. Queritur de hac re Ill. MOSER pro more suo candide in den Abhandlungen aus dem teutschen Kirchenrecht 1772. N. III. Von denen Personen, so nicht zu denen in Teutschland erlaubten Religionen gehören p. 89. his verbis: „der Verfall in Religionssachen ist so groß, daß mann Naturali„sten, Dristen, Religionsspötter u. d. an manchen Orten nicht nur wissentlich „und offentlich geduldet, sondern auch so gar heget, und groß damit thut, als „ob diese Leute (die doch meistens in Religionssachen grosse Ignoranten seynd) „die Klügste unter allen, und die Zierde des menschlichen Geschlechtes wären, „welche allein die Einsicht und das Herz hätten, sich des natürlichen Verstan„des behörig zu bedienen. Equidem et recentiorum argumenta jam satis occupavit confutavitque Autor, juvat tamen illorum hic verba denuo referre, atque perpendere: itaque GONNIUS *de Probat. Relig. §. 20.* inquit 1. Status Imperii etiam adversus Leges Imperii communes Statuta condere posse. 2. discrimen esse faciendum inter Imperium universum, ubi nonnisi tres Religiones notae tolerari possint, et singulas ejus provincias, ubi et aliae. 3. In universo Imperio tres Religiones tolerandas esse, propterea tamen consequi, idem in quibusvis Imperii provinciis esse permittendum. Facilis est horum omnium confutatio nam ad 1. quidquid sit de hoc asserto quoad alias leges ab universo Imperio latas causas privatorum concernentes, nemo id adhuc extendere ausus fuit, ad ipsas Imperii leges primarias atque, ut inquiunt, fundamentales, nisi quidem ipsam Imperii compagem simul convellere velit. Ad 2. Imperium ex singulis ejus provinciis constat, quod igitur se ad id universim extendit, etiam ad illas pertinebit, nisi quidem sophistica hac plane distinctione saluberrimas constitutiones quasvis eludere velis. Ad 3. Pro Religione quavis in specie certus simul annus normalis praefixus est, secundum quem jus tolerantiae et exer-

citii

citii sui in territoriis singularibus subditi praetendere possint: nec annus iste normalis, nec ejus beneficium nec alia in favorem trium Religionum in P. W. constituta ad alias sectas pertinent, quippe quae expressis adhuc verbis ibidem excluduntur.

SCHOTTIUS *in Critica suâ* 2. Band. *p. 514. seqq.* ait: *non solum tempore ipsius pacis curatum non fuisse, quas quaeque ex tribus Religionibus doctrinas pro suis profiteretur: sed et hodie reliquarum non interesse, si earum quaedam systema doctrinae suae immutare vellet:* Satis esse, *quodsi exteriori solum vinculo quodam adhuc unum corpus efficiat; quodsi doctrina aut in fundamentalibus etiam articulis, aut aliis immutetur, quietem propterea externam illæsam persistere, ad quod præcipue pax Westphalica collimasset.* Atenim fallitur vehementer SCHOTTIUS, quodsi quidem serio affirmet, id usque ad ipsam pacem parum fuisse curatum, quid Religio quaedam doctrinae profiteretur: ut quid enim tam sollicite in Pace Religiosa praeter Augustanam Confessionem reliquae sectae omnes exclusae fuerunt §. 17. Quis porro nescit in Comitiis de anno 1566. cum jam paulatim Reformati caput attollerent, denuo a Catholicis atque ipso Imperatore *Maximiliano II.* id repetitis vicibus vehementerque inculcatum, ut aliis praeter Augustanam Confessionem sectis via in Imperium praecluderetur, quod et ipsi Lutherani agnoverunt, atque ad id non obligatos sese modo professi sunt, sed et omni se opera effectui se illud daturos professi sunt. Conf. MOSER *l. cit. a p. 81.* seqq. ubi compendium Actorum in his Comitiis exhibet: ita inter alia inquiunt: „Wir erkennen uns schuldig, seyn auch willig, nicht allein für unsere Person uns keiner sectirischen Opinion theilhafftig zu machen, sondern auch solches in unsern Kirchen, oder bey unsern Unterthanen, Universitæten und Schulen „nicht zu gestatten, und auch urbietig, deswegen alle Christliche Verordnung „zu thun, und achten demnach dafür, daß solches ein nützlicher und fürträglicher Weg seye. Dadurch mann solche Secten an Orten, da sie eingerissen, „abschaffen mag, nemlich daß ein jeder Stand mit Christlicher Visitation „und ernstlichen Auffsehen sein Fürstenthum, Landschafft und Herrschafft rein „halte. Reposuit inter caetera Imperator: daß auch solcher Religion-Fried „in allen seinen Puncten und Clausulen von beyder Theils noch lebenden „Ständen also hoch versprochen, betheuert und deren NB. beyder Theils anderer Verstand oder Meynung nicht gewesen, und billig noch nicht seyn sollte, dann das durch Ausschliessung anderer Secten oder Opinionen, welche „nicht ex confesso und re ipsa der alten Religion, oder der Augspurgischen „Confession anhängig, das Heil. Röm. Reich, sonderlich diese löbliche teutsche Nation ferner der Religion wegen ungeirret, im rechten guten friedlichen Verstand, ruhig und ein jeder bey dem Seinen unbetrübet bleiben möchte. In Rec. dein eorundem Comitiorum §. 5. insertum fuit: auf das aber je

„länger je mehr beyder der alten Religion und Augsp. Confession zuwider ein„brechenden Secten und irrigen Opinionen kein Raum noch Statt gelassen, „sondern dieselbe von dem Heil. Reich teutscher Nation unserm geliebten Vat„terland abgewendet werden; so haben wir uns mit ihnen, den gemeinen „Ständen, und sie sich hinwiederum mit uns verglichen, daß solcher Secten „und irriger Opinionen, so wie gemeldt, sich von beyden, der alten Religion „und Augsp. Confession absöndern, oder derselben zuwider seyn, vermög des „Religionsfriedens keine gelitten, noch geduldet, sondern allenthalben, der „Gebühr und den Religionsfrieden gemäß gänzlich abgeschafft werde. In ipsis „tractatibus P. W. cum demum Reformati admissi fuissent Catholici eam clau„sulam 1646. adjecerunt apud de MEIERN *Tom. 2. p. 583. seqq.* die Wider„täuffer aber, Schwenkfelder, und andere dergleichen Secten betreffend, sol„len dieselbe nicht geduldet, sondern aller Orten ausgeschaffet und mit denen „in den Reichs-Abschieden verordneten Strafen wider sie verfahren werden: „inde et Art. 7. §. 2. notissima illa verba adjecta sunt: *sed praeter Religiones supra nominatas nulla alia in sacro Romano Imperio recipiatur, aut toleretur.* Formula horum verborum prout a Catholicis concepta erat, adhuc disertior fuit apud de MEIERN *Tom. 4. p. 805. Quicunque autem nec Catholicae Religionis, nec Augustanae aut Reformatae Confessionis sunt, in hac transactione et Pace Religiosa comprehensi non intelligantur.* Nil igitur evidentius, quam nunquam infinitum quendam in rebus Religionis Syncretismum, aut libertatem quandam nullis circumscriptum limitibus placuisse.

Sed Judaeos atque adeo salvis Imperii Legibus tolerari posse obmovet Anonymus quidam apud MOSER *l. cit. p. 105.* Respondet ad hoc argumentum MAJER in seinem teutschen geistlichen Staatsrecht abgetheilt in Reichs- und Landrecht *1773. Part. 2. Cap. 1. p. 72.* postquam ibidem hoc ipsum asseruit praeter tres in Imperio Religiones alias tolerari non posse: „es „klingt etwas besonders, daß die Juden vermög einer allgemeinen Reichs„Observanz noch eher auf dem Territorium des Reichs Toleranz und Zutritt „haben können, als alle übrige ausser den drei Reichsreligionen noch vorhan„dene christliche Secten. Allein zur Rechtfertigung dieser zu hart und unchrist„lich scheinenden Gesetze mag dienen, daß einmahl die Juden von jeher als „sehr einträgliche Sklaven behandlet worden *T. 4. Art. P. W. p. 61.* und „warum solte mann nöthig haben im Staat sich um die Religion der darinn „befindlichen Sklaven (ich rede hier die gewöhnliche Sprache der vorigen „Zeiten) so sehr zu bekümmern, oder daraus unangenehme Folgen zu befürch„ten, welche hingegen doch aus der Religion der freien Bürger und Unter„thanen eher entstehen können: für das zweyte hatte das teutsche Reich sowol, „als die verschiedenen Religionspartheyen im Reich, des Religions-interesses

„wie

„wegen, nicht leicht von dem Religionseifer der Juden je so viel zu befürchten „gehabt, als die Erfahrung von den mancherlei in der Christenheit entstande„nen Secten von jeher gelehrt hat.„ Atque ex his MAJERI verbi SCHOTTIUS quoque intelligere potest, quid est Syncretismo quodam illimitato tum pro quiete exteriore, tum etiam, quod præcipuum est, pro securitate conscientiae ob manifestum perversionis periculum aut sperari possit, aut potius timeri debeat.

Nemo autem recentiori tempore Avtonomiae effraeni plus facit, atque Autores *Bibliothecae universalis Germanicae Berolinensis* der allgemeinen deutschen *Bibliotheck*, quapropter et ab ipsis Protestantibus graviter vapularunt: ita 15. Band. 1. Stück. *p. 32.* seqq. ajunt: *jura partium civilia per pacem utramque definita esse, item tolerantiam A. C. addictarum Religionum; nullibi autem praescriptum ibidem, quid quisque credere debeat, neque tale quid humano quodam pacto definiri posse.* Rite ajunt quidem *Berolinenses* dogmata ipsa in utraque pace definita non fuisse: id tamen determinatum fuit, quae demum Religiones in Imperio tolerari possint, debeantque: atque tale quid Legibus Reipublicae decerni posse tot Regnorum Protestanticorum exempla docent. Quoniam vero homines ejuscemodi causas etiam Religionis nonnisi ex rationibus politicis metiri solent, demum interrogant, an Protestantica etiam territoria detrimenti quid passura essent, si Ministris Religionis ibidem permitteretur veritatem libere ex norma S. Scripturae probare atque docere: „würde den Lutherischen Staaten „was von ihren politischen Rechten entgehen, wenn Lehrer in ihrem Lande „frey nach der Schrift die Wahrheit prüfen und lehren könnten? ad hanc „quaestionem juvat afferre responsionem MOSERI l. c. N. VI. wie weit sich „die Freyheit derer Evangelischen in Teutschland in Lehrsachen nach denen „Reichsgrundgesezen erstrecke oder nicht? p. 219. quoniam MOSERI verbis egregie confirmatur illud capitale Catholicorum dogma judicem demum quendam in interpretanda sacra scriptura admittendum esse, nisi omnia susque deque vertere velis, ita autem respondet MOSERUS: „Was verstehen die „Herrn unter den Worten: Nach der Schrifft? Nach 100 Stellen der deut„schen Bibliothec, darinn dieser Einwurf gemacht wird, so viel: Nach seiner „Einsicht, sie mag nun mit denen bisherigen Lehrbegriffen der Evangelischen „Kirche, oder auch der Evangelischen und Catholischen, ja selbst mit denen „von beyden als Grundwahrheiten angesehenen Lehrsäzen übereinstimmen oder „nicht. Dieses nun vorausgesezet ergiebt sich die Antwort auf obige Frage „von selbsten: Freylich! dann die Catholische haben mit keinen Freygeistern „und Indifferendisten, sondern mit Augspurgischen Confessions-Verwandten „Verträge errichtet. Der Teufel, Matth. 4. die Widertäufer, alle Anti„Trinitarii, Arianer, Socinianer, Separatisten (*quid si Berolinenses dicant Lu-*

„thera-

„*therani eodem modo et Reformati?*) führen auch diese Sprache: sollte aber die„ses allein hinlänglich seyn die Lehrfreyheit zu bewürcken; so würden wir in „50 Jahren 500. wo nicht 5000 Secten in Teutschland haben; und damit „wäre uns viel geholfen! .... so aber würde die Christliche und Evangelische „Religion ein Wetterhahn, und etwas journalieres; heute so, morgen an„derst! „ (*Hoc ipsum est, quod judice in his controversiis rejecto nunquam non conquesti sunt Catholici*) „es würde gehen, wie mit denen Separatisten, die zwar „in so ferne alle einerley Meinung seynd, daß sie unsere äussere Christliche „Kirche für ein geistliches Babel halten, von welchem mann ausgehen solle: „die aber dabey wieder unter sich selbst so uneinig seynd, und einander (auch „wohl offentlich, wie *J. E. Schütz* und *Bock* gethan haben) selber für Irrgei„ster, Verführer rc. ausschreyen..... Nun wann mann aus Babel ausge„hen soll und will, wo solle ich dann hin? mann ihme von vielerley Orten „her zuruffen würde: Hier ist des Herrn Tempel! Hier ist des Herrn Tem„pel! er möchte sich nun hinwenden, wo er wollte, so würde er von denen „andern verkezert: „ Ipsissima haec verba MOSERI Lutheranis Reformatisque intuitu Ecclesiae Catholicae omnino applicari posse nemo non videt, neque extricare sese unquam laqueo hoc poterunt, quemadmodum vel ipsimet eorum cordatiores LOCKIUS, CAVEUS, SAYWELLIUS, quos ex FEBRONIO *C. 1. §. 9. in Institutionibus meis Part. 2. §. 13.* appellavi, palam fatentur. Ad id vero, quod MOSERUS l. cit. innuit inter Catholicos quoque adhuc controversias plures vigere, centies jam responsum est, distinguendum esse, an Ecclesia jamjam rem deciderit, nec ne? priori in casu aut judicium huic decisioni submittendum erit, aut Catholici nomen deserendum. Plane vero perperam MOSERUS exemplum Celeb. et pie defuncti P. NEUMAYR S. J. pro re sua affert, qui Catholicus permanserit, etsi Probabilismum a Pontificibus rejectum palam defenderit, imo Jesuitas haberi *pro fundamentis Ecclesiae Catholicae* (indessen werden sie, die *Jesuiten*, doch als ächte Glieder, ja gar als Grundstüzen der Catholischen Kirche erkannt) etsi probabilismo et peccato Philosophico sint infecti. Probabilismus nec propria est Jesuitarum doctrina, nec adhuc ab Ecclesia proscripta: peccatum vero philosophicum, postquam ea doctrina damnata fuit, ab ullo Jesuita defensum fuisse nunquam MOSERUS ostendet. Grates interim habendas hic puto viro inter Protestantes celeberrimo de hoc alias circa *Jesuitas* testimonio, hoc praesertim rerum situ, quid cogites, dum ita de Jesuitis, certe non ex adulatione, sentit scribitque etiam nostris dicbus vir tanti pro merito inter Protestantes et Catholicos nominis: Jesuitarum autem excidium in Germania quoque palam exoptat exspectatque Catholicus FEBRONIUS? ......



XIV. PE-

XIV.

PETRI ANTONII FRANCK

inentissimi ac Serenissimi Principis Electoris Trevirensis Consiliarii Aulici, Juris publici et Histor. in Univ. Trevirensi Prof. Publ. et Ordin.

DISSERTATIO

DE

CENSURA PRINCIPII:

RISDICTIO SUPREMORUM IMPERII TRIBUNALIUM IN CAUSIS ECCLESIASTICIS PROTESTANTIUM NON MAGIS, QUAM CATHOLICORUM FUNDATA.

Mogunt. 1771.

PRÆFATIO.

æpe cantata, sæpe repercussa cantilena est: summa Imperii dicasteria in causis Protestantium ecclesiasticis cognoscere haud posse. Vexantur Archidiaeria, Comitia turbantur. Quæstio ad initium hujus sæculi in causa Pastoris ILLMUND præprimis agitata; hodie vero in causa *Mellensi* acerrime reasipta. Grauamina insonant, antiqua percrepant, noua acervantur. Scripta quiora pro & contra ventilata exhibent acta publica. *a*) Inter recentiores, hoc thema sibi peculiariter discutiendum sumpsit, primas sine dubio tenet Pe DE CRAMER. *b*) Antagonistam hic nactus est, *c*) fœcunditate styli non minus,

) Apud *de* CRAMER *in den W. Nbſt.* 16. *Th.* 4. *Abh. pag.* 85. *seq.* & *Cl.* ZWIRLEIN *in den vermehrten Beitrægen zur Verbesserung des Justitzwesens am Cammergericht* 2. *Th. pag.* 12. *seq.* citata.

l. cit. pag. 66. *seqq. Von denen besonderen Gründen, worauf die Gerichtbarkeit derer hœchsten Reichs-Gerichte in Religions-Sachen beruhet.*

In dem Pro Memoria der Chur-Braunschweigischen Comitial-Gesandtschaft, das

nus, ac solida doctrina celebrem. Est hic ipse causæ *Mellensis* ante memoratæ patronus. *Perill.* DE FALKE, Legatum modo Bremensem ad Visitationem Cameræ Imperialis, esse ajunt. Ex Catholicorum numero, qui hoc thema ex professo dilucidarit, neminem scio, nisi *Anonymum* quendam, qui, dum dissertatio mea maxima ex parte jam prælo parata erat, tractatiunculam publicauit *von dem Richter in geistlichen Streit-Sachen der Protestantischen Fürsten.* d) Legi, & auidus perlegi eam, quin ea perlecta aliud mihi thema seligendum esse, crediderim. Animabar potius per ipsum *Anonymum* ad idem continuandum, vt ejus indictioni, licet non rogatæ, fieret satis. e) Mox scil. intellexi, auctorem hujus tractationis eundem esse, cum quo plus vice vna, communicatis etiam variis subsidiis, super hac materia collocutus fui; atque per allata verba hanc ipsam dissertationem indigitari, quæ modo lucem videt, per varias remoras memet inuito diu retenta; fors licet nondum visura lucem, ni alia vrgerent. Crisin hujus tractationis a me vix exspectabit lector, cum forsan nonnulli suspectus esse possem; hoc tamen sciat, me ideo in decursu tractationis meæ ad *Anonymum* haud prouocasse, ne viderer hinc inde me ipsum allegasse; vtque ex integra vtriusque scripti collatione lector eo tutius judicare possit, num dicta ab alio, mutata tantum lingua, recocta dederim; saltem multa, nondum dicta, a Publicista Catholico proferri posse, mihi certo certius persuasum habeo; vt enim non memorem, Argumentis *perill.* DE FALKE obuiandum esse, neque ea, quæ *perill.* DE CRAMER dedit, scriptori Catholico ex integro arridere posse; specialia adeo scrutatori Catholico pro vindicanda Archidicasteriorum potestate argumenta in promptu erunt. Quid ego præstiterim, an vel in quantum dignitati thematis correspondeat hæcce tractatio, meum non est judicare; sed impartialis lectoris, cujus beneuolæ crisi totam submitto, contentus, modo vnam vel alteram pro conseruando Imperii nexu haud inutilem obseruationem

nem

das vom Hochlœblichen Corpore Euangelicorum jederzeit behauptete Reichs-Friedens-Schlussmæssige Principium de Jurisdictione supremorum Imperii tribunalium in causis ecclesiasticis Euangelicorum non magis, quam Catholicorum, fundata, und die, dawider vom Kayserlichen und Reichs-Cammer-Gericht incompetenter angemaßten Reichs-Friedens-Schlußwidrige Petitorial-Entscheidung des über die Euangelische Pfarr-Bestellung zu Melle im Hochstift Osnabrück, dahin erwachsenen Besitz-Streits und bey dieser Gelegenheit aufgestellte Antithesin generalem betreffend. Apud FABRI *in der neuen Staatsk.* 21. *Th.* 6. *Absch. num.* 4. *pag.* 390. *seqq.* & *de* CRAMER *in den W. Nbst.* 79. *Th.* 8. *Abh. pag.* 107. *seqq.*

d) Quæ numero secunda est *in dem* 1. *Th. der kritischen Betrachtungen über verschiedene Staatsfragen.*

e) *Anonymus l. cit. pag.* 84. *„Es bleibt dieser Materie in ihrem Haupt-grunde noch eine besondere Abhandlung vorbehalten.„*

nem hic exhibuerim. Ordinem hunc seruaui: præmisi I. fundamentum *legale*, cui exercitium jurium ecclesiasticorum in systemate Protestantium ceu basi insistit; disquisiui scil. quodnam systematum Protestantium in systemate Imperii sit genuinum? & *illud* superioritatis territorialis contra nouiores vindicaui; disquisiui ad cynosuram *systematis Imperii*, non juris publici vniuersalis, non Theologorum; cum finis & instituti ratio hæc minime permisissent; totaque res, quod principale est, semper eo redeat, *in quonam systemate* jura, quibus in Imperio pars altera gaudet, concessa fuerint. II. Retuli argumenta supremam Archidicasteriorum cognitionem fundantia. III. Objectiones aduersariorum examinaui. Exacto quidem systemati magis conuenit, id, quod argumentorum primariorum vnum est, ipsi intexere tractationi, placuit tamen primum, ne moles vnius argumenti ipsam tractationem obruere videatur; quo demum posito, seu systemate superioritatis territorialis demum evicto argumentorum seriem continuare eo facilius erat. Vbi in allegationibus fors nimis copiosus quibusdam videor, id ea præcipue intentione factum est, vt doctrina Protestantica in concentu plurium doctorum Protestanticorum, ad quos per integram tractationem fere solum prouocaui, eo magis elucescat. Malui cum his plerumque loqui, quam auctoritate propria rem definire. Tandem omni cum modestia concertationem instituere laboraui; saltem præmeditata voluntate neminem offendi.

CONSPECTVS TRACTATIONIS.

I. *Introitus. Dicitur: Reformationem sic dictam* nouum jus ecclesiasticum, *per leges Imperii vero tandem firmatum progenerasse Multarum quæstionum resolutionem ex aliis ac antiquitus principiis dijudicandam esse; atque ex his me selegisse vnam, pro viribus discutiendam.* } *§. I. II. III.*

II. *Tractatio*, ad quam rite cognoscendam *agitur*

A.) *de Fundamento* legali, *cui jus ecclesiasticum nouum* in systemate Imperii nostri *tanquam basi insistat.*

1.) *Pars* generalis, *in qua*

a.) *de variis Protestantium systematibus in* genere *§. IV.*

b.) *in* specie

α.) *de systemate* collegiali

I. generatim

A.) *Quid sit Ecclesia in systemate collegiali.* §. V.

B.) *Jura Ecclesiæ in systemate collegiali*

1.) *collegialia* §. VI. & VII.

2.) *majestatica.* §. VIII.

II. Speciatim *in ordine ad Germaniam considerato.* §. IX.

β) *de systemate, quod vocant* juris territorialis. §. X.

2.) *Pars specialis, in qua illud superioritatis territorialis* ex systemate Imperii *contra noviores vindicatur.*

a.) *Præmittuntur quædam regulæ hermeneutices in sequentibus observandæ.* §. XI.

b.) *Proferuntur argumenta, & quidem*

α.) Sine *speciali ad systema collegiale adplicatione.* (§. XII — XIX.)

I. *Ex historia reformationis.*

II. *Ex Ecclesiæ Protestanticæ systemate.*

III. *Ex Statuum declarationibus, postulatis, tractatibusque.*

IV. *Ex legibus Imperii.*

V. *Ex statu singulorum territoriorum ecclesiastico.*

VI. *Ex celeberrimorum Scriptorum Protestantium auctoritate.*

β.) Cum *speciali ad id adplicatione, fundamentis* præprimis

I. *ex defectu primariorum systematis collegialis requisitorum.*

A.) *in ordine ad Principes.* §. XIX.

B.) *in ordine ad Nobiles immediatos* §. XX.

II. *Ex agnitione subditorum & Statuum contraria.* §. XXI.

III. *Ex legibus Imperii in systemate collegiali minime declarandis.* §. XXII.

IV. *Ex ipsa hujus systematis novitate petitis.* §. XXIII.

c.) *Removentur objectiones,*

α.) *queis consensum*

I. *ex-*

I. *expressum* §. *XXIV.*

II. *tacitum evincere conantur* §. *XXV.*

β.) *quas ex tractatibus* §. *XXVI.*

γ.) *ex legibus Imperii petunt.* §. *XXVII.*

B.) *Sistuntur argumenta singula Archidicasteriorum cognitionem fundantia.*

1.) *Ex S. R. I. principiis generalibus* } §. *XXVIII.*

a.) *natura & indole superioritatis territorialis.*

b.) *fundata in thesi in omnibus casibus sup. Imp. dicasteriorum jurisdictione.*

in ipso inst. P. W. agnitis

a.) *per integros Ducatus, Principatusque* cum ecclesiasticis æque ac sæcularibus juribus *in feudum datos.* } §. *XXIX.*

b.) *per priuilegia* } §. *XXIX.*

α.) *electionis fori, &*

β.) *de non appellando, etiam* de Ecclesiasticis juribus *intelligenda.*

2.) *Ex legibus Imperii expressis.* §. *XXX.*

3.) *Ex natura causarum ecclesiasticarum.* §. *XXXI.*

4.) *Ex Germaniæ ratione, patriæque salute a S. C. Majestate pluries vindicata.* §. *XXXII.*

5.) *Ex praxi & obseruantia Imperii.* §. *XXXIII.*

6.) *Ex auctoritate.* §. *XXXIV.*

C.) *diluuntur objectiones adversariorum.*

1.) *Potestate supremorum Imperii tribunalium in causis ecclesiasticis notorie incompetente (quod* Anonymus *ex historia latius deducere tentat,) specialem a vi illorum judiciaria Statuum Protestantium exemptionem superfluam fuisse.* §. *XXXV.*

Rdetur ad 1. §. *XXXVI.*

2.) *ex anno normali argumentum formant.* §. *XXXVII.*

Rdetur ad 2. §. *XXXVIII.*

3.) *Constitutionem* CAROLI V. *de* 1541, *& alias Imperii dispositiones disertim sancire, ne Camera in causis ecclesiasticis ullam sibi sumeret cognitionem.* §. XXXIX.

Rdetur ad 3. §. XL.

4.) *Ex suspensa jurisdictione* Episcoporum *restrictam Imperatoris circa sacra potestatem rite inferri.* §. XLI.

Rdetur ad 4. §. XLII.

5.) *Regulam fundatæ in thesi Archidicasteriorum cognitionis hic applicari haud posse.* §. XLIII.

Rdetur ad 5. §. XLIV.

6.) *Etsi nonnunquam dentur causæ judice destitutæ, non unicum hunc esse in Imperio nostro casum, qui nonnisi amicabili ratione componi possit. Et reliqua.* §. XLV.

Rdetur ad 6. §. XLVI.

7.) *Jure perhorrescere Protestantes dicasterium, cujus membra potissima ex parte Catholicam profitentur Religionem; hæc enim nec* habilia, *nec satis* sincera *esse putant.* §. XLVII.

Rdetur ad 7. §. XLVIII.

8.) *Prouocant ad mutuam exactamque æqualitatem in I.P.W. stabilitam.* §. XLIX.

Rdetur ad 8. §. L.

9.) *Præjudicia ceu* attentata *Archid. a Statibus Protestantibus sæpe contradicta præjudicare nil posse.* §. LI.

Rdetur ad 9. §. LII.

10.) *Hanc ipsam ob contradictionem rem non aliter, ac amicabili utriusque partis transactione componi posse.* §. LIII.

Rdetur ad 10. §. LIV.

§. I.

§. I.

Ex quo MARTINUS LUTHERUS vir acris quidem, verum & vehementissimi genii, atque ingenii doctor, sub plausibili euangelicæ doctrinæ prætextu ad ejurandam fidem auitam non paucos Germaniæ Proceres, & priuatos inuitabat; æternæ perditionis reos statuens, qui Pontificis imperio ecclesiastico, a) & Catholicorum quibusdam eximii momenti dogmatibus b) obsecundarent: *Origines* juris ecclesiastici noui ab antiquo toto cœlo diuersi repetendas esse historiarum monumenta c) satis testantur. d)

§. II.

a) Inter alia v. g. vide T. 9. *operum* LVTHERI *W. fol.* 100. *Wo jr nicht von gantzem Hertzen des Bapsts lesterlichem Regiment widersprecht, kœnnet jr nicht selig werden. Denn des Bapsts Reich ist so gar dem Reich Christi und Christlichem Leben zuwider, daß besser und sicherer were, in einer Einœde, da kein Mensch zu sehen, zu leben, denn in und unter dem Antichristischen Reich zu wonen.*

b) Bene seperandæ sunt reformatio in dogmate, & reformatio in moribus disciplinaque. Illam, hujus maxime indiga, ignorabat Ecclesia. Apposite ea, quæ BOSSVETIVS *in sua historia variat. doct. Protestant.* mox ab initio libri primi pluribus sistit, contraxit ZALLWEIN *in suis principiis juris ecclesiastici vniuersalis & particularis Germaniæ T.* 3. *p.* 280. §. 6. sequentibus differens: *A multo jam tempore proborum omnium erat votum, cum S.* BERNARDO *nihil magis optante, quam videre Ecclesiam, uti erat pristinis diebus (epist.* 257. *ad* EVGEN.) *votum* GUILIELMI DURANDI, *qui jussus a Pontifice conscribere capita agendorum in concilio Viennensi primum posuit, ut Ecclesiæ Romanæ reformatio fieret in capite & membris. (Tract. de modo gen. conc. celeb.) Idem votum* JVLIANI *Cardin. ad* EVGENIVM IV. *scribentis: Clerum ob excessus laicis abominationi esse. (Epist.* 1. *Jul. Card. ad* EVGEN. IV. inter *op.* ÆN. SILV. *p.* 66.) *Idem votum* PETRI *de* ALLIACO & GERSONIS *in concilio Pisano, aliorumque virorum doctissimorum & piissimorum.* (BOSSVET. *l. cit.*)

c) LVD. MAIMBOVRG. *histoire du Lutheranisme.* BOSSVET *histoire des variations des Eglises Protestantes.* SECKENDORF *commentarius historicus & apologeticus de Lutheranismo & reformatione Religionis.* CARL RENATVS HAVSINS *pragmatische Geschichte der Protestanten in Deutschland. Erster Theil* 1767.

d) De causis reformationis incrementorum audiamus ADAMI *in relatione historica de pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi p.* 3. *edit. Lips. Partem ex propositis ex reformatione cleri opimis Ecclesiarum spoliis: partem conscientiæ libertate; multos denique votis obstrictos, eorum soluendorum licentia, ad famosæ nouitatis amplexum inducebat haud multo labore.* Cum quibus quoad maximam partem colludunt ea, quæ *Memoires pour servir a l'histoire de la Maison de Brandebourg p.* 37. *sequentibus differunt: „Il* (LVTHER) *renonca au froc, & épousa Catherine de Bore en* 1525. *encourageant par son exemple les Prêtres, & les Moi-*

§. II.

Cum enim inconcussa, natis subin licet grauibus in Ecclesia discordiis, hactenus fuerit Catholicorum sententia vniformis, quod Ecclesia sit societas inæqualis perfecta, adeoque in Ecclesia status reipublicæ detur, ab ipso CHRISTO DOMINO institutus, in perfectissima Imperantium & obedientium, etiam Principum, quatenus hi sacræ reipublicæ membra, subordinatione fundatus: *a.*) Protestantes jam duce LUTHERO calcata, profligataque Pontifici, Episcopisque debita reuerentia, subjectione, obedientiaque in alia abire, illudque vt loquar cum ipsis intolerabile jugum excutere non reformitant. *b.*)

§. III.

Ejusmodi vero innouationes, cum amissione tot bonorum Ecclesiasticorum, *a.*) etiam Archi- & Episcopatuum, *b.*) cum jurisdictionis ecclesiasticæ anti-

Moines a rentrer dans les droits de la nature & de la raison. Sil rendit les citoyens a la Patrie, il lui rendit aussi son patrimoine, en mettant dans son parti beaucoup de Princes, pour qui la depouille de biens Ecclesiastiques etoit une douce amorce.,, T. 3. p. 25. *Il* (LVTHER) *devint bientôt chef de parti, & comme sa doctrine dépouilloit les Evêques de leurs bénéfices, & couvens de leurs richesses, les Souverains suivirent en foul ce nouveau Convertisseur. &* T. 1. p. 40. *Si donc on veut reduire les causes de progrês de la réforme, à des principes simples, on verra, qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'interêt, en Angleterre celui de l'amour, & en France celui de la Nouveauté, ou ptutêtre d'une chanson . . . . l'Electeur* JOACH. II. *acquit par la communion sous les deux especes les Evêches de Brandenbourg, de Havelberg, & de Lebüss, qu'il incorpora à la Marche.* Add. C. R. HAVSENS *pragmatische Geschichte der Protestanten in Deutschland. Hauptst.* 5. 8. & 9.

a) COEFFTEAV. tract. *de sacra Monarchia Ecclesiæ catholicæ aduersus rempubl.* MARCI ANTON. *de* DOMINIS. PHIL. FRIDERICH. *de idea Nomothesiæ eccles. systematis hierarchici fundamentis innixa, contraque hypotheses & crisin* PVFFENDORFII, PFAFFII & BOEHMERI, *aliorumque modeste asserta.* BARTHEL *de jure reformandi antiquo in opusc. T.* 1. *p.* 105. *seqq.* SCHOLLINER O. S. B. *dissertationes theologico-historicæ* 2. *de hierarchia Ecclesiæ catholicæ.* Vtraque contra BOEHMERVM differentem in PLINIVM & TERTVLLIANVM. Altera *de clericorum laicorumque discrimine; de fictitio laicorum jure sacerdotali* altera. ZALLWEIN *in diss. de statu Ecclesiæ.* Add. P. TH. GREBNERI S. J. *Germania Sacra in primitivo statu Ecclesiæ &c. Wirceburgi* 1767.

b) Plura de hoc infra.

a) *Demonstratio jurium status ecclesiastici parte post. c.* 2. & 3. ibique pluries allegatum *Archiuum vnito protestantium*: addito SCHOEPFLIN *in historia Zaringo-Badensi T.* 4. *c.* 2. §. 3.

b) Horum 20. numerat idem auctor *l. cit. p.* 143. §. 2. Add. Cel. HÆBERLIN *de*

antiquæ, c.) pluriumque jurium, antea quæsitorum, jactura conjunctas sine controversiis & turbis in republica maximis contingere vix potuisse, optime intelliget is, qui, quam delicatus sit principiorum religionis cum regnorum tranquillitate nexus, minima sæpe alteratione maximas post se trahente innouationes, probe sibi ex regnorum fatis atque revolutionibus perspectum habet. Tandem in Germania has controversias & turbas, frustrata omni ad pristina religionis antiquæ sacra reductionis via, per subsecutas sibi invicem Imperii leges sopitas esse, quis est, qui ignoret? quisque ignorat jure ecclesiastico nouo per leges Imperii jamjam firmato, d.) multarum quæstionum resolutionem ex aliis longe ac antiquitus principiis e.) dijudicandam esse? atque ex his, præsentis dissertationis rubro indice selegi unam, difficilem non minus, ac criticam, f.) cujus ex sanis hermeneutices regulis, ex legibus Imperii, ipsius reipublicæ ratione, aliisque rerum argumentis discussio plenior, *præmisso tamen prius fundamento legali, cui exercitium jurium ecclesiasticorum in systemate novo seu basi insistat,* non adeo inanis, ut spero, labor erit.

§. IV.

Plura in Ecclesia Protestantium ab ortu suo, ad hæc tempora usque systemata regnasse a.) vix quemquam latebit: cum vero *collegiale*, vti vocant, & istud,

de reseruato ecclesiastico ex mente pacis religiosæ, ejusque effectibus ac fatis usque ad pacem W. pag. 78. - 116.

c) *P. R.* §. 20. *I. P. O. art. V.* §. 48.

d) *R. I. N.* §. 6. *Cap. Caf. art.* 2. §. 3.

e) *Diss. Mog. præs. Cl.* Dürr. 1769. habita, *de domino territoriali protestantico suis subditis catholicis in impedimentis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, nulliter dispensante* §. 3. *nota a.* ibique citatus Eisenhard *in seinen Erzæhlungen von besonderen Rechtshændeln p.* 402.

f) Compilator *Electorum juris publici T.* 7. *p.* 593. *Gewiß diese Materie ist sehr delicat, besonders wenn man eines Theil* in facto *supponirt, daß* Catholici in causis ecclesiasticis jurisdictionem cameralem *keines Wegs agnosciren, anderen Theils aber die Frage aufwirft, warum denn* Euangelici *in dergleichen Sachen* deterioris conditionis, *als jene seyn, mithin erwehnte Jurisdiction (des Kammergerichts) erkennen sollten.*

a) Decem asserit Pfaffius *in seinen academischen Reden über das, sowohl allgemeine, als auch deutsche Protestantische Kirchenrecht p.* 98. Haud pauciora Mosheim *in dem allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten pag.* 568. Johann Thomas von Hoeckdorf *gründliche Betrachtungen über die in des Herrn von* Puffendorfs *Buche von der Verhæltniß der Christlichen Religion gegen den Staat enthaltene, und damit verknüpfte gœttliche Wahrheiten.*

istud, quod ex *superioritate territoriali* deriuatur, hodie primaria sint: hisce insistens, reliquorum *b.*) disquisitione abstineo lubens; summa vtriusque ad hæc fere capita jam reducenda.

§. V.

Ecclesia Christiana secundum systematis collegialis patronos *a.*) est *societas fidelium per eandem fidem christianam vnitorum, de religione christiana colenda. b.*) Initur hæc societas libero coëuntium consensu; eam 2. constituunt omnes in eam

Medit. 7. *p.* 248. *Vollstændige Nachricht von den verschiedenen Meinungen der Herrn Theologen, und Juristen über den Ursprung und die Natur des Kirchenrechts. Franckfurt und Leipzig* 1754. BOEHMERI *præloquium ad T.* 5. *juris ecclesiastici Protestantium de vario systemate universi juris tum canonici, tum ecclesiastici trium præcipue religionum in Germania approbatarum.*

b) Etiam *Episcopalis;* cum ex iis, quæ ex ipsa potissimum paciscentium intentione adducentur infra, refutet se ipsum: de cætero vero systemata priuatorum & scholæ non adeo curem. Vides is tamen inter alios, si lubet J. H. BOEHMERUM in diss. de *jure episcopali Principum evangelicorum;* & ex Catholicis Cl. G. I. WEDEKIND. in Diss. de *jurisdictione ecclesiastica dominis territorialibus Catholicis laicis in subditos Protestantes competente pag.* 11-21.

a) PUFFENDORFIUS in tract. *de habitu religionis ad statum civilem.* PFAFFIUS *in orig. juris eccles. veraque ejus indole p.* 4. & 193. nec non *p.* 200. *sq. In inst. jur. eccles. & in diss. de jure sacrorum absoluto & collegiali* hisce adjecta, præcipue vero *in seinen academischen Reden* jam citatis. CHR. LIBERI *Untersuchung der Conventional- oder Collegialrechten der Evangelischen Kirchen und deren rechtmæssigen Verwaltung.* CANZIUS *in jurisprudentia sociali ecclesiastica* suis *disciplinis moralibus* inserta. L. B. de ZECH. *in medid. de origine, indole, effectibus, atque historia juris reformandi Regum, atque Principum, nec non statuum Imperii Romano-Germanici circa Religionem.* WIESENHAVER *in diss. de jure Majestatis sacrorum dirigendorum; & in diss. de jure conuentionali sacrorum dirigendorum; item in seinen Grundsætzen des allgemeinen und besondern Kirchen- Staats- Rechts der Protestirenden in Deutschland.* PREUSCHEN in libello: *daß ein Catholischer Landesherr in Ehe- und anderen Kirchensachen seiner Evangelischen Unterthanen zu erkennen nicht befugt sey:* 1753. *Fortsetzung der Gründe, warum ein Catholischer Landesherr in Ehe- und anderen Kirchensachen seiner Evangelischen Unterthanen zu erkennen nicht befugt sey.* 1754. Atque, qui per vniuersam jurisprudentiam ecclesiasticam hocce systema ad singulas materias adplicare tentauit, Cel. G. L. BOEHMERUS *in principiis juris canonici; speciatim juris ecclesiastici publici & priuati, quod per Germaniam obtinet,* 1767. Varii in decursu adhuc occurrent.

b) G. L. BOEHMER *l. cit. parte. gen. Tit.* 1. §. 4.

eam coëuntes, eademque fide vniti; & 3. communis finis illius consistit in cultu diuino ex eadem fide christiana instituendo. c.)

§. VI.

Omnis societas, pergunt fautores systematis hujus, quoad statum suum internum juribus propriis gaudet; cum itaque Ecclesia Christiana societas sit, neque huic jura, quæ statum ipsius internum tangunt, denegari posse: atque inde resultare *collegialia* Ecclesiæ jura; quæ quid in eorum systemate sint, ex modo jam dictis intelligi potest. a)

§. VII.

Si horum jurium numerum petis: tot fere esse adstruunt, quot sunt actiones & media, quæ ad finem obtinendum necessaria videntur. a) Huc spectet

 1. jus

c.) Idem *l. cit.* & WIESENHAVERS *Grundsætze* I. *Th. cap.* 2. §. I. *Die Kirch ist eine freie und gleiche Gesellschaft im Staat, dessen Glieder sich zu dem Ende zusammen vereiniget haben, daß sie nach der Lehre Christi GOtt dienen, und nach der unter sich gemachten und gesezten Ordnung leben wollen.*

Neque per ministerium verbi diuini a CHRISTO in condenda Ecclesia institutum tolli æqualitatem; cum ministrorum officium imperio & coactione sit destitutum. *Idem* §. 4. Et *alii.*

a.) Audiamus tamen de his differentem FLOERCKIUM & WIESENHAVERUM.

FLOERCKE *in diss. de jure Principis in specie Germaniæ circa sacra subditorum diuersæ Religionis p.* 3. „ Cum jus ad finem quendam irritum & vanum sit, nisi simul jus habeas media fini huic consequendo inseruientia determinandi, illisque utendi: patet, omnem societatem, ideoque & ecclesiasticam licitam habere jus ad finem consequendum necessaria determinandi, illisque utendi. Hoc autem, quatenus societati ecclesiasticæ competit, vocatur *jus Ecclesiæ collegiale;* & quoniam media ad finem Ecclesiæ obtinendum proficua, dantur admodum varia, ideoque jus illud maxime compositum est; communiter eorum complexus *jura Ecclesiæ collegialia* vocari solent. „

WIESENHAVER *tract. cit. c.* 4. §. I. „Die Collegialrechte der Kir„che sind diejenigen, welche diese Gesellschaft hat, ihre Handlungen und „Hauptverrichtungen, wozu sie sich verbunden, auszuüben, und dadurch „zu den Endzwecken, welche sie sich vorgesezt, zu gelangen. Sie werden „*Conuentional-* oder *Collegialrechte* genennet, weil sie die Natur der Kirchen, „als einer Gesellschaft, und derselben Vergleich zum Grunde haben; und „kommen der Kirche zu, so oft sie gewisse Handlungen in Ansehung ihrer „Absichten auszuüben hat. „

a) WIESENHAVER *de jure conuentiali sacrorum dirigendorum* §. 2. FLOERCKE *l. c.* §. 3.

1. jus eligendi, constituendique verbi diuini ministros, *b*) hosque deponendi, si officio suo non rite fungantur. *c*) 2. Jus committendi aliis directionem & inspectionem ecclesiasticam. *d*) 3. Jus visitandi, *e*) reformandique Ecclesias. *f*) 4. Jus synodos conuocandi, *g*) mutuaque conuentione condendi symbola. *h*) 5. Jus ordinationes ecclesiasticas, *i*) etiam pœnis conuentionalibus

b) Wiesenhauer *l. c.* §. 3. & *in seinen Grundsætzen* 1. *Th.* 4. *C.* §. 3. *pag.* 27.

c) Liberi *cap.* 2. §. 58.

d) Wiesenhaver *in diss. cit.* §. 4. *Grundsætze l. c. pag.* 28. Prevschen *dass ein Catholischer Landesherr &c. cap.* 1. §. 17. *seqq.*

e) Wiesenhauers *Grundsætze pag.* 29.

f) Wiesenhaver *diss. cit.* §. 5. „Quodsi innotescat, corruptum esse Ecclesiæ statum, erroresque gliscere, qua doctrinam, aut mores inualescere prauos; res ipsa & Ecclesiæ salus postulat, tempestiue ut hisce morbis adferatur medela. Inde nouum societati jus oritur: emendandi corrigendique Ecclesiæ corruptelas, quod ipsum *jus reformandi Ecclesiam* vocari solet.„

Ejusdem *Grundsætze pag.* 32. „Hat also die Kirche bey genauer Aufsicht, und Nachforschung verdorbene Sitten, oder sonst grosse Missbræuche, und gefæhrliche Irrthümer in der Lehre und œffentlichem Gottesdienste durch ihre darzu Verordnete entdeckt; so ist sie auch berechtiget, und verbunden, ihren Hauptendzweck, nach der Verordnung Christi gemeinschaftlich Gott zu verehren, desto besser zu erhalten, eine Reformation anzustellen. Sie kann in dieser Absicht den ærgerlichen und rohen Sitten vermittelst einer schærferen Kirchen-Disciplin Maas und Ziel setzen, die Missbræuche ausmustern, die von Christo dem Stifter der Gesellschaft geordneten Gebræuche, und Ceremonien nach dessen Einrichtung anordnen, und andere hinzufügen, endlich die œffentliche Lehre von den groben Irrthümern befreyen, und dieselbe theils nach den bereits aufgerichteten Glaubensbekenntnissen, theils nach der Verordnung der heiligen Schrift in die behœrige Reinigkeit und Lauterkeit setzen. Pag. 221. Die Abschaffung der, in der Kirche, eingeschlichenen Missbræuche ist das eigene Werk und *Objectum juris reformandi.*

g) Prevschen *l. cit.* §. 15. Wiesenhaver *diss. cit.* §. 6. *Grundsætze p.* 30.

h) Prevschen *l. cit.* §. 11.

i) Pvffendorf *de habitu rel. ad statum* §. 30. *pag.* 113. „Habent præterea hoc omnia collegia, non minus, quam Ecclesiæ, ut communi consensu *statuta* condere queant ad peculiarem eorundem finem spectantia, saluis communibus ciuitatis legibus.„

„Liberi *l. cit.* §. 79.„ *Gleichfalls kommt der Kirchen das Recht zu, heilsame Statuten, Verordnungen und Verfassungen zu machen.* „§. 81.„ *In selbigen hat sie Macht, nicht nur das, was GOtt gebothen hat, einzuschærfen, sondern auch willkührliche Ceremonien, Feyer-Buss-Fast-und Behttage, Ordnun-*

bus *k*) munitas determinandi. 6. Jus conuentionale lites in Ecclesia ortas dirimendi. *l*) 7. Jus membra Ecclesiæ excommunicandi. *m*) 8. Jus indicendi collectas, ut sumptibus subueniatur; *n*) aliaque similia jura: jura vero conscientiæ & libertatis christianæ unanimiter excludunt; cum quoad hæc se soli DEO subjectos esse contendant *o*)

§. VIII.

Cum Ecclesia sit societas ciuilis in republica; imperium ciuile vero ad omnes societates sese extendat; siue quod idem, omnes societates hac saltem ratione, ne quid respublica inde capiat detrimenti, summo imperio subsint: inde jam jura in Ecclesiam *a*) *majestatica*, seu *jura circa sacra b*) resultare dicunt, quæ cum Principi *ut* Principi competant, *c*) definiunt ea ceu *jus vi imperii ciuilis determinandi ea, qua in Ecclesia respectum habent ad reipublicæ salutem*, vel ad

nungen im offentlichen Gottesdienst, Statuten der Kirchen-Disciplin halben, offentliche Collecten, Gebehts- und Vorbittsformulen &c. vorzuschreiben, wie sie es nach den Umstænden zu ihrer Erbauung dienlich achtet.,,

WIESENHAVER *in den Grundsætzen Th.* 1. *cap.* 3. §. 8. *Zu den Fællen. in welchen die Obrigkeit ihren Rechtsspruch geben darf, gehœren keineswegs Glaubens- und Gewissensachen, Ceremonien und Kirchenverfassungen, welche leztere die Kirchenversammlung selbst zu ihrer geistlichen Erbauung willkührlich anordnet.*

Add. *cap.* 4. *l. cit. pag.* 33. & *Reichs-Fama parte* 7. *cap.* 8. *pag.* 203. *seqq.*

k) PREVSCHEN *l. cit.* §. 13. WIESENHAVER *diss. cit.* §. 7. *Grundsætze p.* 33.

l) PREVSCHEN §. 14.

m) LIBERI §. 88. PREVSCHEN §. 16.

n) WIESENHAVER *diss. cit.* §. 8. *Grundsætze pag.* 35.

o) Citati; GER. NOODTII oratio *de religione ab imperio jure gentium libera in* BARBEYRACII *recueil des discours sur diverses matieres importantes;* SAM. WERENFELSIVS *in epistola de jure in conscientias ab homine non usurpando;* & alii passim.

a) MADIHN (præside NETTELBLADT.) *de Imperii sacri Statuum Protestantium Imp. Rom. Germ. vera natura & indole* §. 10.

b) PFAFF *in orig. juris eccles. p.* 193. *seqq.* & TAFINGER *de jure Principis circa Ecclesiam, ejusque ministros in genere, & sacramenta in specie* §. 2. *nota h. i.* & *k.*

c) CRAMER *de jure circa sacra collegiali & majestatico T.* 2. *opusc p.* 80. & 81. Ejusdem *Tom. I. Observ. Obs.* 419. §. 5. *seqqt.* & *T. II. Observ. Obs.* 577. §. 10. & 11.

ad tutelam publicam; *d*) eaque ad tria potissimum capita reducunt, quorum aliud jus *reformandi*, *e*) seu *determinandi exercitium religionis in republica*, *f*) aliud *inspiciendi*, aliud denique *tuendi* jus comprehendat. *g*)

§. IX.

Penes Ecclesiam in systemate horum, jurium collegialium exercitium *originarie* residere ex §. VI. patet; cumque ex §phi VII. numero 2do sit manifestum, gaudere Ecclesiam jure committendi aliis directionem jurium suorum; fluere

d) G. L. Boehmer *l. cit.* §. 22.

e) Duplex statui a patronis systematis collegialis jus reformandi, ex ipsorum aduerti scriptis; *collegiale* scilicet, & *majestaticum*. Wiesenhavern *Th.* 2. *cap.* 4. *Absch.* 6. Floercke *in diss. cit.* §. 21. De collegiali jam supra §. VII. *nota f.* Add. *nota subsequens*. De majestatico vero hoc §pho sermo.

f) Definiente videlicet ita Boehmero *l. cit.* §. 18.

Neu vero credas, hunc vnanimem de majestatico reformandi jure auctorum systematis collegialis conceptum esse; in alia v. g. Wiesenhavervs abit, posita *l. cit.* §. 1. juris reformandi *in Genere* definitione: „Das Recht zu reformiren in Religionssachen bestehet *überhaupt* in dem Befugnisse, die in Ansehung der Christlichen Lehre, Ceremonien und Kirchen-disciplin eingeschlichene Missbræuche abzustellen.„ §. eodem & 2do sequentibus differens:

„Wir kœnnen . . . dieses Recht . . . uns vorstellen: Erstlich, in wie fern das Reformationsrecht denen Fürsten, als Fürsten, zur Erhaltung der gemeinen Sicherheit und Wohlfahrt der Republic zustehet; hiernæchst in wie ferne die Kirche ursprünglich, so wie alle Gesellschaften, das Befugnis hat, ihren Hauptendzweck desto besser zu erhalten, die Missbræuche abzuschaffen . . . . In so fern also der Kirche ursprünglich gewisse Collegialrechte, und Befugnisse, dieses oder jenes anzuordnen zukommen, imgleichen der Landesherr die sogenannte Majestætische Rechte auszuüben vermœgend ist; in so fern haben auch beyde Theile die Macht zu reformiren, und nach den verschiedenen Endzwecken derselben die eingeführte Unordnung abzuschaffen.

Et qui cum Wiesenhavero condescendit in eadem Floercke *in diss. cit.* §. 21. *Jus reformandi, quatenus superiori ciuitatis competit, est jus, abusus circa religionem saluti reipublicæ contrarios tollendi.*

Ex quibus diuersitatem notionis *juris reformandi majestatici* absque omni controuersia eruere licet. Objectum juris reformandi majestatici in sensu Boehmeri constituit *determinatio exercitii religionis in republica;* in Wiesenhaverı vero & Floerckii conceptu *abusus* circa religionem *saluti reipublicæ contrarii* constituunt objectum illius. Certe diuersa.

g) Avrer *de jure Episcopali Principum Euangelicorum pactitio* §. 5.

ſimul ſtatuunt, ab ejus arbitrio dependere, quomodo & in quem jus ſuum transferre velit; a) prudentiæ b) vero vel maxime eſſe, ſi adminiſtrationem jurium ſuorum ejusdem c) religionis Principibus tradat. d) Atque in Germania hanc jurium conuentionalium translationem tempore ſic dictæ reformationis in Principes

a) Nettelbladt *diſſ. cit.* §. 12.

b) Wiesenhaver *diſſ. cit. ſect.* 2. §. 3. *Grundſatze pag.* 38.

c) Hos enim ſolum vi juris, vt ita loquar, ſacerdotii vniuerſalis quod cum aliis chriſtianis commune habent, ad ſubeundum jurium collegialium exercitium habiles adſtruunt. Liberi *loco cit.* §. 66.

„Sie (die Kirche) kann alſo ohnmœglich ſelbige (die Verwaltung ihrer Rechten) Fremden, die zu einer irr- oder aberglaubiſchen Religion, und feindſeeligen Kirche ſich bekennen, übergeben.

Idem *pag.* 71. *cap.* 4. §. 210. & 11. „Damit (*ſi ſcilicet ſit membrum Eccleſiæ*) legt ſie die Chriſt-Evangeliſche Obrigkeit) den erſten Grund, oder kommt in den Stand, daſs ihr kann die Kirchen-Direction aufgetragen werden. Denn die Kirche kann ſelbige niemand anders, als ſolchen, die *ihre Glieder* ſind, und es treu mit ihr meynen, anvertrauen, §. 372. Eine ganz andere Bewadniſs aber hats mit Rœmiſch-Catholiſchen Landesherren und Obrigkeiten. Maſen dieſe ihrer Religion halben, ſo lang ſie derſelben anhangen, der Evangeliſchen Kirchendirection nicht fæhig, die Proteſtirende Gemeinen auch nicht berechtiget ſind, ihnen ſolche zu übertragen.„

Add. Pfaff *in den Academ. Reden* p. 476. Tritschlers *unpartheyiſche Abhandlung von dem Recht eines Catholiſchen Landesherrn in Religion- und Kirchenſachen ſeiner Proteſtirenden Unterthanen* §. 87. Prevschen §. 23. 24. & 144. *Sammlung einiger neuerer ungedruckter Schriften von der im W. F. Schluſs erlaubten Selbſthülfe. der Catholiſchen Landesherren geiſtlicher Gerichtbarkeit über ihre Evangeliſche Unterthanen, und den ſimultaneo exercitii religionis p.* 189. & Cramer *Tom. II.* Obſerv. Obſ. 577. §. 11.

Idque cum hac extenſione contendi animaduerti, vt, ſi proteſtanticus Princeps alterius religionis ſacra ſors amplectatur, eo ipſo jurium collegialium exercitium ad cœtum eccleſiaſticum redire debeat. Prevschen *l. c.* §. 25.

„Wære aber der Auftrag einem Gliede der Kirche auf beſtændig geſchehen, und deſſen Nachfolger træte zu einer andern Kirche, ſo würde gleichwohl der Auftrag alſobald erlœſchen, weil ſelbiger auf dieſe Umſtæude nicht gerichtet war.„ In eadem abit Floercke *diſſ. cit.* §. 23. & 41.

d) Atque inde lucem mutuent ea, quæ Puffendorffivs tradit in *cit. tract.* §. 40. „Si quæ poteſtas, aut jus ſummis Imperantibus circa Eccleſiam & ſacra chriſtiana aſſerendum ſit; id eſſe deducendum *vel* ex genuina indole ſummi Imperii ciuilis, *vel* ex indole ipſius religionis chriſtianæ, *vel* ex ultronea delatione ipſius Eccleſiæ.„

cipes *e*) Nobilesque immediatos *f*) religionis suæ, consensu *g*) Ecclesiæ vel expresso, *h*)

vel

e) „*De Principibus A. C. addictis nullum dubium esse, cujusque sane territorii obseruantia testatur.* „ Sunt verba AVRERI *in diss. cit. pag.* 28. MOSHEIM *allgemeines Kirchenrecht*, 4. *Hauptst. pag.* 564. §. 5.

f) G. L. BOEHMER *lib. cit.* §. 43.

g) Vnde ea a juribus superioritatis territorialis contra distinguenda esse contendunt. NETTELBLADT *diss. cit.* §. 42. Cel. PVTTERVS *in Elementis juris publici germanici* §. 602. *ex edit. de* 1766. G. L. BOEHMER *l. cit.* §. 182.

„Cum jus episcopale Statibus Imperii Euangelicis ex politia Ecclesiæ *non nisi vi specialis tituli* obuenerit, illud non est *pars superioritatis territorialis*, sed tantum *coëxistere* cœpit superioritati territoriali Statuum Euangelicorum. Differt. ergo 1. *a jure circa sacra territoriali* omnium Imp. Statuum communi, quod partem continet juris majestatici circa sacra, Statibus Imp. etiam sub hierarchia seruatam, & a superioritate territoriali dependentem: differt. 2. *a jure reformandi tanquam parte juris circa sacra territorialis.* „

Neque de alio, quam *solo circa sacra territoriali jure*, omnium Imp. Statuum communi, quod vi *art.* V. §. 30. ratione territorii & superioritatis vnicuique Statui immediato competere dicunt, (BOEHMER *in præf. ad principia juris canon. p.* 2. & §. 182. *b.* CRAMER *Obs. cit.* §. 8.) *liberum art. VIII.* §. 1. *juris territorialis tam in ecclesiasticis, quam politicis exercitium* intelligendum veniat. NETTELBLADT *diss. cit. in fine pag.* 51. PREVSCHEN *de foro causarum ecclesiasticarum A. C. addictorum, qui domino catholico sunt subditi.* §. 6. & BOEHMER *nota cit.*

h) CRAMER *de jure circa sacra majestatico & collegiali* §. 67. WIESENHAVER *diss. cit. sect.* 2. §. 4. 5. & 6. *Grundsatze p.* 56.

„Wir führen von dieser Art folgende Zeugnisse an. Von den Pfælzischen Evangelischen Unterthanen hat der vormals hochberühmte geheimde Rath von COCCEII in juris publici prudentia cap. 18. sect. 1. in Ansehung des Collegialrechts . . . folgendes erinnert. Status ac Principes Euangelici superiori sæculo durante ita contentione, cum passim defectio, at nulla reformatio fieret, & eam urgentes non audirentur, sed ad supplicia atrocissima vel raperentur, vel peterentur, ipsi in territoriis suis vigore potestatis suæ regalis reformare instituerunt; idque summa modestia ac moderatione vti ex pluribus actis publicis perspicere contigit, non vero subditis coactis, nedum ejectis, aut excarnificatis, sed instantissime petentibus & vrgentibus. Von den Sæchsischen hat der vortrefliche Herr von SECKENDORF in historia lutheranismi lib. 1. sect. 57. §. 153. addit. 2. p. 276. ausdrücklich gesetzet: mutatio ergo non nisi theologorum Zelo & assensu plerorumque ex clero & populo peracta est. Die ganze Reformationsgeschichte bekræftiget dasjenige, was der Herr Canzler von LVDEWIG in der Abhandlung de præcipuo Principis Euangelici cap. 5. §. 2. behauptet hat. Memor Princeps sit reformationis LVTHERO doctore factæ, quæ non obtrusa cætibus, sed his vrgentibus,

vel tacito, i) tractatibus, k) legibusque Imperii l) eandem indicantibus, firmantibusque factam fuisse, pergunt patroni sententiæ hujus; Statusque & Nobiles

tibus, eam rogantibus, inter gemitus & lacrymas per Deum & Diuos indulta susceptaque.„

i) L. B. de ZECH *in med. supra cit. p.* 55. *seqq.* 138. *seqq.* PFAFF *in seinen academ. Reden p.* 31. NETTELBLADT *diss. cit.* §. 30. 31. WIESENHAVER *diss. cit.* ejusdemque *Grundsætze p.* 57.

„Der Herr von CRAMER ist... der Meinung, dass alle und jede *jura collegialia in Statibus Protestantibus ex pacto expresso cum subditis* herzuleiten. Mich dünket, der Herr Verfasser hat dieses nicht genugsam bewiesen, ... der Herr Canzler PFAFF hat... gleichfalls erinnert, dass in erwehnter Abhandlung das *pactum expressum subditorum* nicht bewiesen, ... Wir sind übrigens der Meinung, dass es gar nicht nœthig sey, die ausdrückliche Uebertragung zu beweisen. Es kann genug seyn, dass nach dem Zeugnisse der Schriftsteller die Landeshoheit sich der Rechte angemasset, und die Gemeinden keinen Einspruch gethan, folglich die Verwaltung *consensu tacito* der weltlichen Obrigkeit anvertrauet worden.

k) *De* MEIERN *T.* 2. Act. P. W. *p.* 755. „Ist dieses in Consideration zu ziehen, und diesfalls ein groser Unterschied zu machen, ob die meisten oder vornehmsten Unterthanen, als da seynd die Landstænde, sich freywillig zu des Landesfürsten Religion bekennen, und in der vorhabenden Einführung derselben mit ihme antretten, und vor einen Mann stehen, oder aber ob dieselbe alle fest auf ihrer widrigen, und bis daher geübten Religion bestehen thun?„ CRAMER in diss. cit. §. 66. & WIESENHAVERN diss. cit. l. cit. §. 6.

l) WIESENHAVERS *Grundsætze p.* 56. „In dem Religionsfrieden ist zuerst die ausdrückliche Versehung geschehen, dass das *jus diœcesanum* der Bischœffe in den Protestantischen Landen aufgehoben seyn, die *Evangelische Gemeine bey ihrer Religion, Kirchengebræuchen, Ordnungen, Bestellungen der Ministerien* geschützet, und die geistliche Jurisdiction innerhalb den Grenzen ihrer Lande ausgeübet werden solle.„

I. P. O. Art. V. §. 33. „*Pacta* autem, *transactiones, conuentiones* aut *concessiones* quæ inter tales immediatos Imp. status eorumque status prouinciales, & subditos supra dictos de publico vel etiam priuato exercitio religionis introducendo, permittendo, & conseruando ante hac intercesserunt, initæ & factæ sunt, eatenus ratæ & firmæ manento, quatenus obseruantiæ dicti anni 1624. non aduersantur.„ WIESENHAVER *l. cit. p.* 57.

Art. VII. §. 1. „Saluis tamen semper Statuum, qui Protestantes vocantur, inter se & cum subditis suis conuentis, *Pactis, Priuilegiis, Reuersalibus, & Dispositionibus aliis*, quibus de religione ejusque exercitio, & inde dependentibus, cujusque loci Statibus & subditis, hucusque prouisum est, salua itidem cujusque conscientiæ libertate.„ AVRER *diss. cit. p.* 27. Add. FLOERCKE *diss. cit. p.* 43. *

biles quoad hæc jura, jure frui prorsus independente, nullique mortalium subjectos esse, libere pronunciant. m)

§. X.

Ad simpliciora principia se reducit systema, quod ex ipsa, superioritate fluere dicunt. Et hi conscientiæ libertatem vrgentes (§. VII. in fine) interna religionis humanarum potestatum imperio subjacere negant; a) ministeriique potestate ad prædicationem verbi diuini, & sacrorum in salutem membrorum Ecclesiæ administrationem solum restricta, omnem hierarchiam, imperium omne ab Ecclesia exulare jubent; b) (§. V. c.) cæterum vero inter jura majestatica & collegialia non distinquentes, cum omne quod regimen ecclesiasticum *externum* tangit, ex jure naturali, rationibus politicis, exemplis rerumpublicarum, ipsa diuinarum scripturarum auctoritate, aliisque rationibus, *soli Principum superioritati* contendant vindicandum esse. c) Huc v. g. referenda dicunt jus condendi leges ecclesiasticas; d) jus constituendi judicia ecclesiastica, ecclesiasticamque exercendi jurisdictionem; e) jus synodos conuocandi, dirigendique illas; f) jus, vt cum BOEHMERO g) loquar, dogmata in sensu laxiore

m) Quod ex hoc præcipue systemate omnibus viribus euincere conatus est NETTELBLADT *in diss.* jam pluries citata. Add. Cel. HOFFMANN *in diss. de independentia juris circa sacra Statuum Ordinumque Imperii Germanici Euangelicorum intuitu Imperatoris & Imperii p.* 19. & 37. *nro.* 25. Sibi tamen in toto non adeo cohærens; & BOEHMER *in obs. juris canonici obs. 5ta de finibus jurisdictionis imperialis quoad in causis ecclesiasticis competit.*

a) I. H. BOEHMER *de jure circa libertatem conscientiarum.* Add. *Anonymus* (HERTIVS *de Statuum Imperii Romano-Germanici jure reformandi pag.* 26. *nro.* 18. *seqq.* Ad systema HOBBESII atque HOVTVYNI hic non attendi.

b) BOEHMER *in jure eccles. Protest. lib.* 1. *T.* 33. §. 11. *seqq.*

c) GROTIVS *de imp. summ. potestatum circa sacra cap.* 1. §. 2. 3. 4. *seqq.* RHETIVS *de jure statuum Imperii circa sacra cap.* 1. & 2. MVLLER *de juris Episcopalis in territoriis Protestantium a Romano-Catholicis injuste prætensa reuiuiscentia cap.* 2. RECHENBERG *an cujus Regio ejus sit Religio?* HENNIGES *de summa Imperatoris Romani potestate circa sacra cap.* 2. *per totum.* BOEHMER *in diss. de jure Episcopali Principum Euangelicorum;* aliique.

d) GROTIVS *lib. cit. cap.* 8. HENNIGES *tract. cit. cap.* 5. RECHENBERG *diss. cit.* §. 55. CONRING *de Majestate ciuili* §. 64. *nro.* 7. *T.* 4. operum ejus ex editione GOEBELII *pag.* 594.

e) RECHENBERG §. 58. HENNINGES *cap.* 6. BOEHMER *in jure eccles. Prot. lib.* 1. *T.* 28. §. 15. *seqq.*

f) HENNIGES *cap.* 8. CONRING *de conciliis & circa ea summæ potestatis authoritatis* §. 8. *T.* 4. operum ejus *pag.* 648.

g) *In jure eccles. Protest. lib.* 1. *Tit.* 1. §. 31. *seqq.*

xiore condendi; *h*) jus constituendi Ecclesiæ ministros, atque dimittendi illos; *i*) aliaque similia jura: omnia *k*) vi potius ipsius *Majestatis*, quam *jure delato l*) exercenda.

§. XI.

Quodnam systematum horum est genuinum, quodnam in sensu *juridico a*) verum? seu cuinam systemati reformationem, quam jactant, superstruxere reformatores, ex quonam controuersiæ, vi & armis agitatæ, tandem sopitæ, ex quonam jura, quibus in Imperio pars vtraque gaudet, post multas & multas agitationes demum concessa, atque ex quonam Imperii leges, horum omnium firmamentum summum & vnicum, intelligendæ declarandæque? aliam enim viam, cum depingendus sit Imperii status, qualis reapse est, non qualem optamus, *b*) inire haud posse, perspiciet omnis, qui fixam sibi habet hermeneutices regulam a nullo negandam: *in dijudicando, quod adstruitur, systemate quodam, ad tempora ipsi systemati coeua recurrendum esse*; atque quæ fluit inde regula altera: *pactorum vel legum verbis haud aliam potestatem attribuendam*, quam qualem *verborum nexus*; *c*) qualem *antecedentia & consequentia*; *d*) qualem *substrata materia*;

h) Kemmerich *in amœnitatibus juris publici de jure Principis circa dogmata fidei ex codice & nouellis, pariter ac historia reformationis, & cum primis Augustanæ confessionis illustratis*, amœnit. 7.

i) Grotius *cap.* 10. Conring *de Majestate ciuili* §. 64. *nro.* 5. Rechenberg §. 54. Boehmer *T.* 3. *P.* 1. *consult. & decisionum juris. Resp.* 12.

k) Conring *de Majestatis ciuilis auctoritate & officio circa sacra; & in diss. de Majestate ejusque juribus circa sacra & profana potissimis*, *operum T.* 4. *pag.* 605. *seqq.*

l) Boehmer *de vario systemate vniuersi juris tum canonici tum ecclesiastici trium præcipue religionum in Germania approbatarum* §. 11. *& in diss. de extraordinario primitiuæ Ecclesiæ statu* §. 30. *diss.* 12. *dissertationum juris ecclesiastici antiqui ad* Plinium secundum & Tertullianum.

a) Hic solum disquiro, quodnam systematum horum *in legum Imperii publicarum ratione* siue *sensu juridico sit* genuinum. Sensa Catholicorum in theologico sensu præter alios innumeros, vide v. g. *bibliothecam Pontificiam maximam*, disces ex iis, quos supra (§. *II. not. a.*) citaui.

b) Trever *de cautione in tractando jure pub. Rom. Germ. adhibenda, cautionis regula 4ta. pag.* 11.

c) Celsus *in lege* 24. *de L. L.* „*Inciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua ejus particula proposita, judicare vel respondere.*„

d) Heineccius *in elementis philosophiæ rationalis & moralis* §. 191. *seqq.* Cicero *lib.* 2. *de inuent. cap.* 40. „*Ex superiore & ex inferiore scriptura docendum, id quod quæratur, fieri perspicuum.*„

ria; *e*) qualem *ratio legis*, quæ legislatorem ad ferendam legem, aut paciscentes ad conuentionem mouit ineundam; *f*) qualem *systema dominans*; qualem, vt paucis complectar omnia, *tota temporis ratio jubet*, *quo pactum aut lex condita fuit*. *g*) Contingeret enim secus confusio temporum, confusio systematum, atque non euitanda confusio jurium, toleranda eo minus, quod ipsi paciscentes summi omne leges Imperii interuertendi studium, *h*) cauillationem & versutiam omnem, neruose repellant; *i*) nihil magis vero ac talis, reuera subtilis, leges interuertendi ratio, constitutionum etiam saluberrimarum inuiolabilitatem deprimere tentet; imo, quin id aduertas, ipsam reipublicæ formam sæpe turbare magis præsumat, quam crassa & effroenis dicendi licentia. *k*) Cumque, ut ad *specialissimam* leges Imperii publicas interpretandi accedam normam, proposita in tractatibus, protocolla, horum extractus, desuper tradita partibus, vel tradenda documenta, aliaque consinia, sint quasi fundamentum & fons subsecutarum Imperii legum: *l*) regulam secundam mox excipit tertia, ab ipsis legislatori-

e) GROTIVS *de jure belli & pacis lib.* 2. *cap.* 16. §. 5.

f) CICERO pro A COECIN. *cap.* 18. „Quæ lex, quod SC. quod magistratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod, vt ad priuatas res redeam, testamentum, quæ judicia, aut stipulationes, aut pacti & conuenti formula non infirmari potest, si ad verba rem deflectere velimus, *consilium* autem eorum, qui scripserunt & *rationem* & auctoritatem relinquamus.

g) Præclare JOH. CLERICVS *in arte critica parte* 2. *cap.* 2. §. 11. „Cauendum est, ne notiones nostras mutuo veteribus demus, deinde ex notionibus illis de eorum sermone judicemus. Oportet veluti nostrarum opinionum obliuisci, & quærere, quod veteres illi magistri senserint, *non quod sentire nobis debuisse videntur*, *vt saperent*.

h) *Grauamina Catholicorum* apud LONDORPIVM *T.* 5*to. act. publ. L.* 1. *c.* 107. *p.* 329. §. *bey dem fünften* Grauamine.

i) *Art. V. inst. pac.* §. 50. *Capit. Cæs. art.* 2. §. 6. Add. *edictum* CAROLI VI. *de anno* 1715. *in electis juris publ. T.* 8. *p.* 81. & in FABRI *Staatskanzley, T.* 26. *p.* 728. *seqq.*

Auch niemand einige gegen die Staatsregierung, und Grundgesetze des Heil. Rœmischen Reichs angesehene Lehren aufbringen solle.

k) Vix fallent ea, quæ PETRVS BAYLE grauiter scripsit *dans les pensées sur la comete* §. 40. *T.* 3. *operum suorum p.* 30.

„Ils disent, qu'il faut avoir un esprit soutenu de cent mille soldats, pour trouver dans les traités de Munster & de Nimegue le sens, que nous y trouvons, qu'assurement ceux, qui en ont dressé les articles, n'ont jamais cru, qu'on put les interpreter de la sorte.

l) REVSCH *de vsu & præstantia actorum P. IV.* CHR. G. HOFFMANN *de ratione interpretandi leges Imp. Rom. Germ. publicas cap.* 3. §. 12.

latoribus & paciſcentibus agnita: *m*) *in interpretando ſenſu legis dubio ad hacce fundamenta principalius recurrendum eſſe;* atque ſi legis verba eum recipiunt ſenſum, quem in commentariis actorum, ſiue protocollis, declarationibus, & aliis ejus generis ſcriptis publicis expreſſum deprehendimus, *eundem præ ceteris pro vero & genuino tenendum eſſe. n*) Sequentia docebunt, *hiſtoriam*, *Eccleſiæ ſuæ ſyſtema*, *proprias Proteſtantium declarationes*, *poſtulata*, *tractatus*, *Imperii leges &c.* pugnare pro ſyſtemate vltimo; pro primo haudquaquam.

§. XII.

Ad ipſa autem primordia reformationis ſic dictæ aſcendere juuat. Hanc eſſe epocham illam, quæ Imperio ſacro bellum fatale indixit, ſupra (*§. I. II.*) jam monitum. Multorum ſubditorum atque Principum animos mox occupat doctrina noua; (§. I. d.) *a*) nihilque fere, quidquid eſt ſacri, relinquitur intactum; (*§. III.*) plenum tamen reformatorum ſyſtema nondum eruere licet, cum ipſi ad initium fluctuarint in multis, multæque propoſitiones determinationem in ſyſtemate ipſorum exactam viderint nondum; *b*) neque Principes ſemper, nouæ licet doctrinæ patrocinantes, adeo veloci incederent pede; quod potius euentum ſpeculari vellent. *c*)

§. XIII.

Poſt annum 1526. magis & magis ſe detegit ſyſtema ipſorum. Cum enim 1526. in comitiis Spirenſibus concluſum fuerit: in cauſis, quæ ad decretum Wor-

m) Puffendorf *de rebus Suec. lib.* 20. §. 177. *Instructio executoribus pacis a tribus Imperii collegiis data apud de* Meiern *in A. E. T.* 1. *p.* 94.

„Nachdem aber dabey zu beſorgen, daſs *in ipſa interpretatione* deſſelben, zweifelhafte Deutungen vorfallen mœchten, als iſt die geſamte Reſolution, daſs man in dergleichen Fællen *ad protocolla & acta* recurriren, den *verum ſenſum* aus ſolchen erheben, und wie es damals gemeynt geweſen, recht erforſchen, und ferners diejenigen, welche den Tractaten beygewohnet, und die beſte Information haben, über eines und das andere vernehmen ſolle.

n) Eckard in tract. cui titulus: *Hermeneuticæ juris libri duo*, *p.* 384. §. 84.

a) Inter alia pulchre id diſcimus inde, quod ao. 1522. Regimentum Imperiale per mandata omnibus Epiſcopis injunxerit, vt viſitationes eccleſiaſticas inſtituerent per illa loca, in quibus jam Lvtheri doctrina altas egerit radices.

b) Mosheim *allgemeines Kirchenrecht*, *pag.* 546. „*Er*, (Lvther) *war ſehr hitzig*, *und hatte anfænglich viele Grundſætze*, *die noch nicht beſtimmet genug waren.*„

c) Seckendorf *in hiſt. Lutheraniſmi lib.* 1. §. 134.

matiense pertinerent, quemlibet se ita gerere debere, vt actionum rationem *Deo* & *Cæsari* reddere possit; *a*) hoc vero contra intentionem Cæsaris & Statuum Catholicorum ita vage *b*) interpretati fuerint, vt exinde licentiam ac libertatem vix non indefinite talem sibi competere existimarint: vbique mox produnt, quæ in reformationis negotio foueant sensa. Libere proscripta inter alia apud HORTLEDERVM *c*) a Regimine ecclesiastico *jurisdictione*, *d*) atque vindicato inter

a) *Recess. Spirens. de* 1526. §. 4. *in der neuen und vollstændigeren Sammlung der Reichsabschiede* 2. *Th. p.* 274.

„Demnach haben wir auch Churfürsten, Fürsten und Stænde des Reichs, und derselben Bottschaften, uns jetzo allhie auf diesem Reichstag einmüthiglich verglichen, und vereiniget, mitler Zeit des Concilii oder aber National-Versammlung nichts desto minder mit unsern Unterthanen, ein jeglicher in Sachen, so das Edict, durch Kayserl. Majestæt auf dem Reichstag zu Worms gehalten, aussgangen, belangen mœchten, für sich also zu leben, zu regieren, und zu halten, wie ein jeder solches *gegen GOTT und Kayserl. Majestæt hoffet* und *vertraut zu verantworten*.„

b) *Recessus Spirens. de* 1529. §. 4. *Und aber derselb Articul bey vielen in græssern Missverstand . . . . seithero gezogen und ausgelegt hat werden wollen.*

c) *Von den Ursachen des teutschen Kriegs T.* 1. *lib.* 1. *c.* 2. *p.* 26. *seqq. Rathschlag und Unterricht:* „ob Kraft des Reichsabschiedes zu Speyer an. 1526. im §. demnach haben wir &c. immitelst des Concilii oder Nationalversammlung, jeglicher Stand für sich selbst zu reformiren befugt? Auch welcher Gestalt mit Reformation und Glaubensbekanntniss von Obern und Untern es also anzugreifen, dass mans gegen GOtt und Kayserl. Majest. zu verantworten habe?

d) HORTLEDER *l. cit. p.* 27. *n.* 4. „Zweyerley Reich seynd, nemlich das Reich GOttes und das Reich der Welt . . . . Im Reich GOttes *ist allein Christus der einige Herr vnd Kœnig*, wie auch die gantze Schrift, vnd sonderlich der ander Psalm von ihm sagt. Vnd ist darumb kommen, dass er das Reich GOttes in der Welt anfienge, vnd aufrichtet. Vnd in dieses Reich gehœren alle Rechtglaubigen in CHRISTO, die regieret er auch ohne Gesetz, allein durch seinen heiligen Geist . . . . Es bedœrffen auch die, so in diesem Gottesreich seyn, keines weltlichen Schwerdts, Rechts oder Richters. Dann sie haben den H. Geist im Hertzen, der sie lernet, niemand Vnrecht zu thun, jedermann zu lieben, vnd Vnrecht zu leyden. Wo nun eitel Recht thun, vnd Vnrecht leyden, da ist kein Zanck, Hader, vnd darumb einiges Gerichts, Richters, Schwerdts oder Straff nicht vonnœthen. *In diesem Regiment hat ihm auch GOtt alle Iurisdiction, Oberkeit vnd Regierung über die Menschlichen Seelen, Hertzen vnd Gewissen allein vorbehalten.* Dann die Seele vnd Gewissen sind aus aller Menschen Hand genommen, vnd allein vnter GOttes Gewalt gestellt, dieweil die Menschlichen Hertzen, Gewissen, Sinn vnd Gedancken allein GOtt vnd kein Mensch erkennen, richten, vrtheilen vnd endern kann . . . . daraus nun ein jeglicher leichtlich verstehen mag, wie

inter cætera Magistratui *reformandi jure*, *e*) NB. tali, quale à Catholicis soli Ecclesiæ, & in systemate collegiali soli collegio (*§. VII. f. §. VIII. f.*) adpropriatur; *f*) audimus jam *præsagam* vocem de iis, quæ postea distinctius fuere declarata.

§. XIV.

wie weit, vnd vber was Sachen sich ein weltlich Regiment erstrecken mag." Ibidem *l. cit.* nro. 5. 6. seqq.

e) Verba HORTLEDERI modo relata, addita *p.* 31. *n.* 18. *l. cit.*

„Ich bin aber darneben ohngezweifelt, ein jede Christliche Obrigkeit, die GOtt für ihren Herrn vnd Obern erkennt, hab sich gar leichtlich zu erinneren, warumb sie von GOtt, andere zu regieren verordnet sind? Vnd nemlich nicht darumb allein, dass sie vber ihrer befohlen Vnterthanen Leib, Haab vnd Güter herschen solle, sondern vielmehr, vnd zum fürnehmlichsten sie in dem, das das Heyl der Seelen belangt, Christlich, vnd nach dem Befehl des gœttlichen Worts zu versehen.... Welcher Regent vnd Obrer wolte dann nicht darfür halten, dass ihme das Amt seiner Obrigkeit billig vnd zum hœchsten verbünde, allen Fleiss fürzuwenden, auf dass seine Vnterthanen nicht allein mit dem Wort GOttes.... getrewlich geweidet, sondern solchem gœttlichen Wort (in dem vns der Will, Gebot, vnd Befehl GOttes erœffnet wird) getrewlich vnd soviel mœglich gelebt, vnd nachgegangen werde?"

Nro. 20. *l. cit.* „Aller Christlichen Obrigkeiten schuldigs Ampt ist, Gottes Wort in ihren Gebieten zum hœchsten und fleissigsten zu fœrdern, vnd bestellen, dass solchs recht, vnd lauter gepredigt, vnd dem so viel mœglich mit der That gelebt, darzu, das, so das Wort GOttes klærlich mit sich bringt, nit verhindert werde, die Ordnung vnd Missbræuch der Kirchen, die œffentlich vnd vnwidersprechlich wider GOtt und sein heil. Wort streiten, zu endern, das so zu Ruhe und gemeinem Frieden dienet, zu handhaben, nemlich Gericht vnd Recht ordentlich vnd fleissig zu bestellen &c."

Add. *Cap.* 2. *lib.* 5. apud HORTLEDERUM: „Was der Durchleuchtige, Hochgebohrne Fürst und Herr, Herr PHILIPS Landgraf zu Hessen &c. als ein *Christlicher Fürst*, mit den Closterpersonen, Pfarrherrn, und abgœttischen Bildnussen, in S. Gnad. Fürstenthumb, aus heil. gœttlicher Schrift vorgenommen hat, anno 1528. nro. 6. seqq.

f) Perlustra instructiones visitationum, capita recessuum, & ordinationum ecclesiasticarum, jure magistratus, uti legimus, tum editarum, v. g. *c.* 2. *lib.* 5. modo cit. item *Abschied vnd Meynung, weß sich der Durchleuchtig Hochgebohrn Fürst vnd Herr, Herr* CASIMIR, *Marggraf zu Brandenb. &c. von sein vnd seiner Fürstlichen Gnaden Mitregierenden Bruders, Marggrafen Jœrgen, zu sampt ihrer F. G. Landschaft, auf nechst gehaltenen Landtag zu Onolzbach, biß auf ein zukünftig Concilium, Nationalversammlung, oder seiner Fürstlichen Gnaden, weitern Bescheid, des Abschieds halben, jüngst gehaltenes Reichstags, zu Speyer, in Ihrer Fürstlichen Gnaden Land vnd Fürstenthumb, zu halten vereiniget haben ao.* 1526. apud HORTLEDER *l. cit p.* 36. *seqq.*

§. XIV.

Vlterius enim insistebatur. Præuia variorum in comitiis Spirensibus de ao. 1529. prohibitione, *a)* ac præcipue interdicta omni contra edictum Wormatiense innouatione, *b)* mox interposita contra hunc recessum a quibusdam Statibus protestatione, *c)* jam exhibetur ao. 1530. in facie Imperii totius a Statibus subscribentibus totum systema doctrinæ suæ; quæstioneque status Episcopis mota, eorumque ex jure diuino jurisdictione constricta satis, *d)* clauium potestatem ad normam euangelii *e)* declamant restringendam esse: cætera *Magistratuum potestati* attribuentes. *f)*

§. XV.

seqq. perlustra libellum visitatorium (Inter opera LVTHERI *T.* 9. *W. p.* 251. Summa capita exhibet SECKENDORFFIVS *in hist. Lutheranismi lib.* 2. *sect.* 13. §. 36. *p.* 100.) Electoris Saxoniæ jussu & auctoritate, auctore MELANCHTONE & LVTHERO censore editum, sub indice: *Vnterricht der Visitatoren an die Pfarrer im Churfürstenthum Sachsen* 1528. & certe thesis subsistet. Vel sola inscriptio *cap.* 2. *not. c.* citati thesin corroborat.

a) *Recess. Imp. de* 1529. §. 5. 8. *&* 9. *in der Sammlung der Reichsabschiede*. 2. *Th. p.* 292.

b) *Cit. recess.* §. 3. *&* 4.

c) MVLLERS *Historie von der Evangelischen Stande Protestation, und Appellation wider, und von dem R. A. zu Speyer* 1529. *&c.*

d) *Aug. confessio art.* 28. „Wenn man nun von Bischoffen *jurisdictio* redet, soll ihr weltlich Gewalt von geistlichen Amt, und geistlicher *jurisdictio* unterschieden werden, und gebühret den Bischoffen, als Bischoffen, das ist denjenigen, so befohlen ist, das Evangelium zu predigen, und Sacrament zu reichen, *kein ander Jurisdictio* aus gœttlichen Rechten und dem Evangelio, *denn* Sünde vergeben, die Lehre, so dem Evangelio entgegen ist, verwerfen, und andere offentliche Sünde mit dem Bann strafen, ohn leiblich Gewalt, sondern mit dem Wort.

e) Ad jus scil. prædicandi euangelium. 2. Remittendi & retinendi peccata. 3. Sacramenta administrandi. *Aug. Conf. art.* 28.

„*Ist Bischoffe Gewalt laut des Evangelii ein Befehl GOttes, das Evangelium zu predigen, Sünder straffen, und binden, Sünde vergeben, und die Sacrament reichen* .... Und diese Gewalt wird allein durchs Wort und Sacrament geübt, so man vielen, oder einem insonderheit GOttes Wort sagt, Sünde strafft, bindet, oder vergiebt, und auflœset, denn das Evangelium bringet uns nicht ein leiblich Reich, sondern ewige Güter, den H. Geist, ewige Gerechtigkeit und ewig Leben. Diese Güter kann man nicht erlangen anders, denn durch GOttes Wort, und Sacrament, wie PAVLVS spricht.

f) Audiamus iterum A. C. ex fine & objecto vtriusque potestatis in suo systemate ratiocinantem:

„Das

„Das Evangelium ist eine Kraft GOttes, dadurch selig werden alle, so daran glauben, so nun die geistliche Gewalt ewige Güter der Seel anbeut, und allein durchs Wort und Sacrament geübet wird, ist sie fern unterschieden von weltlicher Gewalt, die leibliche Güter giebt, und erhælt, und wird mit leiblichem Zwange geübt, schützet den Leib, Hauss, und Hof, wider eusserliche und œffentliche Beleidigung, und wehret dieselbige nicht mit Worten allein, sondern mit leiblicher Strafe, damit Friede und eusserliche Zucht erhalten werde. Darum hindert oder irret auch geistliche Gewalt die weltliche Obrigkeit gantz nicht, denn das Evangelium schützet die Seele, weltliche Gewalt den Leib, das Evangelium saget von ewigen Dingen und Gütern der Seel, und læst die Obrigkeit æusserliche Regiment fassen, und halten, von Leib und leiblichen Gütern, und hat damit gar nichts zu thun, ohn allein, dass es vermahnet, dass wir sollen derselbigen weltlichen Gewalt gehorsam seyn, und sollen wissen, dass der Stand Gott wolgefalle, denn Gott habe ihn geordnet, dem leiblichen Leben zu gut. Derhalben soll man geistlich und weltliche Gewalt recht wissen zu unterscheiden, dass sich geistliche Gewalt nicht unterstehe weltlicher Aempter, als gehœren die zu ihren Ampte aus CHRISTVS Befehl. Geistliche Gewalt hat Befehl, das Evangelium zu predigen, und Sacrament zu reichen, hat nicht Befehl von CHRISTO, dass sie sich zum Herren setze aller Güter und Kœnigreiche in der Welt, dass sie Kœnig setze, oder entsetze, dass sie weltlich Recht von Zinsen oder andern weltlichen Sachen mache, denn CHRISTVS spricht also: Mein Reich ist nicht von dieser Welt. Item, wer hat mich zu einem Richter über euch gesetzet? und PAVLVS spricht: Unser Policey ist im Himmel, das ist, wir richten kein neüe Politia auff Erden an, sondern lassen weltlich Politia bleiben, und lehren darneben etwas von ewigen Wesen, das ist nicht eusserlich, sondern in der Seel. Item, unser Waffen sind nicht leiblich, sondern sind kræftig durch GOtt, die Gedancken im Hertzen niederzureissen.

Articulo eodem: „daneben haben die Bischoffe eine andere Iurisdictio in etlichen Sachen, als Ehe-Sachen, Kirchen-Güthern &c. In diesen Sachen haben sie ein sonder Gericht und jurisdictio, durch menschlich Recht, und nicht dass CHRISTVS dieselbige Sachen zu ihrem Amt gezogen habe. Dieweil sie nun diese jurisdictio von menschlichen Rechten haben, folget, dass sich weltliche Obrigkeit dieser Sachen annehmen, und Recht sprechen müsse, Friede zu erhalten.

Articuli Schmalcaldici tit. de potestate & jurisdictione Episcoporum. „Reliqua est jurisdictio in iis causis, quæ jure canonico ad forum, vt vocant, ecclesiasticum pertinent, ac præcipue in causis matrimonialibus. Hæc quoque habent Episcopi humano jure, & quidem non admodum veteri, sicut ex Codice & Nouellis justiniani apparet, judicia matrimoniorum tunc fuisse apud Magistratus. Et jure diuino coguntur Magistratus mundani hæc judicia exercere, si Episcopi sint negligentes. Idem concedunt & Canones. Quare etiam propter hanc jurisdictionem non necesse est obedire Episcopis. Et quidem cum leges quasdam condiderint injustas de conjugiis, et in suis judiciis observent: etiam propter hanc causam opus est alia judicia constitui. Quia traditiones de cognatione Spirituali sunt injustæ. Injusta etiam

XV.

g) Potissima, in quibus jurium *ecclesiasticorum* Nobilitatis immediatæ mentio occurrit, lectori ob oculos ponam. *T.* 1. *pag.* 743. 804. 818. *T.* 2. *pag.* 19. 553. 581. 615. *T.* 3. *pag.* 154. 166. 187. 197. 284. 361. 429. 439. 629. 643. & 44. *T.* 4. *pag.* 23. 57. 83. 94. 122. 185. 197. 541. 569. 961. 1014. *T.* 5. *p.* 325. 569. *T.* 6. *p.* 144.

h) Bidenbachii *quæstiones nobiles quæst.* 2. 3. 4. 5. *in tomo* 2. *bibliothecæ equestris p.* 454. *seqq.* Kreidenmann *von des teutschen Adels, sonderlich der Freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben, Staat, Stand, Ehren, Würde, Freyheit, Recht, Gerechtigkeit und alten Herkommenschaften &c. quæst.* 4. *n.* 142. *seqq.* & *n.* 183. Breitschwerd *consilium de jure immediati ordinis equestris S. R. I. circa exercitium religionis consitium in puncto turbatæ jurisdictionis, & violatæ constitutionis religionis. In Sachen der gefreyten Reichs-Ritterschafft in Francken contra Würtzburg lib.* 3. apud Lehmann *cap.* 53. Vnrath *Professor Jenensis de jurisdictione ecclesiastica Nobilibus Imperii vigore constitutionis de pace religionis in districtibus & castris illorum legitime competente.* Et alii.

i) Sunt verba Estoris, systematis collegialis fautoris non leuis, in *delineatione juris publici eccles. Protest. p.* 158. Add. *Tractatus de Statuum I. R. G. jure reformandi p.* 43. Henniges *l. cit.* & Gramer *in obs. j. u. obs.* 419. §. 55. *in nota.*

k) Müller *vom Dispensations-Recht in verbothenen Ehen &c. lib.* 3. *cap.* 17. §. 6.

„Die der Augsp. Confession zugethane unmittelbare Reichs-Ritterschafft, wie auch andere Reichs-Glieder, so dem Reich ohne Mittel unterworffen, jedoch nicht in conditione Status stehen, haben sich zwar auch der Religions-Libertæt zu erfreuen, allein selbige ist weder aus vorangeregter libertate Sta-

vel ipsa territoriali superioritate *l*) repetentes illum, quod detecta demum per nouiores rei veritate meliora videamus.

§. XXI.

Multum abest, vt subditi Principum in sacris exercitio ex fonte *superioritatis* vnice petito, se opposuerint: vt potius potestatis ecclesiasticæ exercitium, ceu nobilissimam superioritatis territorialis partem in ipsis comiter venerati fuerint. Ipsorum adeo, etiam a Constatibus, Principum Catholicorum ecclesiastica in subditos protestantes jurisdictio agnita legitur; *a*) cum ex propria A. C. addictorum mente Principi sæculari jurium circa sacra, seu jurium episcopalium competat potestas. *b*) Mota forsan contradictione nullibi leges, ideo esse motam, quod *in ipsum a cætu jura collegialia non sint translata*; admissa semper theseos veritate, Principi qua Principi competere potestatem ecclesiasticam, ejus facultas ex alio tantum capite impugnabatur; vt plurimum v. g. quod in

Statuum eximia, noch der superioritate territoriali, sondern ex simplici & personali priuilegio zu deriuiren.„

RHETIVS *de jure Statuum I. circa sacra c.* 2. *n.* 15. *seqq.* LYNCKER *de superioritate sacra* §. 7. KOPP *de insigni differentia inter S. R. I. Comites & Nobiles immediatos pag.* 234. BOEHMER *in diss. prælim. ad T.* 3. *juris eccles. Protest. de jure liturgiarum ecclesiastico* §. 75. ESTOR *in delineat. j. publ. eccl. Protest. p.* 159. & HOLLAND *in diss. de origine, juribus, ac priuilegiis Ordinis Teutonici ac Nobilitatis immediatæ in suis & aliorum Statuum territoriis competentibus p.* 42. *seqq.*

l) Ii scil. qui Nobilitati immed. superioritatem tribuunt territorialem. TEXTOR de *Nobilitate I. immed. ejusque juribus, in bibliotheca equestri T.* 2. *p.* 1179. COCCEIVS *in diss. de fundata in territorio potestate T.* 1. §. 9. HERTIVS *de specialibus Rom. Germanici Imp. rebuspublicis, earumque diuersis nominibus & figuris sect.* 1. §. 8. FELTZ *in diss.* 4ta *de Statu Nobilitati S. R. Imp. & in diss. de superioritate territoriali Nobilitati S. R. I. immed. denuo asserta, parte speciali* §. 1. *seqq.*

a) Exempla v. g. de Legato Suecico - Saxo - Gothano, atque Cellensi, occasione quæstionis ao. 1664. in comitiis agitatæ vid. apud SCHILTER *in actis miscellis ad pacem R. p.* 399. *in* LEHMANNO *suppl. & contin.* „Dass ein Fürst, wenn er von der Evangelischen zu der Pæbstl. Religion trette, des vorhin gehabten juris episc. dadurch verlustiget werden solle, sey nirgend zu finden.„ Simile legati Suecici votum lege apud SCHAUROTH *T.* 2. *p.* 35. *seqq.*

b) „Würde er (der Hertzog) *den Evangelischen ihre eigene principia vorwerffen,* nach welchen sie statuirten, *daß einem weltlichen Fürsten diejenige jura zukamen, die sonst die episcopalia genannt würden.* SCHILTER *l. cit.* addito voto Legati Suecici §. *XVIII. in fine not. iiii. p.* 83. *adducto.*

in Germania annus normalis sit ceu vnica norma spectandus, c) vel quod secundum propria religionis principia Dominus Catholicus jurisdictionis ecclesiasticæ incapax judicetur; d) similesque rationes. Legas & perlegas scripta in hisce controuersiis, nouiore etiam tempore, vulgata; nullibi reperies, Domino Catholico statum quæstionis *ex jurium in ipsos translatorum defectu* formatum esse; signo euidente, hunc infantem vel nondum natum, vel in teneris adhuc extitisse. Nunquam jurisdictio, e) nunquam appellatio f) ad Dominum Catholicum

c) „Anonymus Rysuicensis in der wahrhafften und in dem Inst. Pacis gegründeten Auslegung derjenigen Frage, ob ein Catholischer Fürst in seinem Fürstenthum, darinnen das exercitium euangelicæ Religionis ao. 1618. oder 1624. bloss und allein in Uebung gewesen, sein religionis exercitium introduciren kœnne?„ *quæst.* 3. *n.* 3. & qui hunc anonymum verbotenus exscripsit, Joh. Frid. Vetter *in seinem rechtlichen Bedenken über* 3. *wichtige die Religions-Freyheit in dem H. R. Teutschen Reiche betreffende Fragen pag.* 43. *Tractatus de Statuum Imperii R. G. jure reformandi. p.* 175. *Gesetzmæssige Beantwortung der Frage: Ob ein Catholischer Landesherr in Teutschland die jurisdictionem ecclesiasticam über die in seinem Lande befindliche der Augspurgischen Confession Verwandte Unterthanen zu exerciren befugt sey &c. in resolutionibus rationum dubitandi n.* 1. *seqq. & alii.*

d) *Anonymus Rysuicens. quæst.* 3. *rat. decid.* 1. Meiern *in der gesetzmæssigen Vertheidigung der Frage* (§. XVIII. *kkkk. p.* 83.) §. 31. *& alii.*

e) Vti de Saxo-Lauenburgensi in subditos protestantes jura ecclesiastica quiete exercente ipsi A. C. addicti testantur apud Schilter *in actis miscellis ad pacem R. p.* 399. Add. Struv. *in corpore juris publici p.* 1100. §. 42. „Postquam Julius Henricus Dux Saxo-Lauenburgensis religionem catholicam fuisset amplexus, nihil dum monebatur.„

f) *Instrumentum conuentionis Altranstadiensis inter Sacram Cæsaream Maj. & Sacram Regiam M. Sueciæ initæ* §. 7. *& recessus Executionis über die zwischen Ihrer Ræm. Kays. Majest. und Ihro Kœnigl. Majest. von Schweden, zu Alt-Ranstadt in Sachsen, den* 12. 22. *August.* 1707. *wegen des freyen Religions-Exercitii der Augspurg. Confessions-Verwandten in Schlesien geschlossene convention* §. 13.

„Mit der quoad formam & materiam auf dem Fuss, welcher tempore P. W. gewesen, verabfasseten Einrichtung derer consistoriorum zu Liegnitz, Brügg, und Wohlau, hat es nunmehr seine Endschaft erreichet, und sind die dazu verordnete Catholische præsides, dass sie secundum canones in August. confessione receptos, & majora assessorum vota, bey denen vorkommenden Sachen, *salua vbique appellatione immediata an Ihro Kayserl. und Kœnigl. Majest.* zu concludiren, und decidiren hætten, gleich Anfangs hiernaeher instruiret worden„ *Electa juris publici T.* 1. *p.* 191. Fabri *Staatskanzley* 22. *Th. p.* 105.

cum in causis Protestantium ecclesiasticis agnita fuisset, si hæc anteriorum temporum sententia stetisset. Haud neglexissent hunc arietem, hodie in omnibus fere nouiorum scriptis adhibitum: g) *Hæc jura in Principem delata non esse, imo per impossibile deferri non posse.* (§. IX. c.) Dolendum: hæc non prius innotuisse, atque tamdiu & subditos & ipsos latuisse Status. Multæ controuersiæ hac vna phalange sopitæ fuissent.

§. XXII.

Leges Imperii, neutiquam in hoc, sed alio systemate latæ, in alio per consequens vnice, præeuntibus ipsis A. C. addictis, intelligendæ declarandæque (§. XI.) hactenus dicta pulcherrime firmant. Nulla in pace R. cœtus ecclesiastici mentio. Fallit & fallitur WIESENHAVERVS per allatos (*§. XV. m. & n.*) pacis R. textus jura *communitatis ecclesiasticæ* intelligendà dissentens. (*§. IX. l.*) Alia enim verbis NB. *in ipsos Status* directis vel ipse pacis R. asserit textus; a) alia propria A. C. addictorum Statuum declaratio jubet. Ipsi NB. *sibi ex Pace R.* suspensa vindicant jura; b) ipsi declarant: „*Daß die Bestellung und Anord-*

§. 14. „Solle auch das Consistorium oder sogenante Kirchen-Amt bey der Stadt Breslau, in derjenigen Verfassung, wie solche tempore P. W. gewesen, annoch ferner verbleiben. Und nach dem die bisherige notorische praxis gezeiget, dass inzwischen dem bischœflichen consistorio, und oberwehnten Breslauischen Kirchen-Amte das jus præuentionis & electionis alle Zeit statt gefunden und in der litigirten Partheyen freyen Willkühr bestanden, zu welchen sie sich aus beyden wenden wollen: also müste es auch darbey um so mehr inskünftige verbleiben, als derley zu dem bischœflichen consistorio freywillig recurrirende Partheyen, von demselben entweder secundum canones in August. confessione receptos, *& quidem salua semper appellatione immediata, an Ihro Kays. und Kœnigl. Majest. judiciret*, oder aber gleich Anfangs nach der Sachen Bewandniss und Umstænden von erwehnten bischœflichen judicio abgewiesen, und an das Breslauische Kirchen-Amt remittiret werden sollen.„ *Electa l. cit. p.* 192. FABRI *l. cit. p.* 107.

g) *Consule inter alios v. g.* PREUSCHEN, dass ein Catholischer Landesherr in Ehe- und andern Kirchen-Sachen seiner Evangelischen Unterthanen zu erkennen nicht befugt sey.„ §. 142. *sqq.* „Sammlung einiger neuerer vorhin gedruckter, und bisher ungedruckter Schrifften von der im W. Friedensschluss erlaubten Selbsthülfe der Catholischen Landes-Herrn geistlicher Gerichtbarkeit über ihre Evangelische Unterthanen, und den Simultaneo exercitii religionis.„ *p.* 189. *alibique.*

a) §. 15. & 20. *So sie (die Stænde) aufgerichtet oder aufrichten mœchten.*

b) §. *XVI. not. b. num.* 3. *lit. a. d. e. & f. p.* 35. & 36. §. *XVI. not. c. nro.* 2. *pag.*

Anordnung des publici exercitii religionis, Kirchen-Ordnung, Ceremonien, und was dem ferner anhængig, immediate von dem jure territoriali dependire, vermag der Religion Friede 1555. ausdrücklich; „ (§. *XVI. p. 37.*) ipsi ex quo possideant, ex quo exerceant, indicant titulum, *jure scil. magistratus proprio, jure territoriali, jure regalium.* (*§. XIX*) Exemplum interpretationis exactissimæ certe pulcherrimum, in aliis legum Imperii textibus, ex eodem systemate latis, absque omni fuco sequendum! Periculum faciamus, & ad P. W. leges hæc adplicemus. Ratio & ordo interpretandi generalis jam dictant: *legum inter se connexarum seriem sine contradictione maxima ex diuerso systemate declarari haud posse.* Regula, in ipso P. W. inst. agnita; ubi scilicet P. W. Pacis R. *complementum* declaratur. *c*) Quam parum per consequens Pacis R. textus *praeuntibus ipsis A. C. addictis* ex systemate collegiali declarari possunt, ut modo vidimus: tam parum P. W. leges, nisi historiam, proprias A. C. addict. declarationes, legumque inter se connexarum rationem turbare, imo secare velis, ex hoc intelligi queunt. Contorta v. g. vel maxime foret exhibita supra juris reformandi in systemate collegiali declaratio. Siue enim in sensa WIESENHAVERI & FLOERCKII) *§. VII. f. §. VIII. e. & f.*) abire; siue cum aliis (§. *VIII. f. & g.*) juris reformandi conceptum in jure determinandi exercitium religionis in republica collocare velis: vtrumque conceptum & historia, & A. C. add. declarationes, & totum systema temporis fugit. Nullibi, quod spectat primum, definiti supra, atque distincti inter se juris reformandi collegialis, & majestatici notio occurrit; *plenum* potius, A. C. addictis *juris reformandi ambitum*, ex *eodem*, jure scilicet magistratus proprio, jure territoriali, *fonte* petentibus; proscripto omni cœtus ecclesiastici reformandi jure. *d)* Alterum quod attinet: inanitas ex supra (*§. XVI. f.*) deductis se sat manifestat. Vel vnica tractatuum periocha (*§. XVI. not. c. num. 2. pag. 40.*) sufficere posset ad eneruandam juris reformandi supra prolati notionem. *e*) Haud minus contorta foret juris territorialis in eccle-

pag. 39. in verbis: *Vermœge . . . des anno* 1555. *aufgerichteten Religion-Friedens*, §. *XVI. not. c. num.* 3. *pag.* 40. §. *XVI. not. c. num.* 5. *pag.* 41. §. *XVI. not. c. num.* 8. *p.* 43. Adde, si lubet, *p.* 34. in fine.

c) *Art. V.* §. 1. „Pax Religionis, prout ea 1566. . . . & post in diuersis Sacri R. Imp. Comitiis vniuersalibus confirmata fuit, in omnibus suis Capitulis, vnanimi Imperatoris, Electorum vtriusque religionis consensu initis ac conclusis rata habeatur, sanc̃teque & inuiolabiliter seruetur. Quæ vero de nonnullis in ea Articulis controuersis hac transactione communi partium placito statuta sunt, ea pro perpetua dictæ Pacis declaratione, tam in Judiciis, quam alibi obseruanda, habebuntur.„

d) Loca probantia, si petis, tibi suggerunt ea hi ipsi extractus, ad quos §. *XVI. not. f. p.* 46. prouocaui.

e) In verbis: „In Krafft ihrer hohen Landes-Fürstlichen Obrigkeit, und derselben

ecclesiasticis exercitii ad majestatica circa sacra jura restringendi declaratio. Alia enim historiam, legum Imperii inter se connexarum ordinem, continuatam jurium ex iisdem principiis petitam seriem, tractatuum rationem, ipsam oppositionem jurium ecclesiasticorum & politicorum, totumque systema temporis expostulari supra (*§. XVI. g.*) jam dictum est.

§. XXIII.

Quin moneam, concludes ipse, systema collegiale non posse non esse temporum nouiorum partum. Quod itaque Status Protestantes de distinctione quadam *juris circa sacra & in sacris*, ceu tempore pacis W. plane incognita, alia declarauere occasione, *a*) ad totum systema collegiale optime quadrat. Legas quæso, chronologico tamen, quod ego exoptem, ordine, legas, repeto, hujus noui systematis architectos, & facili opera innouationum terminum a quo, figere poteris; imo fata hujus systematis plena haud difficili reperies labore. Quod theologo ex suis se detexisse fontibus visum est, nondum jurisconsultus ad Imperii adplicauit leges. Successiue motus est factus. Ipse JCtus variauit, *b*) atque hæsitavit, & jure hæsitauit in multis, & partim hæsitat adhuc, *c*) vsque dum demum systema ipsorum in formam, quam supra (§. V - X.) exhibui, conglomeratum *fuit*. Quid multis? omne, si quod tamen superesse possit, fugabitur dubium, si ipsos Protestantium sacris addictos hujus veritatis produxero testes. „*Nouum ante aliquot annos ex rationibus jam non tangendis excogitatum est systema, quod collegiale dixerunt*„ sunt verba BOEHMERI; *d*) aliis, ipsius etiam systematis collegialis patronis, idem testantibus; *e*) vt nulla per consequens ratione salua historia,

den *anhangenden geistlichen jurisdiction* in ihren Landen Christliche Reformation angestellet.

a) *Apud de* SCHAVROTH *T.* 1. *pag.* 489. & 492.

b) Exempli loco conf. ea, quæ FLOERCKE *in obseruationibus selectis ad* JOH. SCHILTERI *institut. juris canon. anno* 1726. *editis lib.* 1. *tit.* 2. §. 14. *tit.* 3. §. 15. *tit.* 5. *p.* 100. *tit.* 7. *p.* 151. & *quæ in diss. de jure principis in specie Germaniæ, circa sacra subditorum diuersæ religionis anno* 1758. *vulgata sectione præcipue* 1ma pluribus differit.

c) Quod optime aduertes ex hujus systematis patronorum scriptis, si v. g. non tam singulis legum Imperii declarationibus, quam si toti ordini, toti systemati legum, etiam diuerso tempore latarum, acriter insistas. Multa si spectes singula, docte & juste videntur dicta, quæ in toto non possunt non contorta deprehendi. Facile foret, plurimis exemplis hæc illustrare. Varia interim ex iis, que in tractatione attuli, lector attentus colliget ipse.

d) *In præloquio ad T.* 5. *juris eccles. protest.* §. 11. *pag.* 18.

e) WIESENHAVERN *in den Grundsætzen &c. pag.* 26. * „*Diesen Begriff (der Colle-*

ria, salua Principum Protestantium intentione, saluo legum Imperii sensu, saluo earundem nexu, saluo systemate temporis leges Imperii *antea* conditæ, ex systemate *tempore nouiore* demum nato, atque educato declarari, multo minus systema pro systemate obtrudi possit. Sic de die in diem innouationes fiunt! Aut cæteri fefellere omnes: aut fallunt nouiores. Non agitur de systemate hodie exstruendo, sed *ante* exstructo, *ante* jam cognito. Non quæritur, quid ingeniose excogitari possit, sed quid fuerit reuera actum, in quonam systemate leges Imperii conditæ, in quonam intelligendæ declarandæque sint? Prædicent, tempora docta, doctorum operas ad sidera tollant; Catholici nunquam, molimina nouiorum probe scientes, *f*) ad aliud *in legum Imperii sensu* Protestantium systema moueri poterunt; nunquam a systemate, quod ipsi Protestantes unanimiter agnouere, atque propugnauere Status, a systemate, quod docta grauissimorum de suis, ipsi adeo legum conditarum epochæ partim coæuorum, partim propiorum, cohors approbauit, (§. XVIII.) per auctoritatem nouiorum, fateor, etiam celeberrimorum, auctoritate tamen sua in hoc abutentium, detrudi se sinent.

§. XXIV.

Argumenta, quæ contra mouent, fragili subnituntur telo. Vel vnica ob-

Collegial- und Majestætischen Rechten) *hat der vortreffliche* SAM. PUFFENDORF *zuerst auf die Bahn gebracht, dem hernach* .... THOMASIUS *und Herr Canzler* BOEHMER *gefolget sind.* (Hoc ultimum tamen falsum esse, facile apparebit ex scriptis eorum §. *XVIII. pag.* 77. 78. 80. & 81. citatis) *Besonders hat diese Lehre der unvergleichliche Herr Canzler* PFAFF *vortrefflich ausgeführet.*„

PREUSCHEN: „dass ein Catholischer Landes-Herr in Ehe- und anderen Kirchen-Sachen Evangelischen Unterthanen zu erkennen nicht befugt sey pag. 99. * Dieses hat SAM. PUFFENDORF im tract. de habitu religionis ad vitam ciuilem *zuerst auf die Bahn gebracht.*„

ESTORS *neue kleine Schriften* 1. *B.* 9. *St.* §. 17. *pag.* 94. „Die geistliche Geschichte der andern Halbschied des 18ten Jahrhunderts preiset sich durch die Bemühungen aufgeklærter Mænner, fürnæmlich des Herrn Canzlers PFAFFENS zu Gisen, glücklich, dass man ein æchtes, und standhaftes Lehrgebäude in den Collegial-Rechten der Evangelischen Kirchen aufgeführet hat.„

Add. HOFFMANN *de independentia juris circa sacra p.* 19. *not. l.* „Magnus idemque verus, Academiæ huic EBERHRADINÆ inde accrescit honos, *quod ejus in gremio tota, quanta quanta etiam sit, jurium circa sacra in maj. & colleg. si non nata, educata tamen* (per PFAFFIUM præcipue; vid *l. cit.*) *fuerit distinctio.*

f) Exempli loco inseruiat. v. g. §. *IX. not. c. pag.* 12.

obseruatio, hocce systema esse temporum nouiorum partum, (§. XXIII.) jam profligat bonam ipsorum, quam volunt, causam. Consensum expressum, ad quem I. prouocare amant, (§. IX.) nunquam probabunt. Testimonia, queis innituntur, sunt testimonia recentiora, quorum fides vel ex solo Coæuorum silentio non posset non suspecta esse. Salua interim sit fides eorum; nouiores enim, si fatemur, quod res est, sub tegmine æquiuocationis, horum abutuntur auctoritate. Sit profecto reformatio suscepta *subditis instantissime petentibus, vrgentibusque;* sit *nonnisi theologorum zelo & assensu plerorumque ex clero & populo mutatio peracta:* (§. IX. h.) nondum euincetur consensus expressus. Haud æqua Sequela est: subditi petiere medelam; subditi in ipsam consensere reformationem: ergo subditi jura in ecclesiasticis in Principes transtulere. Distincta hæc sunt, quorum vnum non inuoluit aliud. Quam parum ex reformatione diœcesanis instantissime petentibus, vrgentibusque, ex reformatione nonnisi theologorum zelo & assensu plerorumque ex clero & populo, *ab Episcopo in ecclesiasticis peracta;* quam parum ex suscepta subditis petentibus, vrgentibusque *a Domino territoriali in politicis reformatione*, ad jura *diœcesanis & subditis* propria, seu jura nonnisi titulo speciali exercenda inferre licet: tam parum ex consensu in suscipiendam tum temporis reformationem, ad jurium in ecclesiasticis administrationem *nonnisi ex consensu cleri & populi* peragendam, atque peractam concludere fas est. Aliis, haud æquiuocis formulis vniuersi cleri, *a*) populique consensus exhibendus, aliis, ratiocinationibus ipsum translationis factum producendum erit. Vel ipsi, quorum extollunt auctoritatem, scriptores, quam longe ab ejusmodi distiterint assertis, partim ex iisdem, *b*) partim ex aliis illorum scriptis *c*) optime discimus.

§ XXV.

a) Liceat mihi, cæteris paribus, hic facere mea, quæ ratione consensus cleri *in specie* notanda veniunt; atque a Mosheim *in dem allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten pag.* 573. jam pulchre obseruata: „Unsere Euangelische Fürsten fragten zwar stets die Geistlichen in geistlichen Dingen, ehe sie etwas unternahmen (R. A. de A. 1555. §. 140. darzu auch jeder mit seinen Gelehrten und Theologis sich mitlerweile dermassen verfassen &c.) und wir wollen nicht daran zweiflen, dass Melanchton und andere bey dem Religions-Frieden sind gefragt worden. Allein diese sind die ganze Geistlichkeit nicht. Melanchton ist niemals ein Prediger gewesen, die andern vieleicht auch nicht; und gesetzt, dass sie es gewesen: so folgt doch nicht, dass sie im Nahmen aller ihrer Amts-Brüder geredet, und dass sie Vollmacht von der ganzen Geistlichkeit gehabt hætten. Wann wir nach Schweden und Dænnemark gehen: so ist gar diese Genehmigung der Geistlichkeit nicht herauszubringen.

b) *Si v. g.* Cocceii *l. cit.* in integro suo contextu legas; imo vel ipsa supra (§. *IX. h.*) allata verba: „*Ipsi in territoriis suis vigore potestatis suæ regalis reformare instituerunt*,„ jam alia produnt.

c) Vide e. g. §. *XVIII. not. r. p.* 73. §. *cit. not. ee. pag.* 75. *seq. & l. cit. not. bbb. pag.* 78.

§. XXV.

Neque II. consensus tacitus *ex suscepto a Dominis territorialibus jurium in ecclesiasticis exercitio, ex silentio subditorum, atque omissa ex parte horum protestatione* (§. IX. i.) euinci potest. Haud fluit: Domini territoriales silentibus subditis jura in ecclesiasticis exercuere: ergo ad ipsos ex tacito subditorum consensu jurium in ecclesiasticis administratio spectat. Verum quidem est, attestari scriptores omnes, Dominos territoriales jura in ecclesiasticis exercuisse. Quo vero titulo? neutiquam jure translato, neutiquam titulo speciali; sed *jure magistratus proprio, jure territoriali, jure regalium.* (§. XIX.) Subditus siluit, cur siluit? ex alia haud ratione, ac hodie silet, si Dominus territorialis in legitimo jurium propriorum exercitio occupatur. Contendo: incognita jurium collegialium & majestaticorum tum temporis theoria, solum subditorum silentium ad euincendam *ex consensu tacito* jurium in ecclesiasticis administrationem per impossibile sufficere posse. Accedit, quod consensus etiam tacitus supponat notitiam ejus, in quod consentimus; notitiam per consequens jurium collegialium sibi propriorum, atque in Principes transferendorum; quæ vero, qua ratione distinctione inter jura collegialia & majestatica nouiore tempore demum detecta concipi possit, diuinare minime possum.

§. XXVI.

Ad reprimenda, quæ III. pro colorando systemate suo ex ipsis tractatibus proferre argumenta tentant, obserues generaliter: I. Inter tot tractatuum supra (§. *XVI. not. c. p. 36. seqq.*) adducta loca, ipsum fundamentum juris sacrorum *directe* probantia, parum vel nihil probare extractus ad systema vtrumque que quadrantes. II. Ex mutilatis tractatuum locis euinci plane nihil posse. Antecedentia & consequentia, totam tractatuum rationem semper combines. (§. XI.) His obseruatis v. g. textus ex MEIERO supra (§. *IX. k.*) allatus mox resolutionem capit. Violenta enim conscientiarum coactio, absolutaque reformandi libertas, de qua hic textus intelligendus, æque in systemate regulæ territorialis exulare debet. *a*) Integram, ex qua depromptus est, deductionem legas; *b*) & quam parum in fauorem systematis collegialis inde erui possit, primo adeo obtuitu iudicabis, vel solis immediate subsequentibus verbis

 genui-

a) CRANIUS *de pace religionis ac libertate conscientiæ in R. I. seruanda apud* LEHMANN *supplet. p.* 12. RHETIUS *in diss. de jure statuum Imperii circa sacra cap.* 3. *n.* 8. PFEFFINGER *in* VITRIARIO *illust. lib.* 3. *tit.* 19. §. 28. *e.* & §. 31. *a.* BOEHMER *in jure eccles. protest. lib.* 1. *t.* 1. §. 86.

b) *De* MEIERN *T.* 2. *p.* 745-758. Add. *fundamenta etlicher Augspurgischen Confessions-Verwandten das jus emigrandi betreffend. T.* 2. *p.* 725. *seqq.* & *T.* 4. *p.* 1001. *atque* PFANNER *in historia P. W. lib.* 5. §. 42.

genuinum hujus extractus sensum sat definientibus. *c*) Cæteræ, quas ex vno alteroue adhuc tractatuum loco pro systemate suo rationes torquent, *d*) cum reliquis abibunt, modo suppeditatis, supra (§. XI.) hermeneutices regulis rite insistas, atque in specie integra, ex quibus desumptæ, acta *fundamentaque e*) legas.

§. XXVII.

IV. Imperii in patrocinium aduocant leges. (§. IX. l.) Resolutio ad deprauatos P. R. textus §. XXII. jam data; Inst. vero P. W. §. XXXIII. supra citatus nonnisi de pactis P. W. *prioribus* interpretandus, *a*) ad pactum nouiore tempore *demum* detectum, inuita Minerua trahi haud potest. Consulantur omnes ad P. W. commentatores, *b*) singula in hunc, antecedentes, subsequentesque §phos, ceu inter se connexos, edita scripta, *c*) imo tota tractatuum ad hosce §phos

c) *De* MEIERN *T.* 2. *p.* 755.

d) CRAMER *in diss. de jure circa sacra collegiali & majestatico* §. 72.

e) „Fundamenta der Augspurgischen Confessions-Verwandten Stænde, dass sie die in ihren Landen gelegene Stiffter &c. nicht allein vor, sondern auch nach dem Passauischen Vertrage einzuziehen und zu ihrem Gottesdienst anzuwenden befugt.„ *T.* 2. *p.* 665. *seqq.*

a) Vi propriorum §phi verborum: „*Pacta ... quæ ... ante hac intercesserunt.* HENNIGES *in meditationibus ad Inst. P. p.* 507. *f.* & STRUBEN *in dem* 2. *Th. der rechtlichen Bedenken p.* 43.

b) Horum supersedeo allegatione, cum satis sint noti.

c) V. g. HILDEBRANDI *annus decretorius.* MOSER *de pactis & privilegiis circa religionem & alia ecclesiastica; in ejus selectis juris cum publici tum priuati, itemque ecclesiastici pag.* 69. *seqq.* BARTHEL *in diss. de jure reformandi antiquo, & in diss. de eo, quod justum est circa religionem ex lege Imperii. Schediasma de autonomia mediatorum Imperii ad Inst. P. Os. art.* 5. §. 30-37. *inclusiue; in obseruationibus juris publici Germanici de Ciuitatum Imperii juribus ecclesiasticis & politicis eo spectantibus p.* 170. *seqq.* Varia Ratisbonæ edita, atque ad horum §§. illustrationem fere passim facientia scripta veluti 1) *Grundriss des sogenannten juris reformandi* 1757. *fol.* 2) *Zusatz zu dem Grundriss des sogenannten juris reformandi, das ist: Ungrund der so betitleten Schrifft: Ungrund des Simultanei* 1757. *fol.* 3) *Kleines Bau-Modell nach dem vor etlich Tægen dem Publico communicirten Grundriss des sogenannten juris reformandi* 1757. *fol.* 4) *Documenta historica ex actis publicis de regula territoriali siue de sic dicto jure reformandi* 1757. 8. 5) *Wahrer Begriff deren von einigen Protestantischen Scribenten schændlich verdræhten* §§. 30. 31. *Art. V. P. W. &c. erklæret aus denen actis publicis, P. W. Protocollis &c.* 1758. 8. 6) *Frage: ob ein Ræmisch-Catholischer Fürst, und Herr, welcher einem Evangelischen Fürsten und Landesherrn in Politicis ohndisputirlich succedirt, auch vigore inst.*

§phos consulatur series, *d*) & ne jota quidem ejusmodi pacti, præ cæteris tamen notandi, deprehendes in illis. Articuli V. §phus XXXI. quem ad euincendum jurium collegialium theoriam specialiter adhuc sistunt, *e*) tantum abest, vt obstet hactenus dictis: vt potius institutione consistoriorum, ministeriorum &c. landsassiis & subditis aliter per inst. demum pacis haud attributa, quam si tale jus in anno normali a se exercitum fuisse probare possint, *f*) regulam territorialem pulcherrime firmet. Debile certe præsidium, inaniter & frustra ex hoc P. W. textu repetendum! æque facili opera systema collegiale inter ipsos adeo Catholicos vigens, reluctantibus vt vt principiis eorum, (§. II.) obtrudi posset.

inst. P. W. jurisdictionem ecclesiasticam, wie der hohe Vorfahrer, oder antecessor selbige gehabt, und exercirt hat, gleicher Weise in subditos A. C. exerciren kœnne? oder aber, ob die in dem Religions-Frieden verordnete, und in dem besagten Inst. P. W. bestættigte suspensio jurisdictionis ecclesiasticæ Episcoporum Catholicorum in Euangelicos auch auf die Rœmisch-Catholische weltliche Fürsten zu extendiren und zu appliciren seye? p. v. g. 63. seqq. 1758. 8. 7) *Verdrœhung des nudi facti possessionis anni normalis* 1624. 1758. 8. 8) *Gründliche Antwort auf die Einwürfe wider den Hauptsatz: daß ein vorher Protestantischer hernach aber zur Catholischen Religion übertrettender Reichs-Stand das œffentliche Religions-Exercitium seiner Untherthanen reformiren kœnne &c. und noch wider andere darmit verbundene Sætze von dem simultaneo, von der jurisdictione ecclesiastica, und von der Religions-Verfassung im teutschen Reich* 1758. 8. 9) *Endecktes Blendwerk der zu Franckfurt und Leipzig jüngstens abgedruckt-neuesten Verdrehung des W. Friedens-Schlusses art. V. §.* 31. *und art. XVII. §.* 4. 5. 6. 7. 1758. *fol.* 10) *Gründliche und Actenmæßige Nachrichten von denen die Gewissens-Freyheit, und das Religions-Exercitium deren Unterthanen betreffenden Friedens-Handlungen von An.* 1555. *bis* 1648. *nebst einigen wichtigen Beylagen.* 1759. *fol.* 11) *In denen Actis publicis & protocollis Protestantium gegründete Antwort auf die so betitlete Schrifft:* Georg David Strvben *&c. Zugabe zur endeckten Verdrehung des W. Frieden-Schlusses art. V. §.* 31. *und art. XVII. §.* 4. 5. 6. 7. 1759. *fol.* 12) *Pacificatio Westphalica seu themata historica de exercitio religionis subditorum ex actis publicis & protocollis pacificationis W. desumpta,* 1759. *fol.* 13) *Compendium historiæ grauaminum de subditorum religionis exercitio publico, eorumque conscientiæ libertate, & horum grauaminum compositione.* 14) *Sætze des sogenannten corporis Euangelicorum von dem Religions-Exercitio derer Unterthanen.* Vtraque scripta sine loco impressionis, & anni. Non sine ratione in recensendis his scriptis extiti prolixior; licet fatear, me omnibus hujus Anonymi thesibus subscribere nolle.

d) Walthers *Register über die W. Friedens-Handlungen und Geschichte artlo: Religions-Exercitium; autonomia; Evangelische Unterthanen Catholischer Obrigkeit;* item: *Vertræge über das Exercitium Augustanæ Confessionis.*

e) Floercke *in diss. §. IX. not. l. p.* 16. *citata.*

f) *Art. V.* §. 31.

ſet *g*) Juuat obſeruationem §. *anteced.* ad reſoluenda dubia ex tractatibus mota ſuppeditatam etiam ad Imperii applicare leges: inter alios videlicet legum Imperii textus ipſum fundamentum juris ſacrorum *directe* probantes (*§. XVI. not. f.* & *g*) parum vel nihil probare leges Imperii ad alia ſyſtemata æque quadrantes. Vlteriora horum §§. contenta ſi ſpectes, nequidem in iis de pactis, transactionibus, conuentionibus &c. *inter vnius ejusdemque religionis Status ſubditosque* agi reperies; *h*) multo minus de pactis adminiſtrationem jurium collegialium, *nonniſi a Principe religionis ſuæ ſuſcipiendam* (*§. IX. c.*) in Procerum manu corroborantibus. Eadem fere alterum (*§. IX. l.*) pacis W. textum ponderapremunt. Repeto: quæ volunt pacta, tum temporis latuiſſe omnes; vt proin ænigma ſolutu ſit facile, cur neque in commentatoribus, neque in ſingulis ad hunc §. editis ſcriptis, *i*) neque in tota ad hunc artl. tractatuum ſerie, *k*) ne minima quidem ejusmodi pacti mentio occurrat. Accedit: neque in hoc artl de vnius, ejusdemque religionis Statibus, ſubditisque agi; ſed quatenus *duas partes conſtituunt. l*) Totum profecto Principum A. C. add. in eccleſiaſticis rueret exercitium, ſi non grauioribus, ac hactenus allatis, legum Imperii textibus ſuffultum foret. Melius ſaltem auctores ſupra (§. XVIII.) citati ad vnum omnes fundatæ Dominorum ſuorum in eccleſiaſticis poteſtati conſuluere; ex aliis videlicet legum Imperii textibus repetentes eam. Stat itaque fixa ac firma, auctoritate etiam celeberrimorum de ſuis jurisconſultorum ſtipata ſententia, minime detrudenda per molimina nouiorum: *jus circa ſacra atque jurisdictionem eccleſiaſticam pro parte ſuperioritatis habitam fuiſſe; vique hiſtoriæ reformationis, vi propriorum Eccleſiæ proteſtanticæ principiorum, vi A. C. Principum declarationum, poſtulatorum, tractatuumque, vi ipſarum legum Imperii genuini ſenſus, vi perpetuæ territoriorum praxeos §. XII -- XIX. in ſyſtemate Imperii ſemper inpoſterum habendam eſſe.*

§. XXVIII.

Jus circa ſacra eſt pars ſuperioritatis territorialis. *a*) (*§. anteced.*) Quis vero,

g) *Art. V.* §. 32.

h) MOSER *in diſſ. de pactis & priuilegiis circa religionem & alia eccleſiaſtica* §. 27. & 80. *ſeqq.*

i) IOH. IOACH. MÜLLERS *entdecktes Staatskab. parte* 4. *p.* 56. *ſeqq. Commentarius ex fontibus, de illis inter Proteſtantes, qui reformati vocantur ad art. VII. Inſt. P. Oſn. in obſeruationibus not. c. citatis.*

k) WALTHERS *Regiſter artlo: Reformirten.*

l) Sunt ipſa Inſt. pacis *art. VII.* §. 1. verba.

a) Ne arguas calamum in eruendo juris circa ſacra fundamento prolixitatis. Vix labor coarctari potuit, quod enim antea, quod Paciſcentibus ipſis extra con-

vero, ni castra FVRSTENERII, *b*) atque RELFENDSO *c*) sequi exoptet, superioritatis territorialis in suprematum non detestatur metamorphosin? *d*) Quis pernegato cum RELFENDSO, *e*) MONZAMBANO, *f*) aliisque, subjectionis vinculo hanc hodie exagitat independentem? *g*) Quis, cæteris paribus, casu emergente judiciariæ, sine qua nulla in republica salus, *h*) atque in omnibus casibus, nisi per leges aut priuilegia specialiter exemtis, semper fundatæ *i*) supremorum Germaniæ dicasteriorum potestati haud caput inclinat? *k*) Quam

controuersiam positum erat, hodie innumeris inuoluitur tricis; his vero demum remotis prona modo multorum conclusio fluere potest. Pleniorem tamen systematis collegialis discussionem mihi in aliud tempus adhuc reseruo.

b) *De jure suprematus c.* 9. & 10.

c) *In tract. de summa Principum Germ. potestate, ab* HVNONE *ab* HVNEFELD (SCHVRTZFLEISCHIO) aliisque refut.

d) FABRI *Staatskanzley T.* 44. *p.* 701. TREVER *de studiis nimiæ libertatis circa Status Imperii ruinam I. R. G. procurantibus* §. 11.

e) *l. cit.* præprimis *c.* 12.

f) *De statu I. R. G. c.* 3. §. 4. & *c.* 5. §. 28.

g) LVNCKER *de libertate Statuum Imperii, & quæ perperam libertatis ejus esse dicuntur.* TREVER *diss. cit.* §. 12. addita *diss. de Studiis Imperii Romani Germ. ruinam procurantibus p.* 93. *seqq.* & *Cl.* SÜNDERMAHLER *in diss. de libertate Ordinum Imperii vltra justos limites non extendenda* §. 17. *seqq.*

h) *W. Friedenshandl. T.* 2. *p.* 532.

i) LVDOLF *in commentatione systematica de jure camerali p.* 159. TAFINGER *in inst. jurisprudentiæ cameralis* §. 432. CRAMERS *Wetzlarische Nbst.* 16. *Th. Abhandl.* 4. *p.* 77.

k) *R. H. R. O. tit.* 2. §. 1. In unserm Reichs-Hof-Rath sollen alle und jede Sachen des heil. Rœm. Reich, desselben Hoheit, Recht, Herrlichkeit, Gerechtigkeit, Pfandschaft, Lœsung, Regalien, hohe und niedere Lehen, Privilegien, Indult, Confirmation und anders, wie solches Namen haben mag, und in Summa, was nach der unfehlbaren Iustitien dirigiret und decidiret werden solle, insonderheit alle und jede Parthey-Sachen, die Rechts, Gewohnheit, Connexitæt und Consequentz halber für Unser Kayserl. Gericht gehœren, oder von den ersten Instantien durch Mittel der Appellationen, Supplicationen, dictionis nullitatis, implorationis officii, oder in andere alle Weg sich dahin wenden, fundirt und gehœrig seyn, die sollen allda angenommen, gerechtfertiget, darüber erkennet, und die Nothdurft ausgefertiget werden.

Add. *C. O. C. P.* 2. *tit.* 30. & 31. *R. I. N.* §. 105. & 108. *V. A. d.* 1713. §. 10. *Cap. Cæs. Art.* 15. §. 4. *Art.* 19. §. 6. & 7.

Quam parum per consequens *superioritas territorialis*, quam parum *regalia singula*, nonnisi *Cæsari & Imperio in acceptis ferenda*, a nexu *dependentiæ* eximi possunt: *l*) tam parum *jus circa sacra*, atque *jurisdictio ecclesiastica*, communi Imperii consensu *inter partes superioritatis territorialis* atque *regalia*, moto relata *independens* esse, *m*) tam parum *amicabilem cum Archidicasteriis nexum* perhorrescere potest.

§. XXIX.

Hæc sicuti ex generali S. R. I. systematis theoria, atque fundata in thesi in omnibus casibus supremorum Imperii dicasteriorum jurisdictione non possunt non fluere: ita eadem in specie in ipso P. W. instrumento agnita firmataque legimus. Sic integros ducatus Principatusque cum *ecclesiasticis aque ac secularibus juribus recipi* audimus *in feudum. a*) Sic Sueciæ porro regi indubio certe

l) Wencker *in appar. archiu. p.* 206. Müllers *Reichstags-Theatrum unter K. Fridrichen* I. *Vorst. c.* 6. §. 18. *Unpartheyische Betrachtung zweyer gedruckter Fürstlicher Mecklenb. Schwerinischer Memorialien* 1722. *p.* 65. *seqq.* Itter *de feudis Imperii C.* 19. §. 6. *seqq.* & Werlhof *in diss. de alienatione & concessione jurium, quæ vocari solent Regalia* §. 28. *seqq.*

m) Gundlings *vollständiger Discours über den W. Frieden.* „Da der Kayser selbige (Stænde) mit allen Herrlichkeiten, Regalien, und Hoheiten investiret; *so ist auch dieses Recht darunter, als welches* (vi legum scil. Imperii publicarum) *zur Hoheit gehæret.*„

Estor *in delineatione juris publici ecclesiastici Protestantium in fine p.* 101. „In causa fuit Augustana confessio, *vt Cæsari jus esset Ordinibus Protestantibus plena sacrorum jura, sub complexu*, modestæ Italorum vocis, *puta superioritatis territorialis, largiri.*„

Cramer *in den Wetzl. Nbst.* 16. *Th.* 4. *Abh.* §. 4. „Gleichwie aber solcher Gestalt *jurisdictio ecclesiastica ein Stück der Landes-Hoheit* geworden, *diese aber nicht independent ist*, so kan auch *jene nicht vor independent gehalten werden*, sondern wie diese entweder vom Kayser und Reich zu Lehen, oder ex Priuilegiis Cæsareis herrühret; *also verhælt es sich auch mit dieser.*

a) *Art. X.* §. 3. „Hunc ducatum Pomeraniæ, Rugiæque Principatum, vna cum ditionibus locisque annexis., omnibusque & singulis ad ea pertinentibus territoriis, præfecturis, vrbibus &c. . . . & quibuscunque aliis ecclesiasticis ac secularibus bonis, nec non titulis, dignitatibus &c. . . . *cæterisque omnibus & singulis ecclesiasticis & secularibus juribus ac priuilegiis* (§. *XVI. not. g. III. num.* 2. *lit. b. & e. p.* 51. & 52.) quibus antecessores Pomeraniæ Duces ea habuerant, incoluerant, & rexerant, Regia Majestas, Regnumque Sueciæ ab hoc die in perpetuum *pro hæreditario feudo habeat, possideat, iisque libere vtatur, & inuiolabiliter fruatur.*

Art. X. §. 7. „Imperator de consensu totius Imperii concedit etiam vigore præsentis transactionis Serenissimæ Reginæ, ejusque hæredibus, ac succes-

successoribus Regibus, Regnoque Sueciæ, Archiepiscopatum Bremensem, & Episcopatum Verdensem, cum oppido & præfectura Wilshusen, omnique jure, quod vltimis Archiepiscopis Bremensibus competierat in Capitulum & Diœcesin Hamburgensem . . . *cum omnibus & singulis ad eos pertinentibus, vbicunque sita sunt, ecclesiasticis & secularibus bonis & juribus*, (§. *XVI. not. g. III. num.* 2. *lit. a.* & *e. p.* 51. & 52.) *quocunque nomine vocatis*, terra marique *in perpetuum & immediatum Imperii feudum*, sub solitis quidem insigniis, sed titulo Ducatus: cessante capitulorum, cæterorumque collegiorum ecclesiasticorum eligendi & postulandi omnique alio jure, administratione, & gubernatione terrarum ad hos Ducatus pertinentium.

Art. XI. §. 1. „... Electori Brandenburgico ... ejusdemque posteris & successoribus hæredibus atque agnatis masculis, comprimis DD. Marchionibus CHRISTIANO WILHELMO ... *item* CHRISTIANO Culmbacensi & ALBERTO Onoltzbacensi, eorundemque successoribus, & hæredibus masculis ... a. S. C. Maj. de consensu Statuum Imperii & præcipue Interessatorum, tradatur *Episcopatus Halberstadiensis cum omnibus juribus, privilegiis, regalibus, territoriis, & bonis secularibus & ecclesiasticis, quocunque nomine vocatis nullo, excepto in perpetuum & immediatum feudum.*„

Art. XI. §. 4. „Eidem Domino Electori pro se & successoribus suis supra scriptis tradatur *Episcopatus Mindanus cum omnibus juribus* (sæcularibus videlicet & ecclesiasticis) & appertinentiis, pari ratione, *vt ante memoratus Episcopatus Halberstadiensis, in feudum perpetuum a. S. Cæs. M. de consensu Statuum Imperii.*„

Art. XI. §. 5. „Dicto Dn. Electori & successoribus suis *Episcopatus quoque Caminensis in feudum perpetuum ab Imperatore & Imperio concedatur, eodem plane jure & modo, vt supra de Episcopatu Halberstadiensi & Mindano dispositum est.*„

Add. §. 12. *Art. cit.* & *Art. X.* §. 4. atque *Art. XI.* §. 6. vbi de Archiepiscopatu Magdeburgensi sequens dispositio:

„Similiter concedatur Dn. Electori expectantia in Archiepiscopatum Magdeburgensem, ita quidem, vt quandocunque eundem ... vacare contigerit, *totus iste Archiepiscopatus cum omnibus eo pertinentibus territoriis, regalibus & juribus, prout supra de Episcopatu Halberstadiensi dispositum est, Dn. Electori, suisque posteris & successoribus, hæredibus & agnatis masculis .... tradatur & conferatur in feudum perpetuum*, sitque ei vel iisdem jus auctoritate propria vacantem apprehendendi possessionem.„

Non possum non, quin prouocem ad ea, quæ §. *XVI. not. c. n.* 8. *pag.* 42. & 43. *not. g. III. num.* 2. *lit. e. pag.* 52. attuli; quæque *Tomo* 4. *apud* MEIERN *p.* 294. reperire licet. Ipsa *tractatuum* verba apponere juuabit, quod modo & ante dictorum illustrationi pulchre inseruiant. Taliter autem sonant:

„Tradantur sæpius dictæ Serenitati atque Domui suæ Electorali Episcopatus Caminensis in perpetuum, eodem plane jure & modo, vt supra de Episcopatu Halberstadiensi dispositum est; in genere autem reseruatur nomine Sere-

nitatis suæ Electoralis, ratione horum Archiepiscopatus (*Magdeburgensis*) & Episcopatuum, *ut iidem ipsi atque Domui ejus Electorali, eodem jure & modo per omnia in Ecclesiasticis & Politicis, nullo eorum excepto, cedant, prout Serenissimæ Reginæ & Coronæ Sueciæ Archiepiscopatus Bremensis & Episcopatus Verdensis a Sacra Cæsarea Majestate tradentur.*

Fallit itaque *B. G.* STRUV *in diss. de allodiis Imperii* §. 50. differens: „*quod Status Protestantes nunquam de jure inuestiantur sacrorum.*„

Fallit *Anonymus* apud de CRAMER *in den Wetzl. Nbst.* 79. *Th.* 8. *Abh.* §. 24.

„Das instrumentum Pacis W. art. V. §. 30. wisse von dieser Theorie eines Kayserlichen Lehens-geistlicher Landes-Hoheit nichts, sondern spricht davon also: Statibus immediatis cum jure territorii & superioritatis, *ex communi per totum Imperium hactenus vsitata praxi*, etiam jus reformandi exercitium religionis competit. Jenes neue System beruhet auf einem fruchtbaren Schreib-Fehler in denen Auszügen und Abdrücken der vom Kayser Maximilian dem I. im Jahr 1495. dem Land-Grafen Wilhelm zu Hessen, und vom K. Friderich dem III. im Jahr 1471. dem Landg. Ludwig ertheilten Lehen-Briefe, &c. &c.„ vid. *l. cit.*

Quidquid enim sit de diplomatibus istis tempore reformationis prioribus, & quidquid de *commate* sit, de quo *Perill. de* CRAMER & *Perill. Anonymus* inter se certant: ipsi Paciscentes summi, *jure in ecclesiasticis in partem superioritatis communi consensu jamjam transcripto*, hanc ipsam sententiam *de juris territorialis in ecclesiasticis æque ac politicis potestate, sub complexa territorialium jurium* (§. *XXVIII.*) *a Cæsare & Imperio recognoscenda, per Ducatus, Principatusque cum ecclesiasticis æque ac sæcularibus juribus in feudum ferendos, sat comprobarunt.* Quæ ipsis vero Paciscentibus, Cæsari & Imperio sententia stetit, systema *nouum* compellari haud potest.

Cel. autem MOSERUS *in dem 2. Th. der Zus. zu s. Teutschen Staats-Recht. pag.* 388. „*Es ist etwas unerhœrtes und unerweisliches, daß jemalen nur ein Stand Aug. Conf. geschweige Ordines A. C. persæpe, nominatim mit dem jure circa sacra von dem Kayser belehnet worden seyen*„ refutabit se ipsum, cum juxta eundem *in dem 3. Th. s. Einleitung zu dem Reichs-Hofraths-Proceß* 1. *Cap.* §. 14. 23. 27. 32. 35. 3. *Cap.* §. 48. & 50. iidem Ducatus atque Principatus *cum omnibus juribus ecclesiasticis & sæcularibus a Cæsare & Imperio recipiantur in feudum*; jura ecclesiastica vero & sæcularia hic denotent idem, quod *art. VIII.* §. 1. *sub juris territorialis in ecclesiasticis & politicis exercitio* expressum legis. (§. *XVI. not. g.*)

Neque quidquam proficient ii, qui cum MOSERO *T.* 3. *in dem T. Staatsr. p.* 293. jurisdictionem ecclesiasticam, licet ipsi eandem ceu *partem* superioritatis territorialis negare haud possint, *nonnisi allodiali jure* A. C. addictis vindicandam esse contendere volunt; exemplo ne id absonum videatur, ab *allodiis* imperii desumpto id illustrantes.

Si enim præter ea, quæ hactenus attulimus, monente illustriss. Comite *de* KIRCHBERG *in diss. de superioritate territoriali in allodiis Imperii cap.* 2. §. 3. „*Superioritas illa territorialis, quam Dynastæ Germaniæ in territoriis suis*

certe quoad cessa territoria Imperii subdito, *b*) si contigerit ipsum ex causa dictas ditiones concernente, per modo dicta *aeque facile ecclesiastica, ac saeculari*, conueniri a quodam, *priuilegium electionis fori*, *c*) atque subditorum respectu

Gggg 2 *quoad*

suis immediatis allodialibus, quibus inhaeret, exercent, eadem illa potestas supremae proximae, quae cum in ecclesiasticis, tum politicis, Statibus caeteris competit.,, si eadem illa superioritas, *vel ex solo jam nexu ciuili atque S. R. I. forma* independentiae characterem non finit: ipsi eandem, quam extra sphaeram superioritatis tollere student, *coadunata parte cum toto* intra superioritatis limites, intra dependentiae subjectionisque nexum reponent.

b) *Actes & mem. de la paix de Nimegue T.* 3. *p.* 330.

c) *Art. X.* §. 12. ,, Si contigerit, ipsos tanquam Duces Bremenses, Verdenses, aut Pomeraniae, vel etiam vt Principes Rugiae, aut Dominos Wismariae, *ex causa dictas ditiones concernente*, ab aliquo legitime conveniri, Caesarea Majestas liberis eis relinquit, vt pro sua commoditate *forum eligant*, vel in Aula Caesarea, vel Camera Imperiali, vbi actionem intentatam excipere velint. Teneantur tamen intra tres menses a die denunciatae lites sese declarare, coram quo judicio se sistere velint.

Haud frustra erit *priuilegium electionis fori Brunsuicensium Ducum*, cujus breuem historiam I. D. Koehler *in explanatione historica ad art. XIII. Inst. P. Osn. de compensatione Ducibus Brunsuici & Lüneburgi facta ob cessa jura sua, in quosdam S. R. I. Archiepiscopatus & Episcopatus* §. 16. sistit, combinare cum modo dictis. Vnum illustrabit aliud; vtrumque systema temporis dabit.

,,Von diesem Unserm ertheilten Priuilegio Electionis fori sollen *durchaus keine Sachen*, als allein die Fahn-Lehen exempt und ausgezogen, sondern *alle übrige ohne Unterschied darunter begriffen seyn*, auch dawider niemand gehoeret, sondern mit allen dargegen eingewendten Exceptionibus, Aufzügen und Hindernissen gaentzlich abgewiesen werden,, sonant verba apud de Meiern *T.* 6. *p.* 505. *& de* Ludolf *in catalogo Priuilegiorum S. R. I. Electorum, Principum & Statuum p.* 97.

Ponamus itaque inter Sueciae Regem, qua ditionum Germanicarum Ducem, vel Principem, & alium v. g. A. C. Statum *super jure examinationis, ordinationis, inuestiturae, visitationis, conuocationis ad synodos, vicarii constitutionis, vt & adhaerentium juri episcopali, vel jure diaecesano, vel jure status & dignitatis, confirmationis, & remotionis pastorum* litem moueri; quis supremorum Imperii dicasteriorum recusabit potestatem? vti Camera in alia simili causa videl. Baden contra Würtenberg mandati de non offendendo S. Cl. non turbando vero C. Cl. 10. Decembr. 1663. recte judicauit; ipsum etiam *petitorium* sibi reseruans. Deckherr *in supremorum Germaniae tribunalium processu informatiuo p.* 28.

Integram, si velis sententiam, Bodinus *in diss. de illicita a Principibus Protestantibus prouocatione in causis ecclesiasticis* §. 21. tibi exhibet eam, cujus hic verba subjicere licebit:

,,In

quoad ecclesiastica aeque ac saecularia jura, *d*) *priuilegium de non appellando*, *e*) concessum audimus. Quae vti negari haud possunt: ita *istud* juris territorialis *in ecclesiasticis* exercitium consensu Imperii *inter partes superioritatis* modo relatum, *eodem*, vel sola jam juris territorialis notione id exigente, cum juris territorialis

P. 288. „Noch dafürhalten, dass Ihnen . . . benommen seyn solle, vor die Aufrecht-Erhaltung ihrer gemeinsamen jurium und Gerechtsamen zu sprechen, zu schreiben, und desfalls Erinnerung zu thun, und zwar nicht *Befehls*- sondern *Vorstellungsweiß*.„

k) Argumentum sit concludendi *analogicum* forte non deerit; ita v. g. sonant formalia *des Schreibens Corporis Euangelicorum zu Regenspurg den 4ten Junii* 1755. *den Dierdorffer Closter-Bau betreffend: Nahmens und auf Befehl deren hœchst- und Hohen Herrn Principalen, Obern und Committenten &c.*

pœna in Assessores officii, juramenti, fidei violatores per leges Imperii dudum statuta. Si ita: noua mox orietur, etiam Cameræ stella polaris, quæ academiis Protestanticis ab anno inde 1719. jam luxit.



Animadversiones Editoris.

Ad §. XVIII. Quemadmodum per totam hanc lucubrationem in colligendis quibusvis monumentis ad materiam illustrandam idoneis plane insignis fuit scriptoris sedulitas atque eruditio, ita quoque utraque emicuit hoc loco, dum integra serie Scriptores Protestantes recenset, qui uno ore systemati collegiali contradixere. Spicilegii solum loco hic adhuc addendus est Celeb. JOANN. JACOBUS MOSER in den Abhandlungen aus dem teutschen Kirchenrecht 1772. N. I. von dem Grund, worauf derer Evangelischen Reichsstände Gerechtsamen in Religions- und Kirchensachen beruhen, ubi data opera atque in specie contra Illust. de SELCHOW demonstrat, sub tempora Reformationis item utriusque pacis tum Religiosae tum Westphalicae de systemate isto collegiali ne cogitatum quidem fuisse: quae quidem ex Actis publicis adducit MOSERUS, pleraque apud Autorem offendes, quare peculiaria tantum quaedam ex eo adducam. Atque ad ea quidem, quae habet de SELCHOW In seiner Juristischen *Biblioth. Tom. 1. p. 499.* quod Status Protestantici aeque ac Catholici superioritatem territorialem ab Imperatore tanquam a fonte obtinuerint, eo vero tempore, quo id factum, Imperatores vix reliquias adhuc quasdam jurisdictionis spiritualis obtinuisse, atque propterea hanc jurisdictionem ab Imperatoribus in Protestantes derivari non potuisse; respondet MOSERUS 1) superioritatem territorialem non descendere ab Imperatore solo, sed Imperatore et Imperio simul, quod quidem recte inquit suo sensu, sed hic difficultatem non tollit: deinde pergit 2) SELCHOWIUM a se ipso refutari, dum postea addat, praerogativas hasce ab Imperatore et Imperio Protestantibus non tam primitus concessas, quam agnitas fuisse, atque a Catholicis id solum promissum, quod Protestantes in sua possessione turbare nolint. 3) Id quod adjiciat de Religione Imperatoris, vi cujus jurisdictionis hujuscemodi plane sit incapax, nimium probare, atque adeo nihil, cum ex principiis Religionis suae Imperator quoque Catholico Episcopo confirmationem tribuere nequeat, id tamen extra controversiam intuitu Praesulum et Abbatissarum Protestanticae Religionis faciat. 4) Ipsis demum Statibus in praejudicium cessurum, quodsi in territoriis suis plus quidpiam hodie exercere juris non queant, quam quod olim Impe-

Imperatores exercuerunt, quod deinde MOSERUS exemplis pluribus allatis illustrat.

Id quod tanto conatu Protestantes de juribus collegialibus hodie urgent, ita de Jure circa sacra in specie convellit. 1) An primaevae Christianorum communitates illa jura exercuerint, quae hodie inter Collegialia a Protestantibus referuntur, circa hoc equidem plura adhuc incerta esse et dubia 2) An ea habiturae fuissent jura, quodsi Principes jam dum eo tempore Religionem Christianam fuissent amplexi, hoc denuo determinari non posse. 3) Quod harum communitatum norma perpetuis temporibus eadem esse debuerit, iterato probari non posse: hoc quidem in suis principiis ait MOSERUS, in Catholicis itidem recte, si ea non intelligas, quae Catholici in hac materia ex ipso Jure divino derivant. 4) Multo minus pergit evinci posse, quod primae in Germania communitates Christianae jura collegialia, atque aliquot seculis ante Reformationem omnium minime exercuerint. Igitur 5) An per Reformationem ad statum primaevum redire debuerint, eo usque ostendi non posse, dum primitus allatae hac in materia difficultates sublatae non fuerint. 6.) An communitates post Reformationem jura ejuscemodi sibi arrogarunt? Respondetur minime. 7.) An in Dominos territoriales haec jura expresse aut explicite transtulerunt? denuo negative. 8.) An saltem tacite fecerunt? non aliter id MOSERO dici posse videtur, atque in eo sensu: quodsi patienter feras, quae agit Dominus, quin de eo quenquam aut in consilium adhibeat, aut ejus consensum exquirat. 9) An demum in sacris superioritas Statuum Protestantium nullis limitibus circumscripta? Quoad conscientiam ait MOSERUS ab iis Deo rationem reddendam, quoad Caesarem et Imperium Leges Imperii violari non posse, atque ubi pacta specialia adsint, haec quoque observanda esse. Porro dein adversus SELCHOWIUM, qui atque adeo indignatur in recensione *Praelectionum Juris Canonici* P. OBERHAUSER *Juristische Bibliotheck Tom. 1. p. 498.* seqq. tum *Oberhausero*, tum Catholicis aliis, quod, uti inquit, systema *Thomasianum* toti Ecclesiae Evangelicae imputent, MOSERUS animadvertit, probari nulla ratione posse, quod tum plerique Principes Protestantes, tum Ecclesiae, tum JCti etiam et Theologi doctrinam eam rejiciant, quod suprema jurisdictio Ecclesiastica ex Jure territorii profluat: imo vero quod Principes atque Ecclesias attineat, ne unicum quidem sibi exemplum perspectum esse: de JCtis ipsum MOSHEMIUM contrarium testari, atque PFAFFIUM dum in seinen academ. Reden über das Kirchenrecht *p. 23.* historiam quodammodo novi systematis Collegialis texat, asserere, quod ante sua tempora aliqui solum pauca quaedam vestigia primum deprehenderint discriminis inter jura Collegialia et Majestatica. Quid nunc demum de tanto conflictu inter viros celeberrimos Protestantium in materia tanti momenti inquias? nil sane, nisi

quod

quod ingenue dicit MOSERUS l. cit. p. 50. ipsas *Institutiones meas Juris Ecclesiastici* allegando, Catholicos parum curaturos, quodsi JCti omnes ab eo principio discedere velint, quod omnes hucusque Status Protestantici asseruerunt, et celeberrimi quique JCti docuerunt, nimirum ut effugia, quae adversus argumenta Catholicorum ex systemate Collegiali aliqui Recentiores captant, vim eorundem dissolvere existiment.

Quam vero rite nova haec systemata Catholici nec curent, nec curare, si velint, possint, vel inde elucet, quod in tanta fluctuatione ne finis quidem illorum quotidie recens procudendorum esse soleat. Sane novum iterum quoddam conflavit 1773. IOHANNES HENRICUS FRICKIUS Professor tum Kielensis in seinen Abhandlungen zu dem *Protestantischen* Kirchenrechte bey Gelegenheit der Streitigkeiten über das *Mecklenburgische* neue Gesangbuch, in quo partim contra alios Protestantes MOSERO adstipulatur, partim vero ab eodem recedit. Distinguit nimirum inter jura *Majestatica*, Jura dein *Episcopalia*, ut ita dicam, *superiora*, quae Dominus territorii, qui ex ipso jure territoriali supremus est Ecclesiae illius, quam profitetur, Episcopus ex ipso hoc jure exercet, et alia *Episcopalia communia*, quae cum fautoribus systematis Collegialis inter Collegialia numerat, et nonnisi ex translatione Ecclesiae Principi competunt: priora vocat Oberbischöffliche, alia Bischöffliche: de illis ita statuit p. 11: Der Landesherr ist, als Landesherr in Ansehung derjenigen Kirche, deren Glaubensbekenntniß er selbst annimt, der oberste Bischoff und übt zur Erhaltung und Verbesserung dieser Kirche eine Concurrenz bey allen der Kirche eigenen Collegialrechten: de posterioribus ita definit: ausserdem sind dem Evangelischen Fürsten gewisse Collegialrechte bey der Reformation von seiner Kirche übertragen. Deinde *pag.* 46. jura Episcopi supremi ita exponit, Dominus territorii tanquam Episcopus supremus Ecclesiae suae I. potestate gaudet necessaria ad bonum Ecclesiae omni, qua licet, ratione procurandum. Quid autem opus ad hanc rem potestate Episcopali, cum idem et possit et debeat tanquam Ecclesiae Advocatus praestare? II. Quoad jura *collegialia* in eundem non translata gaudet supremo jure inspectionis et concursus: atque vi hujus posterioris juxta FRICKIUM non solum obtinet jus Devolutionis, quodsi Ecclesia in exercendis juribus collegialibus est negligentior, aut iisdem non utitur, uti debet; verum etiam, quodsi id bonum vel ipsius Ecclesiae aut Reipublicae exigit, jura haec collegialia Ecclesiae adimere sibique vindicare vel ad tempus certum, quousque id boni publici ratio postulat, vel etiam perpetuo potest. An hoc FRICKII systema aliis denuo Protestantibus sit prae Collegiali rigido arrisurum, tempus dabit. Quid vero nunc evidentius, quam nostris etiam diebus viros Protestantium ce-

leberrimos nequidem inter sese de vero Ecclesiae suae Systemate convenire, atque nunc tria omnino a diversis statui, nimirum *Territoriale* cum MOSERO atque hoc teste ab antiquioribus omnibus, imo et Recentioribus adhuc pluribus, *Collegiale rigidum* cum PFAFFIO, MOSHEMIO, et aliis, *Collegiale moderatum* aut *limitatum* cum FRICKIO? Quid porro ultra luce meridiana clarius, atque Catholicos in controversiis cum Protestantibus circa materias huc spectantes optimo jure missis istis systematis recens excogitatis illis inhaerere principiis, quae Protestantium Majores sub tempora Reformationis, atque utriusque pacis toties, tantaque constantia ipsimet contra Catholicos usurparunt, defenderuntque?

Pauca adhuc quaedam commemoranda sunt, de fundamentis, quibus FRICKIUS Dominum territorii Jurisdictione Ecclesiastica in subditos Religionis alienæ conatur exuere: ab hoc nimirum inquit hujuscemodi Religionis dogmata tanquam falsa haberi, atque ad salutem Reipublicae ita minus accommoda; eundem propterea potius in id incubiturum, ut Religionem ejusmodi in territorio suo plane exscindat: neque eundem bona Conscientia aliquid in ejus commodum agere posse, aut jus concursus quoad jura ejus collegialia exercere; subditos quid libet in tali Principe in causis Religionis in detrimentum Religionis suae suspicaturos, neque existimaturos se sine piaculo ejusdem mandatis in causis Religionem concernentibus obtemperare posse. Principem, qui Rabbinum Judaeis pro lubitu obtrudere, eorum festa ritusque pro arbitrio mutare vellet, ne nomine quidem Principis dignum fore; ita ille. Id nunc exspecto inprimis qua ratione FRICKIUS in principiis hisce suis excusaturus sit Principes Protestantes sub tempus Reformationis haec plane omnia in subditos suos tum adhuc Catholicos sibi tribuentes, nam aut omnes sponte ab avita Religione defecisse illico, aut Reformationem ubicunque ipsis volentibus susceptam fuisse nemini sano rerumque paulisper gnaro persuadebit. Contra sententiam vero Catholicorum Dominis Catholicis jurisdictionem ecclesiasticam in subditos Protestantes ex ipsis Protestantium principiis tribuentium dicta FRICKII nil evincere id unum consideranti illico apricum est, eam nimirum jurisdictionem ita exerceri debere, ut nil adimatur subditis, quidquid circa exercitium Religionis suae ex utraque pace Religiosa praetendere possunt, nil dein, quod ipsorum conscientiae principiisque adversum sit, injungatur. Nimium deinde dicit FRICKIUS, dum ait in Principe alienae Religionis omnia suspecta fore, neque ejus circa Religionem etiam alienam mandatis sine piaculo obsequium praestari posse; nam ut illustri cum exemplo confutem, eccur Catholicis suspecta sint in terris immortali FRIDERICO Borussorum Regi subditis, quidquid ille uti in Silesia nostris diebus in bonum Religionis Catholicae, in restaurandis emendandisque Catholicorum Scholis, atque similibus constituit; ego sane hic a Catholicis bona conscientia Regi suo obse-

obſequium denegari non potuiſſe exiſtimo, adeo a FRICKII mente abſum. Haec atque ſimilia dicta cum tantum faciant ad exacerbandos animos noſtris diebus, ubi veteri barbarie poſita nil magis deſideratur, quam amica inter disjunctos etiam Religione conjunctio talia ab hoc ſcriptore prolata fuiſſe non potui non plurimam mirari.



XV.

ALEXANDRI HAMMER U. J. D.
ejusdemque in Univ. Bambergensi P. O. &c.

DISSERTATIO
DE

JURE PRINCIPIS CATHOLICI CIRCA SACRA.

Bamb. 1744.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

CAPVT I.

PRAELIMINARE
DE
Habitudine, & Statu Imperii Ecclesiastici.

SECTIO I.

DE
Existentia, & Sphaera propria Potestatis Clauium, siue Imperii Externi Ecclesiastici, & Spiritualis.

SECTIO II.

DE
Conflictu Imperiorum Ecclesiastici, & saecularis quoad externa, vbi

I. *De Pontifice Romano abstractiue, siue secundum se considerando.*

II. *De*

II. *De Sede Romana vt Gubernatrice exteriori Ecclesiae Fidelis, quidque Imperio Ecclesiastico, qua tali in Personas, Res, & Jura Laicorum legitimae Facultatis competat, vel non?*

III. *De Majestate politica, quidque eidem in Personas, Res, aut Bona Cleri Juris competat, vel secus?*

CAPVT II.

DE

Jure Principis Catholici circa Sacra Catholica, sive de Aduocatia Ecclesiastica.

MANTISSA

DE

Norma Pacificationum Religiosarum.

CAPVT III.

DE

Jure Augustissimi Imperatoris, & Imperii circa Rem Religionis Germanicam.

SECTIO I.

DE

Imperatoris, & Imperii Nomothesia Religiosa.

SECTIO II.

DE

Augustissimi Imperatoris, ac Imperii Jurisdictione, & Executione circa Rem Religionis Germanicam.

CAPVT IV.

DE

Jure Principis Catholici circa Sacra Augustanae Confessionis.

SECTIO I.

DE

Jure Augustissimi Imperatoris, & Imperii circa Sacra Augustanae Confessionis.

SECTIO II.

DE

Jure Principis Catholici Status Imperii circa Sacra Augustanae Confessionis.

SVBSECTIO I.

DE

Jure Catholici Episcopi Principis, qua Episcopi circa Sacra Augustanae Confessionis.

SVBSECTIO II.

DE

Jure Principis Catholici, qua Status Saecularis circa Sacra Augustanae Confessionis.

CAPUT I.

PRAELIMINARE

De habitudine, et Statu Imperii Ecclesiastici.

SECTIO I.

De Existentia & Sphaera propria Potestatis Clauium, siue Imperii Externi Ecclesiastici, & Spiritualis.

§. I.

Auspicaturus Objectum Dissertationis inauguralis Sectione modo praescripta, Falcem in messem alienam immittere uelle uidebor: Et sane *Systematis Hierarchico-Ecclesiastici* Fundamentalis pertractatio tanquam cum puncto Fidei

Fidei intime conjuncta ad profunda Theologiæ Adyta in multis passibus respicit, hujus autem Disciplinæ Principia præter officium credendi cuilibet Homini Catholico commune mihi incognita, & præprimis a scopo Iuris Candidati qua talis aliena sunt. Verum cum contextus materiæ rem præsentem plane inconsideratam abire non permittat, eademque e Principiis *Iuris Naturalis*, & *Publici Vniuersalis* dilucidanda sit, non dubitaui eatenus me paucis explicare. Itaque

§. II.

Fides certum reddit, Hominem in Orbe positum esse *principaliter* ad Cultum CREATORI SVO exhibendum, operandamque inde Salutem æternam, & *minus principaliter*, *subordinatoque modo* pro Felicitate sua temporali obtinenda. Nolo quidem hic multis inquirere, quosnam sub nomine *Infidelium* proprie uenire oporteat, & an hi ad *Verum* NVMINIS *Cultum ui* compelli possint, uel debeant, aut quousque potius ex aduerso *Conscientiæ Libertas* obtineat? Cum id omne non præsentis, sed Theologici Fori sit; hoc tamen experientia naturali edocemur, Hominem ratione *innati Corruptionis Status* æque parum DEO, quod DEI est, tribuere, si sibi, deprauatoque suo Genio relinquatur, quam parum in ea rerum Conditione Proximi, & Reipublicæ Iuribus satisfacit, adeoque saltem *eum* Hominum *Coetum*, qui *eandem Religionis Formulam* profitentur, & quousque in ea persistunt, istum in finem *Imperio* quodam *externo* egere, sponte sua fluere uidetur.

§. III.

Thesin, quantum scio, nemo negat; sed cui *Imperium* istud *Spirituale*, dictum alias JVS CIRCA SACRA, proprie competat, varie disquiri video. Mihi indubitatum est, curam *Religionis* mere *Naturalis*, quam diu *Status Naturalis* perdurauit, *penes Patres Familiarum segregum* perstitisse, præprimis, quod exsurgentes interim *Ciuitatum*, & *Imperiorum* diuersi *Conditores* Idololatriæ uel Auctores uel Promotores extiterint, nullam ueræ Religioni, VNIVSQVE DEI Cultui gubernationem, aut protectionem impertientes, quin potius aris & focis ei interdicentes. Ad *Legem Mosaicam* quod attinet, *immediatum*, & *proximum* ibidem per omnia *Legislatorem*, & *Gubernatorem* DEVS Solus egit, *Moysis*, & *Prophetarum* nonnisi *internuntio ore* Vsus.

§. IV.

Postquam autem mortificata Lege Veteri *Lux* EVANGELII effulsit, a Politicorum quibusdam, & præsertim hodie a plerisque *A. C. addictis Doctoribus* in eam Sententiam itum est, vt sibi persuadeant, Ecclesiam quamcunque demum non constituere in integralitate sua *distinctam*, separatamque a *Ciuili* Potestate Rempublicam, sed uere esse membrum *subditum Ciuile*, licet reliquis dignius.

gnius. Ast perperam meo quidem Iudicio; ex natura rei enim repugnare arbitror, vt ille Cœtus, qui, & quatenus tendit ad *finem* Nobilissimum, & *simpliciter Vltimum*, subordinetur, & potissimum quidem in uera Linea Imperii & Potestatis, alteri, finem tantummodo *temporalem intermediumque* respicienti. Potius inuerso stilo ab hac ipsa collatione *finium* statuendum autumo, Potestatem Politicam Spirituali, & Ecclesiasticæ *suo modo* saltem, non vero hanc isti in ratione Gubernationis *externa* subordinari; de quo vtroque §. VII. & *reliquis Sectionis sequentis* vlteriora suppeditabuntur.

§. V.

Alii de Statu Ecclesiastico hoc sibi Systema formant, nimirum supremam Vim dispositiuam pro eodem non latitare quidem tanquam partem *subiectiuam*, & *intrinsecam* sub toto integrali *Majestatico*, esse tamen Potestatem quandam *Ciuili* semper, & *indiuisibiliter* ratione *eiusdem subiecti* vnitam, ita, vt, quicunque ista Titulo legitimo gaudeat, hoc ipso *supremus Sacrorum Inspector*, & *Dominus*, ideoque in realitate *Episcopus* existat; id quod olim commune *Protestantium* assertum fuit, quamuis non pauci nomen Episcoporum, uel quasi talium in Principibus suis horruerint, ne, vt aiebant, *Papatum* sapere uiderentur.

§. VI.

Huiuscemodi Doctorum præsuppositum fundamentale est, *Curam externam* Religionis non necessario esse annexam SACERDOTIO. Abstraho hic, An ii in formula Fidei suæ uero Presbyterio gaudeant, uel non, hunc passum rursus Foro Theologico relinquens. Vt igitur ex altera parte uident, Ecclesiam directione externa *Auctoritatiua* indigere, hanc autem e fonte Maiestatis intrinseco profluere immediate non posse, aliud tamen Caput Imperans in consortio hominum præter Superiorem *Territorialem* non superesse, huic, quantum de se est, Regimen Ecclesiæ deferunt, tanquam ex duabus Potestatibus inter se quidem intrinsece diuersis, sed in eodem subiecto insolubili uinculo vnitis totam rei summam directuro.

Prodierunt quidem nouiter *Auctores diuersi e Protestantibus*, quorum nominibus paginam implere, superuacuum duco, Directionem Cultus sui *rem Collegialem* totius Cœtus Fidelis esse asserendo; sed uiderint isti, quomodo Auctoritatem Statuum, & Dominorum suorum Territorialium suo de Directione Ecclesiæ externa conceptu in saluo reponant, aut horum approbationem desuper obtineant. Mihi saltem dubium non est, *Ordines A. C.* Potestatem *externam realiter Directiuam* Ecclesiarum suarum nunquam dimissuros, & *in solo Titulo Dignitatis*, & *Praeminentia* præ subditis suis eiusdem confessionis *sociis* acquieturos esse, quod vltimum tamen horum Doctorum Secta innuere uidetur.

§. VII.

§. VII.

Miſſis his opinionibus omnino affirmo, facultatem Directricem externam in Eccleſiaſticis inter *proprietates ſolius Sacerdotii* eſſe; nam ſicut Diſciplina Moralis pro notoria regula tenet, a *Fine* omnia Negotia humana inſtrui applicabiliter, & determinari, ita & *Finis ſpecialis* Eccleſiæ *Politico* multo prægnantior, eminentiorque requiret ſubiectum imperans in *ſua* & *non alia Linea;* quid enim ipſisſimæ rationi naturali magis congruere poſſit, non circumſpicio. Iam æque in aperto conſiſtit, quod *Sacerdotium* inter omnia Myſteria Nouae Legis ſupremum locum obtineat: igitur huic *priuatiue* adſcribenda uenit *Suprema Poteſtas Clauium*, præprimis, cum rurſus ex Natura rei pulcherrime conueniat, vt iſte Summam rei Spiritualis tractet, qui exercitium potiſſimæ eius partis ex *Inſtitutione Diuina*, & ſic, Juridice loquendo, ex *Jure quæſito* ſibi commiſſum habet.

§. VIII.

Audire mihi quidem uideor, exempla *Pragmatica* CHRISTI tanquam *Fundatoris Legis Noua*, eiusque Apoſtolorum huic Theſi repugnare, quatenus Doctrinam ſuam non exercitio *externo Imperii*, ſed *prædicatione Verbi*, & *mera directione morali* Fidelium formarint, & SALVATORE quidem nominatim Diuino Oraculo ediſſerente, *Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, nec diſcipulis ſuis, ſed *Orbis Poteſtatibus Gladium*, aut Imperium proprium eſſe; & quæ alia in ſubſtantia ſimilia obiici poſſunt. Verum hæc omnia aſſertioni meæ minime officiunt; præterquam enim, quod hujusmodi Textus ad *mere Sacularia*, eaque *deſpotica* illius æui Imperia, Ciuitatesque *Tyrannidi* proximas collineare uideantur, ita relatiue ad Statum *peculiarem* SERVATORIS OPTIMI, illiusque *Epocha* periſtaſin, quæ Poteſtatis *externa* Sacerdotalis ſecundum *Ordinem Melchiſedech* impatiens erat, iuſtam interpretationem admittunt. Eccleſiæ certe naſcenti in Apoſtolis, eorumque immediatis Succeſſoribus non defuiſſe ratione *Status*, & *Muneris Clericalis* Poteſtatem *Directiuam externam* Fidelium, ſed eosdem tantum ab *actuali* illius *Praxi* per Gentiliſmum, graſſantemque eo tempore in Chriſtianos tot perſecutionum rabiem tantiſper ſuſpenſos, adeoque neceſſitate eo adactos fuiſſe, vt quocunque modo poſſibili Fidelibus proſpicerent, argumento luculentiſſimo inſeruit, quod ſubinde conuerſis ad Chriſtianam Fidem Imperatoribus Romanis, quorum initium notorie fecit CONSTANTINVS MAGNVS, Eccleſia illico celebrarit CONCILIA GENERALIA, (quorum *quatuor Prima*, NICÆNVM CONSTANTINOPOLITANVM PRIMVM, EPHESINVM, & CALCHEDONENSE, vtpote ab ipſis *A. C. addictis* agnita exempli loco attuliſſe ſufficiat,) inibique non tantum *Varia Dogmata Fidei* definierit, ſed & *Hierarchiam* Cleri, ac huius *Statum*, *Functiones*, & *Munera* ordinarit, *Mores* Fidelium pio, & *Chriſtiano* ordine collocarit,

locarit, ac demum *Censuras Ecclesiasticas* determinarit, atque inflixerit immorigeris. Vid. præter *Scriptores Ecclesiasticos alios* CABASSVTIVS in *Notitia Ecclesiastica p. 121. seqq.* Quid uero hæc omnia in complexu suo important, nisi Virtutem *Directiuam* Ecclesiæ *externam*?

§. IX.

Demonstrata sufficientissime, vt opinor, sunt fundamenta REIPVBLICÆ CHRISTIANÆ QVA TALIS; hæc uero itidem ductu principiorum connaturalium *Caput quoddam Visibile*, *Ordinarium*, & *Permanens* exposcunt; nam DEVS modernum Statum Gratiæ, ejusque objecta externa singula non dirigit *immediate*, quo pacto Populum Judaicum olim rexit, *Synagogam* ejusdem sua *solius proxima* Potestate gubernans, Prophetarum operam annunciatiuam Voluntatis Diuinæ tantum pro *Instrumento* adhibens. Deinde communitas Fidelium *Visibilis* est & *externe*, adeoque pariter *Visibiliter* gubernanda; quod certo non ab alio, quam Visibili Capite proficisci potest; cum Gubernationem subjecto gubernando accommodatam esse oporteat.

§. X.

Distinctius jam per partes suas *Regimen* Ecclesiæ contemplari juuabit, vnde per se *differentia* ejusdem a *Potestate Ciuili* elucescent. Itaque *Religio*, totumque ei cohærens Systema Ecclesiæ externum *Auctorem* agnoscit CHRISTVM. E diuerso *Politia* uel *Voluntati* hominum sui Juris existentium, & in eandem societatem ciuilem vltro coëuntium, uel *Coactioni Bellicæ*, dum populus a potentiore perdomitus cum uictrice gente in vnam Ciuitatem coalescit, suam originem debet. *Subjectum actiuum* Regiminis Ecclesiastici, si *Corpus integrum* respicias, SVMMVS PONTIFEX *cum*, uel *sine Concilio Generali*, et quoad *Ecclesias*, & Communitates *particulares*, *subordinatoque modo* reliquus PRÆSVLVM ECCLESIASTICORVM exercendae pro foro externo Jurisdictionis spiritualis participum Chorus exhibent. Ita præprimis intuitu Summi Pontificis sentit obsequioso Fidei ore Germania Catholica, in medio relinquens, qua ratione alii *Auctoritatem Concilii supra Papam*, & ejus generis periculosa principia adstruentes, assertiones suas a nota Temeritatis purgent; quam Thesin in praesenti nulla ex parte meam facio.

§. XI.

Subjectum passiuum Hierarchiæ Ecclesiasticæ *integer Clerus* diuersissimi generis, qui & quatenus in vsu potestatis externæ spiritualis non est ipse constitutus, cum reliqua *Communitate Fideli* efformat, hoc tamen Clerum inter, & dictam Communitatem intercedente discrimine, quod hac pro *diuersitate Finium*, influen-

tium-

tiumque eo *obiectorum* membrum *subditum* repræsentet *Vtriusque Reipublicæ*, *ille* uero tam intuitu *Muneris Sacri*, quam etiam quoad *Actiones*, & *Jura Personalia* nonnisi sub qualitate *Ciuis Ecclesiastici*, vt ita loquar, ueniat, *Imperio Ciuili* regulariter (ratione rei rursus ex *fine* dicti Clericatus oriunda) *minime* subjectus, nisi quousque ad plenam emolumentorum Ciuilium perceptionem indistinctim adspirat; de quo inferius.

§. XII.

Transeo ad *Obiectum immediatum Potestatis Clauium:* & eatenus hæc summatim uersatur circa *Dogmata Fidei* declaranda, circa *Cultum Diuinum*, ac *Disciplinam moralem* Fidelium, quatenus specialiori ratione ad obiecta modo expressa, & obtinendam salutem ordinatur; & demum circa *Constitutionem*, *Iura*, *Functiones*, & *Obligationes* Personarum, rerumque Ecclesiasticarum, earumque *Possessiones* Temporales. Quod ad *Formam* attinet, exercetur Imperium spirituale ad similitudinem Imperii Ciuilis per *Publicas Generales Ordinationes*, harum ad *facta* in occurrentibus casibus peragenda *applicatione*, & *executione* spirituali.

§. XIII.

Et hoc est *proprium* Ius circa Sacra *intrinsecum*, & *directiuum*, recte describendum, quod sit *Potestas Ordinaria circa totum Complexum Religionis Mandata, Ordinationes, Legesque Vniuersales promulgandi, hasque medio Iudiciorum propriorum applicandi, ac demum subsidiis executiuis Systemati Ecclesiastico congruentibus* (quo numero pœnæ Ecclesiasticæ uarii generis ueniunt) *ad effectum deducendi, & in summa ea omnia disponendi, quacunque proxima, & realis Ecclesiæ Necessitas, Vtilitasque exposcere uidebitur.* Cum uero ex una parte non Vniformis sit omnibus de Potestate Clauium, & Maiestate Ciuili, ac vtriusque Vi, & Virtute conceptus, & ex altera Iurisdictio Spiritualis Politicam, & hæc istam sæpius proxime contingat; hinc non potuit non multoties inter *Sacerdotium*, & *Imperium confusio Finium* oriri. Quæ uero negotia proximam *Conflictus* ansam eatenus uel iam dederint, uel præbere deinceps possint, sequens Sectio declarabit.

SECTIO II.

De Conflictu Imperiorum Ecclesiastici, & Sæcularis quoad externa.

§. I.

Præsens Tractatio tres partes in se complectitur; *prima* de Sede Romana, eiusque Capite Summo Pontifice abstractim considerando, *altera* de eodem ut Gubernatore Externo totius Ecclesiæ, quidque sub hoc respectu in personas, bona, & Iura Sæcularium facultatis legitimæ possideat uel non? & *tertia* de

Imperio Politico, quidque sub huius sphæræ iusto, & inculpabili exercitio Rectores Rerumpublicarum Temporalium in Systema Hierarchiæ Ecclesiasticæ statuere ualeant, uel secus? e fontibus genuinis Iurisprudentiæ Publicæ Vniuersalis discurret.

De Pontifice Romano abstractiue, siue secundum se considerando.

§. II.

Statuere reperio *A. C. Doctores*, & forte nonnullos alios, *Constitutionem* Pontificum olim saltem *Majestati Cæsareæ* appertinuisse, & ex hoc fonte Potestatis emanasse. Proferunt in hunc finem exempla perplura Imperatorum Germanicorum Pontifices constituentium, & deponentium; PFEFFINGER. VITR. ILLVSTR. *Lib. 1. Tit. 15. §. 22. p. 1367. seqq.* Judicani pariter, sibi, suæque opinioni suffragari *Conuentionem* inter OTTONEM I. MAGNVM, & PAPAM LEONEM VIII. initam, ui cujus illi, ejusque Successoribus ORDINANDÆ SEDIS ROMANÆ POTESTAS adscripta fuerit; *Idem* PFEFFING. *L. 1. Tit. 2. p. 62. sqq.* Sed re ipsa labili fundamento intentionem suam superstruunt; permissa enim plena Veritate exemplorum allatorum quoad factum ipsum, de quo passu mihi nihil discutiendum sumo, illa vt plurimum enata fuere ex *Controuersiis*, atque *Dissidiis* Sedem Romanam inter, & Cæsares sæpe numero subortis, vt proinde *Jus* aliquod inde resultare nequeat; aut si extra hanc causam originalem euenere, contigerunt profecto omnia iis *rerum, temporumque Circumstantiis*, quibus Ecclesia in suo Systemate practico, & proxime applicabili Imperii externi hinc inde *turbata* fuerat, emergentibus quippe Creationum Pontificiarum casibus malo *Schismatum* domestico uel jam inuoluta, uel præsentissimo hujus calamitatis periculo exposita; prout hæc omnia locis prius allegatis abunde comprobantur. Neque plus euincit decantatum adeo *Pactum Leonino-Ottonianum*; ponamus enim rursus, istud in tenore suo, quo a GRATIANO *in Can. 23. Dist. 63.* exhibetur, vnquam in rerum natura extitisse, quod tamen *Grauissimi DD.* in dubium uocant, & *Canonem cit.* cum BARONIO *Tom. IX. Annal. ad An. 774. §. XIII.* &c., ac GRETSERO *in Apologia* pro BARONIO *Cap. 1.* & *18.* sublestæ fidei, atque *Supposititium* censent; idque certum uidetur *Celeberr.* P. FRANCISCO PAGI *Breuiar. Gestorum Pontific. Romanor. Tom. II. p. 230. N. 6.* ibi: „In *Leonis VIII.* pseu„do-synodo Romana edita fertur Constitutio, qua *Ottoni* Imperatori, ejusque „Successoribus concessa est in perpetuum facultas eligendi Romanum Pontificem, „& inuestituras Episcopis tribuendi. Hanc Constitutionem GOLDASTVS *Tom. I.* „*Constit. Imperial.* ex GRATIANO *Distinct. 63. Cap. 23.*, THEODORICO NIEMO, „& aliis refert, pluribusque defendit. Imo MARCA *Lib. 8. de C. S. & I. Cap.*

„12.

„12. & 29. a *Leone VIII.* datam fuisse contendit. Verum BARONII argumentis non respondet, quorum primum petitur a falsitate similis Concessionis ab „*Hadriano I. Carolo Magno* factæ, et in prætensa *Leonis VIII.* Constitutione memoratæ, quasi uere eam *Hadrianus* emisisset; cum ergo hujus falsitatem ex ipso-„met MARCA in *Hadriano* ostenderimus, BARONII argumenta aduersus *Leo-* „*ninam* nobis non possunt non probari. Quoad exemplar ejusdem Constitutionis „*Leonis VIII.* a THEODORICO NIEMO, qui circa *Annum MCCCX.* vixit, re-„latum, illud ab imperito quodam Schismatico circa Sæculi X. finem excogita-„tum esse, multis probat *Annotator* BARONII, quæ apud ipsum legi possunt; „pudet enim in refutatione tam *putidi Figmenti* immorari „ Demus, inquam, iterum iterumque, *Leoninam* Constitutionem ita reuera editam fuisse; & quid arguit, nisi *morbum Antipapatus*, & tristissimam eo tempore Ecclesiæ Romanæ conditionem? Vt adeo Imperatores non *proprio Majestatis*, sed *Jure Protectionis Extraordinario*, ac *Temporario* in hujusmodi Circumstantiis vsi fuerint.

§. III.

Verum aliter hæc omnia se habent, postquam tam *Canone*, quam *Vsu* Creatio Pontificum a *solo Clero*, eoque *Primario* Ecclesiæ totius, nempe *Cardinalitio*, peragitur; quocirca integrum discursum *§. præcedentis* inter Historicas speculationes *medii aui* referendum judicabis. Sed turbat circulum aliquatenus *Jus famosum si. dicta Exclusiua Papalis*, fœtús, quem temporum non ita remotorum *Ratio Status* parturiuisse videtur; describi effectiue potest, quod sit *Actus, quo a Cardinalibus Protectoribus Nationum Publice in ipso Conclaui hoc, istudue subjectum Electionis passiuæ incapax edicitur, addita declaratione, in Casu Creationis contra facta, illud a Principalibus suis non iri agnitum.* Exercent hunc actum vt plurimum CÆSARES, non tamen ex *Jure Cæsareo antiquo* proprie sic dicti Imperii in Vrbem Romam, & Pontificem, tanquam residuum quoddam, vt quidem nouissime sibi persuasit CLARISS. ESTOR. *in Dissert. de Jur. Exclusiu. Papal.*, qui proinde prærogatiuam hanc *Soli Cæsari*, amotis de Jure, vt ait, *reliquis Statibus Catholicis*, assignauit; sed quid de *Reliquiis Juris* vel verbo mentionem injicere juuat, vbi *Jus ipsum* vel *nunquam* extitit, vel omnino *Vsu contrario* ab iis, quorum ex supposito interest, *tacite* approbato dudum sublatum est? Alia igitur circumspicienda origo, quæ assignari alia nequit, quam *Naturalis Defensio*, qua quis in tempore se præmunire intendit aduersus *Præjuditia* sibi ab hoc, istoue Pontifice futuro verisimiliter imminentia; sed an is ipse titulus *firmæ basi Juris* innitatur, id ipsum est, quod sub criticam disquisitionem cadit.

§. IV.

Affirmandi momenta esse possunt, *Defensionem sui*, *Juriumque suorum* esse

Juris naturæ, quo licitum sit, damna, & incommoda non *præsentia* tantum, sed & verisimiliter *futura* a se auertere; suadere etiam sanam *rationem status, in Via* amoliri id, quod in *Termino* vel nullo amplius, vel difficillimo certe negotio amouibile existit; ita quidem *Politicorum* schola ratiocinabitur; secus vero sentiunt *Canones*; nimirum

I.) Principium adeo *illimitatum Defensionis Naturalis* ne quidem inter *Gentes qua tales* justo modo obtinere, sed omnino ad qualitatem *Inculpatæ Tutelæ* prærequiri *damna* vel *existentia*, vel verisimilitudine moraliter certa, pensatis rite circumstantiis, *imminentia*, ne alias, si dicta *Defensio Naturalis* non *proprios*, sed *arbitrarios* tantum *Terminos* habere permittatur, proxima præbeatur ansa *diffidentiæ perpetuæ* inter Gentes, & *Status* HOBBESIANI, siue *Belli omnium in omnes* infelix problema resuscitetur.

II.) Sæpe memoratam *Defensionem Naturalem* in objecto præsentis quæstionis carere *supposito*; ex natura sua enim eam applicari non posse, nisi inter *æquales*; in præsenti autem agi de *creando Capite* Ecclesiæ, & in ordine ad hoc Potestates Catholicas non habere se in linea *æqualitatis*, sed *veræ subjectionis*; ac licet SEDES ROMANA *Principatu* etiam *Sæculari* præfulgeat, subque eo respectu *Commercii Gentium* sit compos, quod subjectionem non norit; hanc tamen qualitatem accessoriam tantum esse isti alteri PASTORIS SUPREMI *totius Ecclesiæ*; quam idcirco principaliter in considerationem venire oporteat; Hoc intuitu igitur

III.) Omnino, & eo magis obligari Status Catholicos, vt *plenissimum Electionis Vsum* relinquant iis, (*Cardinales* intelligo,) quibus *Lege Ecclesiastica Vniuersali*, adeoque vbique regulariter *Obligatoria* attributa sit.

IV.) Quod hæc ipsa Constitutio Ecclesiæ manifestissimis rationibus instructa sit, cum aptissime conueniat, *Caput Supremum*, & *Principale Cleri imperturbate* eligi a *Clero*, & quidem *illo*, cui intimæ rationes Ecclesiæ *quotidiano Vsu* exploratissimæ sunt, & patescunt; vbi contra *immixtio Principum Sæcularium* hujusmodi *Electiones Canonicas* cum *detrimento* Ecclesiæ sæpe in *longum* Temporis *spatium* protrahit, imo vero proximam *Schismatis* occasionem pro diuersis circumstantiis suppeditare potest; vt adeo publicis *Ecclesiæ Vniuersalis* rationibus merito cedere debeat *interesse particulare* vnius, alteriusue Principis, vt vt ex supposito certum, & liquidum. Pro qua Parte interim firmiora pugnent argumenta, Lector judicet.

§. V.

In contemplatione abstractiua Sedis Romanæ, Summorumque Pontificum vlterior occurrit quæstio: *An ii in propugnationem Possesionum suarum, Juriumque mere*

mere Temporalium aduersus Potestates Supremas Catholicas cum effectu vti queant gladio pure spirituali Excommunicationis? Res ancipitem Dubitationis aleam vel ineunte *hoc Saeculo* subiit, & magnis animorum motibus agitata fuit; prout *obuia* passim *Historia* luculentissimo Testimonio adstipulatur. *Scripta Amoebea*, quae tunc temporis prodiere, exhibet FABRI Staats-Canzley *Tom. XIII. C. XVI. N. 1. 2. 3.* &c.

§. VI.

Politicus quaestionem in partem *Negatiuam* resoluit, eoquod Papa relatiue ad latifundia sua *Temporalia* ornatus sit *Vera Majestate Temporali*, constituat in *Corpore Politico Gentium Notabile* Membrum, gaudeatque harum Juribus tam *actiue*, quam *passiue*, a quibus vero Juribus *Ecclesiastica Censura* aliena sit, minimeque in istam classem pertinens. Et videntur principia hujusmodi omnino euincere suum intentum in *Casu*, quo Pontificum vnus, alterue *Jus Belli Actiuum* exercet; hoc ipso facto enim se quoque *offensioni* alterius Potentiae exponit. Ast haec *Circumstantia* extra *Statum* nostrae *quaestionis* versatur, *hoc supposito* innixum, quod pontifex *primo hostiliter* non agat.

§. VII.

Et in his demum genuinis Quaestionis terminis *Assertor Immunitatis Ecclesiasticae* Politico refragatur, neruum probandi ita instruendo: Pontifex ordinarie *Arma Temporalia* nulli Principum Catholicorum intentat, sed vt plurimum potius gerit *Mediatorem Pacis* quasi *vi Officii* talem, subque hac qualitate ab Orbe Catholico hodie suspicitur; Quodsi igitur *Vim sibi illatam* Vi sufficienter aptata, Jure Naturali permittente, repellere nequeat, eo iustius ad *Arma Spiritualia* in *subsidium* confugit, siquidem haec pro *manutenendo* Vniuersali Systemate Ecclesiae, ad quod *Possessiones Temporales* pro moderna rerum, temporumque peristasi *indispensabiliter* pertinent, ex necessitate rei comparata, Ecclesiaeque propria sunt; *Idem* FABR. *C. 16. N. 1. 2.* Interim hoc forte non adeo controuersum est, *Censuram quaestionis* etiam fundatam non ferri a Pontifice vt *superiore* vel *Judice* in *subditum*, & per *modum Sententiae*, sed vt a *Principe aequali* in *aequalem*, & per modum *remedii Defensionalis*; ideoque effectum suum tantum obtinebit *dependenter a Conscientia* Censurati, vti alia omnia, quae inter *Gentes qua tales* geruntur; Sed porro *incidenter* quaeres: *An non Censuratus quaestionis saltem in foro externo teneatur se talem gerere, licet forte in foro poli de Justitia Causa sua certum se reputet?*

Affirmabit *Canonista* ratione *vitandi scandali*; contrarium sibi rursus persuadebit *Politicus*, quod tali ratione absque vlteriori opera adhibita se quis victum contra *Stilum*, *Moresque* Gentium ipso facto profiteretur. Ego *incidentem* hanc

hanc æque minus, ac *Principalem* quæstionem resoluere ausim, contentus denuo, vtriusque partis Argumenta in medium attulisse.

De Sede Romana vt Gubernatrice exteriori Ecclesiæ Fidelis, quidque Imperio Ecclesiastico qua tali in Personas, Res, & Jura Laicorum Legitimæ Facultatis competat vel non?

§. VIII.

Majestas Imperio Ecclesiastico quoad *Dignitatem* indubie cedit; quoad *Potestatem* autem *vtriusque Summam*, & *Ordinariam* vna alteram vt *parem*, & *aequalem* respicit; cum Majestas in sua sphæra *æque* sit *suprema*, ac Ecclesia in suo ordine. At *extra ordinem*, & vbi subingreditur *proxima* & *realis necessitas* Ecclesiæ, Potestati Clauium Majestatem *subordinatam* existere in *vero genere subjectionis*, me conuincit *Finis* vtriusque Reipublicæ; nam sicut inspecta intentione creationis sublunaris *Temporalitas* cujuslibet Ciuis, adeoque & altera Majestatis, vtpote cum illa in effectu coincidens, *principaliter*, & *vltimato* est propter *Finem Spiritualem*, & *profluum inde* Imperium Ecclesiasticum, ita profecto Ecclesiæ in Casibus, quibus Causa Publica ejusdem pro consecutione Finis sibi præstituti ita exigit, *Vis obligandi* Ciuitatem Politicam superesse debebit; in quo ipso *infallibilis Nota*, *Tesseraque subordinationis moralis* latet.

§. IX.

Verum quemadmodum in Ciuitate, non obstante, quod Princeps *intentionem fundatam* pro *Imperio Vniversali* teneat, ratione *actualis applicationis* ejusdem, qua se subditi persæpe *vltra Officium Regium* grauatos conqueruntur, non vna inter *Caput Ciuile*, & *membra* exoritur Ciuilis *Dissensio*; sic olim inter *Nationes reliquas* præprimis GERMANICA in puncto *Collationum Beneficialium*, *Annatarum*, *Jurium Pallii*, *similiumque Grauaminum* cum Sede Romana conflictata fuit.[1] Historiam rei sistit PFEFFINGER. *cit. Lib. 1. Tit. 15. §. 23. p. 1396. sqq.*, in cujus tamen euolutione *Cautela Catholica* vti commendanda omnino, ita sedulo, circumspecteque est adhibenda vbique. Grauamina ipsa per NOMINATISSIMA GERMANIÆ CONCORDATA in substantia sublata sunt. Id autem passim sciscitari solent: *An memorata Concordata Originitus Vim meri Priuilegii Papalis, vel potius proprii Pacti consecuta sint, adeoque eam & deinceps conformiter Principiis Naturalibus Pactorum retinere debeant?* Et posterius omnino statuendum venit.

§. X.

Nam I.) Sedes Pontificia quidem in *Exercitio* Imperii Ecclesiastici *fundata inten-*

intentione gaudet; sed vbi in particulari contra illud *iusta Grauamina* obtenduntur, quæ certe Germanis non defuisse uidentur; in hac, inquam, hypothesi securæ *Collisionis iustæ* inter Ecclesiam, & eius Membra, *nexus* Imperii Ecclesiastici in tantum *laxatur*, vt ea, quæ deinceps pro *sopiendis Controuersiis* vtrinque aguntur, censeantur, saltem quoad *præsens negotium inter pares* geri, *cessante* tantisper *Vinculo Imperantium*, & *Parentium*. Necessario igitur *Vnio Voluntatum e præuiis illis Tractatibus pacificis resultans* non pro *Actu Imperii*, siue *proprio Priuilegio*, *similiue Ordinatione*, sed pro *mero Pacto* habenda est. Ducta *paritas a Republica Ciuili* in simili casu cum Ciuibus suis conueniente rem optime illustrat.

II.) *Copiæ* Concordatorum *tam Sedis Romanæ*, *quam Germaniæ Nomine* passim *subscriptæ* leguntur, SCHMAVS. *Corp. Iur. Publ. Acad. p. 84*. De *simili subnotatione ipsius Originalis* æque minus dubium prudens superesse potest illi, cui *totum rei gestæ contextum* rite ponderare placet. Iam uero quis non uidet, *experientiæ*, & *principiis Diplomaticis* manifeste refragari, Priuilegium, aut Gratiam Superioris *in scripto* impertitam ab *ipso Priuilegiato* subscribi? Vt adeo *appositio manus vtrinque facta* indubio argumento sit, præscripta *in uim ueri Pacti* ualere. Quæ assertio vtique procedit, vbi Nationem Germanicam *in Corpore*, siue *collectiue*, vt aiunt, *acceptam* nobis repræsentamus. Quodsi enim *singula* eius *membra diuisim* considerentur, Concordata *Constitutionis*, uel *Sanctionis*, aut *Legis vniuersaliter obligantis* indolem æque sortiuntur, ac *Capitulationes Cæsareæ*, quæ, licet quoad primigeniam constitutionem *inæqualis Pacti* rationem habeant, *Nomotheticam* tamen *Naturam* cum reliquis Imperii Sanctionibus æqualem participant.

§. XI.

Quum itaque *genuinam* Pactorum, seu Conuentionum *Naturam*, atque *Indolem* Concordata Germaniæ sortiantur omnino, consequens est, vt illa ABSQUE MVTVO VTRIVSQVE PARTIS CONSENSV

I.) Quoad *sensus dubios* nec *Interpretationem Authenticam*, nec

II.) *Derogationem* aliquid abolendo, *Subrogationem* aliquid adiiciendo, & *Abrogationem* aliquid mutando; nec

III.) *Abrogationem* Conuenta penitus tollendo, admittere queant; quod enim ab initio in Vim *formatæ Conuentionis* euasit, in hac qualitate etiam conseruari debet; vt proinde *Ecclesiæ Imperium qua tale* hic non amplius obtineat locum, cum res *primitus*, & *in sui constitutione* ex *eo fonte* non profluxerit. Vnde colligere pronum est, quare hinc inde successu temporis succreuerint *tot Grauamina* CAPITVLORVM METROPOLITANORVM, & CATHEDRALIVM Germaniæ,

conquerentium, *Concordata* æque, ac *Statuta sua*, & *Obseruantias Capitulares* ex *arbitrio* negligi. Exempla nostræ ætatis refert FABRI Staats-Canzley *Tom. II. Fasc. I. a N. 1. vsque ad 9. inclus. Tom. IV. C. 4. Fasc. 2. Tom. IX. C. XI. N. 2.*

§. XII.

Succedit disquisitio de *Objectis sæcularibus* Fidelium, quidque in iis *Imperio Ecclesiastico qua tali* Juris competat, vel non? Vbi prima quæstio se offert: *An Ecclesia Clero Curato fundum sustentationis, Decimas intelligo, e bonis Laicorum assignare possit? Canonistarum* argumenta *affirmatiua* hæc sunt, nimirum jam in *Lege Veteri Decimas Leuitis* ab ipso DEO destinatas fuisse, quam *Sanctionem Diuinam Veterem* Ecclesia eo magis pro *Clero suo Curato resuscitare*, vel potius *retinere* potuerit, quod *ipsa qua talis* sustentationem stabilem præbere nequeat; Ex aduerso autem Largitiones, Fundationesque Fidelium tam *incertæ* sint, quam *certo* quotidianis Cleri Spiritualibus Officiis opus est; igitur eatenus Ecclesiam merito *Vi Imperii Ecclesiastici Vniuersalis Victum* e bonis Laicorum *perpetua Lege* assignare potuisse, quod præterea *manifesta Æquitas Naturalis* suadeat, *Clero Alimenta stabiliter* præstari ab iis, quibus ipse *Sacra* quotidie administrat.

§. XIII.

Ac in bonis quidem *fertilibus* & ab *antiquo cultis* Membra Ecclesiæ Curata intentionem suam plerumque *etiam possessione munitam* habent; si modo *Decimas* ex *Concessione* Summi Pontificis, aut *Priuilegio Saeculo datas* excipis; idquod etiam de *Decimis Noualium* statuendum videtur, vt & in iis *Clerus Curatus* saltem aduersus *Decimatorem Vniuersalem loci*, qui ejusdem secum *Curatæ Conditionis Ecclesiasticæ non* est, vti & contra *Possessores fundorum ipsos Libertatem Naturalem* aduersus *Decimabilitatem* generaliter obmouentes fundatus existat; cum tam pro *Decimis Noualium*, quam pro *reliquis* plena *rationis identitas* militet. De cætero argumenta *Procuratorum Fisci Principalis Decimas Noualium suis Principalibus e Capite Territorii vindicantium* suo loco, crisique ob paginarum angustiam merito relinquo.

§. XIV.

Etiam ratione *Delictorum* a Laicis commissorum *Diœceses*, & *Territoria* quandoque conflictari videmus. Sunt vero *delicta*, de quibus hic sermo, *triplicis* potissimum *generis*, *pure Ciuilia*, *pure Ecclesiastica*, & *Mixta*; *Prima* sunt, quæ *immediate* offendunt *solam Ciuitatem*, quo inter reliqua pertinet *Crimen læsæ Majestatis in genere*, & *specie*: *Altera species Statum Ecclesiæ proxime violat*, u. g. *Simonia*, *Apostasia* &c. Adeantur *Canonistæ loc. congr. Mixtorum Criminum* classi accensentur, quæ contra *Officia Hominis erga DEUM*, *erga se ipsum*, & *alios*

alios peccant, ideoque propter *immediatam Transgressionem Legis Naturalis* in vtramque Rempublicam *aequaliter* impingunt.

§. XV.

Sicut delicta *primi generis* ad Cognitionem, & Animaduersionem *Judicis Saecularis priuatiue* spectant, ita illa *secundae* & *tertiae speciei*, quatenus *criminaliter* in *foro Saeculari punibilia* sunt, huic ab Ecclesia merito relinquuntur, & eatenus res omnis satis expedita videtur. Reliqua vero delicta *mixtae classis*, praeprimis quae *sextum praeceptum Decalogi principaliter*, vel *reductiue* concernunt, quo numero sunt *Adulteria simplicia*, & *prima* in locis, vbi *Criminali poena* non afficiuntur, *Fornicationes simplices*, & huic connexus *Punctus Alimentationis* prolium illegitimarum, & similia, *non* adeo *certae* semper *Jurisdictionis* respectu *Judicum Ecclesiasticorum*, & *Saecularium* habentur. In regula quidem *praeuentionem* obtinere recte dixeris, cum eo ipso, quod *mixta* sint, vtriusque Reipublicae *Judicium peraeque* fundent. Sed in *Hypothesi Obseruantia*, & *Statuta locorum* persaepe *Exceptionem* faciunt, quae idcirco optime in subsidium illustrandae rei praesentis assumuntur.

De Majestate Politica, quidque eidem in Personas, Res, aut Bona Cleri Juris competat, vel secus?

§. XVI.

Principaliter hic sese considerandum offert CLERVS PRIMARIVS Imperii nostri Romano-Germanici, quo nomine *Principes*, atque *Status Ecclesiasticos* denotamus. Circa horum, praecipue *Archi & Episcoporum*, constitutionem lis ingens, teste Historia *Saeculi XI.*, efferuescere coepit inter S. GREGORIVM VII. *Summum Pontificem*, & HEINRICVM IV., vtroque illam sibi vindicante. Sustulerunt dissidium vtriusque Successores CALLISTVS II., & HEINRICVS V mediante *Famosa Transactione Wormatiae Anno MCXXII.* inita, vi cujus *Electio* dictorum Praesulum *Ecclesiae* relicta, vel *potius reddita*, *largitio* vero *Feudalis Regalium* peragenda *Signo Sceptri* Majestati Caesareae asserta est; Euolu. SCHMAVS. *Corp. Jur. Publ. Academ.* p. 1. *sqq.*

§. XVII.

Verum, cum quidem vigore dictae TRANSACTIONIS CALLISTINO HEINRICIANAE *Pedum*, & *Gladius* in Ecclesia Germanica ad *Originarios* vtrinque *Fontes* redierint, nec tamen *diserte* expressum fuerit, *vtrum Praesules Germani prius ab Ecclesia Episcopi*, *vel contra a Caesaribus omnium primo Principes Imperii formandi sint*? ambigua forte nonnullis quaestio videbitur: *An non in hoc negotio prae-*

rogatiua Cæsareæ Majestati debeatur? Cum præsertim Imperatorem *paciscentem sibi; suisque Successoribus Inuestituram Regalium per Sceptrum*, quæ dimissæ priori per *baculum* & *annulum* successit, hodieque, *eodem ritu* intuitu Principum & Ecclesiasticorum, & Sæcularium *per Gladium Imperialem* peragi solita laudatos Antistites *in esse Principum*, aut *Statuum Imperii* vel *formas* primitus, si *noua* sit, vel ciuiliter *confirmat* in ea qualitate, si *renouata*, *præcipuo quodam modo* reseruasse, non pauci arbitrentur.

§. XVIII.

Et profecto dubium hoc *Decisionem luculentam e Tabulis Pacti Wormatiensis* haurire nequit; at postquam Episcopi *solenniori forma* & *stabiliter* a Curia Romana cœperunt *confirmari*, eaque super re diserte in *Concordatis Germaniæ* cautum est, SCHMAVS. *Alleg. Corp. Jur. Publ. Acad. p. 80.*; res dubio caret, cum altefati Præsules *primo* a Sede Apostolica in *qualitate Episcopali*, & *deinceps* ab Imperatore *in esse Principum* determinentur Hinc *ante Tempora Pacis Osnabrugensis Episcopi A. C.* ex eo potissimum Capite, quod *Confirmationem Papalem* non obtinuissent, a Catholicis *etiam quoad effectus politicos* sub ea qualitate non sunt agniti; OBRECHT. *ad I. P. O. Art. V. §. 21.* Praxis id etiam ostendit quotidiana, siquidem Confirmationem Papalem *prius*, quam Inuestituram Cæsaream, *nec refragante Aula Imperiali, dato casu* expetere assolent. Imo memorata Inuestitura ipsis non confertur, donec *Originale Confirmationis Pontificiæ* exhibuerint; MOSER *ad Ord. Judic. Imperial. Aul. P. 3. p. 523.* Minime obstat dictis, reperiri interdum in *Comitiis*, & in *reliquis Functionibus Publicis*, atque *Expeditionibus Negotiorum Imperii* Archi & Episcopos *adhuc mere electos*; VITRIAR. *Instit. Jur. Publ. Rom. Germ. Lib. 4. Tit. 1. §. 19.* Namque

I.) Hæc *extra ordinem* contingunt eodem modo, quo subinde *Principes*, & *Status Sæculares etiam necdum inuestiti de Regalibus* inter *Comitialiter deliberantes* comparent. *Confer. cit. Auct. loc. Alleg. §. 22.* Ex neutra autem parte propterea *Regula* conficitur.

II.) Eo Tempore, quo illa *Coadministratio* Negotiorum Imperialium ab Archi- vel Episcopo, similiue Persona Ecclesiastica mere adhuc electa exercetur, *æque parum* adest *Inuestitura Cæsarea*, *quam certo Confirmatio Papalis* deficit. Versantur igitur exempla ejus generis extra *Terminos nostræ quæstionis* eo tendentes: *An Persona Ecclesiastica mentionis de Juribus Regalibus a Cæsare legitime inuestiatur, etiam necdum a Pontifice confirmata?*

III.) Casus obmoti tantum habent locum in *Electionibus Canonice factis*, nulloque *saltem sensibili defectu* laborantibus, & quæ proinde Confirmationem Papalem *in Ventre*, quæ *Pragmaticorum phrasis* est, jam gerunt. Saltem Imperium

rium non admittet electum Clericum intra *Gremium suum*, nisi prius de *Authentia Electionis suo modo* certius redditum fuerit.

§. XIX.

Istud vero quæstione dignum est: *An non saltem extra Ordinem Imperatores adhuc hodie possint Auctoritatem suam Electionibus Præsulum Majorum Imperii interponere, ac explicite etiam Vi Majestatis ab Electione passiua impedire subjectum, quod judicant Reipublicæ nociuum fore?* Repræsentat Casum rei satis memorabilem FABRI Staats-Canzley *Tom. XI. C. 13.*, qui concernit negotium *Electionis Episcopalis Monasterii Anno 1706.* peractæ, vbi gloriosissime defunctus Imperator D. JOSEPHUS *Episcopo Paderbornensi*, etsi *per majora* electo, in *publica Conferentia Capitulari Exclusiuam* cum comminatione dederat, se tam *Confirmationem Electionis Romæ* impediturum, quam eidem etiam denegaturum esse *Inuestituram* Regalium; *Alleg. loc. N. 2. 3. 4.* Quam ob causam deinde a *Rege Prussiæ* qua *Commembro Circuli Westphalici*, & *a Statibus Generalibus fœderati Belgii*, nec non ab *ipso Electo* Varia pro *Libertate* Electionis de- & remonstrata fuisse nouimus.

§. XX.

Quoad rem ipsam quæstionis discordant *Canonistarum*, & *Politicorum* principia, hi in partes *affirmatiuas* propendent, dum propugnant

I.) Non pertinere inter *Casus Metaphysicos*, eligi posse a *Gremiis Capitularibus* Subiectum Patriæ uerisimiliter plus damni, quam vtilitatis allaturum; præprimis, si Præsulatus Ecclesiasticus *Potentiis extraneis Imperio* non adeo *Amicis conterminus*, uel iisdem forte *Iure* aliquo *Protectionis*, & *Clientelæ*, *alioue* addictior sit; vbinam uero periculum hoc *reapse* subuersetur, diiudicari omnino debere, & auerti a Maiestate, & Capite Reipublicæ.

II.) Licet cæteroquin in *Casibus ordinariis* Electioni Ecclesiarum Germanicarum se *Iure* nemo immisceat, aliud tamen fore in *contingentia* quæstionis *extraordinariæ;* cum *Salus Reipublicæ suprema Lex* sit, reliqua Iura priuata uincens, cui *fundamentali* (vt quidem *hujus sententiæ Patronis* uidetur) *Regulæ* Sanioris Politices se quoque Præsulatus Ecclesiastici, vtpote qui *plenissime* participant *Ius eminens Ciuitatis Germanicæ*, conformare teneantur.

III.) Vsum *liberi suffragii* Capitulo in omnibus reliquis Subjectis præter id, quod *pro excluso* declaratur, satis adhuc in saluo superesse. Inspic. *ejusdem* FABRI *N. 8.* etc.

§. XXI.

Canonistæ via contraria incedunt, reponuntque

I.) Electuros haud dubie absque eo *Obligationi suæ juratæ*, qua in istis occurrentiis tam Patriæ, quam Ecclesiæ deuincti sunt, satisfacturos, ac damna vtriusque pro viribus amolituros esse. Ex aduerso autem

II.) Majestati Cæsareæ ansam proximam præberi, *quauis opportunitate* se se *Creationibus* Antistitum Germanicorum *ingerendi;* qui conatus ita comparatus videatur, vt

III.) *Libertati* Ecclesiarum e diametro repugnet, *plus* idcirco ipsi *Publico detrimenti*, quam *speratæ vtilitatis* allaturus. Euolu. rursus FABRI *loc. cit. N. 2. 6. 7. 9. 10.*

IV.) *Nulla* Imperii *Lege*, aut *Obseruantia* probari posse, Imperatori, præprimis in *moderno Systemate Imperii*, *plus Juris*, *Auctoritatisue* in *Principes Ecclesiasticos*, quam in *Sæculares* competere, cum potius in quibusdam punctis, e. g. in *materia Banni Imperialis*, Ecclesiasticos *potioris conditionis* esse constet. Sicut igitur Imperator eum, quem Sanguis, et Prouidentia Majorum ad Territorium Sæculare vocat, sub *prætextu Salutis Publicæ* repellere, & publico saltem conatu excludere nequit: rem sane *inauditi* hucusque *exempli* esse; ita idem sentiendum de Principibus Ecclesiasticis; quod enim in Sæcularibus *Successio Hereditaria* efficit, id in his *Electionem* operari, *vnico* interueniente *discrimine*, quod in Principatu, vel hujusmodi Territorio Sæculari *Successor* tempore apertæ successionis *actu jam* existat in rerum natura, in Ecclesiasticis vero Ditionibus *Successor e Gremio Capituli seligi modo*, & determinari debeat.

§. XXII.

Judicant porro his fundamentis *decretoriam rationem* superaddi a *Pactis Publicis*, *Transactione nimirum Callistino-Heinriciana*, & *Concordatis Germaniæ*, quibus *plenissimam Electionum libertatem* stabilitam esse asserunt, adeo, vt illa, cum sint *Summos Pontifices*, *Ecclesiamque Romanam* inter ex vna, & *Imperatores* nomine *Nationis Germanicæ* ex altera parte legitime inita, præcise secundum *principia naturalia pactorum* mensuram suam capiant, excluso vtrinque *omni Imperio proprie* sic dicto. Et quemadmodum his *sub Imperii*, *Rationisque Status prætextu* Ecclesia *se sola* contrauenire nequit, Confer. *§. 9. sqq.*, ita Imperatorem ex sua parte eadem pariter infringere non posse, tuentur. Addunt præterea memoratis Conuentionibus Pontificio Cæsareis in *Capitulationibus Imperatoriis*, præprimis etiam in *Nouissima Art. XIV.*, speciale *robur Confirmationis* accommodari. Quæ vero pars dissentientium triumphet in campo Veritatis & Justitiæ, æquus lector dijudicet.

§. XXIII.

§. XXIII.

De cætero per *modum Regulæ* notandum, *Status Ecclesiasticos æquali per omnia cum Ordinibus Politicis nexu Imperio deuinciri*, si modo vnicum *Bannum Imperiale* excipias, vtpote quod Ecclesiasticos *solis Juribus Temporalibus*, *Feudis*, *Regalibus*, aliisque *Priuilegiis* priuat, Personis eorundem *ab offensione* saluis, Sæculares vero cujuslibet *læsioni* priuatæ *impune* exponit; BLVM. *Process. Camer. Tit. XXIX. §. quod reliquas* &c. 115. Regulam probat *Conuentio Callistino-Heinriciana* supra allegata *§. Electus* &c. 2. ibi: *Electus autem Regalia per Sceptrum a Te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur*, ET QVÆ EX HIS JVRE TIBI DEBET, FACIAT. Vid. SCHMAVS. *Corp. Jur. Publ. Academ. p. 3.* Adstipulatur quoque *Obseruantia notoria*, siquidem Principes, aliique Ciues Ecclesiastici immediati in *Actionibus personalibus* æque, ac *realibus Objecta mere Temporalia* respicientibus *Forum* duntaxat *Imperiale*, non *Ecclesiasticum* sortiuntur; vt adeo vi *Conclusi Imperialis Canonissarum Essensium prouocatio a Curia feudali Abbatissæ* ad *Nunciaturam Coloniensem puncto Caducitatis* quondam pertentata, Jure optimo *abolita*, atque *irrita* declarata fuerit; FABRI Staats-Canzley *Tom. XI. C. 2. N. 4.* Confer. *ejusdem Tom. XXIII. C. 13. N. 2. & 3.*, vbi exhibet aliud *Conclusum Imperii in Causa Abbatis Helueti Creuzlingensis contra Abbatem Petershusanum puncto Prædriæ Imperialis* adornatum, ex quo luculentissime patet, quam strenue Imperator, & Ordines *Jura Imperii* propugnarint. Porro *Archi- & Episcopatus, reliquasque Ditiones, & Bona Ecclesiastica* in *Casu Necessitatis nullo alio modo euitabilis*, & vbi *Conseruatio Religionis Antiquæ respectiue, ac totius Corporis Politici Salus simpliciter* id exigit, *Heteroclitam* quodammodo *Indolem* nancisci, atque hinc *flebile Transactionis Objectum* constituere, Sæculoque, *donec per DEI Gratiam de Religione ipsa conuenerit*, dari potuisse, docet *I. P. O. Art. X. & sqq.* Euolu. & *I. P. M. C. XI.* &c.

§. XXIV.

Descendo ad *Præsules Landsassios*, per *quos eos* intelligo, *qui Jurisdictione Fori Sæcularis*, & *persæpe etiam vsu aliquorum Regalium gaudent*. Et hujusmodi Prælatum *in Regula* quoad *omnia Negotia mere Temporalia*, siue ejus *Personam*, siue *Bona immediate concernant*, *Superioritati Territoriali subjectum* existimo, nisi vel *Leges Ecclesiasticæ Vniuersales Jure Diuino immediate* subnixæ, quo *celebre Priuilegium Canonis* pertinet, vel *Vsu Ciuili Pragmatica* redditæ, aut *Priuilegia* ipsius Territorii, *Pacta*, *similesue Tituli Exceptionem* ingerant. Mouet me, vt ita sentiam, *connaturalis ratio*, nam *Commoda*, & *Onera* (siue Obligationes Reipublicæ debitæ) e *fine suo* sunt *indiuidua*, & *sine facto* Reipublicæ *diuidua* fieri non possunt; consequenter *Clerus Prouincialis*, *intrando Ciuitatem* Territorii, hoc ipso etiam se ejus *Oneribus*, & *Obligationibus* subjecit, nec alia intentione susceptus

ptus judicari potest. Certe Respublica, quando cum *concessione Jurisdictionis*, & *nonnullorum* subinde *Regalium* Clerum Ciuitate donauit, hoc suo facto, se eundem pro *Ciue mere Honorario*, & *Solis Commodis fruituro* habituram esse, neutiquam declarauit. Cum præsertim *Æquitas Naturalis* Onera ac Commoda ab *eodem Subjecto æqualiter* participari velit; ex qua ipsissima æquitatis ratione nec *Ecclesia circa realia Subjectioni Territoriali Clericatus quæstionis* aduersari potest. Quin sæpius hæc *Vniuersalis Subjectio Territorialis* insuper *Specialibus Pactis* roboratur. Vid. RECESS. *de An. 1738. inter* CELSISSIMVM NOSTRVM, EIVSQVE IMPERIALEM PRINCIPATVM BAMBERGENSEM *ex vna*, & MONASTERIVM BANTHENSE *ex altera parte initus in Prooem.* Cui iung. RECESS. inter ALTEFATVM CELSISSIMVM NOSTRVM & *qua* EPISCOPVM ORDINARIVM, & qua DOMINVM, ac PRINCIPEM TERRITORIALEM, Ejusque DIOECESIN, & PRINCIPATVM BAMBERGENSEM pariter ex vna, & MONASTERIVM LANGHEIMENSE ex altera parte initus *de Anno 1741. itidem in Prooem.*

§. XXV.

In specie vero prima difficultas occurrit: *An in constituendis Præsulibus Landsassiacis aliquas, & quasnam partes obtineat Superior Territorii?* Ac primo quidem vix controuersum est, eundem dictorum Præsulum Electionibus *nudo Protectorio modo*, quin ipsi actui tanquam mere spirituali se immisceat, rite assistere; contingit enim hoc *Vi Aduocatiæ Ecclesiasticæ*, quam Dominus Territorii *Majestati suæ Analogæ Jure proprio* (vt inferius euincetur) *inseparabiliter* annexam habet. Et quis *notoriam Germaniæ praxin* asserto adstipulari ignorat? Præterea Rectores Territoriorum nonnunquam se se interponunt Electionibus memoratis, vtendo vel *solo Jure Exclusiuæ* respectu hujus, illiusue Subjecti, aut *Speciale* insuper *Votum* prætendendo. Rationem forte assignant, quod non de *Præsule mere Ecclesiastico*, sed simul *de Ciue eminentiore* Territorii formando agatur; vt proinde Reipublicæ, si non *æquales* cum Ecclesia, *aliquas* saltem *partes* obuenire oporteat. E contrario Ecclesia prouocabit ad *Jus Eligendi sibi priuatiue competens*, vtpote quod jam inde a Temporibus antiquissimis, quibus Jus Territorii, præcipue quoad *præsentem effectum*, vel *necdum* cognitum, vel saltem *in Vsum* deductum *non* fuerit, Vi *Continuæ*, & *nunquam interruptæ*, licet forsitan *Via Facti aliquoties turbatæ Possessionis*, ac *Tenore Canonum Vniuersalium*, sibi legitime quæsitum contendit. Sed præstat *Decisionem Theseos in medio* relinquere. *Quoad Hypothesin Transactio quædam in Imperiali Episcopatu*, atque *Principatu Bambergensi* insignem lucem accendit.

§. XXVI.

Certiori adhuc Jure *Principia §. XXIV. allata* peruincunt, *Præsulem* ejusmodi *mediatum* in *Objectis mere Temporalibus*, etsi *pure personaliter* v. g. ex *Con-*

tra

tractibus, *similibusue Negotiis* obligatus conueniatur, *Foro Saeculari priuatiue* substare, adeo, vt Princeps Episcopus, cui forte Landsassius noster *in Spiritualibus* aeque, ac *Temporalibus* subest, omnes hujusmodi Causas *indistincte*, pro suo Arbitrio, *Soli Judicio Ecclesiastico* decidendas committere regulariter non possit; quid si enim, vbi contrarium fit, *Pars succumbens* dein *Romam* appellet, *appellata* autem in *Archidicasteriis* Imperii *Violationem Jurisdictionis Imperialis* denunciet? profecto non tantum Augusta haec Tribunalia illico *Mandata Poenalia S. C.* decernent, sed ipsum etiam Imperium *Jus suum supremae Cognitionis* sibi in *omnes singulasque Ciuium tam im- quam mediatorum Causas Temporales* competens acerrime tuebitur pro praesenti aeque, ac pro altero casu, vbi hic & nunc *a Sententiis Officialium Ecclesiasticorum ad Nunciaturam Apostolicam*, *vel ad ipsam etiam Curiam Romanam* appellari contigerit.

Lubet hic occasione hujuscemodi Appellationum velut in Compendio *Systema Jurisdictionale Antiquissimum*, ex quo *Pax* Ecclesiae tot, tamque immanes Gentilium persecutiones passae reddita fuit, paucis contemplari. *Teste* VITRIARIO *Instit. I. P. Lib. IV. Tit. 3. §. 8.* SACRI JVDICII fuit *decisio quarumuis litium*, *ad id a Laicis perlatarum.* Subjungit *Ejusdem Illustrator* PFEFFINGER. *Lit. G. L. 1. C. Theodos. de Episcopal. Judic.*, vbi CONSTANTINVS ABLAVIO *P. P.* „Quicunque litem habens, siue Possessor, siue petitor erit, inter „initia litis, vel decursis temporum periculis, siue cum negotium peroratur, „siue cum jam coeperit promi sententia, *Judicium* eligit *SS. Legis Antistitis*, il„lico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, *ad Episcopum* (alii le„gunt, *ad Episcoporum Judicium*) cum sermone litigantium dirigatur. Multa „enim, quae in Judicio captiosae praescriptionis vincula non patiuntur, inuestigat, „& promit *Sacrosancta Religionis Auctoritas. Omnes* itaque *Causae*, quae vel Prae„torio Jure, vel Ciuili tractantur, *Episcoporum sententiis* terminatae perpetuo sta„bilitatis Jure firmantur; nec liceat vlterius retractare negotium, quod *Episco„porum Sententia* deciderit. *Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum* „omnes Judices *indubitanter* accipiant, nec alius audiatur, cum *Testimonium* „*Episcopi a qualibet parte* fuerit *repromissum.* Illud est enim *Veritatis Auctoritate* „firmatum, *illud incorruptum*, quod a *Sacrosancto Homine Conscientia mentis illiba„ta* protulerit. Hoc Nos *Edicto Salubri* aliquando Censuimus, hoc *perpetua Le„ge* firmamus, *malitiosa litium semina* comprimentes, vt miseri homines *longis*, „ac *pene perpetuis Actionum laqueis* implicati, ab *improbis petitionibus*, vel a *cupi„ditate praepropera*, *maturo fine* discedant.

§. XXVII.

Prorogatae hujus Jurisdictionis aequitatem tanto majorem esse existimabant *Francorum Reges*, quanto minus *ipsi Principes Romani* id Ciuibus suis in-

dulgere dubitassent. Constitutio certe, quæ CAPITVL. *Lib. VI.* §. *CCCLXVI. Edit. Baluz.* occurrit, disserte ad *Legem* §. *Praced.* allegatam prouocat in Verbis: „Volumus, atque Præcipimus, vt omnes Ditioni Nostræ DEO auxilian„te subjecti, tam *Romani*, quam *Franci*, *Alamanni*, *Bajuuarii*, *Saxones*, *Turin„gii*, *Fresones*, *Galli*, *Burgundiones*, *Britones*, *Langobardi*, *Vuascones*, *Bene„uentani*, *Gothi*, & *Hispani*, cæterique nobis subjecti omnes, licet quocunque „videantur Legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc „Sententiam, quam *ex sexto decimo* THEODOSII *Imperatoris Libro*, *Capitulo* vi„delicet *XI.* ad *Interrogata* ABLAVII *Ducis* illi, & omnibus rescriptam sumpsi„mus, & inter *Nostra Capitula* pro *Lege* tenenda *consultu omnium fidelium Nostro„rum tam Clericorum*, *quam & Laicorum* posuimus, *Lege cunctis perpetuo tenenda*, „id est: *Quicunque litem habens* &c.„ Et quanquam *Celeberr.* HEINECCIO *Tom. II. Elem. Jur. Germ. Lib. III. Tit. I* §. *XXXIII.* mirum, ac monstro pæne simile videatur, præfatis Francorum Regibus persuaderi potuisse, vt & alias *quascunque Causas Ciuiles*, siue *de Possessione*, siue *de Jure*, & *Titulo* litigaretur, ad *Episcoporum Tribunal* pertrahi paterentur, Fidem tamen CAPITVLARIBVS derogare hic *Saculi Nostri* PAPINIANVS sustinuit nunquam. Sane, quod CAROLINGICAM PERIODVM excepit, ÆVVM MEDIVM *frequentia* admodum *Judiciorum Ecclesiasticorum ex Capite prorogatæ Jurisdictionis in Sæculares procedentium Exempla* passim subministrat. Verum *immutata* subinde *Imperii Romano-Germanici facie*, præsertim *Sæculo XI.*, *& XII. Prorogationi* hujusmodi IMPERATORES NOSTRI grauissime obluctati fuere. *Tergiuersationem* hanc vel maxime fundatam IPSE SVMMVS PONTIFEX ALEXANDER III. *in* C. *si duobus VII.* §. *Denique*, *de Appellationibus* luculenter agnoscit, ibi: „Denique quod quæris, si a *Ciuili Judice* „ante Judicium, vel post, ad *Nostram Audientiam* fuerit appellatum, an *hujus„modi Appellatio* teneat: Tenet quidem in his, *qui sunt* NOSTRÆ TEMPORALI „JVRISDICTIONI SVBJECTI, in ALIIS vero, etsi *de Consuetudine Ecclesiæ* teneat, „secundum *Juris Rigorem* credimus NON TENERE.„

Quæ Cura, ac Sollicitudo, circa *vindicandam*, *asserendamque Imperio Jurisdictionem suam*, CONRADVM III. FRIDERICVM I. FRIDERICVM II., ac LVDOVICVM BAVARVM fatigarit, prolixe recenset PFEFFINGER. ad VITRIAR. *Lib. 3. Tit. 3. pag. 436. sqq.* Quam ægre SIGISMVNDVS *Imperator Appellationem* ERICI *Lauenburgensium Ducis*, *in Causa Saxoniæ Electoratus in Fridericum Misniæ Marchionem translati*, *Ann.* MCCCCXXXIII. ad CONCILIVM BASILEENSE *interpositam* tulerit, *binæ* ejusdem *Litteræ* sub dato *Vlmæ*, *Feria quarta post Jacobi Ann.* MCCCCXXXIV., rursusque *28. Julii eod. Ann.* ad *Concilium* perscriptæ, quibus *Causæ Remissionem* ad FORVM COMPETENS vehementer vrgebat, satis superque loquuntur. *Tenor* Litterarum integer occurrit apud LONDORPIVM

PIVM *Tom. I. Actor. Public. Lib. I. C. 5. p. 27.*, & THVCELIVM *in Electis Juris Publici Curiosis de Ann. 1694. C. 1. p. 13. sqq.*

§. XXVIII.

Hæc summatim ex *Actis Medii Æui* delibare visum fuit. Ab eo enim tempore, quemadmodum sub *continuo* per *tria Secula* AVSTRIACORVM *Principatu* Imperium, vti Europa omnis, *nouam* veluti *faciem* accepit, deditque Historiæ, ita *suprema Jurisdictio Imperialis vlterioribus* magis, magisque *Præsidiis*, atque *Sanctionibus* muniri cœpit. Ex ERDMANNI *Chron. Osnabrug.* apud MEIBOMIVM *Tom. II. Rer. Germanic. p. 256.* perspicue patet, quod *Imperator* FRIDERICVS III., alias IV., & V. *Osnabrugenses majori Banno* Imperii percusserit, quia ab Ipsius Sententia, qua *Johannem Hoiensium Comitem* ab eis captum, saluum, & incolumem *Juliacensium Duci*, aut *Hassiæ Landgrauio*, donec Causa ejus rite examinaretur, tradi mandauerat, ad idem *Concilium Basileense* prouocare ausi fuere. Similiter, Teste CONRINGIO *de Republ. Exercit. VI. de Judiciis* [illegible] *Germanica* ⊙ *73. p. 291.*, *Ann.* MCCCCLXXVI. *nullam* declarauit GEBHARDI *Halberstadiensium Præsulis* Appellationem, ab ipsius Sententia in fauorem *Hedwigis Abbatissæ Quedlinburgensis*, in *Causa Pagi Ditfurt*, lata ad *S. Pontificem* SIXTVM IV. directam, eo quod Curiæ Romanæ de *Germanorum Regalibus nulla Cognitio* competeret, injungendo insuper ei per *Decretum 6. Novembr. sub pœna priuationis omnium Regalium, & Priuilegiorum*, intra *quindecim dies* ab insinuatione computandos, a coeptis desistere. Augustissimi Parentis longe Dignissimus Successor MAXIMILIANVS I., Vestigiis Paternis curatius insistendo; *Jurisdictioni Imperii* amplius prospexit. Docet id R. I. *Augustanus de Ann. 1500. Tit. 30.* ibi: „Nachdem auch hiebevor in gehaltenen Reichs-Tägen von etlichen Weltlichen Ständen, der Geistlichen Gericht halben, Ahndung geschehen ist, sollen Sich die Geistliche, und Weltliche, so deß mit- oder gegen einander vermeynen zu thun zu haben, unterstehen mit einander gütlich zu vertragen; mögten sie Sich aber gütlich nicht vereinigen, so soll Unser verordnet Reichs-Regiment auf einiges Theil Klag, oder Anruffen, nach Ziemlichkeit zu handlen fürnehmen ꝛc. ꝛc.„ Imo paucis post annis, *scilicet 1512. 20. Febr.* in *Causa Appellationis* a *Camera* ad *S. Pontificem*, JVDICIVM CAMERÆ IMPERIALIS *rigide* in Appellantes animaduertisse, constat ex RAPHAELIS SEILERI *Decisionibus Cameralibus*, *Tit. Appellare quibus, & a quibus liceat?* Vbi hoc *SCtum:* „Daß den Beklagten ihre Appellation von einem Urtheil am Cammer-Gericht gesprochen, an Päbstl. Heiligkeit gethan, demselben Cammer-Gericht insinuiret; also zur Schmach, Veracht- und Verletzung Kaiserlicher Majestät Hoheit, und zu Abbruch derselben Majestät, und des Heiligen Reichs Oberster *Jurisdiction* fürgenommen, keines

„keines weegs geziemt, sie auch derhalben die Poen der Rechten, und ande„re merkliche Buß, und Straf verwirkt haben, darein Wir sie gefallen zu „seyn erklären, und solche Poen auf hundert Mark lötiges Golds, in den Kai„serlichen und Reichs-Fiscum zu bezahlen, mäßigen ꝛc.„ RECESSVI insuper TREVIRENSI, & COLONIENSI *ejusdem Anni* insertum fuit *P. I. §. 2.* „Ob je„mands, wer der, oder die wären, so Uns als Römischen Kaiser, das Hei„lige Römische Reich, oder die Glieder desselben, die demselben anhängig, „und gehorsam seynd, von wegen des Heiligen Reichs, an Ihren Ehren, „Freyheiten, Recht, und Gerechtigkeiten beschädigen, vergewaltigen, „verdrücken, Theilung im Heiligen Reich machen, oder ihnen zum Vortheil „Sie dem Heiligen Reich entziehen, und abbrechen wollten, wieder die, ihre „Helfer, und Anhänger, sollen und wollen Wir einander getreulich verholfen, „und berathen seyn ꝛc. ꝛc. Et *P. II.* §. *22.* Nachdem Grafen, und Herrn „sich auf diesem Reichs-Tag beschwärt haben - - - - - der Geistlichen Ge„richt, und anders, als soll auf nechstkünftigen Reichs-Tag davon, der „Billigkeit nach, gehandelt werden ꝛc. ꝛc.

§. XXIX.

Actum id præcipue sub Auspiciis CAROLI V., in cujus *Ordinatione Camerali Wormatiensi de Ann. 1521. Tit. XXX.* cautum reperitur: „Ferner ist „auch betrachtet, daß alle des Reichs Verwandten bey ordentlichen In„ländischen Rechten - - - - - gelassen - - - und mit allen Obrigkeiten „verschaft würde, daß die Mißbräuche an beyden, Geistlichen „und Weltlichen Gerichten, abgestellt, die beyderseits förmlich, und „ordentlich gehalten, je eins das ander bey seinem gebührlichen „*Process*, und Lauf, ohne Eintrag, und Verhinderung ließ, aller„hand Unrath, Wiederwill, und Unwesens, so daraus erwachsen, fürzukom„men ꝛc. ꝛc.„ Memorabile non minus est *Mandatum Generale*, quod Invictissimus Imperator *sub dato Bruxellis*, *3. Octobr. 1548.* promulgauit, districte præcipiens: „Vt omnes Imperio subjecti, Ejusdem *Superioritatem*, *Jurisdictio„nem*, *Feuda*, & *Jura* conseruarent, neque se, neque suos Vasallos, & „subditos, ad EXTERNA, ET FORANEA TRIBVNALIA *in Jus vocari*, *trahi ue* „*sinerent*, *neque citati comparerent*, & si quid a *quopiam extraneo Principe*, vel „*quovis alio* attentari contigerit, ei pro virili resisterent, atque SVAM CÆSA„REAM MAJESTATEM, & *Fiscalem Judicii Cameræ*, citra vllam cunctationem, „certiorem redderent, quo in omnem casum de *congruo remedio* possit prouideri „etc.„ Euolu FABRI Staats-Canzley *Tom. IV. C. XII. Fascic. 2. p. 681.* Quod vt eo accuratius, sanctiusque obseruaretur, *P. II. Ord. Cam. de Ann. 1555. Tit. VII.* sine *exceptione* decretum fuit, *Causas* Fürstenthum, Herzog-

thum,

thum, Graffschafft 2c. belangend, so vom Reich zu Lehen rühren, und einem Theil gänzlich, und endlich abgesprochen werden sollen, *extra Imperium non* trahendas, sed a *Cæsare* judicandas; & *P. III. Tit. 51.*, *nullam* penitus *Appellationem a Sententiis Cameralibus* valituram. Quæ Constitutio vt vt saluberrima *gliscentes* hinc inde *abusus* radicitus tollere non potuit. Itaque Auctore FERDINANDO III. fortiora malo repullulanti remedia adhibebantur; prout innuit *R. I. N. de Ann. 1654. §. 164.*, quo *omnis Recursus in Temporalibus*, *ab Archi- & Episcoporum Treuirensis*, *Coloniensis*, *Leodiensis*, & *Monasteriensis Officialibus*, Nomine Principum suorum *Jurisdictionem* pariter *Ecclesiasticam*, atque *Secularem*, seu *Ciuilem* exercentibus, *ad Rotam Romanam* serio interdicitur, ibi: „Als sich auch die Stände zum höchsten beschwäret, daß in den „Erz- und Stiftern, Cöln, Lüttig, und Münster, wie auch andern Or„ten des Reichs, allerhand Mißbräuche, wegen Vornehmung der *Appel*„*lationen* und *Recursen* von den *Officialibus ad Pontificem*, und die Nuncios, „entstehen, indeme man sich derselben fast von allen urtheilen ohne Unter„scheid, es betreffe gleich *Ciuil-* oder *Profan* Sachen, bedient, die *Jurisdi*„*ctiones* wieder die Ordnung confundirt, die *Ciuil-* Sachen ausserhalb des „Reichs zu fremden Gerichten gezogen, und die Partheyen, mit Ver„spielung vieler Zeit und Unkosten, umgetrieben werden, dahero erfolgt, daß „nicht allein viel *Mandat- Proceß de Cassando* entspringen, sondern die *Nuncii* „vielmalen, durch Gegen- *Mandata Cassatoria*, den Partheyen die Cammer„Gerichtliche Verboth aufzuheben, bey starcker Geld- Poen, oder „Geistlicher *Censur*, anzubefehlen pflegen ······· So wollen Wir „··········· an den Päbstlichen Stuhl zu Rom hierinn die Noth„durft dahin beweglich gelangen lassen, damit den Nunciis dergleichen ohn„zuläßiges Verfahren im Reich, und über dessen Glieder, und Unter„thanen, mit Ernst verbothen, und fürters nicht mehr gestattet, und, da „dargegen ichtwas *attentirt*, oder gehandelt wurde, solches keine Kraft „haben, sondern wiederum *cassirt*, aufgehaben, auch, insgemein die „*Euocationes* vor fremde Gerichte, und ausserhalb des Reichs, wie sie dann „ohne das bey Unserm Reichs- Hof- Rath, und Cammer- Gericht nicht „geachtet, keines weegs zugelassen ······ seyn sollen 2c.

§. XXX.

Energicam *hujus Nomothesiæ Imperialis* Anacephalæosin graphice inculcant *Capitulationes* FERDINANDI IV. *Art. XVII.*, LEOPOLDINA *Art. XIX.* Auctam sistunt JOSEPHINA *Art. XVIII.*, CAROLINA *penultima Art. XIV.*, & CAROLINA *Nouissima Art. eod. §. 4.* ibi: „Gleicher gestalt wollen Wir, wann „es sich etwan begäbe, daß die *Causæ Ciuiles* von ihrem ordentlichen Gericht „im Heiligen Reich ab- und ausser dasselbe ad *Nuncios Apostolicos*, und wohl

„gar *ad Curiam Romanam* gezogen würden, solches abschaffen, vernichten, und „ernstlich verbiethen, auch Unseren Kaiserlichen *Fiscalen* so wohl an Unserm „Kaiserlichen Reichs-Hof-Rath, als Cammer-Gericht, anbefehlen, „wieder diejenige, so wohl Partheyen, als *Advocaten*, *Procuratoren* und *Notarien*, die sich hinführo dergleichen anmassen, und darin einiger gestalt ge„brauchen lassen würden, mit behöriger Anklag von Amts wegen zu ver„fahren, damit die Ubertretter demnechsten gebührend angesehen, und „bestraft werden mögen.

Item §. 5. „Und weilen vorberührter Civil Sachen willen zwischen „Unseren, und des Reichs Höchsten Gerichtern, so dann denen Aposto„lischen *Nunciaturen* mehrmalige Streit- und Irrungen entstanden, inde„me so ein- als anderen Orts die ab deren *Officialen* Urtheil beschehene „*Appellationes* angenommen, *Processus* erkannt, selbige auch durch allerhand „scharfe *Mandata*, zu gröster Irr- und Beschwerung der Partheyen, zu „behaupten gesucht worden: Wormit dann diesem vorkommen, und aller „*Jurisdictions-Conflict* möchte verhütet werden; So wollen Wir daran seyn, „daß die *Causæ Sæculares ab Ecclesiasticis* rechtlich *distinguirt*, auch die darun„ter vorkommende zweifelhafte Fälle durch gütliche mit dem Päbstlichen „Stuhl vornehmende Handlung und Vergleich erlediget, fort der Geist„und Weltlichen Obrigkeit einer Jeden ihr Recht, und *Judicatur* unge„stöhrt gelassen werden möge.„ Homogenea Dispositio occurrit in *Delineatione Capitulationis Perpetuæ Art. itidem XIV*. Evolu. Gegenwärtige Verfassung der Kaiserlichen Regierung in Deutschland, cujus præclarissimi Operis *Auctor est perillustris* L. B. de ZECH, *Potentissimi Poloniarum Regis olim Consiliarius Intimus*, prout HOFFMANNI *Bibliotheca Juris Publici* testatur.

De *Jurisdictione Officialium Leodiensis*, & *Monasteriensis ab Appellatione ad Coloniensem in Caussis Civilibus libera* GEORGIUS MELCHIOR de LUDOLFF *Imperialis Judicii Cameræ Assessor Variar. Observation. Forens. P. I. Observ. CX.* hæc disserit: „Appellationes ab Officialibus Leodiensi, & Monasteriensi ad Colo„niensem Metropoliticum, *ante Visitationem Novissimam* Cameræ Imperialis *tole„ratæ* fuerunt *Usu magis*, quam *ad Legum Imperii Sensum*. Est enim Coloniensis „Officialis *in Caussis Ecclesiasticis saltem Superior*, non vero *in Civilibus*, licet ipse „*in Archiepiscopatu Coloniensi Civilem* quoque exerceat *Jurisdictionem*. *Post Recessum Visitationis*, cum *Edicta Imperatoria Anno 1710.* publicata fuissent, *irrita „habita fuit* omnis ista Appellatio, sæpius quidem *tentata*, sed *cum damno & „sumtuum, & ipsius Caussæ*, *Sententia* prioris Iudicis Leodiensis, vel Monaste„riensis habita fuit *pro* RE JUDICATA. Præter ea, quæ in Dissertatione nostra „sequente adducta fuere exempla, aliud commemorandum est *in Caussa Abbatissæ Trans-aquas*, des Closters Uber-Wasser, *in Urbe Monasteriensi Contra*

„*Pasto-*

„*Pastorem Niesing* in *Alberslohe*. Cum *appellasset ad Cameram a Sententia Officia-* „*lis Coloniensis*, *repulsam* tulit *17. Junii 1719.*, quia si *Causa* fuisset *Ciuilis*, *non* „*erat fundata Jurisdictio* Coloniensis tanquam *Superioris*: si *Ecclesiastica*, non pertinebat ad Cameram „ Huic Obseruationi subjungit *idem Celeberrimus Auctor Singularem*, qua *Anno 1724. primum edita* totam hanc materiem solidissime enucleauit, DISSERTATIONEM *de Jurisdictione Officialium in Causis Ciuilibus; Speciatim de Recursu ad Officialem Metropolitanum Coloniensem ab Officiali Leodiensi, & Monasteriensi*; Commendandi præcipue inter reliquos ejusdem *Aphorismi XIII. XIV.* & *seqq.* Inter Officiales Episcopatuum, qui in Caussis Ciuilibus exercent Jurisdictionem, & a quibus *immediate ad Judicia Suprema Imperii* appellatur, numerandum etiam esse *Officialem Paderbornensem*, *Laudati Perillustris Assessoris Obseruatio V.* docet, idque ex *Litteris Informatoriis* ab Officiali Paderbornensi THEODORO HOLTERO *V. I. L. 11. Februarii 1725.* ad Cameram transmissis luculenter euincit &c.

§. XXXI.

Sed vt e diuerticulo in Viam redeam, ex eodem fundamento *quæsita* intuitu *mere Temporalium Jurisdictionis Sæcularis* in *Landsassios Præsules* sæpe fatos, cæterasque *Fundationes pias Ecclesiastico-Politicas* consequi videtur, vt *in Regula Præstationibus Publicis Ciuilibus* subjaceant, licet rursus *in Hypothesi* multifaria *Exceptio* reperiatur; quam certum enim est, *Bona* in primis *Dotalia* Ecclesiarum, siue *Fundum Primæuum*, quam diu saltem *quoad Dominium Vtile in manus Sæculares* non alienatur, plerumque *possessionem immunitatis ab Exactionibus Publicis* pro se tenere, tam *grauis Controuersia* ex aduerso inter SACERDOTIVM, & IMPERIVM quandoque oritur: *An & reliqua Bona Fundationum Ecclesiastico-Politicarum*, præprimis *ex Capite Feloniæ*, *Aperturæ*, *aut alia ratione Dominio directo consolidata Collectis Ordinariis*, *& extraordinariis*, *Teloniis*, *& Vectigalibus*, *Gabellis*, atque *Accisiis*, *Juri Detractus*, der Abschoß, oder Nachsteuer, *similibusue Præstationibus Publicis obnoxia sint?* *Canones*, & *Leges* notorie rursus *in diuersa* abeunt. Mihi vero a *Decisione Casuum Hypotheticorum* tam ob horum *Varietatem*, quam ob *angustiam* paginarum abstrahendum est.

§. XXXII.

Illud tamen asserere non reformido, FAMOSAM LEGEM AMORTIZATIONIS, siue *prohibitoriam*, *ne Bona Immobilia a Secularibus in manus Ecclesiasticas alienentur*, aduersus *Clericatum Landsassium effectu suo*, siquo etiam alias gaudet, omnino destitui, saltem quousque ille Obligationibus *sibi qua simul Ciui Reipublicæ* incumbentibus satisfacere paratus est; cum enim sic *quoad onerosa* se præstet Reipublicæ, profecto *Commoda*, siue *Modi* adquirendi *Facultates Temporales*, vtpote *Omni Iure* adprobati, ac cuiuis etiam *priuato Ciui communes* eidem

eidem non poterunt denegari. Quid de cætero forte *Vi Repressaliarum* (liceat vti Verbo) permissum sit, vel secus si quoad *Præstationes Ciuiles Clerus mentionis* deficiat, statuant sibi, qui in hujus rei Argumentis Pragmaticis versantur.

§. XXXIII.

Superest, vt de *Clericatu simplici* (qualis qui sit, ex præmissis facile colligitur) quædam in medium proferam, & præcipue *quid Juris in eiusdem Personas & Boña Superiori Politico competat, vel non?* Ac primo quidem satis expeditum videtur, vrgente *extrema Reipublicæ Necessitate* Rectorem Ciuitatis *Potestate*, non quidem *proprii Imperii*, sed *Defensionis Naturalis* quoad quæstionem propositam gaudere; siquidem *Jus Naturale*, ad cujus præscriptum *cuilibet Priuato*, adeoque & *Reipublicæ* aduersus *imminentem*, & *aliter ineuitabilem Necessitatem Jure defensionis* vti licet, *media indispensabilia* in ordine ad hunc finem consequendum *inter probibita* non collocat, cum in præsentissimo hujusmodi periculo *qualibet* sit *honesta ratio* expediendæ salutis. Atque hinc præter exempla, quæ multifaria ab Historia nobis in hisce suppeditantur, *Bona* Clericatus *in Casu extremæ Necessitatis* Reipublicæ *collectabilia* esse, disertissime docent tot RECESSUS IMPERII, præcipue *de Annis 1495. Tit. 9. 1512. §. 28.* Item vier *Mendicanten* Orden 2c. *1542. §. 51.* und nehmlich 2c. *§. 61.* und zu diesem 2c. *sqq.*, quibus singulis locis *Collecta* ad propulsandam *Tyrannidem Turcicam* (intelligendo sub hac & *alias* hisce similes extremarum *Necessitatum obuentiones*) a Cæsare, & Statibus *etiam in Clerum* decernitur; Et quanquam *d. R. I. de Ann. 1542. §.* und damit *64.* de *Sedis Apostolicæ Consensu* mentionem iniiciat, is tamen de *Casu*, vbi *periculum non adeo propinquum* existit, exaudiendus videtur. Verum sicut extremæ Necessitatis *Determinatio*, & innixa eidem *suo modo Defensio Naturalis* in *puncto Mathematico* non consistit, sed *latitudinem suam* a *diuersis* rerum, Temporumque *Circumstantiis* sortitur, ita etiam in præsenti Hypothesi facillime *Conflictus* suboriri poterit, Ecclesia *Immunitatem suam* lædi asserente, Euolu. *C. 7. de Immunit. Ecclesiar.*, Republica ex aduerso *Titulum Defensionis Naturalis* prætexente.

§. XXXIV.

At vero in *Via Ordinaria*, & quidem quod ad *Personas Clericorum* attinet, illi in *negotiis* tam *Ecclesiasticis*, quam *objectiue Temporalibus solum Forum Ecclesiæ* merito recognoscunt, idque tam in *Ciuilibus*, quam *Criminalibus Causis*; vbi tamen *limitatio* notanda, quod in *bis posterioribus* nempe *Criminalibus Judex Secularis ministerialiter* tunc manus apponat, *quando Clericus in- vel post delictum deprebensus Curiæ Ecclesiasticæ sistendus est*, *vel de pœna Temporali Clerico solenniter degradato infligenda executiue agitur.* Ratio rei aperta est, quia extra Casus modo exce-

exceptos *solidum* Imperio Sæculari *principium* desideratur, vnde *Jurisdictionem suam* in Clericum fundare valeat.

§. XXXV.

Ratione *possessionum*, & *bonorum Temporalium* Cleri *quæstionis*, & quousque *ea Jurisdictioni Sæculari subordinata* sint, res pendere videtur *a Dubio præjudiciali: vtrum Bona Temporalia quæcunque in substantia intrinsece, & immobiliter sint affecta Superiori Politico, adeoque, penes quemcunque demum Possessorem existant, hac qualitate reali velut perenni Comite maneant instructa? An vero potius in se, & ratione Vsus sui Temporalis, vtramque Rempublicam & Ecclesiasticam & Ciuilem indifferenter respiciant, determinanda modo ad Imperium, & Dominium altum vnius, alteriusue a qualitate Possessoris, qui vel Ciuis Ecclesiæ, vel Sæcularis Reipublicæ sit? Posterius* denuo a *Canonistis*, *prius* vero *in effectu* saltem, licet non in Terminis his ipsis expressis, a *Politicis* propugnari deprehendo.

§. XXXVI.

Inter reliqua Argumenta hoc potissimum vrgent *Politici:* nimirum, *cui Reipublicæ* Bona Temporalia *proprie*, & *perpetua Lege* addicta sint, dispiciendum esse e *Fine* Conditoris eorundem; hoc pacto autem *Ciuitati propriam Curam* esse rerum Temporalium, cum ex aduerso *Potestas Clauium*, siue *Hierarchia Ecclesiastica*, ad quam *Clerus* etiam *inferior* reductiue pertineat, non objecta, aut negotia *bujus Generis*, nisi quousque *Causa Publica Ecclesiæ* id hic & nunc exigit, sed *Sphæram tantum Spiritualem*, eoque *influentes Sacrorum functiones ordinarie* respiciat.

Verum *accuratiores Juris Ecclesiastici Interpretes* reponunt, curari quidem Temporalia *proximius* a Republica Ciuili, æque tamen certum esse, quod Ecclesia tam parum ad *finem suum* sine *intermedio* Bonorum Temporalium *subsidio* peruenire queat, quam parum Respublica Sæcularis, *deficiente* hoc *rerum gerendarum Neruo*, *metam suam* assequitur; vt adeo prono inde alueo fluat, Bona Temporalia, cum *media indispensabiliter necessaria* in ordine ad *vtrumque finem*, tam *Spiritualem*, quam *Temporalem* suppeditent, de se *omnimodam indifferentiam* habere, vtrum *Superioritati Ecclesiasticæ*, an *Politicæ* subsint, sic quidem, vt huic *posteriori diutius* affecta censeri non possint, quam *a Ciuibus possidentur*, consequenter a *primo* alienationis in Clerum factæ *momento metamorphosin* subeant, eo quod Respublica Ciuilis DOMINIVM EMINENS in Bona exerceat *dependenter* a *Dominio*, & *Possessione priuata* subditorum; hoc igitur resoluto & alterum resolui necesse esse.

§. XXXVII.

A Thesi ad Hypothesin descendunt *Canonistæ*, concludendo ex prædictis, Bona Temporalia, quam primum *in manus Cleri* deuenerint, *nullis exactionibus Ciuilibus* amplius subiacere, nisi ipsi Canones a *Regula* subinde *exceptionem* faciant, quippe quorum præscripto Clerus

I.) *Onera realia* prius consueta e *Bonis nouiter adquisitis* etiam deinceps Reipublicæ soluit;

II.) E rebus *lucri*, & *negotiationis* gratia sibi comparandis *Vectigalia*, *similesque exactiones* præstat. Addunt *Plurimi DD.*

III.) *Actiones mere reales*, in quibus *Iurisdictionem Iudicis Sæcularis* pariter *fundatam* esse operose adstruunt. De cætero ex his ipsis rationibus sic dictam *Amortizationis Legem apertæ iniquitatis* damnant.

§. XXXVIII.

Ast rursus Argumenta Vtriusque Partis in medio relinquo, præprimis autem illud punctum maximæ indaginis: *An dicta Lex Amortizationis Bona Ciuium Temporalia realiter afficere possit, & hoc quidem modo, vt alienatio contra eam attentata ipso Jure sit nulla, & Superiori Ciuili facultas competat, rem alienatam directe, vel indirecte e manibus Cleri Reipublicæ reuindicandi?* ex aduerso autem neque illud decidere ausim, quod asserunt *Canonistæ*, *sæpe memoratam Legem nec personaliter Ciues obligare posse, vt ne Bona in Clerum distrahant, cum sic saltem per indirectum Ecclesiæ adimatur liberum, & indifferens rerum Temporalium Commercium omni Jure sibi debitum.*

Num porro in *Casu extraordinario*, quo *alienationes mentionis* nimis *excessiue*, & *frequenter* fient, ideoque *Salus Reipublicæ* ex *defectu nerui extreme periclitabitur*, Rectores Politiæ *Vi Defensionis Naturalis* subditis suis easdem etiam sub *graui pœna* inhibere possint, & in Thesi forsan desuper rationabiliter inuita non sit Ecclesia, cum sic ex vna parte, licet forte per *indirectum* vna alteraue *Ecclesia particularis detrementum* sentiat, *Flos*, & *Status* eiusdem *Vniuersalis* satis adhuc *in saluo* perduret, ex altera autem Ecclesiæ totius intersit, Rempublicam tanquam *Protectorium* eiusdem *Brachium* conseruari? id pariter in medio relinquitur, præsertim cum dato casu facillimum sit futurum, *Sacerdotium*, & *Imperium* etiam in hoc puncto *dissensionibus* inuolui.

§. XXXIX.

Deuenio postremo ad *Loca Ecclesiastica*, ad quæ rei *Criminum non exceptorum* ut plurimum confugere, seque *pœnæ Temporali* subducere solent. Vnde denuo

denuo inter *Ecclesiam*, & *Rempublicam* non raro *lites* enascuntur, dum Politicorum complures statuunt, *Asylia hac Ecclesiastica administrationi Justitiæ* Bono Publico adeo Necessariæ, et Salutari *impedimentum* poni; Ecclesia contra in casibus, vbi *extraditio* reorum *violentius* vrgetur, aut hi plane e *Locis Sacris extrahuntur*, in *Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ localis* seuere animaduertit. Dantur equidem *delicta* quædam *grauiora*, alias *excepta* dicta (de quibus, & summatim in præsenti hujus §. materia consulantur *Canonistæ ad Tit: Decret. de Immunit. Ecclesiar.*,) atque his etiam ab *ipsis Summis Pontificibus*, præsertim GREGORIO XIV., & BENEDICTO XIII. *Jus Asyliæ* denegatur. Quoad *delicta* autem *ordinaria*, quatenus *pœnam capitalem* irrogant, *Politici* iidem suis insistendo principiis arbitrantur, reos male ab Ecclesia recipi, aut occultari, ideoque *licite* e locis sacris extrahi, etiam *Vi in subsidium adhibita.* Verum *Doctrina Canonica* penes *Catholicos obseruantia regulariter Vniuersali* inualuit, & pro eadem etiam *ratio intrinseca* rei militare videtur, ac in tantum quidem, vt *non modo loca Ecclesiastica ab omni infestatione in casu actu jam occultatorum delinquentium immunia sint, sed his ad se confugientibus portas etiam aperire queant*; nam quod ad

Primum membrum attinet, *Templa*, *Monasteria*, & *reliqua loca Ecclesiastica accessorie* respiciunt *Solam Rempublicam Ecclesiasticam*, constituta idcirco, vt ita loquar, *extra Territorium Judicis Secularis*, vt itaque *attentato* inibi *actu Jurisdictionis profanæ* necessario *Spiritualis* violetur.

Quoad *Secundum* Ecclesia qua talis *Mansuetudinem*, & *Charitatem* ex *fine Institutionis suæ*, prout Respublica Ciuilis *Justitiam*, *principaliter* colit, & exercet; sicut igitur eidem Reipublicæ ad consequendum finem suum *omnia media* Jure concessa censentur, ita pariter Ecclesia ad frequentandos, eoque citius expediendos Charitatis actus, quibus *Conseruatio Vitæ Proximi* vtique *primo loco* accensenda est, *qualibet adminicula* non potest non in promtu habere.

CAPUT II.

De Iure Principis Catholici circa Sacra Catholica; siue de Aduocatia Ecclesiastica.

§. I.

Quæ hactenus de Sphæra Ecclesiastici Imperii, & de Collisione ejusdem cum Republica Ciuili dicta sunt, ea omnino pro meliori intellectu subsequentium præmittenda fuere. Iam propius ad scopum accedo, examinaturus *primo*

Advocatiam Ecclesiasticam, quam ante omnia recte sic describi Iudico, quod sit *Obligatio Imperio Saeculari indiuisim cohaerens, Virtute subsidiaria tuendi Statum, & Systema Ecclesiae, vbi, & quando haec ipsa Jure suo, & Ordinario se tueri, ac defendere nequit.* Descendit dicta Obligatio e *duplici fonte*, ex *Officio* nempe *Regio*, & *Lege Diuina.* Ratio *primi* est, quod *Religio*, ac superstructus ei *Status Ecclesiasticus Salutem Temporalem* quam maxime promoueat, ac idcirco ex *praxi*, *vsuque Gentium* saltem *moratiorum* pro *Vinculo fortissimo* Ciues *intra* Officiorum suorum *limites* continendi habeatur, rectissime proinde inter *partes Substantiales Officii Regii*, siue *Rationis Status Christianae* referenda.

§. II.

Quod etiam ex *Jure Diuino immediate* proficiscatur memorata Aduocatia, eoque respectu cum ipsius Ecclesiae Fundamentali Institutione *communem Originem* habeat, sequens Principium euincere videtur: nimirum praeter *alios fines* condita Ecclesia est, vt *conseruetur*; quamuis vero tanquam certum *de Fide* supponam, eandem vsque ad *Consummationem Saeculi duraturam*, & eatenus *infallibili promissione* ASSISTENTIAE DIVINAE munitam esse, minime tamen promissio illa eo trahenda est, quasi *eidem soli* ac *vnice* confidere, omniaque *Conseruationis hujusce naturalia remedia* respuere oporteat; hoc pacto enim IPSE CONDITOR LEGIS NOVAE *ansam tentandi* DOMINVM DEVM Ecclesiae suae reliquisset, id quod sine *aperta Blasphemia* proferri nequit. Potius igitur statuendum est, AVCTOREM Legis nouae in *prima* Ecclesiae suae *fundatione* huic *Fundamentalem Obligationem* indidisse, vt sibi, praeprimis quoad procurandum majus semper *Augmentum*, & *Florem*, de *subsidiis* etiam *naturalibus* prospiciat; quam *Circumspectionem Ecclesiae* nullo non tempore curae, cordique fuisse, indubitata Historiarum fides abunde testatur.

Jam vero *Possessio Bonorum*, & *Virium Temporalium propriarum* pro omni Tempore adeo sufficiens non est, consequenter Ecclesia *forti Brachio extraneo Principum Christianorum* persaepe indiget; vt proin legitime subsumere liceat: sicut *Conseruatio*, ac *Dilatatio Ecclesiae Ens immediatum Juris Diuini* existit, ita *eiusdem qualitatis* esse *Aduocatiam*, vtpote quae ad *hunc finem in certis rerum contingentiis indispensabiliter* requiritur; *Finis* enim, & *media* in *eundem fontem* redundant.

§. III.

Ex quo porro eruitur, Aduocatiam quaestionis, cum principalissime *merum onus Obligationis* inuoluat, in *actuali sui exercitio* potissima ex parte dependere ab *ipso arbitrio Ecclesiae*, cujus Judicio, atque Circumspectioni *accuratior Circumstantiarum Trutina* competit, an in *hoc*, vel *isto casu necessaria* sit *defensio* a Politico Imperio *requirenda*; cum protegendus, defendendus, atque adiuuandus

dus *status*, *factique sui regulas oculo limatiori* ipsemet perspicere, atque ponderare noscatur. Vnde etiam quoad *applicationem* hujus muneris sui a Lege Diuina idem Imperium Politicum crebrius admonetur, vt omnes scilicet Vires, atque neruos pro *conseruanda Ecclesiæ incolumitate reali* cum *effectu* impendat.

§. IV.

Consequitur vlterius, Aduocatiam tam *Vi Obligationis respectu Ecclesiæ* incumbere, quam etiam *respectu aliorum Titulo Juris* (est enim in classe *Jurium mixtorum*) competere cuilibet superiori Politico *Majestate* vel *Vera*, vel *Analoga*, siue *Superioritate Territoriali* instructo; adeoque se diffundit ad *omnes Ecclesias* in cujusque *Territorio Ciuili* constitutas, earumque *integralem Conseruationem*, *Protectionem*, & *Status imminuti Restaurationem*.

Reipublicæ tamen *Romano-Germanicæ* AVGVSTISSIMO CAPITI *Protectio* ECCLESIÆ VNIVERSALIS *relatiue* ad *alios Imperantes Christianos eminenter* competens, & *propria* est, de *quo ipso intuitu Dignitatis*, & *Proedriæ* eo minus ambigere licet, quo certiora documenta suppeditant *Antiquæ Expeditiones Armatæ* Christianorum in *Terram Sanctam*, quas Historiæ *Cruciatas*, die Creutzzüge, appellant, in quibus *Cura præcipua* ad *Imperatores Romano-Germanicos* nunquam non spectare visa est. Vnde & Imperatores Nostri DVCES NATI *Populi Christiani* Jure, meritoque dicuntur. Itaque PIVS II. SVMMVS PONTIFEX, cum bellum *in Turcas*, ad recuperandam *Constantinopolin*, moliretur, FRIDERICO IMPERATORI *Mantua d. 20. Ianuar. Ann. 1460.* scribit, ad ipsum ex *Jure Imperii* pertinere, vt toti Exercitui Christiano præsit. DE DVCE, inquit, AD TANTVM BELLVM COGITANTIBVS, TV NOBIS OCCVRRISTI, CVI TANTVM MVNVS EX OFFICIO IMPERIALI DEBITVM CENSEATVR, CVI OMNES GENTES PARERE, ET SVBESSE NON DEDIGNENTVR &c.

§. V.

Quoad Potestatem ipsam *Aduocatiæ Ecclesiasticæ Vniuersalis* major Difficultas eatenus subesse videbitur, cum *Majestas*, & *Aduocatia* sint *inseparabiles qualitates vnius*, *ejusdemque subjecti*, & *ejusdem* plane *rationis*. Sicut igitur Orbis Catholici Imperantes reliqui in *Ordine Potestatis realis Imperii Majestatici* se Imperatori Romano-Germanico Jure pares reputant, ita merito idem compluribus adstruendum uidetur de *Aduocatia*; cum præcipue hanc ex *Jure Diuino* immediate descendere asseruerim.

Verum *pars prima* Argumenti Thesin præsentem plane non ferit, cum plus non inferat, quam quod cuilibet Principi Christiano erga Ecclesias in *suo latifundio Sæculari* constitutas *æquali Potestatis Jure*, & *modo* Aduocatia competat,

in præsenti vero *Objectum meum* est ECCLESIA VNIVERSALIS, & præcipue SEDES APOSTOLICA, quæ notorie nullius Principis, aut Reipublicæ *Terminis Ciuilibus* conclusa est, sed præter *Potestatem Clauium Statum Politicum Regibus parem* se ipsa efformat.

Pars altera dubii itidem rem non conficit, cum id duntaxat euincat, Aduocatiam ratione *suæ functionis objectiuæ*, & in quantum *realiter in Bonum Ecclesiæ* exerceri debet, a *Lege Diuina* simul dependere, & hactenus *æquali ratione* cunctis Superioribus Christianis attribuendam esse, in quo me repugnantem non habes.

§. VI.

Imo vero etsi *ipsius* quoque *Subjecti Actiui*, ECCLESIÆ VNIVERSALIS, SEDISQVE ROMANÆ *perpetua Lege Protectorii* qualitas, veluti intra *ambitum integralem Advocatiæ* pertinens, in *fontem primigenium* Juris Diuini quadantenus redundet, id tamen impedimento esse nequit, quin *proxima*, *particularis*, & *actualis determinatio memorati subjecti Judicio*, & *Electioni Ecclesiæ ipsius*, aut potius ejusdem SVPREMI CAPITIS Jure optimo tribuatur. Sicuti enim huic exinde, quod *fundamentale Ecclesiæ Systema* a *Legislatione Diuina* profluat, Potestas fideles vltra *expressa Sancita* EVANGELII modo, quo optimo videbitur, *proxime*, *exterius* & *visibiliter* gubernandi nequaquam adempta est, sed potius ex eodem ipso Verbi Diuini eloquio competit. Conf. Cap. I. Sect. I. §. 8. seqq. Ita profecto etiam eidem *Facultati Directrici* subjectum erit, sibi ex principibus Orbis Christiani quendam pro *Protectore* seligere, quem pensatis Circumstantiis e *Re sua* fore *prudenter* opinabitur. Adeoque ejusdem *Curæ*, *Jussui*, atque *placito determinatio actualis subjecti protectiui* non potest non subjacere.

§. VII.

Hisce itaque *præliminari* quadem *notione* deductis superest, vt *prærogatiua* hæc IMPERIO ROMANO-GERMANICO prius asserta vlterioribus argumentis stabiliatur. Quæ inter *principem locum* facile obtinet IPSVM NOMEN IMPERATORIVM in *Persona* CAROLI MAGNI resuscitatum, vel si hunc neges *Germanum*, quod *paradoxum* ex *Originatione* videtur, in præsenti vero perinde est, saltem jam inde ab OTTONE MAGNO, siue I. ad *Germanos Obseruantia* in *hunc* vsque *diem perpetuata* propagatum. Abstraham equidem, *an Summi Pontifices creando Imperatores qua tales sua peregerint Jure proprio*, *an potius Vice Populi Romani*; pariter suo loco mihi esto, *an coronati a Sede Apostolica Imperatores Imperium supremum in Vrbem Romam*, *ejusque ditiones originarie consecuti fuerint?* cum hodie similia inter *Speculationes mere Historicas* notorie referantur, id quod *ipsos A. C. DD.* sibi alias in *hisce Criteriis* mirifice blandientes passim consiteri oportet. Quia

etiam

etiam *omni fundamento* destituitur *assertum* aliquorum, *Characterem Imperatorium Titulo Belli Germaniæ Regno illatum fuisse*, *falsitatem* enim *Circumstantiæ* rei demonstrant, siquidem prædictorum Imperatorum Neuter ad *Sedem Romanam debellandam*, sed Vterque *ad eam defendendam* Italiam petiit; vnde eo ipso *Titulus adquisitiuus Armorum* euanescit. Sane cum e contrario *obuia Historiarum Fides* luculenter edoceat, sæpe memoratam *Dignitatem Cæsaream solo facto primigenio* LEONIS III., aut JOANNIS XII., siue CAROLVM, siue OTTONEM M. *Primum* ex Germanis ejusdem *Adquisitorem* dixeris, *Nationi Teutonicæ* non alium in finem accreuisse, quam vt, *testantibus* id rursus *Annalibus Synchronis*, *Ecclesiam, ejusque Jura* in perpetuum defenderent; profecto *absque altiori indagine* colligere pronum est, Dignitatem Cæsaream, & Aduocatiam *Ecclesiæ Vniuersalis* per *modum mutui Commodi*, & *Oneris* tanquam *duas partes* Nominis Imperatorii *integraliter constitutiuas* ad Imperatores Germanicos *perenni Lege* abiisse, & sub hac vtrinque qualitate, quin a quocunque alio Augustissima hæc proëdria adimi queat, ex *Causa radicata antiquissimæ Possessionis* perdurare hodiedum.

§. VIII.

Munus Aduocatiæ Ecclesiasticæ summatim in *duo Objecta* se diffundit, eoque collineat,

I.) Vt CAPVT *Ecclesiæ*, *totumque* hujus *Statum Hierarchicum* quoad *Personas*, *Jura*, & *Possessiones Temporales* aduersus *inimicos* tam *in-* quam *externos efficaciter* manuteneat, ac præcipue

II.) Et *Dogmata Fidei* (*saluis Imperii Legibus* Protectioni huic *non* aduersantibus, de quibus infra) & *Decreta morum*, *cæterasque Constitutiones* ab Ecclesia *intra Sphæram propriam* conditas ad *Executionis finem* perducat. *Mere* itaque *Subsidiarium*, *Executoriale Munus*, *merumque Ministerium* Aduocatia Ecclesiastica est, ita quidem, vt sub *hoc prætextu Majestas* vel *Vera*, vel *Analoga* aliquid circa *Limites Regiminis Ecclesiastici internos* disponendi *Potestatem*, *ordinarie saltem*, sibi sumere nequaquam possit. Vnde *substantialis habitudo* sæpius laudatæ Aduocatiæ Ecclesiasticæ *Superiorum Temporalium* clarissime elucescit, ita comparatæ, vt *intrinsece* nec *partem Majestatis Politicæ*, nec *Potestatis Clauium* constituat, sed *Ens quoddam medium* existat, Imperio Politico *ratione ejusdem subjecti obligati indiuisibiliter* cohærens, & cum *Spirituali Potestate* ad *idem Objectum commune Conseruationem* nimirum *Ecclesiæ*, tendens.

§. IX.

Reuocamus huc pariter *Casus plane extraordinarios*, quando Regimen Ecclesiæ vel in *Statu perfecte formato nondum* existit, vel, quo minus *Vim dispositiuam*

uam externam exserere valeat, *per accidens* impeditur, vbi ex *ipsius consensu Vices* ejusdem a *Majestate Ciuili* ex *ipsissimo Aduocatiæ fonte* recte circa *nonnullos effectus* supplentur, modo, quod *primarii requisiti loco* supponere oportet, rite obseruentur ea, quæ *inspectis morali diligentia*, & *cautione omnibus Circumstantiis* e *re* Ecclesiæ *manifesto* esse uidebuntur. *Fundamentum* afferti non opus est e longinquo petere; sicut enim ex una parte in *hujusmodi contingentiis* quoad *ipsam realitatem conseruatur*, *saluatur*, & *defenditur* Status Ecclesiæ, ita ex altera etiam *Potestati Ordinariæ Clauium*, cujus *annutu*, & *consensu* similia peraguntur, nihil omnino decedit; cum, quidquid Majestas in *Casibus quæstionis effectui* mandat, id omne *non suo*, sed *Ecclesiæ Nomine*, & *Jure* contingat, duraturum *tam diu*, quousque Ecclesia *Vim Potestatis suæ directricis externæ completam* nacta illud uigere uoluerit; vt adeo *in substantia* Superior Ciuilis *nudum auxilium naturale* nullatenus *cum Auctoritate* coniunctum præstet. Quocirca Aduocatia abit in *ordinariam*, & *extraordinariam*, vt *duas Species* eatenus inter se *distinctas*, quod *prior Systema* Ecclesiæ *internum* nulla ratione ingrediatur, *altera* uero circa illud cum *ejusdem annutu* quidem disponat, sed, *paranesi iterum*, *iterumque repetita* si vti liceat, *nomine*, & *modo mere Ministeriali.*

§. X.

Ex deductis facillime Judicium formaueris de *illis Negotiis Ecclesiasticis*, quæ ab *Imperatoribus Carolingicis* æque, ac *Germanicis aliis* persæpe olim peracta circumferuntur. *Fusissimam Hypotyposin* PFEFFINGER. *ad* VITRIAR. *L. 3. Tit. 2. §. 8. a pag. 5. vsque ad pag. 88.* Verum allegata ibidem facta, ac gesta Cæsarum, Regumque Christianorum vel *aperte* inuoluunt *illicitam Vsurpationem Potestatis Clauium*, vel in *complexu suo reali* plura pertinent ad functionem *Protectionis Ordinariæ Ecclesiasticæ*, vel demum profluxere ab exercitio *Aduocatiæ Extraordinariæ*, & *Prouisionalis modo* supra *descripto*; atque hoc *vltimum* crebrius contigit. Certe *exaggerata* ab *eodem* PFEFFINGERO *Exempla*, supposita interim eorundem *plena Veritate facti*, cum hæc punctum præsens *proprie* non concernat, enata fuere vt plurimum *eo tempore*, vbi Ecclesia *Turbis Domesticis* distenta, aut circa *Statum Dogmaticum Orthodoxæ Religionis* aduersus *diuersissimi generis* HÆRESIARCHAS permuniendum occupata erat; quin interea curas ita impense conuertere posset ad *stabiliendum suum Regimen externum.* Id quod tamen inde a *Sæculis XII.* & *XIII. perfectius in opus redigere* coepit, vt adeo ab isto Tempore *rariora*, imo *rarissima* in hisce *Exempla* occurrant.

§. XI.

Sicut Species *extraordinariæ Aduocatiæ §.* præcedenti ventilata *Vires suas* ad *Tuitionem* Ecclesiæ *serio* applicauit, sic datur altera, quæ *in defectu* delinquere tibi

tibi prima fronte videbitur; quam tamen *notam* persæpe non meretur. In cujus rei *Hermeneuticam Dilucidationem* materiam *Pacificationum Germanicarum circa Religionem* vberius in præsenti excutere operæ pretium erit. Itaque Imperatores Romano-Germanici cum confœderatis Ordinibus Catholicis, permittendo, *rem Catholicam e florentissimo, & integrali suo Systemate Germanico præsentem Conditionem tantopere a priori beterogeneam Vi Pactorum Publicorum* subire, meo Judicio eo minus de *neglectu* Aduocatiæ Ecclesiasticæ sibi incumbentis arguendi sunt, cum non *Sponte sua*, sed *dira Necessitate impellente*, & *admotis quasi* toties de passu ad passum *arietibus* ad nominatas Conuentiones accesserint. Rem *Series Historico-Chronologica* RECESSVUM, & LEGVM IMPERIALIVM apertissime oculis subjicit.

§. XII.

I.) *Celeberrimo* EDICTO *Wormatiæ Anno 1521.* promulgato *emergenti Nouitati* circa *rem Religionis* protinus *exterminium* constitutum fuit.

II.) *Anno 1526.*, cum FERDINANDO I., exigente ita ratione Temporis, periculosum uideretur, memoratum *Edictum* exequi, rem totam *Conscientiæ Sociorum noui Cultus* reliquit, Judicans haud dubie, *inapplicabili existente Vi coactiua externa*, eosdem saltem *Vinculo interno* adstrictum iri ad præfati Edicti Obseruantiam; Vid. R. I. *d. A. §. 4.* Demnach haben Wir ꝛc.

III.) *Anno 1529. Periculosissimæ Nouationes in Fide* adeo quotidie succreuerant, vt *iis omnibus* euellendis *impossibilitas ipsa* jam tunc obstaret; hinc saltem in R. I. *ejusd. Anni* §. und nachdem ꝛc. *seqq. seuera* occurrit *Nomothesia*, Vi cujus districte prohibentur *Nouationes Altaris Sacramento, Missæque Sacrificio aduersantes*, & ne in posterum aliæ introducantur sollicite cauetur. Vlterius

IV.) *Anno 1544. Protestantes, ampliata ad se Pace Publica, respectu Constatuum* in *Exercitio suo tuti* redditi fuerunt, *teste* R. I. *d. A. §. 83* doch solle kein Stand ꝛc. *Decreta* autem Imperii, & *Mandata Cæsaris* pro *abolenda noua Confessione* lata (inter quæ potissimum sæpe fatum *Edictum Wormatiense*, vti & *Processus in Camera Imperiali aduersus eandem pendentes*) præcise *in suspenso* manere jussa sunt, *cit.* R. *§. 92.* so viel das Recht belangt ꝛc. & *§. 44.* so soll auch ꝛc. Adeoque *Exercitium liberum*, profluentemque inde *Protectionem* Imperii *Specialem*, & vltra *simplices Pacis Publicæ profanæ Terminos* aliquid operantem eo tempore *Confessio Augustana* necdum obtinuit, quæ tamen ipsa

§. XIII.

V.) *Anno 1552.* successit; Vid. TRANSACT. PASSAV. *§. 8.* und mittler Zeit ꝛc. & §. was alsdann ꝛc. Neque sic contenti *Status Protestantes*, Cultui

Cultui suo PALLADIUM PROTECTIONIS PUBLICÆ IMPERIALIS circumposuisse, in *iisdem Tractatibus* ad *Jura Publica*, & *Politica* Imperii *Solis Catholicis propria* adspirare cœperunt, *Votique sui omnium primo*, *intuitu Assessoratuum Cameralium*, compotes facti fuerunt, id quod ex *eadem* TRANSACT. PASSAV. *§. 11.* so viel aber ꝛc. *§. 12.* es haben auch ꝛc. palam est. Poterant nempe Catholici in hoc eo magis condescendere, quod *Functio Assessoralis* Cameræ de se esset *res mere indifferens*, & *politica*, qua communicata de *rebus*, & *fortunis suis adeo immediate* non agebatur. Verum

§. XIV.

VI.) *Anno 1555.* de *Corio Catholicorum* propius ludi cœpit, dum A. C. non modo *pleniori forma* in *Exercitio suo tolerata*, sed etiam ex *Bonis Antiquissimis* Ecclesiarum Catholicarum *ditata* fuit, *hoc* interueniente *Pacto*, vt *Bona Ecclesiastica* MEDIATA, in quorum *possessione actuali* Catholici nec *Tempore Conuentionis Passauiensis*, nec *intermedio vsque ad* PACEM RELIGIOSAM fuere, *A. C. addictis* in posterum relinquerentur, *docente* id *eadem Pace Religiosa §. 6.* ibi: „Dieweil aber „etliche Stände, und derselben Vorfahren etliche Stift, Clöster, und an„dere Geistliche Güter eingezogen, und dieselbige zu Kirchen, Schulen, „milden, und anderen Sachen angewendet, so sollen auch solche eingezogene „Güter, welche denjenigen, so dem Reich ohne Mittel unterworfen, „und Reichs-Stände seynd, nicht zugehörig, und deren *Possession* die „Geistlichen zur Zeit des Passauischen Vertrags, oder seithero nicht ge„habt, in diesem Friedens-Stand mit begriffen, und eingezogen seyn, „und bey der Verordnung, wie es ein jeder Stand mit obberührten, „und allbereit verwendeten Gütern gemacht, gelassen werden, und die„selbe Stände in- noch ausserhalb Rechtens, zu Erhaltung eines beständigen ewigen Friedens, nicht besprochen, noch angefochten wer„den ꝛc.

§. XV.

VII.) *Anno* denique *1648.* *Vi* PACIFICATIONIS OSNABRUGENSIS *Art. VII.* *pares* reddebantur quoad *omnes fauores publicos* sic dicti *Reformati A. C Consortibus*; qui *noua hac Compage* consociati fere ad *apicem nouorum Jurium*, & *Prærogatiuarum* contendebant, *eo* quidem *effectu*, quem *ejusdem Pacis Art. V.* prolixe repræsentat. Sic ipsis

I) Tenore *d. Art. §. 1. Transactio* &c. *plenum Religionis Exercitium extantiori* adhuc *formula* permissum, & circa finem ejusdem §. inter *Status Vtriusque Religionis* quoad *Negotia Publica Æqualitas exacta mutuaque* stabilita est; id quod & ratione *subditorum Vtriusque Religionis*, *rerumque*, ac *Jurium priuatorum* incul-

inculcat *§. 35. siue autem Catholici* &c.; sed de *genuino* horum *§§. sensu* per decursum plura occurrent. Inde

II.) Amplificata est dispositio ad ea, quæ *Punctum Religionis*, ac *Systema Ecclesiastico-Catholicum* non *externo* duntaxat *modo*, *effectuum Ciuilium*, & *Politicorum* adinstar, sed vere *intrinsece tanquam partes* ingrediuntur, vt adeo ratione Ecclesiæ Germanico-Catholicæ *quoad Antiquissimæ Possessionis Statum Heterogenea* omnino *Facies* inducta fuerit.

§. XVI.

Et *duplici* quidem *modo* facta est *Imminutio* hæc, scilicet vel *suspendendo*, ac pro præsenti *inefficacia reddendo Jura Catholica*, *vel eadem A. C. addictis attribuendo*. *Prius* euidenter probant *Casus sequentes*, siquidem

I.) Jura *Mensium Papalium*, *Pallii*, *Confirmationum Episcopalium*, *Annatarum*, & *hujusmodi* in *Bonis Statuum A. C. Ecclesiasticis immediati*[illegible] *mi Pontificis* ab *effectu actuali* suspensa [illegible] *autem Artic. V. §. 19. Si quid Annatarum* &c.

II.) *Jurisdictio Catholico-Ecclesiastica* antea *Vi* PACIS RELIGIOSÆ §. secundum *Editionem Schmausianam 20.* damit auch obberührte 2c. tantummodo in iis, quæ *A. C. Cultum qua talem* tanquam *necessariæ partes* constituunt, in Verbis: „so soll die Geistliche *Jurisdiction* .... wieder die Augspurgische *Confession*, *Religion*, Glauben, Bestellung der *Ministerien*, Kirchen-Gebräuchen, Ordnung, und *Ceremonien*, --- nicht *exercirt*, gebraucht, oder geübt werden 2c. 2c., Vires *actu exserere* prohibita, modo *dictante §. 48.* in *integra sphæra sua* aduersus *A. C. Status*, eorumque *subditos* suspensa esse jubetur, ibi: „JVS DIOECESANVM, „& TOTA JVRISDICTIO ECCLESIASTICA CVM OMNIBVS SVIS SPECIEBVS contra „Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status, comprehensa libera „Imperii Nobilitate, eorumque subditos, tam inter Catholicos, & Augustanæ Confessioni addictos, quam inter ipsos solos Augustanæ Confessionis Status „VSQVE AD COMPOSITIONEM CHRISTIANAM DISSIDII RELIGIONIS SVSPENSA „esto, & INTRA TERMINOS TERRITORII CVIVSQVE Jus Diœcesanum, & Jurisdictio Ecclesiastica se contineat, &c. Quod autem

§. XVII.

III.) Concernit *positiuam adquisitionem e fortunis Catholicorum*, ea continet *Ecclesiarum*, *variarumque Fundationum piarum Bona*, *Reditus*, & *Jura Temporalia*. Confer. *§. 2. Terminus a quo* &c. §. 14. *Bona Ecclesiastica* &c. *§. 20. In quorum autem* &c. *§. 23. Quot Capitulares* &c. *§. 24. Qui Archiepiscopatus* &c. *§. 25. Quæcunque Monasteria* &c. *§. 45. Ratione redituum* &c. Atque

hæc

hæc *Methodus Seculo dandi Fundum Ecclesiæ Catholicæ* TABVLIS OSNABRVGENSIBVS ampliata longe fœcundissima existit, cum complectatur *Bona*, ac *Jura tam* IM- quam MEDIATA, & quidem *a Termino Anni 1624. vel totius*, vel pro *diuersitate objectorum* respiciendo *ejusdem Anni diem primam Januarii*, id quod ex *allegatis* §§. certum est; eo vsque enim *fimbrias suas Pacificatio Religiosa* nequaquam extendebat. Reuolu. *hujus Cap. §. XIV.* Quin & porro *A. C. addicti* in *Tractatibus Osnabrugensibus* ad ipsa etiam *Superioritatis Ecclesiastico-Catholicæ*, vel *proxime ex hoc fonte deflua Jura* eluctati fuere. Sic Vi *ejusd. Art. V. §. 26. Omnia quoque* &c. *Vers. quodsi quoque* &c. *Ordinibus Protestantibus, si in Bonis Ecclesiasticis mediatis dicto anno, dieque* (nimirum *prima Januarii 1624.*) *a Catholicis realiter, plene, vel ex parte possessis* JVRA PRÆSENTANDI, VISITANDI, INSPECTIONIS, CONFIRMANDI, CORRIGENDI, PROTECTIONIS, APERTVRÆ, HOSPITATIONIS, SERVITIORVM, OPERARVM *habuerunt*, *Jura ista sarta tectaque manere* debent. Denique vigore *§. 30. quantum deinde* &c. iisdem cautum, [illegible]que fuit *de Jure reformandi*, Vi cujus *Catholicos subditos fatali præsidio Decretorii Temporis non munitos*, etiamsi *propriis sumtibus* uelint restaurare *Exercitium Catholicum*, a Territoriis suis arcere possunt. De quæstionibus hanc materiam propius attingentibus infra pluribus tractabitur.

MANTISSA

De Norma Pacificationum Religiosarum.

§. I.

Ex hactenus deductis luculentissime patet, quibus gradibus *A. C. addicti* vna cum *sic dictis Reformatis* ad Systema suum hodiernum pertigerint, ita, vt

I.) *Protectionem*, & *Securitatem Imperialem* adinstar Religionis Catholicæ,

II.) *Jus Ciuitatis Germanicæ* tam in *Publicis*, quam in *Priuatis*,

III.) *Exemtionem* ab *Imperio Ecclesiastico Catholico*, & *Pontificio*, & *Episcopali*, saltem si dicti Imperii, præprimis posterioris *Actum secundum* operationis *certo modo* respicias;

IV.) *Bona*, & *Jura* Catholicorum *Ecclesiastica*, & demum

V.) *Jus ipsum reformandi* sibi adquisiverint. Inde quæstio minime otiosa occurrit: *Vtrum Corpus Pacificationum Religiosarum constituat* REGVLAM VNICAM, & ADÆQVATAM *inter Catholicos*, & *A. C. Consortes*, *eosdem ex vtraque parte plenissime*

ſime parificantem, quantum ad Religionem, ejusque annexa attinet? An potius per MODVM EXCEPTIONIS *ſe habeat?*

§. II.

Prius Proteſtantes tenent, *poſterius* Catholici affirmant, aſſeruntque, ſe indubie *ante ſubortos ſic dicta Reformationis motus* in *pleniſſima*, & *priuatiua poſſeſſione*, tam *quoad Eccleſiaſtica*, quam *Politica*, extitiſſe; licet igitur de ea Vi Tractatuum Religioſorum in plurimis decedere juſſi fuerint, *Regulam* tamen *antiquiſſimæ hujus poſſeſſionis* pro ſe adhuc militare, vbi *contraria* in ſæpe memoratis Pactis Publicis *Diſpoſitio* non reperitur. Roborant Theſin vlterius inde, quod A. C. addicti ipſimet id enixiſſime ſemper egerint, vt *Negotium Religionis*, quatenus *inter eos*, & *Catholicos* uerſatur, atque Conuentionibus Publicis *liquido deciſum non* eſt, non ex *Imperio proprie ſic dicto*, ſed ad *nuda Juris Naturæ*, ac *Gentium Principia* componeretur; Jam vero ſatis expeditum eſſe inferunt, quod inter *Normas Controuerſiarum diciſiuas a Gentibus receptas principaliſſimum locum Poſſeſſio* occupet.

§. III.

Contendunt porro, huic Principio Fundamentali *ſine efficacia* opponi *Rationem ab Æqualitate mutua Vtriusque Religionis Statuum deſumtam*; etſi enim ea non tantum *in Negotiis priuatis* ſubditorum, ſed etiam *in Publicis*, ſi quæ hinc inde *pro futuro determinanda* enaſcantur, rite applicetur, *cit. Art. V. ſ. 1. Transactio* &c. *ſ. 35. ſiue autem Catholici* &c. Quod poſterius Exempla varia comprobant, ſiquidem I. P. O. *eod. Art. ſ. 51. ſpecialem Sanctionem* continet, Vi cujus

I.) In *Conuentibus Deputatorum* Imperii *Ordinarlis numerus* ex *Vtriusque Religionis Proceribus æquandus*, &, vbi *extraordinariis Commiſſionibus* Negotia in Imperio expedienda occurrunt, ſi *res inter Catholicos*, & *A. C. Status verſatur*, vtriusque Religionis *pari numero* Commiſſarii denominandi, & ordinandi ſunt. Quin in CAPITVL. NOVISSIM. *Art. XVIII.* §. *5.* ea de re *Cautela amplior* adjecta in verbis: „Dabey auch, wann die Sachen beyderley Religions-„Verwandten betreffen, in Ernennung der *Commiſſarien*, ſo viel mög-„lich, auf eine Gleichheit ſehen, hingegen keinen, der ein eignes *Intereſſe* „dabey hat, darzu verordnen, immaſſen ſonſten dergleichen *Commiſſiones* von keiner Kraft ſeyn ſollen. Præterea

II.) *Idem Pactum Capitulare* AVGVSTISSIMI NOSTRI *Art. IV.* §. *3.* vlterius argumentum ſuppeditat, ibi: „Dergleichen Reichs-Krieg ſodann „nach Innhalt der Reichs-Conſtitutionen, der Executions-Ordnung, und „Inſtrumenti Pacis geführet, auch die von Uns, und dem Reich in gleicher

 Anzahl

„Anzahl beyder Religionen zu bestellende *Generalität*, samt denen eben„falls in gleicher Anzahl von beyden Religionen zu ernennenden Kriegs„Raths-*Directorn*, und Räthen sowohl, als das ganze Kriegs-Heer in „Unsere, und des Reichs Pflichten genommen werden solle, wie solches alles „die auf solche Reichs-Kriegs-Fälle ergangene Reichs-Schlüsse erforderen, „und mit sich bringen.

§. IV.

Licet, pergunt Catholici, hæc ita sint, & insuper *ista Æqualitas* ad *Objecta de præterito esse suum*, & *stabilitam originem habentia* Vi Pacis persæpe extensa reperiatur, cum constet, jam *Anno 1559.*, testante *R. I. ejusd. Anni §. 50.* auf daß dann ꝛc., *munera Deputatorum Ordinariorum* Imperii *initio* saltem *personalia* exactiori methodo firmata, certisque Statibus *Jure perpetuo* adsignata fuisse; itemque *Judicium Imperiale Aulicum* jam pridem *ante Tractatus Westphalicos* viguisse; quin *in priori Casu* ratio *Paritatis Statuum ex vtraque Religione* habita fuerit, aut *in posteriori* A. C. *Jus vllum publice quæsitum* habuerit, ad supremum hoc Archidicasterium *subjectum aliquod e Gremio suo* promouendi. Quod tamen vtrumque in *Pace Religionis Nouiori*, scilicet *Osnabrugensi. Art. V. §. 51. In Conuentibus Deputatorum* &c. obtinuit, sic quidem, vt *ex dictis supra numerus Deputatorum Ordinariorum ex Vtraque Religione æquandus*, idemque *Vi §. 53.* in Judicio Aulico obseruandum, atque *eo numero* adsciscendi sint *Consiliarii* A.C. *additi, vt eueniente Casu paritas Judicantium ex Vtraque Religione Assessorum obseruari possit*. Et quamuis porro *in rebus pure Ecclesiasticis, & Religionem concernentibus* sæpe fata LEX MVTVÆ ÆQVALITATIS frequenter admodum diserte *ad præteritum* respiciat; id quod ex *eod. Art. V. a §. 2. Terminus a quo* &c., vsque ad *§. 48. Jus Diœcesanum* &c. passim colligere licet;

§. V.

Attamen ex aduerso hoc æque pro certo habent Ordines Catholici, *ad reliqua omnia Objecta pro præterito jam radicata, fundata, & firmata solam Clausulam generalem §. 1. Transactio* &c. minus recte ampliari, sed illa merito relinqui *Originariæ suæ Constitutioni, & Personis*, quibus olim competiere. Sic, vt rursus per nonnulla exempla eam, Catholici sibi *Jure Majoritatem Votorum in Collegio Electorali* conseruant, & eandem nouissime, anno nimirum 1708., quo *diu protracta* DVCIS BRVNSVICO-HANNOVERANI in Collegium Electorale *introductio Vnanimi Placito* Ordinum Imperii demum decreta est, sibi speciatim reseruarunt. Euolu. SCHMAVS. *Corp. Jur. Publ. Acad. pag. 1311. & seq.* Ita *absque intentione fundata* petere videntur Protestantes, vt Imperator *alternatiue* Catholicos, & A. C. Judices *Camerali*, aut *realiter tot Consiliarios A. C., quot Catholicos Aulico suo* præficiat *Judicio*, atque Elector Moguntinus in *adornanda Cancellaria Camerali*

merali paritatem Religionis obſeruet; quod poſterius in *vltima Viſitatione* Cameræ Imperialis acriter vrgebant, FABRI Staats-Canzley *Tom. XL. C. XI. N. 6.* Ad hæc omnia accedit *Ratio fundamentalis*, ſiquidem *Lex*, & *Pactum quodlibet*, *quousque aliud in ſpecie non exprimitur*, *ex natura ſua tantum tendit ad futura*, *non vero negotiis præteritis formam tribuit*, *adeoque Juribus præcipue ſpecialibus*, *tantique momenti derogare neutiquam cenſetur*.

§. VI.

Multo minus *hæc Æqualitas mutua* per modum regulæ *ad Rem Eccleſiaſtico-Catholicam* in Germania trahi, ejusque *integrali Syſtemati*, & *Originariæ Conſtitutioni* obeſſe poterit. Quin potius, ac *præcipue* quoad hoc objectum *Poſſeſſioni noſtræ antiquiſſimæ* eo fortiori Jure inſiſtimus, quia in PACE RELIGIOSA §. *16. in formalibus*:

„Dargegen ſollen die Stände, ſo der Augſpurgiſchen Confeſſion verwandt, die Römiſch-Kaiſerliche Majeſtät, Uns, und Churfürſten, Fürſten, und andere des Heiligen Reichs Stände der alten Religion anhängig, Geiſtliche, oder Weltliche, ſamt, und mit ihren Capituln, und anderen Geiſtlichen Stands, auch ohngeachtet, ob oder wohin ſie ihre *Reſidenzen* verruckt, oder gewendet hätten, (doch daß es mit Beſtellung der Miniſterien gehalten werde, wie hierunten davon ein ſonderlicher Articul geſetzet) gleichergeſtalt bey ihrer Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, und *Ceremoni*en, auch ihren Haab, Gütern, liegend, und fahrend, Landen, Leuten, Herrſchaften, Obrigkeiten, Herrlichkeiten, und Gerechtigkeiten, Renten, Zinſen, Zehenden, unbeſchwert bleiben, und ſich derſelbigen friedlich, und ruhiglich gebrauchen, genieſſen, unweigerlich folgen laſſen, und getreulichen darzu verholffen ſeyn, auch mit der That, oder ſonſt in ungutem gegen denſelbigen nichts fürnehmen, ſondern in alle Wege nach laut und Ausweiſung des Heiligen Reichs Rechten, Ordnungen, Abſchieden, und aufgerichten Land-Frieden, jeder ſich gegen den andern an gebührenden ordentlichen Rechten begnügen laſſen, alles bey Fürſtlichen Ehren, wahren Worten, und Vermeidung der Poen in dem aufgerichten Land-Frieden begriffen ꝛc.

ſpecialiſſime eſt confirmata. Jam autem ſicut *Pacificatio Osnabrugenſis pro perpetua dictæ Pacis Religioſæ Declaratione* recte habetur *in iis Caſibus*, vbi *hæc dubie*, *illa* vero *clare* diſponit, prout ſancit *Art. V. §. 1.* Verſ. *quæ vero de nonnullis* &c., ita

ita *e conuerso*, quando memorata Pax Westphalica *dubie*, *motiuis realibus se in vtramque partem exserentibus*, Religiosa vero *clare*, & *decisiue* loquitur, hæc merito audienda est; cum *§. modo cit. Art. V* vna cum *Transactione Passauiensi recenter ratificata*, ideoque *in effectu pars Instrumenti Osnabrugensis* reddita fuerit. Merito itaque *eadem firmitudine* gaudet, ita quidem, vt *contra Tabulas Vtriusque Transactionis*, *vllumue earum Articulum*, *aut clausulam nulla Jura Canonica*, *vel Ciuilia &c.*, *nulli alii quicunque prætextus excogitabiles allegari*, aut *admitti valeant*. *I. P. O. Art. XVII. §. 3.* Donec nimirum in vno alteroue objecto *Particulari*, vbi *Pacificatio* VTRAQVE, tam *Religiosa*, quam *Osnabrugensis reale dubium relinquit* (si tamen Hypothesin hanc quoad *Catholicos in respectu ad* eorum *antiquissimam Possessionem* locum adinuenire, modo deducta sinant) aut alias inter *Vtriusque Religionis Proceres secus* conuenerit. *Eod. Art. V. §. Vtriusque Religionis &c. 50.* Non possum non addere, etiam *ex ipsis Protestantibus* esse, qui *Catholicos Antiquitate Possessionis*, & *Jurium Superiores* esse fateantur. Adeatur *Celeberr.* HENNIGES. *ad I. P. O. Art. V. §. 23. Lit. E.*

§. VII.

Juuat vlterius *a Regula nostra in cit. §. 16. Pac. Relig.* luculentissime fundata *ad Hypothesin*, & *Exempla* transire. Ac primo quidem occurrit Casus *in P. O. Art. itidem V. §. 23.*, vbi *Verbis initialibus* disponitur: „QVOT CAPITVLARES AVT CANONICI *die prima Januarii Anni 1624. vspiam vel A. C.*, *vel* „*Catholici fuerunt*, TOTIDEM *illic ex Vtraque Religione erunt semper*, *nec dece-* „*dentibus nisi ejusdem Religionis Consortes surrogentur &c.*„ Jam quidem Vi hujus Textus Numerus Capitularium aut Canonicorum Vtriusque Partis, qualis *Anno Decretorio* fuit, etiam in posterum *saluus*, *& integer perseuerare* debet; sed ponamus, *computatis Capitularibus* aut *Canonicis*, *tam Catholicis*, *quam A. C. addictis* NVMERVM FVNDATIONIS NECDVM COMPLETVM *esse*; hic sane quæstio enascitur: *An Membris Catholicis Jus competat*, *eundem e suo Gremio supplendi*, *vel secus?* Mouet hoc dubium ipse DECKHERRVS *A. C. Doctor Consult. Forens. Lib. 1. Cap. XXIV. N. 5.* ibi: „*Quid Juris*, *si certus Canonicorum numerus* „*in Fundatione præscriptus successu temporum*, *postea a Catholicis*, *& Protestantibus* „*possessus*, *Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto autem*, CVJVS TEMPORIS „JVRA, NON ANTECEDENTEM PRÆTENSIONEM, JVRAVE RESPICIMVS, *ab* „*vtraque parte non completus fuerit*, *sed mancus extiterit* (*non*, AN IN POSTERVM „SVPPLENDVS SIT, VEL MANCVS RELINQVENDVS? DE HISCE ENIM DVBI- „TARE NON CONVENIT) *sed ex qua Religione supplementum illud quærendum sit?* Hæc ex DECKHERRO, qui *supplendum omnino numerum* præsupponit, vel ideo adjicere visum fuit, quia HEINRICO HENNIGES. *in Meditat. ad I. P. O. Art V. §. 23. p. 183.* cum DECKHERRO neutiquam conuenit. Euolu. *pag. cit.* vsque ad Lit.

Lit. F. Verum quidquid ſit, *ſeries realis contentionis* eo recidit: *Num Verba Textus* QVOT, TOTIDEM, *accipienda ſint in poſitiuo, an vero in excluſiuo ſenſu?* Et prius adſtruendum videtur, quia *Termini ſignificantes* non poſſunt eſſe *latiores ſignificato;* atqui *ex Principiis Geometricis, & Arithmeticis* ſufficienter patet, *ſignificationem realem numeri cujuslibet* includere *omnes numeros, & quantitates inferiores*, ita tamen, vt *ſuperiores non excludantur*, niſi *particula excluſiua* TANTVM, TANTVMMODO, *ſimileſue* caute adhibeantur, quarum nulla *in noſtro* §. repiritur; vt adeo de *numero* tantum *poſitiuo*, qualis ex Vtraque parte tam Catholicorum, quam A. C. addictorum Capitularium *Tempore Normali* fuit, merito intelligendus veniat. Et demus etiam liberaliter, Catholicis in hoc paſſu *Certitudinem omnimodam* non ſuffragari, *Ratio* ſane *probabiliſſima* eis opitulabitur, quæ itidem ex parte Proteſtantium *Certitudinem* elidit, cum ſaltem PACTVM OSNABRVGENSE *rem dubiam, & indeciſam* relinquat; atque hinc *Regula* §. *praced.* commendata merito ſubintrat.

§. VIII.

Conſimiliter occaſione §. *31. hoc tamen non obſtante* &c., (cujus Sanctione *Statuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli, & ſubditi, cujuscunque generis, qui ſiue publicum, ſiue priuatum A. C. Exercitium Anno 1624. quacunque Anni parte, ſiue certo pacto, aut priuilegio, ſiue longo vſu, ſiue ſola denique obſeruantia dicti anni habuerunt, retinent id etiam in poſterum vna cum annexis, quatenus illa dicto Anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt,* &c.) ſuboritur alia quæſtio: *quid in Caſu, quo & Catholici, & A. C. Conſortes ſubditi eodem iſto Anno Normali per ſucceſſiuas ejus partes, & in vno eodemque loco indiuiduali Cultum ſuum exercuere, ſentiendum, aut quæ deinceps celebrandi exercitii Religionis vel vnius, vel vtriusque ineunda ſit ratio? Illuſtris* HENNIGES *in Meditat. ad I. P. O. Art. 5.* §. *31.* Verſ. *quacunque Anni parte p. 444* exiſtimat, rem uel *ad modum interdicti vti poſſidetis* in ordinem redigendam, vel Eccleſiam Vtriusque Religionis Sociis *in communi* relinquendam, *Cultum* vero *actualem* vtrinque *per alternatiua temporum ſpatia*, confuſionis euitandæ gratia, inſtituendum, & *amica Conuentione* determinandum eſſe. Ego rurſus Judico, in hac Hypotheſi *ſubditos Catholicos A. C. addictis* præferendos, potioresque habendos eſſe, eo quod hos vltimos fundamentum intentionis ſuæ vnice haurire oporteat *ex Tabulis Pacis Osnabrugenſis*, ejusque *Art. V.* §. *31.*, in quo *Annus Normalis quoad ſubditos* proprie Sedem ſuam habet; jam vero in præſenti objecto memoratus Annus ſubditis Proteſtantibus non ſuccurrit, cum connexio inter ejusdem *initialia*, & *præcedentis* §. *30. finalia Verba* diſerte doceat, ſæpe fatum Annum *tunc modo ſubditis* legaliter prodeſſe, quando ipſis *cum ſolis Dominis Territorialibus in ordine ad excludendum actuale exercitium Juris reformandi* immediate res eſt, quod non contingit in noſtro caſu, vtpote qui potius *ipſos ſubditos Vtriusque Religionis inter ſe inuicem concertantes*

proxime respicit, adeoque hic decisio rursus desumenda est *ex Pace Religiosa in specie tali*, ejusque *§. 16. sæpe cit.* Plura Exempla angustum Propositi Spatium non admittit.

CAPUT III.

De Jure Augustissimi Imperatoris, & Imperii circa rem Religionis Germanicam.

SECTIO I.

De Imperatoris, & Imperii Nomothesia Religiosa.

§. I.

Exigit justus connexionis Ordo, vt *materiam Religionis*, quatenus Catholicos, & A. C. addictos respicit, in Mantissa præuia quasi ex incidenti cœptam recto tramite prosequar. In hunc Finem suppono *loco fundamentalis Principii Germanici*, si opus foret, *ab inductione* omnis generis, & nominis Sanctionum Imperialium facillime demonstrandi, *quascunque Constitutiones Auctoritate Suprema Imperiali legitime promulgatas non Subditos tantum mediatos Germaniæ, sed Status, Ordinesque quoscunque, & hos quidem in sensu distributiuo*, vt ajunt, *sive prout singuli sunt, firmissime obligare, adeoque & Pacificationes Publicas Religiosas eodem effectu gaudere.*

§. II.

Quod vero ad *Causam Originariam*, & *efficientem* Legum nostrarum publicarum attinet, ea generatim versatur *in Pacto* non præcise *ratione modi rei gerendæ*, *perficiendæque* tali, quasi negotio Legislationis mutuo Consensu eorum, quibus hæc Prouincia propria est, rite, exacteque absoluto, atque deciso, resultans inde Obligatio *Virtute Legis proprie dictæ* teneat quidem *Status*, non vero *aliquo Nexu* obstringat *Imperatorem*, qui potius *ciuiliter liber* habeatur; Sed & *in Substantia*, ac *effectu Naturam mere pactitiam* sortitur Nomothesia Germanica, consequenter Imperatores Nostri, & Ordines Imperii collectiue sumti ex Legibus Publicis *tanquam ex Conventione peræque*, & *consimili ratione* (dummodo *supremæ* MAJESTATIS IMPERATORIÆ *Proëdria, ac Dignitas Coactionis externæ nescia* excipiatur) obligantur. Cui Doctrinæ euidentissime adstipulatur *Clausula Vsitatissima Recessibus Imperii* adjici solita, qua Imperator, & Status ad *reciprocam, mutuamque* hujusmodi Sanctionum *Obseruantiam* circa *Negotia Imperium*

rium ipſum regulariter concernentia ſe ſe deuincire amant. Ita ſane, vt ab *Epocha* MAXIMILIANI I. *tanquam moderni Status publici Romano Germanici maxima ex parte Fundatrice* exordium ducam, ac reliquas Conſtitutiones antiquiores prætercam, ORDINATIO REGIMENTI *de Anno MD.* §. 47. Und aber ꝛc. ediſſerit, ibi:

„Haben Wir (*MAXIMILIANUS IMP.*) Uns mit den genannten „Unſeren Lieben Oheimen, Churfürſten, Fürſten, und andern „des Reichs Ständen allhie verſammlet - - - - - - verbunden, ver„pflicht, und gegen einander unwiederruflich verſtrickt, verbin„den, verpflichten, verſprechen auch für Uns, und Unſere Nach„kommen am Reich, Römiſche Kaiſer, auch König, auch Unſer „Erben, und Erbliche Land, bey Unſern Königlichen Würden, „und Worten, in- und mit Kraft dieſes Briefs, ſolche Ordnung, „und Regiment Unſers, und des Heiligen Reichs Rath, mit vor„bemeldem Befehl, und Macht, auch Gericht, Frieden, Hand„habung, und der gemelden beſchloſſen- und vereinigten Hülf ſtät „und veſt zu halten, und zu vollziehen, darinn nicht zu tragen, „zu irren, noch ichts darwieder fürzunehmen, in keine Weis, ſon„der dieſelbe, und alles das, ſo derhalb durch Uns, oder in Un„ſerm Abweſen durch den, ſo Wir darzu verordnen werden, und „das vorgemeld Regiment, und Rath den mehrern Theil, oder „das Gericht, gehandelt, beſchloſſen, und erkannt wird, zu „handhaben, bleiben, und vollziehen zu laſſen; Alles ſonder Arg„liſt, und Gefährde ꝛc.

„Und Wir (*Electores*, *Principes*, & *Status reliqui*) bekennen, und „thuen kund allermänniglich hiemit in Kraft dies Briefs für Uns, „Unſere Nachkommen, Erben, und von deren wegen Wir Ge„walt haben, daß - - - - - - ſolch Ordnung, Regiment, Recht, „Gericht, Handhabung des Friedens, und vorbeſtimmte Hülf der „6. Jahr, wie obſtehet, mit Unſerem Willen und Rath zuſagen, „und annehmen, wie die durch die Königliche Majeſtät geordnet, „fürgenommen, gemacht, und in dieſen gegenwärtigen Vertrag, „*Contract*, und Verpflichtung gefaßt iſt, und daß Wir Uns gegen, „und mit ſeinen Königlichen Gnaden derhalb verbunden, ver„pflicht, und unterwürflich verſtrickt haben: Verbinden, ver„pflichten, und verſtricken Uns alſo hiemit in Kraft dieſes Briefs. „Gereden, und verſprechen auch Wir Churfürſten, und Fürſten „bey Unſern Fürſtlichen Ehren und Würden, und Wir andere ob„gemelde Ständ, in guten, wahren Treuen und Glauben, an

„Eyds statt, dieser Ordnung, Rath, Handhabung, und Hülf Folg zu „thuen, und Königlicher Majestät, oder in ihrem Abwesen dem, „so Seine Königliche Majestät an Ihr Statt darzu verordnen, „und dem gedachten Regiment, und Rath, in Gebothen, und „Verbothen, so in Kraft dieses Briefs ausgehen werden, gehor„sam zu seyn, und die zu vollziehen, alles getreulich, und unge„fährlich 2c.

§. III.

His gemina adnectit R. I. N. §. 197 über dies haben Wir 2c. ibi:

„Solches alles und jedes, wie hieroben geschrieben stehet, und „Uns Kaiser FERDINAND den Dritten berühren thut, gereden, „und versprechen Wir bey Unsern Kaiserlichen Würden, und „Worten, stät, vest, und unverbrüchlich, aufrichtig zu halten, „zu vollziehen, deme stracks nachzukommen, und zu geleben, „sonder Gefährde.

„§. 198. Dessen zur Urkund haben Wir Unser Kaiserlich In„siegel an diesen Abschied henken lassen.

„§. 199. Und Wir die Churfürsten, und Stände, und der „Abwesenden verordnete Räthe, Bottschaften, und Gesande be„kennen auch offentlich mit diesem Abschied, daß alle und jede ob„beschriebene Puncten, und Articul, als wie obstehet, mit Un„serm guten Wissen, Willen, und Rath vorgenommen, und be„schlossen seynd; Willigen auch dieselbe alle samt und sonderlich hie„mit, und Kraft dieses Briefs, gereden, und versprechen auch in „guten wahren Treuen, die, so viel einen jeden, oder den, von „dem er geschickt, oder Gewalthabend ist, betrift, oder betref„fen mag, wahr, stät, vest, aufrichtig, und unverbrochen zu „halten, und zu vollziehen, und deme nach allem Vermögen „nachzukommen, und zu geleben, sonder Gefährde.

Atque *ab hac Norma* nullus Recessuum recedit, prout Corp. Recess. Imp. ad oculum ostendit; Addit insuper Capitulatio Cæsarea Novissima *Art.* 2. §. 3. ibi:

„- - - - - - Wie auch insonderheit (wollen Wir) alles dasjenige, „was bey vorigen Reichs-Tägen verabschiedet, und geschlossen, „und durch die nachfolgende Reichs-*Constitutionen*, und Gesäze „nicht wieder aufgehoben worden, oder bey Reichs-Tägen für „gut befunden, und geschlossen werden möchte, gleich wäre es

dieser

„dieser *Capitulation* von Worten zu Worten einverleibt, ståt, vest,
„und unverbrüchlich halten ꝛc.

Cujus *tenore expresso* Imperator etiam *ad futurarum Legum Publicarum Obseruantiam prauia conuentione* se se obstringit.

§. IV.

Prono inde alueo fluit, pro *regulari qualitate Paciscentium* semper *de Parte ad Partem* agi, quoties Imperium nostrum *in actuali determinatione Negotiorum Publicorum* occupatur, ita, ut illos malè loqui haud dixerim, qui *semissem Comitiorum Imperatori, alterum semissem Statibus Imperii* tribuunt; non quidem eo intellectu, vt *accedente Consensu Statuum qualicunque, etiam singularis Collegii, aut Ordinis ad Sententiam Imperatoris, eadem praeponderet, ac Legem & Conclusum Imperii Pragmaticum efficiat, sed hoc modo, vt perinde, ac in Pacto, Consensus Imperatoris, & Consensus Statuum sint* DVAE CONCAVSAE, & DETERMINANTIA CONSTITVTIVA CONSENSVS LEGALIS AD CONCLVSVM IMPERII SVFFICIENTIS, *atque adeo vna Pars Consensus bujus Legalis Imperatori, altera Statibus tribuatur.* Inuictum eam in rem Argumentum suggerit *I. P. O. Art. VIII. §. 2. gaudeant &c.* De *Numero* autem *Suffragiorum* in Consultationibus Comitialibus id notandum, MAJORA *ex Principiis Iuris Publici Uniuersalis in quolibet Collegio* regulariter concludere, cum non detur *expeditior modus*, Consultationes plurium *ad effectum* deducendi, quod & *Leges Imperii Fundamentales* paulo post recensendae indubium relinquunt.

Vtrum vero Majora etiam obtineant ratione Collegiorum, Electoralis, Principum, ac Ciuitatum in formando Imperii placito, siue *an Imperator approbando placitum Statuum non tribus solum, sed & duabus trium Collegiorum Sententiis vniformibus constans Legem Imperii, & Conclusum commune efficere queat?* Id quidem extra controuersiam non est; siquidem non desunt inter Publici Juris Doctores, qui *Jus Majorum in separatis tantum Collegiis* locum habére contendunt, *Placitum* trium Collegiorum *efficax*, ein vollkommenes Reichs-Gutachten, nonnisi *tribus trium Collegiorum Sententiis vniformibus* constitui existimantes; Vid. AUCTOR des *Discurs*, wie weit Jhro Kaiserl. Majeståt in Reichs-Geschäften, da die *Vota* deren Reichs-*Collegiorum different*, durch Dero Beyfall der Sach den Ausschlag zu geben zugeeignet werde? ELECT. I. *Publ. Tom. II.* §. *19. pag. 255. seq. &c.*

Quae tamen Sententia non sine ratione ab aliis de Praxi Imperii melius edoctis rejicitur, rectius plurium Judicio statuentibus, quod *Majora non tantum in Deliberationibus Collegiorum separatorum, sed & in Placito Ordinum ex tribus trium Collegiorum Suffragiis curiatis formando* locum sibi vindicent, ita, vt

 efficax

efficax non minus Placitum haberi debeat, si *duo*, quam si *tria Collegia* in eandem Sententiam concedant; nec minus vnum, quam alterum *accedente Ratificatione Cæsarea in Legem Imperii* abeat. Quæ Doctrina vti suis non destituitur *Defensoribus*, Euolu. AUCTOR der Grund-Veste des Heil. Römischen Reichs P. 2. C. 8. FURSTENERIUS *de Jure Supremat. C. 40. & 41.*, atque *Statuum ipsorum calculo* comprobatur, Consul. *Illust. D. de* MEIERN *Act. P. W. publ. T. II. Lib. X.* § *12. p. 139.*, ita *Praxi Imperii* eandem *conformem* esse facile demonstratur; Vid. Europäische Staats-Canzley *Tom. XV. C. 4. n. 3. Tom. XVI. C. 10. Tom. XXVII. C. 3.* PFEFFINGER. VITRIAR. *Illustr. Tom. IV. Tit. 1. §. 72. Lit. c. p. 379. seqq.*

Porro hoc *Jus Majorum* in Negotiis Imp. publicis ab antiquissimo retro tempore viguisse, manifeste patet ex A. B. *Tit. II. §. 6. & fin.* ex R. I. *Treuir. & Colon. §. 7.* Es sollen auch die Churfürsten ꝛc. ibi:

„Und was Dieselbe - - - oder der mehrer Theil aus Ihnen - - - - - „beschliessen werden, dem soll von allen Ständen gefolgt, nachkom„men, und vollnstreckt werden ꝛc.

ex ORDIN. REGIM. *Wormat. de Anno 1521. §. 12.* Würde sich auch begeben ꝛc. ibi:

„Und dem, so durch den mehrern Theil beschlossen worden, Folge „thun ꝛc.

Idem repetit die Erklärung des Land-Friedens zu Nürnberg *de Anno 1522. Art. 3.*, R. I. *Spir. de Anno 1542. §. 25.*, R. I. *August. de Anno 1559. §. 44.* Diesen Beschwerden zu begegnen ꝛc. ibi:

„Setzen, Ordnen, und wollen, was hinfüro in berührten Executions„Sachen, und Handhabung des gemeinen Friedens, durch den meh„rern Theil der Stände eines jeden Crayß, demselbigen Crayß zu „Gutem beschlossen, und statuirt wird, daß solches durch den weni„gern Theil nicht verhindert, noch hindertrieben - - - - werden „soll ꝛc.

Quibus junge R. I. *Ratisb. de Anno 1576. §. 98.* Da dann ꝛc. *de Anno 1594. §. 121.* Da dann die Sachen ꝛc. ibi:

„Alsdann soll das alles in gesamtem gemeinen Rath, auch in Beyseyn „Unserer Kaiserl. Commissarien verrichtet, decidirt, und bey mehrern „gelassen werden ꝛc.

Neque aliud vnquam visum fuit *Statibus* Imperii *tam Catholicis*, *quam Protestantibus*; id quod ad oculum demonstrant *Grauamina Catholicorum in Comitiis Ratisbonensibus de Anno 1641.* ad dictaturam promota apud LONDORP. *Act. Publ.* *Tom.*

Tom. V. Lib. 1. §. 107. pag. 323. Verſ. 6., nec non *Reſponſum Proteſtantium* ad dicta Grauamina eodem anno §. *129.* apud *cit. Auctorem pag. 421.* Omnium autem enixiſſime *de hoc Jure Majorum* teſtantur *Grauamina Proteſtantium in Tractatibus Osnabrugenſibus Anno 1645. & 1646.* Plenipotentiariis Cæſareis, & Cancellariæ Moguntinæ exhibita apud *Illuſtr. D. de* MEIERN *loco cit.* ibi:

„Daß in groſſen Geſchäfften, und ſonderlich, wann es um *Defenſion* „des Heil. Römiſchen Reichs, oder Erwählung eines Ober-Haupts „zu thuen, wie nicht weniger, da zwey Reichs-*Collegia* einer „Meinung mit einander ſeyn, die *Majora* ihre Gültigkeit nach „Ausweiſung *Pacis Publicæ*, und *A. B.* ohnwiederſprechlich hal„ten ꝛc.

§. V.

Verum *Regulam adeo commendatam* I. P. O. inſigniter reſtrinxit, dum *Art. V. §. 52.* *Exceptiones notatu digniſſimas* adjecit, ibi:

„In Cauſis Religionis, omnibusque aliis Negotiis, vbi Sta„tus tanquam vnum Corpus conſiderari nequeunt, vt etiam „Catholicis, & A. C. Statibus in duas partes euntibus, ſola „amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta Votorum „pluralitate &c.

Vnde ſequitur, vt *Objecta hic deſignata non a Majoribus Statuum Suffragiis*, ſed vnice *ab amica* eorum quorum *principaliter*, & *immediate* intereſt, *Transactione, ac compoſitione Normam Legalem* accipiant. Quæ tractandi Negotia Publica Methodus dudum *proprium* ſibi *Nomen, Titulumque* IVRIS EVNDI IN PARTES adſciuit, atque *hoc Jus eundi in Partes* Exegeſi vlteriori Cynoſuram præfiget.

§. VI.

Et quoad *Theſin* quidem omnia liquida ſunt, nullique dubio ſubjacent; At vero ad *Hypotheſin* deſcendere ſi lubet, non vna difficultas tam *in diſcernendo numero Caſuum* ex Jure eundi in Partes reſultantium, quam *in cognoſcenda eorundem reali qualitate* occurrit. Sicut enim æque vi *hujus* §. *52.*, ac §. 50. in Verbis:

„Sed ſi dubii quid hinc aut aliunde incidat, aut ex Cauſis Pacem Religio„ſam, aut hanc Transactionem tangentibus reſultet, de eo in Comitiis, „vel aliis Imperii Conuentibus inter Vtriusque Religionis Proce„res non niſi amicabili ratione tranſigatur.

Negotia propria, & *Objectiua Religionis*, quatenus Catholicos ex vna, & A. C. Sta-

Status ex altera parte concernunt, ab iisdem *non nisi Via pactitia* componi possunt, ita sunt alii, qui sub adæquato sensu saepius *allegati* §. *52. solas Causas Religionis* comprehendi existimant. Ast vti rursus verba:

„Omnibusque aliis Negotiis, *vbi Status tanquam vnum Cor-* „*pus considerari nequeunt &c.*

Vi sua connexiua diuersitatem *Casus secundi a primo Religionis* perspicue inferunt, sic de *vero* hujus ipsius Casus secundi *Sensu* passim addubitari aduerto. Sane HENNIGES. *in Meditationibus suis ad h. l.* scrupulum non eximit, sed auget.

§. VII.

Meo Iudicio *Textus Instrumenti cit.* loqui videtur *de Jure singulorum Statuum*, dummodo *Circumstantiæ* sint ita comparatæ, vt

I.) *Jus* hujus, vel illius Status *in Thesi certum* præexistat, ac

II.) Agatur *de eodem abrogando*, aut quocunque demum modo *alterando*; Quin tamen

III.) *Proxima, & realis Boni publici Germanici Necessitas* hujusmodi immutationem efflagitet. Quam certo enim urgente reali, & proxima necessitate Reipublicæ (quidquid demum de *sola Vtilitate* habita ratione *Insignis Libertatis* Ordinum Imperii Juris sit) Statuum quilibet *Jura sua peculiaria Publico* consecrare tenetur, ita, vt, *non attento* ejusdem *particulari dissensu*, *Majoribus* reliquorum *Suffragiis prærogatiua* eatenus debeatur; tam indubium videtur, in Casu heterogeneo, quo *interesse Publicum* non ita euidenter subuersatur, atque hinc nec *arctus adeo Imperii*, *Obligationisque Ciuilis Nexus* existit, *Majoritatem Votorum* neutiquam obstare, quo minus Status *in fundata intentione Juris sui* permaneat, re duntaxat *amicabiliter cum eodem*, & *reliquo Imperii Corpore* terminanda.

§. VIII.

Neque Exempla, quibus Assertio illustrari queat, desiderantur. Sic *tempore Tractatuum de Pace Westphalica* Status, quorum intererat, adduci non potuere, vt *in Curia Imperialis Rothvvillensis*, *aliorumque Judiciorum Provincialium Sueuiæ vtut energicis Statuum plurimorum querelis agitatorum abolitionem* consentirent; quin potius perorante *I. P. O. Art. V.* § *56. Cætera in Aulico &c.* Negotium hoc *ob Arduitatem suam ad proxima Comitia* remissum fuit; in quibus vti decisum nihil, ita & *in Modernis* res pendet etiamnum, ac forte diutius pendebit. Euolu. tamen CAPITUL. CAROLIN. NOVISS. *Art. XVIII.* §. *8.* Als auch ꝛc. Vers.

„So

„So wollen Wir alles Ernstes daran seyn, daß solchen derer „Ständen - - - - Beschwerden würklich aus dem Grund abgehol„fen, und wegen der *Abolition* erstberührter Hof- und Land-Ge„richter auf dem Reichs-Tag bald möglichst ein gewieses *statuiret*, „immittels aber, und innerhalb einer Jahrs-Frist die eine zeithe„ro wieder die alte Hof- und Land-Gerichts-Ordnungen *exten*„*dirte* Ehehafts-Fälle abgethan - - - - - - werden rc.

Quæ *promtissima Medela Promissio* est. Verum *in futuris Deliberationibus Comitialibus* non deerit hujusmodi Staribus, ac Judicibus Prouincialibus Hereditariis *plausibilis exceptio*, *scilicet necdum subnatum esse Casum publicæ Necessitatis*, *quæ omnimodam Curiarum antea memoratarum abrogationem exigat*, *defectibusque rei Judiciariæ*, *siquos hucusque admisere*, *sedula Reformatione efficax remedium opponi posse.*

Quin imo tantum est Ordinum Germanicorum, vbi de *imminuendis* eorum *Juribus* agitur, *tutandæ Libertatis suæ adeo eminentis studium*, vt *prærogatiuas semel adquisitas* haud ita facile sibi eripi patiantur. Speciem facti congruam refert FABRI Staats-Canzley, *Tom. XXXIII. C. 9. Tom. XXXIV. C. 12.*

§. IX.

Duas hactenus lustraui *Species Juris eundi in partes*, quarum *prima* circa *Causas Religionis* versatur, *secunda* vero *Jura singulorum* pro immediato objecto habet; Vbi tamen notanda hæc inter vtramque differentia, quod in *priori Catholici*, *& A. C. Status*, in *posteriori Cæsar*, *ac Imperium in Corpore*, *& Ordo*, *vel Ordines*, *de cujus*, *vel quorum Jure principaliter quæritur*, in partes abeant. Venit his annumerandus *tertius Casus*, quando nimirum vni Religioni denegantur ab altera *fauores publici*, eidem a Sanctionibus Imperialibus diserte attributi; *re ipsa* enim, & *in effectu* Catholici, & A. C. addicti Status tunc repræsentant *duo Corpora distinctis rationibus*, *diuersoque*, vt ajunt, *interesse separata*, ac proinde *non in forma Collegii per Majoritatem Votorum*, sed *sola Compositione Amicabili* consocianda. Sic v. g. si, *emergente Catholicum inter*, *& A. C. Statum Controuersia*, *Judicium Imperiale Aulicum aduersus Ordinationem I. P. O. Art. V. §. 51. in Conuentibus Deputatorum &c.* Vers. *Vbi Extraordinariis &c. Commissarios duntaxat Catholicos* denominaret, aut *contra dispositionem* CAPITVL. NOVISS. *Art. XVIII.* §. Und keinen rc. 5. *Commissariis Catholicis impares A. C. addictos* adjungeret, id profecto *Protestantes ad instituendum in partes secessum*, *tollendumque* hac via *commune Grauamen* incitaret. Siue autem *hanc* Juris eundi in partes *speciem* ad *Casum primum*, aut *Causas Religionis* reducas, siue eandem pro *diuerso*, *& tertio Casu* habeas, eoquod non *ipsam Religionem objectiue sumtam*

(quo dictus Casus primus collimare uidetur) sed potius *Personas alterutri Religioni addictas* respiciat; de eo quidem me non adeo sollicitum habebis.

§. X.

Hermeneuticam nunc *Meditationem* exposcit *Versiculus:*

„*Vt etiam Catholicis*, & *A. C. Statibus in duas partes euntibus &c.*

Vbi tamen fateor, *Constitutionem*, quæ *in I. P. O. Art. V.* §. *50.* Energia sequente:

> „Vtriusque Religionis Magistratus *seuere*, & *rigorose* prohibeant, ne quis„quam *publice*, *priuatimue concionando*, *docendo*, *disputando*, *consulendo* „*Transactionem Passauiensem, Pacem Religiosam*, vel *hanc in primis Declaratio*„*nem*, siue *Transactionem vspiam impugnet*, *dubiam* faciat, aut *Assertiones* „*contrarias* inde deducere conetur &c.

serio inculcatur, ita comparatam esse, vt primo intuitu Thema hoc *delicatæ* adeo *Crisi* obnoxium, inque *ipsis comitiis* tam *diuersis Ordinum studiis* agitatum in medio relinquere consultius videatur, cum præsertim *Capitulationes Cæsareæ* jam inde a Tempore FERDINANDI IV. *Articulum Osnabrugensem*, *animaduersione rigida contrauenientibus intentata*, sollicite confirment; id quod ex *Capitul. Nouiss. Art. II. §. 6.* Zumalen auch diejenige ꝛc. abunde liquet. Verum sicut ejuscemodi Sanctiones *Leges Publicas Romano-Germanicas minime dubias*, atque *Negotia extra Controversiam posita* vt plurimum supponunt, ita *occurrente earum sensu ambiguo Interpretationi Doctrinali Cancellis vere Academicis circumsepta* aditum neutiquam præcludunt. Itaque ad *Examen d. Versiculi* progredior.

§. XI.

Certe *Protestantes* ex eodem *specialem quandam* Juris eundi in partes *Facultatem* deriuare, sibique attribuere operose contendunt, ita quidem, vt, quoties e re sua fore visum fuerit, toties ad hoc præsidium veluti *Sacram Ancoram* confugere liceat, quin sibi propterea, vtut *ratio Religionis* id plerumque suadeat, *Onus probandi*, *in hoc*, *vel isto Negotio particulari respectum Religionis actualem subesse*, incumbat; cum potius *Beneficio Legis illimitato* se se tutos reddi existiment, consequenter *Priuilegium Religioni datum Personis* quoque *eam profitentibus* accommodant. Lubet *Textum Instrumenti integrum*, prout quidem ad Quæstionem præsentem facit, ad rem eo magis dilucidandam denuo subjicere:

> „*In Caussis Religionis*, *omnibusque aliis Negotiis*, *vbi Status tan*„*quam vnum Corpus considerari nequeunt*, vt etiam Catholi-

„cis

„cis, & A. C. Statibus in duas partes euntibus, *sola Amica-*
„*bilis Compositio Lites dirimat, non attenta Votorum plurali-*
„*tate.*

Quo præmisso *Cardo rei* hic esse videtur: *Num scilicet Form.*

„*Vt & Catholicis, & A. C. Statibus in duas partes euntibus,*
sint tantum relatiua ad Verba subsequentia:

„*sola Amicabilis Compositio Lites dirimat,*

An vero præcedentem Textus Tenorem respiciant? Priori Casu nouam Juris eundi in partes *speciem* efformant, *in posteriori* non æque. Atque hoc vltimum est, cui Catholici calculum suum adjiciunt, arguentes nimirum

§. XII.

I.) Exigere *Jus Naturæ, vt omnis Lex, & Conuentio* sit in[illegible] *quodàm vel in* SE, *vel* PER RELATIONE[illegible] *peristasin determinato;* in eo enim consist[illegible] *omnis Juris, & respectiue Obligationis Ciuilis.* Jam vero *prioris Generis objectum* luculenter quidem exprimi *in duplici Casu,* quem §. 52. *cit.* repræsentat, *Versum* autem quæstionis præsentis *vtroque* aperte destitui. Neque

II.) Euinci quicquam ab iis, qui *certitudinem relatiuam Objecti* jam *in ipsis Verbis realiter* latitare iactitant, ita quidem, vt *Vi d. §. Protestantibus tacite* facta sit copia discernendi: *an discessus in Partes in hac vel illa Contingentia particulari expediat?* & vbi e re sua esse videbitur, *actualiter* in partes commigrandi; replicant namque Catholici, *Dictamen hoc practicum* Protestantium nec ex *necessitate significationis Verborum*, nec *ex ratione Ciuili* consectarium esse.

§. XIII.

Et *quoad Primum* quidem, cum *Verba versus* SOLVM ACTVM ITIONIS IN PARTES exprimant, de Objecto autem hujus abitus altum sileant, eadem non inuoluunt *Casum nouum*, sed *immediatum duntaxat effectum* illius Juris eundi in partes, de quo *in Tenore præuio Textus* quæstio decisa occurrit, designant; quasi Lex re ipsa dicat:

„*In Negotiis Religionis, vbi Jus eundi in Partes de se fundatum est, vt &, si*
„*Catholici, & A. C. Status deinceps in Partes* ACTV *eant, sola Amicabili*
„*Compositione Lis derimatur.*

Atque hac ratione *Sensum Legis percongruum, & naturalem* esse statuunt; adeo vt, si *factum Itionis actualis in Partes* non præcedat, neque *Effectus Juris præcipuus,*

 Ami-

Amicabilis scilicet Compositio, subsequi valeat; ac proinde, cum *Casus alter de Jure singulorum* (§. VIII) *a primo* deflectat, omnino adhibenda fuere Verba, quibus *ejusdem Casus primi de causis Religionis Repetitio* denotaretur, idque versu, prout jacet, concepto satis expeditum videtur, quin *Proprietas, ac Sensus Verborum* recursum ad *distinctam* Juris eundi in Partes *Speciem* exposcat; siquidem *Casum eod.* §. *VIII. descriptum* inde ad summum eruere licet, quod CATHOLICI haud difficulter largiuntur.

§. XIV.

Porro *Dictamen illud practicum*, cui hoc Jus suum eundi in Partes inniti Protestantes adstruunt, non respondere *rationibus Ciuilibus*, sed omnino iis repugnare, demonstrant Catholici *a pari*; sicut enim *inter Priuatos Conuentio*, cujus objecti *determinatio in nudum alterius compaciscentis Arbitrium* confertur, v. g. *vendo tibi domum tanto pretio*, *quando volueris*, nequaquam subsistit, licet hic de *solius* tam *ambigue atque incerte contrahentis Compendio* aut *detrimento im-* [illegible]: ita *fundamentalis* cujuslibet Ciuitatis *indoles* pro *Architectonico* Rerumpublicarum [illegible] vt ne *Ciuium alicujus cœtus arbitrio* (vbi præsertim *Pacta primigenia*, aut *succedanea* nihil definitum) relinquatur: *Num in Figura Collegii*, *an vero in forma Partis Negotia publica pertractanda sint?* Et sane si *in plerisque Ciuitatibus Electitiis certa Imperii Formula*, ne scilicet *Principatus in Dominatum* abeat, Summis Imperantibus præscribi soleat, ita, vt hac Formula, quæ LEGIS FVNDAMENTALIS nomine recte venit, *Nomotheticum* eorum *Arbitrium* restringatur; cui persuaderi poterit, *certæ Ordinum Classi* in Imperio Facultatem competere, *Normam* Negotiorum publicorum *deliberatiuam*, *deficiente omni Lege*, *suo ex intellectu*, & *voluntate* constituendi? cum præsertim vna cum reliquis Sanctionibus Pragmaticis *Pacificatio Osnabrugensis*, *Lex maxime Fundamentalis Imperii*, hujusmodi conatibus aperte refragetur, quippe quæ id vnice egit, vt, quod *moderno Systemati publico* subministrauit *fulcimentum*, illud *stabile* existeret, & *inconcussum*; atqui hoc ipsum fulcrum *per indirectum* subrueretur, si Statibus *alias ob causas*, *easque plane indeterminatas suo Arbitratu* in Partes abire liceret; quo ipso non euenire non posset, vt *maximi Momenti Negotiis* remora ingens injiceretur, eorumque cursus sufflaminaretur, vel *difficulter omnino*, vel *pro Rerum*, *Temporumque critica Peristasi metam nullo modo* consecuturis.

§. XV.

Non equidem ignoro vlteriorem Protestantium Instantiam, qua adseuerant, *sese bono erga Publicum Zelo in Actionibus suis duci*, *cui si parem foueant Catholici*, *haud metuendum esse periculum Consultationibus Rerum Imperialium*, *ac tantum quoad modum consultandi tunc aliquid discriminis subesse.* Verum & hoc scio, esse

esse persæpe *Principem a Populo electum optimæ Spei*, atque ita comparatum, vt *sinistra futuri Dominatus* suspicio in illum minime cadat, nec tamen idcirco *Jure inuitus* est, vbi populus *Rerum Summam* soli *Officio Regio* non relinquit, sed *Regiminis actuali exercitio certos, fixosque limites* circumponit; Qua igitur ratione A. C. *Status*, *Imperii Romano-Germanici Ciues* conqueri, ac tergiuersari poterunt, si *Catholici* eorundem *placito* haud adquiescentes modum tractandi Negotia publica in iis præcipue *Casibus*, vbi neque *de re objectiua Religionis*, neque *de fauore quodam politico A. C. auferendo*, neque porro de *causis aliis sphæram Juris eundi in Partes speciatim ingredientibus* agitur, ad *Normam* Imperii *antiquissimam* instituendum, atque hinc *Votorum pluralitati* in Comitiis prærogatiuam omnino adjudicandam esse, liberrime pronuncient? siquidem ex *solo hoc* Protestantium *Dictamine practico prudentiæ*, siue *nuda ratione Consilii*, & *Vtilitatis Jus quæsitum* perperam infertur.

§. XVI.

Subjungunt denique Catholici Argumentum quoddam reflexum; demus, inquiunt, *salua rei Veritate*, ex deductis rationum momentis Thesin nostram *plenissime haud comprobari*; ea ipsa tamen Assertiones *antitheticas oppido ambiguas* reddunt; cum præcipue, *supposito etiam formato*, *Versiculum quæstionis ratione objecti speciale quid intendere*, semper *prudens dubium* remaneat: num hoc *Objectum constituat Casus ille ipse a Protestantibus subintellectus*. An vero *alius & quidem talis*, *vbi*, *re fortuito ita emergente*, *Catholici Ordines in vnam*, & *A. C. addicti in alteram Partem abeunt?* quem Casum *Interpretatio Textus quæstionis* forte probabilius admittere posset; Vid. *§. seq. Antithes. 3.* Atqui in *hocce Controuersiæ Statu maxime ambiguo pluralitatem Suffragiorum*, vtpote in *Sanctionibus* Imperii *antiquioribus certo fundatam*, *Lege noua autem necdum clare vigore pristino destitutam* rursus præponderare, res ipsa docet.

§. XVII.

Reliquum est, vt *Antitheses* A. C. addictorum paucis excutiam, iisque, quid a Catholicis reponi queat, ingenue subnectam. Notissima sunt *Acta Publica* FABRI *Tom. XXIII. C. IX. a N. 2. vsque ad 9. inclusiue*, *Tom. XXVI. C. V. N. 1.*, *Tom. XXIX. C. IX. N. 3. 4.*, *Tom. XXXVIII. p. 314.*, *Tom. LIV. p. 277.*, quibus testantibus Protestantes

I.) Prouocant ad *Obseruantiam Imperii*, vi cujus Negotia publica *pactitio modo* expediantur;

Hæc Obseruantia non afficit Status, & Res Imperii sub quolibet Respectu, & Qualitate. (§. 2. *seqq.*)

II.) Fundant se in *Possessione*, vti opinantur, jam ab Anno MDCIII. vsque ad Annum MDCXLVIII. serie non interrupta continuata;

Prætensi Actus Possessorii vltra *Causas Religionis*, & *Jura singulorum Statuum*, *ac Materiam collectandi* Teste eorum temporum Historia se non extendunt.

III.) Referunt se ad *Legem mutuæ Æqualitatis*, vi cujus deterioris Conditionis esse nequeant, quam Catholici, vtpote qui ipsi jamdum Anno MDCLXXII. cum *de constituenda Imperii Præfectura militari* ageretur, in Partes iuerint.

Objectio præcise tangit §. 9., quatenus in Negotio Imperii prænominato Catholicis a Parte Protestantium noluit æqualis Conditio relinqui.

IV.) Ex eodem Principio *mutuæ Æqualitatis* prono satis alueo fluere existimant, quod *in vtroque Judicio*, *Imperiali Aulico*, & *Camerali*, casu quo *contrariæ circa Causas vel Ecclesiasticas*, *vel Politicas Sententiæ oriuntur*, *Catholicis quidem in vnam*, *Augustanæ vero Confessionis Consiliariis*, & *Assessoribus in aliam partem abeuntibus*, *ad Votorum Pluralitatem non* attendatur; consequenter *idem Judicium* & *de nostro Casu* formandum esse contendunt.

I.) Quoad *Suprema Archidicasteria* extant *luculentæ Constitutiones*; Vid. *I. P. O. Art. V.* §. 53. *Præterea cum* &c. Vers. *Sed idem etiam* &c. §. 55. *Visitatio Consilii Aulici* &c. Vers. *Aut in dijudicandis Causis* &c.

II.) Consiliarii, & Assessores *A. C. non ab initio statim secedunt* a Collegio suo Catholicis, sed Suffragia sua nunquam non *in Forma vnius Collegii* ferunt; vt adeo, *habito* saltem *ad Statum Rei publicum* respectu, *Casu tantum* in Partes migrare videantur. Atqui hujusmodi circumstantiæ in Puncto præsentis quæstionis neutiquam reperiuntur.

V.) Confugiunt *ad Sensum litteralem* sæpissime allegati Versus: *Vt etiam Catholicis*, & *A. C. Statibus in duas Partes euntibus sola Amicabilis Compositio locum obtineat*, *exclusa Votorum Pluralitate.*

Intellectus loci genuinus ex præcedentibus satis innotescit.

§. XVIII.

Quod ad *modum*, & *formam exercendi Jus eundi in Partes* attinet, statuunt porro A. C. addicti Ordines, se in Casibus ad illud qualificatis *toto fine* differre a Statibus Catholicis, & hanc ipsam ob causam non efformare cum his *verum quoddam Collegium*, sed constituere *Congregationem peculiarem sub prædicato* CORPORIS EVANGELICI; atque ex hoc ipso Principio facile consequi, vt *ab initio statim*, *nulla cum Catholicis deliberatione habita*, ab illis secedere, Negotia sua *seorsim in* PROPRIIS CONFERENTIIS discutere, desuperque VOTA COMMVNIA concipere, ac deinde in *Via Amicabilis Compositionis* cum Parte Catholica *Communicationem* instituere queant.

§. XIX.

§. XIX.

At vero quidquid ſit de *formata Denominatione* CORPORIS EVANGELICI, cujus Controuerſiæ ſeriem exhibet, & Argumenta *Auguſtiſſimi Imperii Capitis, Ordinumque Catholicorum, ac Proteſtantium* vtrinque deducta ſuppeditat FABER *Tom. XXXVI. cap. XII. N. 6., Tom. XXXVII. cap. VIII. N. 13., Tom. XXXVIII. cap. X. N. 9.*, illud ſane A. C. Ordinibus, *exigente ita fine vltimato Juris eundi in Partes*, non poteſt non eſſe permiſſum, vt, ſi *deliberatione* cum Catholicis *collegialiter ſemel tentata*, in caſu qualificato *paria Vota actu* prodierint, *Catholicis quidem omnibus in vnam, & Proteſtantibus in alteram Partem euntibus*, ipſi deinceps in pertractando hujusmodi Negotio particulari *ſeparatas rationes* eo vsque tueantur, donec vel cum Catholicis *in idem placitum amicabiliter* concedant, vel *omnis Concordiæ Spes* omnino euaneſcat; id quod diſerte innuit *Decretum Commiſſionis Cæſareæ* apud *eundem* FABRVM *cit. Tom. XXXVIII.*, cui non obſcure adſtipulatur *ipſum I. P. O. Art. V. §. 52. toties alleg.* At vero, quam ſibi in Caſibus emergentibus Proteſtantes ſumunt, adverſus *Cynoſuram regularem Comitiologicam ſtatim ab exordio* Conſultationes ſuas *in Figura Partis ſeparatæ* adornandi libertatem *præfatum Commiſſionis Cæſareæ Decretum* ſummopere improbat, eoquod, obſeruata *Viæ bujusce Vnilateralis* indole, CÆSARI, ac Statibus Catholicis *publice* nunquam conſtare poſſet, *abierintne Omnes A. C. Ordines, Nemine diſſentiente, in vnam Partem, nec ne?* Quam tamen *Scientiam Publicam, eamque Collegialem* in Ordine ad *vltimum Juris eundi in Partes effectum* certo prærequiri, indubio Argumento eſt *Paritas*, quam *Camera Imperialis* Proteſtantibus jam ſupra ſuggeſſit.

§. XX.

Neque *huic Reſolutioni Cæſareæ* obicem figit aliqualis hæc forſan obmotio, *Negotia* ſcilicet *objectiua Religionis* jam *ex natura ſua, & intrinſeca qualitate* eſſe determinata *ad nudam Amicabilem Compoſitionem* Statuum Catholicorum, atque Proteſtantium; vt proinde *abitum actualem* eorundem *in Partes in plenis Comitiis prius exſpectandum* inter *Entia ſuperflua* numerare, *ſtatimque a principio ad ſeparatas vtrinque Actiones* Jure optimo recurrere liceat, quin *Analogia a Camera Imperiali petita* hic aliquid euincat.

Licet enim Principium hoc Proteſtantium *ſua probabilitate* haud deſtituatur, plus tamen *in Effectu* operari non videtur, quam *dubium quoddam reſpectiuum ſuper Vero, ac Pragmatico Intellectu Verſus quæſtionis*; atqui ſtante hoc dubio, & quo vſque *Certitudo Legalis* deficit, ſubingreditur, locumque occupat *Regula antiquiſſima, & fundamentalis, vi cujus Negotia publica quæcunque* CORPORI IMPERIALI, *vel Comitialiter congregato, vel in Deputationibus Ordinariis, aut Extraor-*

traordinariis repraesentato ad deliberandum proponi, & *Suffragiis Decisiuis*, *Virilibus*, *ac Curiatis*, *committi solent*.

§. XXI.

Vlteriori adminiculo mihi sunt *diuersa*, quae Catholicos inter, & A. C. addictos ventilantur, *Religionis Grauamina*; *alia* quippe contraueniunt *expressae Dispositioni* Pacificationum Religiosarum, *alia* incidunt *in Sensum Legis*, pensatis *bona fide*, *medioque studio* vtriusque Partis fundamentis, *vere & realiter dubium*, *alia* nonnisi *detorta quadam Interpretatione* praefatis Pacificationibus adplicantur. Jam vero sicut *prima*, & *secunda Classis objecta* ad Causas Religionis praecipue reducuntur, *tertia* autem *Species* hanc sibi praerogatiuam vindicare non potest, ita fundata *pro toto Corpore Imperii*, *ejusque Comitiali Systemate* intentio apprime exigere videtur, vt Causae Religionis qualescunque, discerniculi causa: *an genuina bujusmodi qualitas subsit?* PRIMITVS ad illud deferantur, ac deinde, si *praeuio hoc Actu* Pacificationibus Religiosis respondeant, ad Amicabilem Partium Compositionem *fine vlteriori Figura Comitiorum* amandentur; cum sic vtique *Nomothesia I. P. O. Art. V. §. 50. Vtriusque Religionis &c. 52. in Causis Religionis &c.* obsequium exposcat.

§. XXII.

Nihil euincunt Protestantes, dum regerunt, hac ratione *bonam fidem* non semper obseruatum, sed crebro in ea rerum Crisi Negotia quaedam ab Ordinibus A. C. addictis *pro Causis veris Religionis* habitum, a Catholicis autem *inter Adiaphora* eum in finem reputatum iri, vt *Vim*, & *Auctoritatem Pluralitati Votorum* conseruent. Esto enim, haec ita euenire posse, licet in antecessum alia omnia mihi de Ordinibus Catholicis persuadeam, nec sic tamen Protestantes impedientur, quo minus Causas, quas *ipsa rei Veritas inter proprias materias Religionis* referri jubet, Catholici autem hoc non obstante adhuc tergiuersantur, *e pleno consessu Comitiorum* rursus auocare, easque *Amicabili Compositioni* reseruare queant; quo pacto id saltem efficitur, vt ex vna parte *integritas deliberationum Comitialium*, & ex altera *Jus eundi in Partes*, siue *Regula*, & *Exceptio* peraeque saluentur. Quid vero vlterius obtineat, si *in Negotio vero*, & *proprio Religionis in Pactis Religiosis aperte fundato non omnes A. C. addicti Status in vnam & Catholici in alteram partem abeant; An scilicet tunc ex sola Natura Objecti Amicabili vtriusque Partis Compositioni Palma decernenda*, *vel potius secundum Viam Comitiorum Ordinariam res expedienda sit?* id quidem modo disquirere haud vacat; sufficit quippe *de Nomothesia Religiosa pro ratione Instituti* disseruisse.

SECTIO

SECTIO II.

De Augustissimi Imperatoris, ac Imperii Jurisdictione, & Executione circa Rem Religionis Germanicam.

§. I.

Leges cujuslibet Reipublicæ *duplici modo Pragmaticam Indolem* sortiri, atque ad finem suum perduci solent, scilicet *vel cum-vel sine Figura Judicii. Prius* fit, quoties *a Judicio quodam formato, ac ordinario Tritura Forensis, etsi hic & nunc magis Summaria, ad Normam Legalem* obseruatur. *Posterius* contingit, quando Vi promta Summi Imperii *Legum ipsarum Executio principalissime* intenditur, & *Ratio informatiua circa species Casuum Executioni subjectorum praeuie necessaria simplicissima Juris Naturæ, & Gentium Præcepta, quoad Veritatem indagandam,* sequitur, ita quidem, vt *Executio non propter Cognitionem Causæ, & Sententiam,* sicut *in Tramite proprie Forensi* vsuuenit, sed *Cognitio, atque interdictum intuitu Executionis proxime* exigantur.

§. II.

Occurrunt porro in generali Regimine cujuslibet Reipublicæ itidem *duplicis generis Negotia præcipua, alia Status, alia Justitiæ; hæc posteriora Jus quæsitum Subditorum erga se inuicem, vel etiam relatiue ad Imperantem, quoties Jure Priuatorum vtitur, illa autem publicam Directionem Ciuitatis immediate respiciunt.* Quemadmodum vero *objecta Justitiæ secundum Viam ordinariam* expediuntur *in Figura Judicii*, ita *illa Status publici*, cum nulla ex parte *Jus quæsitum* Subditorum, siue *Facultatem liberam agendi, vel non agendi*, sed *meram obsequii Gloriam* præsupponant, *sine hac forma, & expedita potius Summi Imperii Potestate* Executioni dantur, idque Rebuspublicis plerisque sollemne, & *Fini constitutarum Ciuitatum* in primis conforme est; tametsi *generalis hæc Ratio Status ab alia particulari, eaque potentiore* nonnunquam vinci, & sic *ipsissimæ Constitutiones publicæ adminiculante Via dicastica*, atque *in forma Processus ad plenos Executionii effectus* promoueri soleant, impertita eum in finem *Fiscalibus, & Aduocatis Fisci* (quos recte *publicos Reipublicæ Actores* appellaueris) *Jure experiundi* Facultate. Sane *Nomothesia Germanica* inter reliqua Capita *specialem* quoque *habitudinem* complectitur, vi cujus *Executio Ordinationum Imperialium*, quamuis *immediate in Gubernationem publicam* influentium, præter CÆSAREM, & *Circulos*, quibus hæc Prouincia respectiue *Jure Majestatis, & in Vim perpetuæ Commissionis Imperialis* propria est, etiam *Archidicasteriis* Imperii, præcipue *Camerali*, quasi participando attribuitur. Ita *Corpore Recessuum Imperialium passim testante* Consti-

tutionem publicam haud facile reperire licet, in cujus adcuranda Executione *Fiscalis Cameræ Officii sui* in antecessum non admoneatur. Militat hanc in rem apertissime ORD. CAM. *P. II. Tit. 20. C. O. C., Tit. 21. de Caus. Fiscal.*

§. III.

Quibus præmissis dum ad Hypothesin propositam (quam *Grauamina Religionis*, tam *Statuum Catholicorum*, quam *Protestantium*, eorumque *Subditorum* constituunt) descendo, hujusmodi Grauamina tum *ad Causam publicam totius Imperii*, tum, si *effectus* eorum *immediatos* inspiciam, *ad Jura quæsita Statuum, Subditorumque ad se inuicem* referri posse, facile assequor; vt proinde *vtriusque generis Executioni §. 1. descriptæ*, *scilicet & illi, quæ Figura Judicii haud indiget*, & *alteri, quæ obseruato Juris Ordine* peragitur, peræque substernantur. Et si quidem *Trituram Forensem*, *ejusque Formam*, siue *Jurisdictionem* Archidicasteriorum Imperii *circa Objecta* quæstionis nostræ perpendere lubeat, illam sane in casu, quo Pacificationes Religiosæ *sensu vere, & realiter dubio* inuoluuntur, haud fundatam esse, sed tam diu interquiescere, donec *Certitudo Legalis* a Cæsare, atque Ordinibus Catholicis ex vna, & A. C. addictis Statibus ex altera parte *Interpretatione authentica* asserta, & stabilita fuerit, res est *extra Controuersiam* posita; justitiam enim implorantibus proprie administrari non posse, nisi *Jus certum*, & in præsenti disquisitione dictæ Pacificationes Religiosæ, e quibus *Decisio* petenda est, *indubiæ* præexistant, tam *natura regularis* Judicii, cujus indago *præcise in adplicatione Legum ad Species obuenientes* consistit, quam *ratio Ciuilis vniuersa* cum *ipso I. P. O. Art. V. §. 50. vtriusque Religionis &c.* disertissime eloquitur.

§. IV.

Quodsi autem ipsæ Constitutiones Religiosæ *clarum*, *planumque sensum* præ se ferant, ita, vt in contrarium *nulla ratio solida*, & *conuincens* militet, adeoque *de mera adplicatione Theseos ad Hypothesin* quæstio sit; tunc enim vero *termini habiles*, Supremorum Imperii Tribunalium *Jurisdictionem* firmiter statuminantes, adesse, æque pro certo habendum est; siquidem manifesto id Testimonio Cameram Imperialem respiciente jam pridem confirmauit, confirmatque hodiedum *R. I. de Anno 1541. §. 29.* ibi:

„Und was betrift die *Acten*, vnd *Proceß*, so bisher in Religion, und „andern geschehen, an Unserm Kaiserlichen Cammer-Gericht anhän„gig gemacht, und ergangen seynd; derowegen bishero Streit, und „Irrung gewesen, ob dieselben in dem Nürnbergischen Fried-„Stand begrieffen seyn sollen oder nicht? dieselben *Acten*, und „*Proceß* wollen Wir zu Erhaltung Friedens, Ruhe, und Einigkeit im „Heiligen Reich Deutscher Nation, und aus Unser Kaiserlicher Macht

„und

„und Vollkommenheit, so lang bis das Gemein, oder *National Con-*
„*cilium*, oder in diesen Sachen eine gemeine Reichs-Versamm-
„lung, wie obsteht, gehalten wird, *suspendi*rt, und eingestellt haben;
„wie Wir dann selbe hiemit also einstellen, und suspendiren.

Vbi *temporaria Jurisdictionis Cameralis Suspensio* utique *ejusdem existentiam* supponit.

§. V.

Verum præfatam Suspensionem *haud diuturnam* fuisse, docet TRANSACTIO PASSAVIENSIS §. XI. Soviel aber 2c. ibi:

„Da dann Wir samt der Churfürsten Gesanden, erscheinenden Für-
„sten, und der abwesenden Bottschaften urbietig, und willig seyn, alle
„mögliche Fürderung zu erzeigen, damit in den Religions-
„Sachen kein Theil sich des Uberstimmens vor dem andern zu
„befahren, 2c. 2c.

Qui §. denuo supponit, Cameræ Imperialis Judicium *absque ulteriori Justitio Vigori pristino Jurisdictionali* circa *Objecta quæstionis* restitutum fuisse.

§. VI.

Generale in rem præsentem, adeoque *ad Species nostræ indaginis* haud dubie excurrens *Argumentum* suppeditat ORD. CAM. *P. II. Tit. 27. C. O. C. Tit. 30.* ibi:

„Weiter ordnen, setzen, und wollen Wir, daß alle, und jede
„Personen, und Sachen, die der Kais. *Jurisdiction* ohne Mit-
„tel unterworfen, und durch sondere Austräge dieser Ordnung,
„oder andere *Privilegien*, Freyheiten, Gewillkühr, und rechtmäßige
„Gewohnheiten nicht ausgenommen seynd, an unserm Kaiserlichen
„Cammer-Gericht fürgenommen, und gerechtfertiget werden sollen.

Concordat *I. P. O. Art. V. §. 53. Præterea cum &c.* ibi:

„Cæsarea Majestas mandabit, vt non solum IN ISTO JUDICIO CAMERALI
„CAUSÆ ECCLESIASTICÆ, VT ET POLITICÆ ------- discutiantur, &
„judicentur; sed idem etiam &c.

Quibus omnibus *rationem maxime practicam* superaddit *Rescriptum Cæsareum de dato* Laxenburg *31. Maji 1721.* ad Collegium Camerale expeditum, vi cujus *Decisio Grauaminum Religionis*, quouis modo possibili maturanda, eidem serio injungitur. Evolu. FABRI Staats-Canzley *Tom. XL. C. XI. N. 11.*

Aaaaa 2 §. VII.

§. VII.

Neque hic dubium eſt de *Juriſdictione Judicii Imperialis Aulici*, quippe quæ *generatim* adſtruitur in ORD. DICT. CONSIL. *de Anno 1654. Tit. 11. §. 1.* ibi:

„In Unſerem Reichs-Hof-Rath ſollen alle, und jede Sachen, „das Heilige Römiſche Reich, deſſen Hochheit, Recht, Herrlich-„keit, Gerechtigkeit, Pfandſchaft, Löſung, *Regalien*, hohe und „niedere Lehen, *Privilegien*, *Indult*, *Confirmation*, und anders, „wie ſolches Namen haben mag, und in *Summa*, was nach „der unfehlbaren *Juſtitien dirigi*rt, und *decidi*rt werden ſolle, - - - - „allda angenommen, gerechtfertiget, darüber erkennet, und die „Nothdurft ausgefertiget werden.

Quibus gemina continet *I. P. O. Art. V.* §. *53. Præterea cum &c.* ibi:

„SED IDEM ETIAM IN JUDICIO AULICO OBSERVETUR, &c.

Sicut enim Textus Nomotheticus *ad Tenorem præcedentem* ſe ſe refert, ita Auguſtiſſimi hujus Tribunalis dijudicationi *Cauſæ Eccleſiaſticæ*, *ut & Politicæ* ſubjiciuntur.

§. VIII.

Porro vtriusque Archidicaſterii Imperialis *Juriſdictio circa Cauſas Religionis* præſidium amplius reperit in *I. P. O. Art. XVII. §. 4. ſeqq. R. I. N. §. 193.* ibi:

„Wir ſetzen, und ordnen auch, daß kein Stand gegen den andern, „oder deſſen Land, und Leut, oder auch gegen ſeine eigene Unterthanen „und Bürger in Religions-Sachen wieder den Friedens-„Schluß mit Gewalt, und eigenmächtiger Beginnung das ge-„ringſte nicht *attenti*ren, oder vornehmen, ſondern ein jeder das-„jenige, was er vermeint, das ihm gebühre, mit behörigen „Weg Rechtens ſuchen, und denen, ſo darwieder beſchwert „würden, auf Begehren *Mandata Inhibitoria* gehöriger Orten er-„theilet, und vollzogen werden ſollen.

Atque his Sanctionibus *Documentum practicum* adjungit FABRI Staats-Canzley *Tom. XXXVI. C. 12. N. 56. pag. 456. & 468.*, vbi *in Decreto Commiſſionis Cæſareæ*, Imperator *definitivam* cauſarum Religionis in Archidicaſteriis pendentium *determinationem* ſe promoturum ſpondet. Cætera copioſam hujusmodi cauſarum ſegetem *Acta Judicialia* præcipue *Judicii Imperialis Aulici* paſſim ſubminiſtrant.

§. IX.

Quod vero *grauatis aduersus Pacta publica Religionis quoad Thesin Legalem clara, & certa* (§. 3.) *præter Recursum* ad Suprema Archidicasteria comparata etiam sint *promta Executionis remedia*, atque hinc *alterutrum refugii genus ipsorum optioni* fere relinquatur, graphice inculcant *I. P. O. Art. XVI.* §. 2. *seqq.* EDICT. EXEC., ARCT. MOD. EXEQ., DVO RECESS. EXEC. *de Annis 1649., & 1650.*, quarum Constitutionum *Jussu Pragmatico* Omnes & Singuli, siue *Status*, siue *Communitates*, siue *Priuati*, siue *Clerici*, siue *Seculares*, qui *vigore* TRANSACTIONIS OSNABRVGENSIS ad restituendum, cedendum, dandum, faciendum, aut aliud quid præstandum obstricti sunt, *sine vlla Tergiuersatione*, *vel Oppositione Clausulæ saluatoriæ*, *siue generalis*, *siue specialis alicujus in Amnestia posita*, *aut quacunque alia exceptione*, *itemque sine noxa aliqua*, omnia, ad quæ obligantur, restituere, cedere, dare, facere, & præstare tenentur, ita quidem, vt, *emergente* præter spem, & exspectationem *Casu Moræ*, *paratissimæ Executionis incommodis* subjiciantur.

§. X.

Quid quod *ea Terminorum Executionem vrgentium Emphasi*, & *Energia* allegatæ Sanctiones publicæ instructæ, atque munitæ sunt, vt *præuia Causæ Cognitio*, vtpote quæ *Executionis accelerationem* aliquatenus saltem sufflaminare potest, prima fronte minime necessaria videatur. Verum sicut in *adplicatione* hujusmodi Legum *practica Dicaalogiam Forensem ordinariam* haud obtinere, facile largior (§. 1.,) ita *in Negotio actualis Executionis omnis* plane *Cognitio*, *etiam summaria*, excludi nequit. Non equidem diffiteor, TABVLAS OSNABRVGENSES *Art. XVI.* §. 2. *seqq.*, vti & EDICTVM EXECVTIONIS FERDINANDEVM, dum *promtam singulorum Capitum Executionem* rigorose injungunt, nullam *de præuia causæ Cognitione* mentionem *regulariter* injicere; quia tamen *Grauamina Religionis*, vtut *Thesi Nomothetica* luculenter comprehensa, persæpe *quoad factum illiquida*, & *variis*, *quas adstruit vna*, *pars vero altera negat*, *circumstantiis* inuoluta, atque intricata esse solent, idcirco *aliqua*, prout quidem *simplicitas Juris Naturæ* in ordine *ad indagandam Veritatem* postulat, *Cognitio*, *aliqua rationum probatoriarum discussio minus solemnis* non præcedere non potest. Et huc collimare videtur *Clausula Arctiori Modo exequendi adjecta*:

„..... Und in Summa alles dasjenige, was verglichen, vollständig „*exequiren*, dergestalt, daß einige *Exceptiones* wieder die *Execution* „nicht gehört, noch beobachtet, im Fall aber *super facto Possessionis* „einige *Dubia* von sonderbarer Erheblichkeit vorfielen, „dieselbe *summariissime* alsobald *in loco Executionis* erörtert, son-

„sten aber einige andere dem *Instrumento Pacis* zu wiederlau„fende nicht zugelassen werden sollen ꝛc.

§. XI.

Atque hoc amplius euincitur ex RECESSV PRINCIPALI EXECVTIONIS *de Anno 1650. §. 23.* ibi:

„Nemlich und erstlich die *Restitution ex Capite Amnestiæ*, & *Grauaminum* „unter Chur-Fürsten, und Ständen des Reichs, auch deroselben und „des Reichs Angehörigen betreffend; so haben die zu diesem *Puncto Re*„*stitutionis deputirte* Stände *ex vtraque Religione*, anstatt der hieoben „*Lit. A.* bemerckter *Lista*, einen gewiesen Aufsatz, und *Designation*, „was für *Casus* in jedwederm hernach bestimmten *Termino* zuerör„tern, und nach Ausweisung des *Instrumenti Pacis*, dem *Arctiori Mo*„*do exequendi*, ob-einverleibtem *Præliminar-Recess*, und diesem „Haupt-*Recess* gemäß, zu *exequiren*, verglichen, aufgericht, ge„schlossen, und allerseits besiegelt, und unterschrieben; und sol„len demnach solche darinn begriefene, und bereits *decidirte*, auch „künftig von den *Deputatis intra tres Menses* erledigende *Casus*, „auf die bestimmte Zeit ordentlich *exequirt* werden ꝛc.

§. XII.

Pleniorem Assertioni Lucem accendit RECESSVS EXECVTIONIS PRIMVS *de Anno 1649.*, dum §. 3. ita disponit:

„So dann Chur-Fürsten, und Stände des Reichs betreffend, ver„bleibt es darbey, daß in dem *Puncto Restitutionis ex Capite Amnestiæ*, „& *Grauaminum* - - - - - - - - die *Casus liquidi ab illiquidis* zu *separiren*, „und dergestalt zu fordersamster Richtigkeit zu be„fördern, daß die *Casus liquidi*, welche entweder in dem *Instrumen*„*to Pacis specialiter*, und mit Namen ausgedruckt, oder doch unter „denen *Regulis generalibus* unverneinlich begriefen, sonderlich was „in der Nähe, und Kürze der Zeit halber ohne das leichtlich „abzurichten ist: Als nemlich, die in beyliegender Designation Lit. A. „specificirte, noch vor dem ersten, andern, und dritten *Termino* „*Exauctorationis*, & *Euacuationis* erörtert, und *exequiret* - - - - - wer„den sollen.

Tenor §. 4. hic est:

„Die übrige aber, weil *propter multitudinem*, & *diuersitatem Casuum*, „*difficultatem Probationum*, und *distantiam Locorum*, alles in so kurzem

„Ter-

„*Termin* nicht möchte können *expedirt* werden, von *Dato* dieses *Re-*
„*cessus* Schluß an, innerhalb nächst folgenden dreyen Monaten
„ebenfals zur Richtigkeit, und *Execution* gebracht, und al-
„les dergestalt ohne Vorbehalt, *Limitation*, oder *Remission ad*
„*Petitorium* vollzogen werden solle, daß keiner, der *explicite*, oder
„*implicite* darunter begriefen, sich alsdann zu beklagen haben mö-
„ge, alles nach Inhalt des *Instrumenti Pacis*, der hierüber ins Reich
„*publicirten* Kaiserlichen *Edicten*, und darinn *in Euentum contra Mo-*
„*rosos, & quocunque modo Renitentes* verordneter unausbleibender,
„und ohne Ansehung der Personen vorzunehmender Strafen.

§. XIII.

Quibus Omnibus prolixam Confirmationem addit R. I. N. §. 191. ibi:

„Den zweyten Puncten Unserer Kaiserlichen Proposition, und darun-
„ter die *Casus Restituendorum ex Capite Amnestiæ*, & *Grauaminum* anlan-
„gend, da wäre Uns sehr Lieb gewesen, wann diese derentwegen noch
„obschwebende Strittigkeit in Unserer Gegenwart gleich andern
„mehr, auch zu würklicher Abhelf- und Vergleichung hätte ge-
„bracht werden können; Sintemalen aber die Natur und Eigen-
„schaft derselben solches bey jedem *Casu in Particulari*, sonderlich wo
„ein und ander Theil mit seiner Nothdurft und Beweisthum aller-
„erst gehört muß werden, nicht erleiden wollen; So haben Wir
„Uns mit Chur- Fürsten, und Ständen dahin verglichen, daß dieser
„ganze Punct auf einen *Ordinari Deputations- Conuent* nacher Unser,
„und des Heiligen Reichs Stadt Franckfurt gegen nächstkünftigen ersten
„Octobris dieses Jahrs anzufahen, soll verwiesen werden, massen
„Wir denselben auch Kraft dieses hiemit dahin remittiren, und ver-
„weisen, dergestalt und also, daß in dem Churfürstlichen *Collegio*,
„zwischen den dreyen Augspurgischen *Confessions-* Verwandten und
„*Protestirenden* Churfürsten, ein viertes unter ihnen *alterni*rendes
„*Votum*, vor dißmal (weil in den künftigen *prorogirten Comitiis* wei-
„ter davon zu reden) bey demselben *Deputations-* Tag, keineswegs
„aber bey einiger anderwärter Reichs- Versammlung, Churfürst-
„lichen *Collegial-* und Wahl-Tag statt haben: Und mithin die von Uns
„jüngsthin unterm 21. Aprilis vorgeschlagene Sub- Deputation gefallen
„seyn, und die *Ordinari Deputir*te (darzu Wir Unsere Kaiserliche
„*Commissarien* insonderheit verordnen wollen) denselben *Punctum* or-
„dentlich, und zwar diejenige Fäll, welche unter den Catholischen,
„und Augspurgischen *Confessions-* Verwandten haften, *alternatim*
„für-

„fürnehmen, und deshalben *in cognoscendo*, *decidendo*, & *Executionem* „*decernendo* vollkommenen Gewalt haben sollen; Massen auch Wir „erbietig seyn, die *Execution* dessen, was sie erkennen werden, denjenigen, welchen es vermög des *Instrumenti Pacis*, und des *Arctio-* „*ris Modi exequendi* gebühret, und erst-gemeldte *Ordinari Deputation* „erkennen wird, ohne einigen Aufenthalt, und ohne fernere *Cogni-* „*tion* allergnädigst anzubefehlen, und würcklich verrichten zu las- „sen; Es sollen sich aber *in Casibus liquidis* die *Deputati in Cognitione* „nicht aufhalten, sondern dahin sehen, damit dieselbe ohngesäumt „*exequirt* werden, *in illiquidis* aber soll den *Partibus* frey- und an- „heim gestellt seyn, ob sie sich persönlich, oder durch ihre An- „wälde *hinc* & *inde* gegen einander eingebende *Memorialia*, und „Schriften bey der *Deputation* wollen vernehmen lassen, zuförderst „aber sollen die erforderte *Requisita Restitutionis*, und daß der *Casus* „dem *Instrumento Pacis*, Kaiserlichen *Executions-Edict*, *Arctiori exe-* „*quendi Modo*, Nürnbergischen *Recess*, oder in denen Fällen, so „durch den Friedens-Schluß nicht geändert, dem Religions- „Frieden gemäß, *consequenter ad punctum Restitutionis ex Capite Amne-* „*stiæ*, *vel Grauaminum qualificirt* seye, bewiesen werden; die *Casus du-* „*bios* aber, und welche allererst *ex Instrumento Pacis* ihre *Interpretation* „haben müssen, betreffend, da soll vor allen Dingen versucht „werden, ob man sich darüber in der Güte vergleichen kön- „ne ꝛc. ꝛc.

Euolu. insuper FABRI Staats-Canzley *Tom. XXXV. C. 3. N. 7.*, *Tom. LXI. C. 5.*, vbi *plura* in rem præsentem *Documenta Suprema Auctoritate Imperiali munita* occurrunt.

§. XIV.

Quæ Doctrina ex *genuinis* hucusque *fontibus* deducta vti Supremis Archidicasteriis *Jurisdictionem circa Causas quæstionis suo modo competentem* probe adstruit, & *pro diuersitate circumstantiarum*, quibus *vt plurimum dubiis Grauamina Religionis*, quamuis cæteroquin *in Lege specialiter expressa*, abundare solent, *Cognitioni saltem summariæ* locum præclare vindicat, ita eadem vtut *Nomothesiæ Imperiali* conformis *A. C. Statibus* non adeo accepta videtur; siquidem illi dudum, *Actis Publicis* id manifestantibus, *vtriusque Archidicasterii*, *præcipue Imperialis Aulici*, *Processus* in hujusmodi Grauaminum materie auersati fuere. Neque magis *Deputationes Imperii extraordinarias*, *ipsasque Commissiones Cæsareas* (Kaiserliche Untersuchungs-*Commissionen*) *ad examinanda*, & *dirimenda eadem Grauamina* adhuc propositas, tametsi *in Constitutionibus Imperii* itidem luculenter fundatas, probasse censentur; cum potius *Commissiones Circulares* AD MERE EXEQVENDVM com-

comparatas nullo non tempore efflictim sollicitaverint. FABRI Staats-Canzley *Tom. X. C. 1. N. 3., Tom. XV. C. 1. N. 7., Tom. XXII. C. 1. N. 1., Tom. XXXVII. pag. 679., 693. seqq., Tom. XLII. pag. 469., Tom. XLVIII. C. 9. N. 4., Tom. LX. C. 16.* in Sachen Eichstädt *contra* Brandenburg-Onolzbach, die Treuchtlingische *Commission* betreffend, *Tom. LII. C. 7. N. 1., Tom. LXXVI. C. 4. N. 2.* Vbi tamen obseruandum, quod laudati ORDINES PROTESTANTES *summariissimam* saltem *Cognitionem* necessariam esse, inficiari haud potuerint, licet eandem circa *nudam probationem verisimilem* (quam eine ledigliche Bescheinigung vocant) occupari subinde asseuerarint. Vid. *cit. Tom. XLVIII., LXXVI.*

§. XV.

Argumenta, quibus sua desideria suffulciri A. C. Status existimant, potissima ex parte refert *idem* FABER *Tom. XXXIX. pag. 467.*, vbi exhibet scriptum aliquod *sub Rubrica:*

Modus procedendi in Causis Restitutionum ex Instrumento Pacis Westphalicæ quarundam Legationum Euangelicarum præscitu impressus *Anno 1720.*

Abeunt autem hujusmodi Argumenta summatim *in tria Capita;* tuentur siquidem

I.) *Vnicum, solumque Transactionis Osnabrugensis, Restitutionis, Obseruantiæque futuræ Fundamentum esse Possessionem Die prima Januarii Anno Millesimo Sexcentesimo Vicesimo Quarto habitam*, ita quidem, vt *A. C. addicti posthac in habita, vel recuperata Possessione nullo modo turbari queant, sed ab omni persecutione Juris, & Facti perpetuo tuti sint, nec vspiam contra dictam Transactionem in Petitorio, aut Possessorio, seu Inhibitorii, seu alii Processus, vel Commissiones vnquam decerni valeant*, cum *Restitutio ex Capite Amnestiæ suo modo, & ex Capite Grauaminum simpliciter fieri debeat plenarie, & pure, omnino absque mora, & indistincte sine vlla exceptione, reductione ad Statum Annorum Normalium 1618., & 1624. regulariter in omnibus adcuranda.* Quibus assertis dum *Phraseologiam vlteriorem Terminis energicis pragnantem* addunt, prouocant *ad I. P. O. Art. V. §. 2. 14. 15. 25. 32., Art. XVII. §. 3.*

II.) Adstruunt *in Materia Grauaminum Religionis*, quæ ab A. C. Ordinibus, & Subditis aduersus Catholicos *ad Comitia* hucusque delata fuere, agi *de solis factis possessionum*, eaque *ad præfatam vtriusque Termini a quo Cynosuram* abscisse respicere, huic autem

III.) Æque *in Tabulis Osnabrugensibus Art. XVI., XVII.*, ac *in Edicto*

Executionis, *Arctiori Modo exequendi*, & *Recessibus Executionis de efficaci paratissima Executionis remedio* passim prospectum esse.

§. XVI.

Ad hæc quid Catholici reponant, §. subsequens docebit. Hic animaduertendum in antecessum, Executionem Justitiæ Ciuibus, ac Subditis alicujus Ciuitatis administrandæ *ex Jure*, & *Facto legaliter probato*, tanquam duplici scaturigine præcipua, deriuari. Et *Jus* quidem tam in *prima sui Constitutione*, quam in *permanente Statu pragmatico*, a PRVDENTIA DIRECTRICE LEGISLATORIS; siue is, pro diuersitate Ciuitatum, Personam vel *physice* vel *moraliter vnam* exhibeat, *adeo indiuidua Connexione* proficiscitur atque dependet, vt eidem, *ita exigente bono publico*, ORDINARIAS JVRIS COMMVNIS ÆQVITATISQVE REGVLAS vel ALTERANDI, vel etiam in Respectu ad *certum Negotiorum Ciuilium genus* ab ADPLICATIONE PRACTICA PLANE REMOVENDI Facultas non possit non competere. Ita equidem *ante tempora Pacificationis Osnabrugensis* Architribunalia Imperii *in Ordine ad Causas Religionis cognoscendas*, *dijudicandas*, *atque Executioni mandandas Normam* suscepisse a PACTIS, TRANSACTIONIBVS, REBVS JVDICATIS, LITIS PENDENTIIS, ALIISQVE JVRIVM COMMVNIVM PRINCIPIIS, extra omne dubium est. At vero, sicut hæc Nomothesia, & inde resultans procedendi methodus *fini Tranquillitatis publicæ* restabiliendæ *minus sufficere*, potius *fomitem perpetuum vlterioribus motibus* suppeditare, A. C. Statibus visa, ac COMMVNI PARTIVM PLACITO *in vtraque Transactione Westphalica* abolita est; ita *aliam* rei in *futurum expediendæ rationem*, *Legemque substituere*, iisdem compaciscentibus placuit. Ita autem versati sunt in *nouo Jure surrogando* IMPERATOR, *Ordinesque Catholici* ex *vna*, & *A. C. Status ex altera parte*, vt in eo Negotio vel *simpliciter* & *illimitate* procederent, vel *certas Circumstantias*, *præcipue annorum 1618.*, *1624.* pro *Cynosura determinatiua* eligerent: quod vtrumque punctum vtramque in *Tabulis Pacti Osnabrug.* paginam absolvit.

Quod vero *ad factum*, *ejusque Probationem legitimam* attinet, non equidem ignoro, Remedia probatoria ita comparata esse, vt, licet pleraque *quoad substantiam* sint *Juris Naturæ*, & *Gentium*, *Arbitrio* tamen, & *Determinationi Legislatoris* in Statu Ciuili *quoad Modum*, *Formamque Pragmaticam* relinquenda merito videantur; nihilominus, si ab hoc Arbitrio *certum Causarum genus* adeo sublimari posse contendas, vt *nulla plane partis contradicentis Exceptio*, vtut *Naturali indagandæ Veritatis Normæ* accommodata, audienda sit, id ipsum est, quod *Juri Naturæ*, *Publico Vniuersali*, *ac Gentium* forsitan non probatur.

§. XVII.

His præmissis Protestantium argumenta facile resoluuntur.

Ac

Ac *Primum* quidem vna cum locis citatis *de Jure Pacis Westphalicæ in sensu suo reali certo*, *ac indubio* absciſſe intelligendum eſt. Contra hoc Jus certum *nullam Exceptionem quocunque demum alio Juris Titulo munitam*, vnquam allegandam, audiendam, aut admittendam eſſe; contra hoc Jus nuſpiam ſeu *Inhibitorios*, ſeu *alios Proceſſus*, vel *Commiſſiones in Petitorio*, aut *Poſſeſſorio*, decernendas, ſed potius ad Normam hujusce Juris certi *promtiſſimam abſque vlla mora*, eamque *plenariam Reſtitutionem* injungendam eſſe, omnino largior, dummodo FACTUM *pariter* CERTUM concurrat, & Grauamina A. C. addictorum, (prout

Secundæ Antitheſis innuit) vel *ex propria Confeſſione Partis aduerſæ*, vel *per Viam legitimæ Cognitionis vera* deprehendantur; quouſque enim illa *in contradictorio* verſantur, locum ſibi vindicare nequit *promta Executio*, quam tanta contentione

Tertium Argumentum vrget; ſiquidem illa in poſito caſu ad hoc, vt rite decerni, ac peragi queat, *præuiam adplicationem practicam Juris ad Factum* neceſſario requirit.

§. XVIII.

Majus forte Robur Proteſtantium ſententiæ conciliare videtur CAPITULATIO NOVISSIMA, vtpote cui *Art. 1. §. 11. noua plane*, circa præſens diſquiſitionis objectum, *Conſtitutio Tenoris ſequentis* inſerta eſt:

„Wo auch ſelbige ſich gegen das *Inſtrumentum Pacis*, Nürnbergiſchen „*Executions-Receſs*, *Arctiorem Modum exequendi*, und andere Reichs-„*Conſtitutiones* beſchwert zu ſeyn erachteten, ſollen und wollen Wir „Uns auf ihre deren Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandten Chur-„fürſten, Furſten, und Ständten (die Reichs-Ritterſchaft mit ein-„begriefen) ſamt oder ſonders an Uns thuende Vorſtellungen, ohne „allen Anſtand, obgedachten Reichs-Grund-Geſätzen gemäß, „entſchlieſſen, ſo fort Unſere Entſchlieſſung denenſelben zuwiſſen „thuen, ſolche auch ohngeſaumt zum würklichen Vollzug bringen, „keines Wegs aber *in Cauſis Religionis Proceſſe* verſtatten, ſondern „darunter lediglich oberwehnten Reichs-Grund-Geſätzen nachge-„hen, nicht weniger daran ſeyn, damit die bishero angebrachte, „zur Zeit noch unerledigte Religions-Beſchwerde des forderſam-„ſten Reichs-Geſätz-mäßig abgethan werden; Wie Wir ihnen „Churfürſten, und ſämtlichen ihren Religions-Verwandten, ein „gleiches aber auch jenen der Catholiſchen Religion Kraft dieſes „Verſprechen, und Uns hiermit zu einem wie anderm verbinden.

Quæ Conſtitutio ſupponit

I.) Ordines A. C., vel Catholicos contra Sanctiones *in §. cit.* expressas a Statibus heterogeneæ Religionis de facto prægrauatos, tollendi Grauaminis causa, AVGVSTISSIMVM IMPERII CAPVT implorare.

II.) Suppositis hisce Facti terminis *Legem* dicit, vi cujus *Resolutio*, ac *Decisio Cæsarea dictis Sanctionibus publicis* sollicite, non tamen IN FIGVRA JVDICII, aut FORMA PROCESSVS, attemperata, *absque mora* adcuranda, *grauatis* intimanda, *promtaque Executioni* mandanda est.

§. XIX.

Sicut autem ex tenore Verborum:

„Keines Wegs aber *in Causis Religionis Processe* verstatten ɛc.

colligere pronum est, quod *Grauamina Religionis Catholicos inter*, *& A. C. Status*, *vel Subditos* posthac enascitura Supremorum Imperii Tribunalium *Cognitioni*, ac *Dijudicationi non amplius* subjecta sint, quum ORDINATIONES ARCHIDICASTICÆ *methodum procedendi* vel *Forensem Ordinariam*, vel, pro diuersitate Casuum, *saltem Summariam*, *in Textu nostro* speciatim exclusam, tanquam Normam commendent, atque præscribant; ita in Casu, quo Grauamina *ratione indolis suæ in Constitutionem publicam vere & realiter dubiam* incurrunt, prout *I. P. O.* exempla satis frequentia suppeditat, haud dubie statuendum videtur, *promtam Executionem aduersus imploratos ab Imperatore* tam diu suspendendam esse, donec Augustissimus, & Ordines Catholici ex vna, & Protestantes Status ex altera parte, *Thesin Juris controuersam* ad Votum implorantium *Nomothesia certa* dilucidauerint. Innuit hoc vel *ipsa Capitulatio Nouissima loc. cit.* vers.

„Sollen und wollen Wir Uns ɛc. Obgedachten Reichs-Grund-„Gesätzen (intellige I. P. O. EDICT. EXEC. &c.) gemäß, entschlies-„sen;

Neque enim alios, quam *indubia Decisione* radiantes Pacificationum Religiosarum Articulos *Versus quæstionis* indigitat; vt adeo Imperatoris *Resolutio ex Jure dubio*, *atque illiquido* (repugnante quippe *Natura Rei*, reclamante *I. P. O. Art. V. §. 50. vtriusque Religionis &c. Art. VIII. §. 2. gaudeant &c.)* emanare nequaquam possit; exploratum siquidem est, quod Constitutiones Imperii & Religiosas, & Politicas *authentice interpretandi facultas soli Imperatori* haud competat; atqui *in effectu* ipsi competeret, si Grauamini Status vel Catholici, vel A. C. addicti *ambiguam Legis Publicæ Positionem* ingredienti *paratæ Executionis Brachium* opponere, atque illud hac ratione tollere valeret. *Num porro ad decernendum hoc promtæ Executionis Imperatoriæ remedium intuitu Grauaminum Religionis, quæ in Pacificationibus Religiosis expresse fundata sunt, vel plena causæ Cogni-*

tio, *vel verisimilis factorum probatio prærequiratur*, *An vero nuda eorundem allegatio* (quo *Capitulatio Novissima loc. cit.* collimare videtur) *re ipsa sufficiat?* id non privatæ discussionis; sed altioris indaginis est.

CAPUT IV.

De Jure Principis Catholici circa Sacra Augustanæ Confessionis.

SECTIO I.

De Jure Augustissimi Imperatoris, & Imperii circa Sacra Augustanæ Confessionis.

§. I.

IN PACE OSNABRVGENSI vnanimi Cæsareæ Majestatis, omniumque Ordinum Imperii consensu, placuit, *vt quicquid Juris aut beneficii, cum omnes aliæ Constitutiones Imperii, tum Pax Religionis, & præcipue Transactio Publica Osnabrugensis, in eaque Decisio Grauaminum cæteris* CATHOLICIS, *&* AVGVSTANÆ CONFESSIONI *addictis Statibus & Subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos* REFORMATI *vocantur, competere debeat.* Ita *d. P. Art. VII.* §. *1.* disertis verbis sancit; nam initio in PACE RELIGIONIS AVGVSTANA *A. MDLV.* Compositio *ad Catholicos, & Augustanæ Confessioni stricte sumtæ addictos vnice* restricta fuerat. Id quod ex *ejusdem Pacis Religiosæ* §. *4.*, *in Editione Schmausiana* §. *17.* ad oculum patet. *Vtrum vero per Instrumenti Osnabrugensis verba:*

> „*Qui inter* ILLOS *Reformati vocantur, sic dicti Reformati Augustanæ Con-*
> „*fessionis consortes declarentur?*

quæstio est, quæ *teste* HENNIGESIO *in Medit. ad hunc locum magnæ, & impeditæ contentionis materiem* præbuit, *Reformatis* quidem Tò *inter illos ad Status Augustanæ Confessioni addictos*, *Lutheranis* vero ad paulo superiora, vt *Catholici* etiam subintelligantur, diuersa explicatione referentibus. Qua tamen lite successu temporis deferuescente vtriusque Religionis toleratæ Status *scriptis publicis sibi inuicem Augustanæ Confessionis Nomen* jam suo tempore communicasse, seque *Socios Augustanæ Confessionis* ex VTRAQVE PARTE: Der Augspurgischen Confession Verwandte Stände zu beeden Theilen, adpellasse, idem HENNIG. *loc. cit.* obseruat. Hodie Controuersia hæc in CAPIT. NOVISS. *Art. II.* §. *3.* vi *Parenthefeos:*

„Als nach dessen Innhalt all dasjenige, was denen Catholischen, „und Augspurgischen *Confessions*-Verwandten Ständen, die die„ser Religion zugethane Freye Reichs-Ritterschaft mit einge„schlossen, auch denen allerseitigen Unterthanen zu Gutem in ge„genwärtiger *Capitulation* verglichen und verordnet worden, eben„fals denenjenigen, welche unter diesen *Reformirte* ge„nennet werden, zustehen und zustatten kommen solle,„

plane decisa videtur, consequenter *Augustanæ Confessionis Nomine vtraque Religio tolerata a Religione Antiquissima Possessionata* (*qua Catholica* est) heterogenea haud dubie venit. Atque *tergeminus hic Cultus in Imperio Romano Germanico indubia Protectione Imperiali* fruitur. Sed sunt, qui insuper *Cultum aliquem quartum* a Dominis Territorialibus introduci posse, sibi persuadent, dum *Art. VII. ejusque* §. 2. *dispositionem circa finem*:

„SED PRÆTER RELIGIONES SVPRA NOMINATAS (*Catholicam* nimirum, „& *Augustanam Confessionem*, prout hæc posterior hodie tam *Lutheranos*, „quam *Caluinistas* complectitur) NVLLA ALIA IN SACRO IMPERIO RO„MANO RECIPIATVR, VEL TOLERETVR,„

huic introductioni minime obstare, ex eo euincere conantur, quod quidem *dicta Constitutio respectu Subditorum indiscriminatim prohibitiua* sit, non æque *intuitu Dominorum Territorialium*, quibus idcirco Facultatem, atque Libertatem, *Cultum aliquem quartum* in Territoriis suis stabiliendi, salvam, & integram manere, contendunt. Verum *Textus* importat vim prohibitiuam, *nullo inter Dominos, & Subditos formato discrimine*, atque hinc vtique *generaliter* intelligendus, quum particula SED *relatiua* sit *ratione subjecti*: Sicut igitur *vi antecedentium cit. Art. VII. permissio Exercitii Caluiniani & Dominos Territoriales, & eorum Subditos æqualiter* respicit: ita *prohibitionem subsequentem Cultus alicujus quarti generalem* esse oportet, adeo quidem, vt *nec priuatum exercitium ejusmodi Nouatoribus* indulgeri queat; siquidem huic rursus tum *Prohibitio Vniuersalis I. P. O.*, tum *Nomothesia Imperialis anterior*, quam *R. I. de Annis 1529.* §. *6.* Nachdeme auch kürzlich ꝛc. *1530.* §. *8.* Folgends haben Uns ꝛc. 1535. *in Proœm.* luculenter repræsentant, quæque a *Pacificationibus Religiosis, & aliis Imperii Sanctionibus* neutiquam abrogata est, omnem omnino viam præcludunt.

§. II.

Quæstionem de *Secta adæquate diuersa a tribus Imperii Religionibus* excipit altera: *An scilicet illa Jure Protectionis Imperialis fruatur, quæ vltra Doctrinam Lutheranam, vel Caluinianam progreditur?*

Casus triplex formari potest;

I.) Si

I.) Si quis *vel cum Lutheranis*, *vel Caluinistis* IN ARTICVLIS PLVRIBVS *conueniat*, *de reliquo autem* VNAM, ALTERAMVE DOCTRINAM IN SVBSTANTIA *diuersam profitetur*.

II.) Si quis *integrum Systema alicujus Sectæ plane extraneæ*, *aut saltem illius potissima Capita tenet*, *aut Religionis plane nouum Opus*, *& hactenus forte inauditum* (prout *viis innumeris a Veritate* aberrari potest) *sibi efformat*, *admiscens aliquid ex Luthero*, *aut Caluino*, *vt sub externa Professionis Schemate securus delitescat*; & demum

III.) Si quis *alia principia ex Religione Catholica*, *alia ex Lutherano*, *& rursus alia ex Caluiniano Cultu adsciscens sibi peculiarem fidei formulam effingat*. Responsio facilis est, hujusmodi enim *Neo-Confessionistæ beneficia Instrumenti Pacis* nullatenus competunt, quandoquidem nec *Catholicus*, nec *Lutheranus*, *nec Caluinista* dici potest. Quoad Religionem Catholicam res in aprico est, quippe quæ *in indiuisibili* consistit, & qui *vel in minimo Articulo* dissentit, *ejus membrum* haberi nequit. Deinde licet *A. C.*, *& Cultus Caluinianus* forte in *objecto* ita *indiuiduo* non fundentur, ac in *vno alteroue puncto diuortium* permittatur, pariter tamen non consistunt *in Articulis credendi vt singulis*, sed innuunt *Corpus credendorum*, quousque saltem omnes vtriusque Cultus socii certo concordant. Atqui Confessionista quæstionis nec Religionem Catholicam, nec Cultum A. C., nec Caluinianum *in corpore*, *& complexu integro profitetur*, consequenter merito *speciei quartæ Sectator* adpellandus.

§. III.

Itaque non dubito, quin Secta ejusmodi quarta in casu, quo Dominus Territorii eandem expellere negligit, aut plane eidem fauet, exterminari debeat ab iis, quibus *Cura*, *& Executio Legum publicarum* incumbit, nempe vel *a Cæsare solo*, *decernente* ejusdem *Judicio Imperiali Aulico*, vel *ab eo*, *& reliquis Ordinibus conjunctim per substitutum Camerale Judicium*, cujus Jurisdictio se procul dubio *ad objectum quæstionis* extendit; Vid. R. I. N. §. 6. Setzen demnach ꝛc. BLVM *in Procesf. Camer. Tit. XXX. de Caus. Fiscal.* §. *VIII. Denuntiantis autem*, *& Actoris* vice vti in hoc, ita & *in reliquis Negotiis publicis homogeneam rationem habentibus* fungi solet *alteruter Fiscalium Cæsareorum*, quibus hanc Prouinciam in vtroque Archidicasterio Supremo demandatam esse, jam supra *Cap. III. Sect. II.* §. *2.* me obseruasse memini. Interim *pro modernis rerum*, *temporumque Circumstantiis*, occurrente hujusmodi *Casu*, *Judicium Imperiale Aulicum* Auctoritatem suam forte facilius interponet, quam *Camera Imperialis.* Plura circa hanc rem *Sectio subsequens* enodabit.

§. IV

§. IV.

Redeo ad Sacra in Imperio vsitata, vbi *prima quaestio* occurrit: *vtrum res Ecclesiasticae A. C. Supremae Imperatoris, & Imperii Jurisdictioni subsint?* Affirmatiue *quoad objecta non intrinsece Ecclesiastica, sed Ecclesiasticis certo tantum modo connexa, aut occasione eorundem suborta* (si v. g. *de nudo facto, aut possessorio, si de reparanda nullitate insanabili agatur, vel in ordine ad excitandam, promouendamque alicujus Dicasterii Territorialis Justitiam imploratio fiat*) recentissima Judicii Imperialis Aulici praxis diserte adstipulatur. Vid. CRAMER. *Dissert. de Caus. Consistor. Cap.* 3. Quod ipsum & *de rebus Protestantium Ecclesiasticis*, quatenus *de intrinseca earundem secundum principia A. C. instruenda discussione* res est, asserere non reformido; cuicunque demum *ex opinionibus supra Cap. I. Sect. I.* §. 4. *seqq. relatis* A. C. Doctores *de Jure suo circa Sacra* sollicití subscribant; *Prima* enim *aegre, aut nullo modo pragmatica, & adplicabilis* existit, prout *ejusd. Sect.* §§. *cit.* fusius demonstrant.

§. V.

Qui *secundam*, quae *Jus aliquod Papale, aut Episcopale* Statibus A. C. addictis attribuit, sententiam propugnant, illi, sicut docent, *temporibus primis* Imperii Romano-Germanici, *integris* tum Majestatis Imperialis *Juribus*, eam conditionem Episcoporum extitisse, vt, licet pro Auctoritate sua Statum Dioecesanum *immediate* ordinauerint, in Imperatoribus tamen *superiorem etiam quoad Sacra imperandi Potestatem* nullo non tempore venerati fuerint; PFEFFING. ad VITRIAR. *Lib.* 3. *Tit.* 2. §. 8. *ad Ecclesiastica &c.*, vbi Thesin tam *rationibus intrinsecis*, quam *exemplis* sufficienter sibi solidasse videtur; ita ex hac ipsa positione vel inviti concludant, necesse est, Jus circa Sacra A. C, si *in effectu suo reali pro Facultate Episcopali, vel quasi tali* accipiatur, etiamnum *altiori Principio directiuo* substare, confer §. 7. *subsequentem*. Quae *Ciuilis Subordinatio* Juris circa Sacra ab iis quoque agnoscenda est, qui memoratum Jus *pro parte subjectiua, & intrinseca Juris Territorialis* habent; HENNIGES. *in Meditat. ad I. P. O. Art. VIII.* §. 1. Vers. *Libero Juris Territorialis tam in Ecclesiasticis, quam Politicis exercitio &c.* Militant sane inuictissima hanc in rem argumenta; Status enim Imperii *totum complexum Juris Territorialis, omnia, & singula Regalia, ac Praerogatiuas in regula* a Caesare, & Imperio recognoscunt, eidem vel *vinculo homagii*, aut *purae subjectionis Ciuilis, si mera allodia*, vel insuper *Clientelari, si Feuda Imperii* possideant, adstricti. Atque ab hac regula saepe fatam Potestatem circa Sacra nec *aliqua Lex publica*, nec *Obseruantia* Imperii *certa* excipit, vt per se expeditum videtur, nec *intrinseca ejus qualitas, & habitudo* vtpote quae *subordinationem Ciuilem* non adeo refugit, nec porro *modus adquisitionis originarius*,

can-

eandem e *nexu Ciuili ordinario* emancipant, etsi enim vt plurimum *Bello & Pace* adquisita non subsstent *Imperio proprie dicto*, sed sint Jura *placitis Gentium* LIBERA; atque GRAVAMINA *super vsu & exercitio potestatis circa Sacra* aliquam *ansam & occasionem Motibus Bellicis Germaniæ*, atque insecutæ *Pacificationi Osnabrugensi non improbabiliter* dederint. *I. P. O. Art. V. princ. §. 48.* Jus Diœcesanum &c. Tunc equidem hæc *Contentio* agitata fuit inter *Status Catholicos*, & hos quidem, non vt PRINCIPES SÆCVLARES, sed vt EPISCOPOS ex vna, & *Ordines Protestantes* ex altera parte: minime autem *Cæsar, Imperiumque in Corpore partem Belligerantem* constituere, aut *vtriusque Potestas Ciuilis Suprema* intuitu dicti *Juris circa Sacra Bello* materiem præbuit: nec etenim *Tractatus Pacis*, nec *Pax ipsa de hisce Factis* vel *vestigium* innuunt. Vt idcirco prætensus Titulus *Belli, Pacisque*, ac iisdem superstructa *Libertas Ciuilis*, ac respective *Supremarus* pluries aliati Juris oppido euanescant.

§. VI.

Deinde Ordines A. C. persæpe *nominatim de Jure circa Sacra* regaliter inuestiuntur; Noui equidem, Inuestituram Cæsaream *omnium*, atque *singulorum Jurium Regalium*, quibus Status eminent, *se sola, primo, & immediate* non semper collatiuam esse, siquidem perplura dictorum Jurium ex *aliis Titulis publicis, Pactorum, Pacificationum, Recessuum Imperii, Capitulationum Cæsareorum, Priuilegiorum Imperialium, Collationis Dignitatum Regalium, Possessionum, similibusue fontibus* originitus profluant; eandem ipsam tamen, respectu ejusmodi Jurium Eminentium, saltem *vim confirmandi* nunquam non exserere, hanc autem non ab alio, quam a Superiore qua tali proficisci posse, ac idcirco in re confirmanda *verum nexum subordinationis Ciuilis* inuoluere, vere indubium esse videtur.

Denique participatur a Statibus A. C. Jus circa Sacra, quatenus *vtile* est, & iis vigore Pacificationum Religiosarum Potestatem relinquit adornandi pro Territoriis *Cultum Religionis*, & *annexa*, igitur & *altera* hujus Juris *qualitas onerosa*, vel saltem *minus priori fauorabilis*, *e primigenio* tamen *Systemate Reipublicæ Germanicæ* æque deriuata, & *indiuidua omnium Regiminis Territorialis Jurium Comes*, *subordinatio* nempe *Politica*, ipsis displicere non poterit.

§. VII.

Acerrime quidem obluctantur Aduersarii, sententiam suam sequentibus Argumentis tuentes:

1.) Prouocant ad *I. P. O. Art. V. §. 48.*, *vi cujus Jus Diœcesanum, & tota Jurisdictio Ecclesiastica & Pontificia, & Episcopalis cum omnibus suis speciebus,*

contra A. C. Electores, Principes, Status, comprehensa libera Imperii Nobilitate, eorumque Subditos suspensa est; inde colligunt, quod, sicut *Jus Sacrorum ante dissidia Religionis* Imperator, & Status Imperii haud exercuere, ita illud, quia *post Sacrorum metamorphosin eidem Cæsari, & Statibus Catholicis nulla Sanctione Imperiali* diserte adstruitur, *ex natura rei solis A. C. Ordinibus*, & quidem *proprio Jure Suprematus ab omni subordinatione Ciuili liberi*, non competere non possit.

II) Vrgent *æqualitatem exactam, mutuamque, quam ejusdem Art. V. §. 1. circa fin.* inter Status vtriusque Religionis obseruandam *serio* injungit. Jam vero, quemadmodum Catholici *Jus circa Sacra Catholicum summo* Cæsaris, & Imperii *Arbitrio Nomothetico, ac Dicastico* neutiquam submittunt, sic & Protestantibus *in hujusmodi causis* asserunt facultatem *Subjectionis Ciuilis vinculo* sese *pariter* exsoluendi. Addunt

III.) Quod *Judices Catholici*, qui *mixtim cum Protestantibus, numero tamen superiores*, in Archidicasteriis Imperii Jus dicunt, *secundum sua Religionis Principia Causis Ecclesiasticis* se immiscere minime valeant

§. VIII.

Verum *propriis* Aduersariorum *Armis* profligatur.

Prima Antithesis: certe illi passim docent, *ante tempora fundati Imperii Papalis Curam Religionis integram ad Cæsarem, ac Status Imperii Jure Majestatis, atque Superioritatis* respexisse; hinc *latas ab iis tot Constitutiones circa Personas, Bona, & Jura Ecclesiastica, indicta pro Auctoritate Imperiali Concilia*; *per cessionem Inuestiturarum Episcopalium ab HENRICO V. Imperatore in manus Ecclesiæ factam dimidiam Majestatis Germanicæ partem interiisse, Potestatem circa Sacra, sedente GREGORIO VII., Ordinibus mala fide præreptam, & vsurpatam a Clero fuisse, &c.*, donec *Pace Religiosa vtraque interueniente Cimelium hoc* (ipsi *Clin- & Clenodium* vocant) *ad pristinos Dominos* JVRE POSTLIMINII rediit. Si itaque (quod *sine Veritatis Catholicæ præjudicio* dixerim) res *in pristinum Statum* restituta fuit, ergo *Jus illud restitutum* eodem modo *Majestati Cæsaris, & Imperii* subordinabitur, quo *ante inductam mutationem ejusdem Jussa, & Leges* ex mente Protestantium *rite* excepit, licet hæc subjectio *de facto*, prout illi rursus obtendunt, *a Clero Pontificio* olim præpedita fuerit.

§. IX.

Neque magis patrocinatur Protestantibus

Secunda Antithesis: quamuis non ita pridem SENATVM FRANCOFVRTANVM *ad*

ad Mœnum, & ejusdem Ciuitatis Imperialis *Seniorem Ministerii Doctorem MUNDEN*, quum contra hunc *Actio Fiscalis* institueretur, ad eam recurrisse, enarret FABRI Staats-Canzley *Tom. LXXIII. C. 4. N. 2., & 3.*; namque Argumenta hucusque deducta sufficienter quidem euincunt, *qualitatem subjectionis Ciuilis Juri circa Sacra A. C.* inesse; quia tamen *Potestas Ecclesiastico-Catholica non nisi* a SVPREMO ECCLESIÆ CATHOLICÆ CAPITE, VNICO quippe, ac GENVINO FONTE, deriuatur, ejusdemque *Systema Hierarchicum antiquissimæ a tot Sæculis præterlapsis radicata & adhuc immotæ Possessioni* innititur, inde fit, vt *Lex mutuæ Æqualitatis, vtpote futura duntaxat respiciens*, illi præjudicare nequeat.

Statuendum potius videtur, in eo *Catholicos, & A. C. addictos Ordines pares* existere, quod, sicut illi Jura Ecclesiastica *a Suprema Virtute Directrice Ecclesiæ suam originem* deducere, *Candore vere Catholico* profitentur, ita & hi *in rebus Ecclesiasticis Superiorem aliquem* agnoscere teneantur; vt adeo *discrimen tantum circa subjectum, ad quod subordinatio dirigenda*, occurrat, res ipsa vero *vtriusque Religionis principiis* eatenus attemperanda veniat. Cæterum & *Catholicorum Ordinum Jus circa Sacra*, quod iisdem *in Subditos suos A. C.* inferius adstruetur, *Jurisdictionem Imperialem* non reuereri non potest, siquidem hic *præceptum mutuæ æqualitatis* terminos vtrinque habiles, adeoque & adplicationem inuenit.

§. X.

Tertia Antithesis manifeste corruit; sciunt vtique *Judices Sæculares Catholici*, se quidem *Jurisdictionis Catholico-Ecclesiasticæ, non æque ejus, quam A. C. inuenit, exercendæ* incapaces esse; & quid A. C. addictorum *realiter* interest, *qua Conscientia Catholici in hujusmodi negotiis procedant?* Certe, dum hoc modo argumentantur Antagonistæ, super *nudo Jure Tertii, Pontificii scilicet Juris*, excipiunt, vtpote ex quo illa inhabilitas, si tamen vlla subesset, proxime petenda foret.

Sed quid *de Causis Protestantium Matrimonialibus* statuendum? Sane ex propria horum confessione illæ *ad Classem Contractuum* mere *Ciuilium* reuocantur, nec inuoluunt *in objecto veram qualitatem rei Spiritualis, aut Ecclesiasticæ*, sed, vt itidem *A. C. addicti* DD. adstruunt, *quasi in vim retorsionis contra Catholicos*, qui Matrimonio *rationem Sacramenti*, locumque *inter Negotia Spiritualia* adsignant, adeoque *secundum effectus duntaxat externos sphæræ objectorum Spiritualium* accensentur; consequenter ex hac Doctrina prono satis alueo fluit, *in hisce causis Matrimonialibus A. C. Sociorum* Jurisdictionem Imperialem *in Thesi, & Regula* vel maxime fundatam existere; quidquid sit *de Hypothesi: vtrum hæc Jurisdictionis pars vel a Cæsare solo, vel ab eodem, & vniuerso Imperio, vel a Judicio Camerali, aut ab Austrægis exercenda sit?* respicit enim *indago criterii hujus*

magis adcuratam, & *particularem Jurisdictionis Imperialis discussionem a scopo præsenti alienam*. Confer. PFEFFING. ad VITRIAR. *Lib.* 3. *Tit.* 2. *§.* 60. *litt. C.*, vbi quidem *pro firmando Suprematu independente* A. C. addictorum Ordinum tam *quoad causas Matrimoniales* in specie, quam *intuitu reliquorum capitum in Jus circa Sacra proprie influentium* argumenta exacte congesta esse, iisdem tamen ipsis *rationes pro Potestate Suprema Augustissimi Imperatoris*, & *Imperii* adeo perspicue militantes nequaquam infirmari, facile colliges.

§. XI.

Num porro *Majestas Imperialis*, *ejusque Jurisdictio se quoque ad Episcopatus A. C. diffundat?* sciscitari licet; vbi præmittendum, *Episcopatum quaestionis esse Ens quoddam medium inter Episcopatus Catholicos*, & *Territoria mere Saecularia Statuum Protestantium*, si quidem *publicum*, *idque mere externum*, *ac politicum rei Systema* contemplari lubeat, *indagine altera de vera*, *vel spuria qualitate* Episcopatus: *an nimirum*, *vel quatenus haec posterior detur? Foro Canonico* relicta. Atque hinc ejusmodi Episcopatus *suo modo de vtroque extremo* participant, quoniam ex vna parte A. C. amplectuntur, *ejusque placitis quoad omnes Articulos* subscribunt, ex altera vero *in reliquis objectis sphara Ecclesiastico - Catholica eidem A. C.* non repugnantibus *Normam*, *ac Cynosuram* petunt *ex antiquo Status Episcopalis Systemate*, non quidem respiciendo ad hoc, quod illud *ab Hierarchia Ecclesiastico-Catholica* informatum sit, ejusque *Imperio*, & *Potestati Directrici* (tergiuersantur enim se subjicere *Potestati Clauium*, *an vero recte*, *vel secus hoc fiat?* hic discutere non vacat) *originem* debeat, sed quatenus A. C. *rationibus* adaptari posse visum fuit; adeoque in iis capitibus se illud *sponte* retinuisse, perhibent. Ex his Episcopatibus *post Pacem Osnabrugensem* duo supersunt, LVBECENSIS nimirum, & OSNABRVGENSIS, quoties hunc vltimum *vi Successionis alternativa in ead. P. Art. XIII.* §. 1. *seqq. sancita ad Familiam Ducum Brunsuicensium*, & *Luneburgensium* deuolui contingit; Episcopatus quippe SAXONICI, MISNENSIS, MERSEBVRGENSIS, & NVMBVRGENSIS olim CITICENSIS, siue CIZENSIS *dubia conditionis* habentur. Episcopatibus A. C. *quoad immedietatem* æquiparanda est *Abbatia Gynaecocratica* QVEDLINBVRGENSIS. De reliquis *quondam Partheniis*, quæ ad *C. A. Sacra* transiere, *Abbatiis immediatis* v. g. HERVORDENSI, GANDERSHEIMENSI, *caeteris*, evolu. BILDERBECK. Deutscher Reichs-Staat *P. V. Sect.* 1. *C.* 35. Add. PFEFFING. *ad* VITR. *Lib.* 1. *Tit. XV.*

§. XII.

Principia §§. *praeced.* exposita Jurisdictioni Cæsareæ Episcopatus quæstionis, vna cum Abbatia *Quedlinburgensi* &c., haud dubie *in Thesi* subjectos esse, plane evincunt. Neque *in Hypothesi* desunt exempla; sic refert

refert FABER *Tom. XIII. C. 14. N. 1. 2.*, *Augustissimum Imperatorem* LEOPOLDUM non modo *super Electione Abbatissæ Quedlinburgensis* variis modis Auctoritate Imperatoria cognouisse, sed & *Confirmationem Electionis peragendæ* specialissime sibi reseruasse, quin desuper vlla ex parte *tergiuersationem* obortam esse, Fide publica constet. Quid quod ipsum Capitulum Quedlinburgense hanc Potestatis Imperatoriæ partem *vltro* agnovit, atque Confirmationem Electionis expetiit, *loc. cit. N. 5.* Sed & *Jus deuolutionis*, si quando Electio Abbatissæ intra *Terminum a Jure Canonico præscriptum* haud peracta fuerit, sibi asseruerunt, idque Declaratione publica *idem Imperator* LEOPOLDUS, *ejusque Successor* JOSEPHUS manifestarunt; id quod ipsis a Capitulo Quedlinburgensi *in Hypothesi* quidem impugnatum est, *in Thesi* non æque, prout patet *ex Tom. & C. cit. N. 7. 8.*

§. XIII.

Magis intricata quæstio videbitur: *an scilicet ad ipsos Episcopatus A. C. qua tales Majestatis Cæsareæ Jurisdictio se se Jure porrigat?* siquidem de his *I. P. O. Art. V. §. 21.* Sanctionem sequentem promulgat:

> „*Electi aut Postulati in Archiepiscopos, Episcopos, aut Prælatos A. C. addi-*
> „*cti, a* SACRA CÆSAREA MAJESTATE, postquam *intra Annum Electionis,*
> „*aut Postulationis suæ fidem fecerint, & Juramenta Regalibus consueta feudis*
> „*præstiterint* ABSQVE VLLA EXCEPTIONE INVESTIANTVR &c.

Ex qua Constitutione plures colligunt, Episcopos sæpe fatos tantum obstringi *ad probandam* CÆSARI *Electionem, Postulationemue suam*, vt nempe *subjectum cui Inuestitura Regalis* certum reddatur, *de Confirmatione* autem *auctoritatiua ipsius negotii Electionis, Postulationisue* quia *altum* vbique *silentium* est, vlterius argumentum subjungunt: Confirmatio Electionum, Postulationumue Canonicarum est *actus omnium præcipuus, & eminentior Jurisdictionis in Statum aliquem Ecclesiasticum exercendæ*, & Episcopis Catholicis a Sede Apostolica *ex proprie sic dicto Imperio Ecclesiastico* impertitur; jam vero, quum intuitu Episcoporum A. C. *hoc Jurisdictionis Imperialis fundamentum* desideretur, *Jura quoque eidem superstructa* non euanescere non possunt.

§. XIV.

Sed salua res, salua Thesis est, vbi illorum sententiæ suffragari lubet, qui Inuestitura Regali Cæsarea *virtualiter, & implicite ratificationem Electionis, aut Postulationis* contineri, propugnant. Sane vel inde hæc sententia admodum probabilis euadit, quod ejusmodi Episcopi *loc. cit.* I. P. O. jubeantur

> „*Vltra Taxa Ordinaria summam* INSVPER EJVSDEM DIMIDIVM PRO IN-
> „FEVDATIONE PENDERE.

Sua vtique Legi debet constare ratio, quam non inconcinne hanc esse statuunt, quod *Taxa ordinária Feudalis modo* reliquis Statibus Sæcularibus *communi pro Inuestitura Regali Politica* exsolvatur, *dimidium* vero vlterius pro *Confirmatione Dignitatis via* vel *Electionis*, vel *Postulationis* adquisitæ *implicite* simul accedente pendatur. Esto, videantur hæc asserta *conjecturis* proxima, eæ tamen, si rite expendantur, conjecturæ vel maxime verisimiles existunt. Demus insuper, confirmationem *inter Jura Imperii Ecclesiastici* præcipua quadam proëdria eminere, demus, inde *ad totum Superioritatis Ecclesiastica complexum in sensu affirmatiuo* recte concludi, rursus tamen argumentum eo minus *negatiue* procedit, quo magis expedita res videtur, Electionem *in Concordia*, & alias *Canonice* peractam eo ipso *Leges publicas realiter* adimplere; cui proinde *Confirmatio expressa* Superioris *reapse nil nisi meram Auctoritatem* superaddit; vt adeo *absque præjudicio Imperii Summi in hac Hypothesi* omitti, & *Sanctione* etiam *publica* desuper caueri queat.

§. XV.

Quodsi Aduersarii vrgeant, *Augustissimis Imperatoribus de ipsis etiam Controuersiis occasione bujusmodi Electionum emergentibus cognoscendi, easque sua sententia definiendi facultatem haud competere*, id quidem *contra indubiam Actorum Publicorum fidem* diserte adstruunt. Certe FABRI Staats-Canzley *Tom. II. Fascic. 2. N. 1. seqq. Exemplum notatu sane quam dignissimum* suppeditat, ex quo luculentissime patet, *D. Imperatorem* LEOPOLDVM EPISCOPO AVGVSTO FRIDERICO, & CAPITVLO LVBECENSI *per Mandata Inhibitoria, & Dehortatoria S. C. sub dato* Wien, *28. Septemb. A. 1684.* serio, *adjecta euentuali Actus abolitione*, injunxisse, vtne *ad Electionem Sub-Coadjutoris* E DOMO HOLSATO-GLVCKSTADIANA, SIVE REGIO-DANICA (*Negotium* profecto *intrinsece Ecclesiasticum*) procederent. Reponente Capitulo *sub dato* Lübeck, *11. Octobr. 1684.*, se nunquam ejusmodi quid commissurum, *quod* CÆSARIS MANDATIS, *suisque simul Juribus*, *contrarium esset*, rescripsit Imperator 20. Novembr. 1684., SE OMNINO MANDATIS OBEDIRI VELLE; Vid. LONDORPII *Tom. XI. Act. Publ. C. 60. §. 95. Num. I. & III. p. 151. & 152.* Quæ loca, *Jurisdictionis Cæsareæ competentiam* neutiquam *in dubium* vocatam, sed alia omnia de- & remonstrata esse perspicue euincunt.

Eadem plane ratione & *Postulationes* Episcoporum Protestantium *a Jurisdictione Imperiali Normam decisiuam*, casu eueniente, petant, necesse est; *An vero, vel quando dicta Postulationes viam perueniendi ad Dignitates Ecclesiasticas extraordinariam, & ab Electione heterogeneam constituere valeant?* aliorum disceptationi relinquitur.

Quum itaque A. C. Episcopi *ad expressam* Electionum, ac Postulationum suarum

ſuarum *Confirmationem ab Aula Cæſarea petendam* haud adſtricti ſint, id procul dubio *nudæ Exceptionis*, *& propriæ dicta Diſpenſationis*, ſiue *a Lege ordinaria Exemtionis* rationem haber. Addenda hic quædam forent *de Principiis Dicaſticis*, ad quorum præſcriptum *Eccleſiaſtica* A. C. addictorum *Controuerſia* decidi debeant; vt nempe *Juriſdictionem* Auguſtiſſimi Imperatoris, & Imperii *intuitu Cauſarum quæſtionis etiam ex hoc capite fundatam*, *ſuisque præſidiis minime deſtitutam eſſe*, palam fieret: quia tamen *heterogenea Caſuum indóles*, atque *ipſa materiæ prolixitas Exegeſin fuſiorem a præſenti inſtituto alienam* expoſcit, hinc diſquiſitio vlterior alii, eique commodo magis loco reſeruatur.

SECTIO II.

De Jure Principis Catholici Status Imperii circa Sacra Auguſtanæ Confeſſionis.

SUBECTIO I.

De Jure Catholici Epiſcopi Principis, qua Epiſcopi circa Sacra Auguſtanæ Confeſſionis.

§. I.

Scribo in Patria, vbi PEDVM, & GLADIVS *indiuiduo nexu* conjunguntur. Idcirco *Diſſertationi poſteriori* CATHOLICI EPISCOPI PRINCIPIS JVRA lucem accendent, ita quidem, vt *Principia ex hoc fonte deriuata* CVILIBET PRINCIPI CATHOLICO MERE SÆCVLARI *fere potiori ex parte* accommodari queant. *Prodroma hic ratione* JVRIS EPISCOPALIS *quæſtio* occurrit: *Vtrum Juriſdictio Catholici Epiſcopi Principis qua Epiſcopi, ſiue ſub qualitate Juris Diœceſani, in A. C. Conſortes ſuo Territorio Sæculari vera ſubjectione addictos poſt Tempora Pacificationum Religioſarum Jure exerceatur?* *Negatiuam* innuere videtur PAX RELIGIOSA §. 7. *in Editione Schmauſiana* §. 20. ibi:

> „Damit auch obberührte beyderſeits Religions-Verwandte, ſo „viel mehr in beſtändigen Frieden, und guter Sicherheit, gegen- „und beyeinander ſitzen, und bleiben mögen, ſo ſoll die Geiſtliche „*Juriſdiction* -------- wieder der Augſpurgiſchen *Confeſſions*-Re„ligion, Glauben, Beſtellung der *Miniſterien*, Kirchen-Gebräu„chen, Ordnungen, und *Ceremonien*, ſo ſie aufgerichtet, oder auf„richten möchten, bis zu endlicher Vergleichung der Religion, „nicht *exercirt*, gebraucht, oder geübt werden ꝛc.

Ex

Ex hac quippe dispositione complures colligunt, *quoad Puncta Exercitii A. C. intrinseca Jus Diœcesanum etiam contra proprios subditos suspensum* esse, licet forte *non æque in aliis Objectis Potestatis Ecclesiastico - Catholicæ*, vbi in primis A. C. *in pleno suo Cultu* nihil detrahitur, *huic fato* locus sit; quo non obscure collineat *§. cit. Textus Finalis*, ibi:

„Aber in anderen Sachen, und Fällen, der Augspurgischen *Con-* „*fessions* Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuche, Ordnungen, „*Ceremonien*, und Bestellung der *Ministerien* nicht anlangend, soll „und mag die Geistliche *Jurisdiction*, durch die Erz-Bischöf, Bi- „schöf, und andere Prälaten, wie deren *Exercitium* an einem jeden „Ort hergebracht, und Sie in deren Ubung, Gebrauch, und „*Possession* seynd, hinfüro, wie bisher, unverhindert *exercirt*, „geübt, und gebraucht werden.

§. II.

Verum si penitius *integrum Textus Tenorem* explorare lubet, haud difficulter patebit, Nomothesiam Religiosam ibi *de solis A. C. Statibus*, contra quos *Jus Diœcesanum Vicini Episcopi Catholici suo modo* suspensum esse declaratur, mentionem injicere. Neque majori subsidio est Aduersariis §. 48. *Jus Diœcesanum &c. Art. V. I. P. O.*; licet enim & iste §. *totam Jurisdictionem Ecclesiasticam in regula* suspendat, ejusque *exercitium* tantum *quasi per exceptionem*, & *dependenter ab Anno Normali* relinquat; *genuinus* tamen *Verborum significatus* satis superque innuit, ibi duntaxat *de Potestate Episcopali* ALIORVM STATVVM TERRITORIA *alias pertranseunte*, non vero *de propriis* Catholici Episcopi Principis *subditis* quæstionem subesse; siquidem

Casus Primus cit. §. respicit *Ditiones Seculares alienàs* potissima ex parte *A. C. addictas*, quarum intuitu *Jurisdictio Ecclesiastica Vicini Episcopi*, siue *Catholici*, siue *Protestantis*, *in regulâ* suspensa est, ita tamen, vt *ad consequendos Reditus*, *Census*, *Decimas*, *& Pensiones in iis A. C. Statuum Ditionibus*, *vbi Catholici Anno 1624. notorie in Possessione vel quasi Exercitii Jurisdictionis Ecclesiasticæ fuerunt*, *eadem posthac quoque vti non prohibeantur.*

Casus Tertius, *& Vltimus* rursus non *proprios* Catholici Episcopi Principis, sed *A. C. Magistratuum subditos* pro objecto habet, consequenter &

Casus Secundus, *siue intermedius* in Verbis:

„*Catholicorum A. C. addicti Status Prouinciales*, *& subditi*, „*qui Anno 1624. Ecclesiasticam Jurisdictionem agnouerunt*, in

iis

„iis Casibus modo dictæ Jurisdictioni subsint, qui A. C. „nullatenus concernunt, &c.

per subditos Protestantes haud *proprios* ipsius Episcopi Principis, sed *alienos* non denotare non potest; quamvis enim *secundum Litteram in sensu generali, & indefinito* procedere, ac proinde etiam proprios subditos comprehendere videatur, per *antecedentia* tamen, & *consequentia* satis *ad speciem* determinatur; atque hanc *determinationem specificam ad solos subditos alienos* præcipue *Termini initiales Casus Tertii:*

„Eodem etiam Jure A. C. Magistratuum Catholici subditi „censeantur, *inque hos, qui Anno 1624. publicum Religionis „Catholicæ exercitium habuerunt*, Jus Diœcesanum, quate„nus Episcopi illud dicto Anno quiete in eos exercuerunt, „saluum illud esto,

luculenter probant; *adplicatio* quippe *vnius ejusdemque Juris*, de qua hic mentio fit, *relatiua* est, & *easdem Facti Circumstantias* supponit, quousque *contrarium* euidenter doceri nequit; adeoque, sicut *Casus hic Tertius de subditis alienis* expresse differit, ita eandem interpretationem *Casus Secundus ratione mutui respectus æqualiter* exposcit. Id qui negant, alterutrum concedant, necesse est, aut *de Casu præsentis Controuersia, de Jurisdictione scilicet Catholici Episcopi Principis in subditos proprios Protestantes in dicto §. I. P. O.* perinde, ac *in altero P. R.*, *altum silentium* esse, vt quidem mihi videtur, aut saltem *hæc formalia*:

„Catholicorum A. C. addicti Status Prouinciales, & subdi„ti &c.

perquam ambigua, & obscura existere; vt adeo *ejusdem P. R.* §. *3.*, *in Editione Schmausiana §. 16.*, tanquam *Regula fundamentali supra C. II. in Mantiss.* §. *6. commendata*, *pro conseruanda* Systematis Ecclesiastico-Catholici *antiquissima Possessione*, & hic insistendum esse, facile intelligatur.

§. III.

Quantum deinde *ad Jurisdictionem Episcopi Catholici in alterius Status Catholici Secularis subditos Protestantes* attinet, *Art. V. §. 48. Casu Secundo* ita statuit:

„*Catholicorum A. C. addicti Status Prouinciales, & subditi*, „qui Anno 1624. Ecclesiasticam Jurisdictionem agnouerunt, „in iis Casibus modo dictæ Jurisdictioni subsint, qui A. C. „nullatenus concernunt, modo ipsis occasione Processus

„nihil injungatur Aug. Confeſ., vel Conſcientiæ repug-
„nans.

Vnde quæſtiones emanant ſequentes:

Prima.) *Quando Jurisdictio Eccleſiaſtica vigore Textus præmiſſi agnita cenſeatur?*

Secunda.) *An tota Jurisdictio Epiſcopo ſalua permaneat, licet Anno Normali in una, alteraue ejus parte nullum plane exercitium habuerit?*

Tertia.) *Ad quas Cauſas, & Objecta* ſe ſe *eadem diffundat?* Expediendæ hæ quæſtiones breuiter:

Quoad Primam.) Sufficere videtur, ſi neque *Anno Decretorio*, neque *immediate ante illum* Jurisdictio Eccleſiaſtica *actualiter*, & *publice* a ſubditis quæſtionis impugnata, adeoque *quietæ poſſeſſioni* relicta fuerit, licet *Exercitium illius vel rarum, vel plane nullum* hoc tempore extiterit; id enim ſolummodo, & nil vltra *in ſenſui reali* volumus, quando *Poteſtatem alterius, præſertim jam antea fundatam*, agnoſcere dicimur.

Ad Secundam.) Patet ex reſponſione priori, ſaluam *quoad integralem ſuum Statum* permanſiſſe Jurisdictionem Epiſcopalem; fit enim in Lege *præciſa mentio Jurisdictionis Eccleſiaſticæ, non Exercitii*, illa vero indefinite pronunciata *totum aliquod poteſtatiuum continens omnes ſpecies* vtique ſignificat.

Ad Tertiam.) Reſolutio pendet *e quæſtione præjudiciali: quinam ſint illi Caſus*, QVI AVGVSTANAM CONFESSIONEM NVLLATENVS CONCERNVNT? opinantur quidam cum HENNIGES. *ad h. l.*, intelligi hic omne id, quod *quouis modo directe, vel indirecte ad negotium Religionis* pertinet; Verum ſolida illos ratio deſtituit, in hac quippe ſententia diſpoſitio *verſus quaſt.* manifeſte *eluſoria* reddi poſſet. Vt igitur eidem ſuus conſtet vigor, adſtruendum potius videtur, ibidem *hujusmodi Caſus* indigitari, *qui punctum Religionis adeo intrinſece non ingrediuntur*, neque *in principiis fundamentalibus objectiuis Catholicos* inter, & *A. C. Socios diſſenſum* inuoluunt, ſed *mere extrinſece ad Religionem* ſe habent, non contrauenientes *Doctrinæ alicui ſubſtantiali* A. C., etſi *ad decempedam Canonico-Eccleſiaſticam* componantur; quales qui ſint, patebit nullo negotio conferenti *eſſentiales differentias Religionem Catholicam inter*, & *Cultum Auguſtanum* ex vna, eit *Syſtema Canonico-Eccleſiaſticum* ex altera parte; mihi enim hic fuſiori eſſe non licet.

SUB-

SUBSECTIO II.

De Jure Principis Catholici, qua Status Saecularis circa sacra Augustanae Confessionis.

§. I.

Ad Jura *Principis Catholici Saecularis qua talis circa Sacra A. C.* descendo; vbi *primum* sibi *locum* vindicat JVS REFORMANDI, *quod in sensu strictiori est Facultas Summo Magistratui competens. Membra Societatis Ciuilis, vbi diuersam ab Imperante Religionem amplectuntur, e numero ciuium, ac subditorum expungendi, atque, vt solum vertant, adigendi. Et hoc Jus Reformandi in P. O. Art. V. §. 30. quantum deinde &c. Statibus Imperii immediatis quibuslibet* luculenter assertum est, consequenter & ab Ordinibus Catholicis Saecularibus Jure optimo exercetur; BVCKISCH. *ad I. P. O. Art. V. Obseruat. 81.*, HENNIGES. *ad eund. Art. litt. F. pag. 423.* Neque euincunt aliquid, qui a Statibus Catholicis mere Saecularibus *hanc Juris partem*, vtpote *Sphaerae Ecclesiasticae propriam* exerceri haud posse, contendunt; licet enim vltro largiamur, hoc Jus Reformandi penes Catholicos *objectum pure Ecclesiasticum* respicere, adeoque *in effectu Prouinciae mere Ministerialis indolem pro Natura Aduocatiae Ecclesiastico-Catholicae, cujus pars* est, sortiri, quo ipso etiam *Corpori Jurium territorialium* tanquam *pars intrinseca* accenseri nequit; id tamen non impedit, quo minus *Potestati Territoriali in quolibet Subjecto Status Catholici inseparabiliter* cohaereat, ac *Jure quidem suo, & quaesito, quod adimi ab Ecclesia* nequit. Confer. *Cap. II.* §. 1. *seqq.*

§. II.

Dum porro vigore *I. P. O. Art. V. §. 28. libera & immediata Imperii Nobilitas, omniaque & singula ejus membra vna cum subditis, & bonis suis feudalibus, & allodialibus*, in Juribus Religionem concernentibus, & beneficiis inde promanantibus idem Jus habent, quod Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii competit, vlterior quaestio resultat:

Vtrum dicta Nobilitas Jus Reformandi sibi legitime vindicet?

Videtur id satis emphatice *ex §. modo cit.* euinci; at *Negatiuam ejusd. Art. V. §. 30. admodum probabilem* reddere pariter videtur, siquidem ille *in ordine ad exercitium hujusce Juris Reformandi tanquam Conditionem necessariam* FORMATVM TERRITORIVM praerequirit *in Terminis*:

 „*Cum*

„*Cum ejusmodi Statibus* cum Jure Territorii & Superioritatis &c.
„*Jus Reformandi exercitium Religionis competat &c.*

Atqui *de hac Territorii formati qualitate*, intuitu Ordinis Equestris, ingens hodieque controuersia agitatur. Consul. omnino *Celeberrimus* JOAN. ADAM. KOPPIVS *in Tract. de insigni differentia inter S. R. I. Comites, & Nobiles immediatos Sect. II. §. IX.* Iung. LEHMANN. *Act. P. R. Lib. 1. Cap. 6. 8. & 10. 15. & 16.* JOAN. JOACH. MÜLLER vom Dispensations-Recht in verbothenen Ehen *Lib. 3. Cap. 17. §. 6. &c.*

§. III.

Ad *fontem Juris Reformandi* quod attinet, equidem complures statuunt, illud Ordinibus Imperii non demum *ex Pacto Osnabrugensi*, sed jam antea *vigore Pacis Religiosæ de Anno 1555.* concessum fuisse; Verum sicut

I.) *In P. R. §. 11., in Edit. Schmaus. §. 24.* Wo aber unsere ꝛc. *de Jure Reformandi nullum plane vestigium* occurrit; ita potius non desunt, qui docent, *decantatum hoc Jus Reformandi ibidem positiue exclusum, atque subditis diuersæ a Domino Religionis plenissimam in ejusdem Territorio vel vlterius permanendi, vel emigrandi facultatem, libertatemque adsertam fuisse.* Illud saltem negari non potest, *in* §. *quæst.* intentionem Aduersariorum perspicue vel ideo haud fundari, quia

II.) *Quoties Lex Pragmatica Osnabrugensis de objecto quodam Religionis in P. R. de Anno 1555. jam clare fundato nouiter, & confirmatorie quædam profert, toties expresse, & specifice ad eandem P. R. adbibita singulari cautela se se referre solet.* Audiamus *Art. V.* §. *45.* ibi:

„*Ratione redituum cujuscunque generis ad Bona Ecclesiastica, eo-*
„*rumque Possessores pertinentium* ante omnia obseruetur id,
„quod in Pace Religionis §. Dagegen sollen die Stände der
„Augspurgischen Confeßion ꝛc. §. Alsdann auch den Ständen
„der Alten Religion ꝛc. dispositum inuenitur.

Audiamus & *ejusd. Art.* §. *cit. 30. Quantum deinde &c.* ibi:

„*Cum* -
„dudum in Pace Religionis *talium Statuum subditis, si a Re-*
„*ligione Domini Territorii dissentiant*, Beneficium emigrandi
„concessum, *insuper, majoris Concordiæ inter Status conser-*
„*uandæ causa, cautum fuerit*, quod nemo alienos subditos

ad

„ad suam Religionem pertrahere, eaue causa in Defensio-
„nem, aut Protectionem suscipere, illisue vlla ratione pa-
„trocinari debeat; *Conuentum est, hoc idem porro quoque* ab
„vtriusque Religionis Statibus *obseruari &c.*

Atqui *in d. §.* INTVITV JVRIS REFORMANDI *hujusmodi Prouocatio* ad P. R. neutiquam reperitur, consequenter *Regulæ paulo ante commendatæ* insistendum videtur.

Fateor tamen, rem necdum extra omnem controuersiam positam esse: *vtrum nempe ex solo §. 30. sæpius indigitati Juris Reformandi Origo abscisse petenda sit?* Hujusce dubii resolutionem fundamentalem inde pendere existimo: Num Tenor verborum:

„*Cum ejusmodi Statibus immediatis cum Jure Territorii, &*
„*Superioritatis* ex Communi per totum Imperium hactenus
„vsitata Praxi, etiam Jus Reformandi exercitium Religio-
„nis competat &c.

sit præsuppositiuus Juris quæst. vtpote dependenter a communi Praxi, & Obseruantia jam adquisiti, & mere Declaratorius ejusdem, an vero Praxis, & Obseruantia hac in Textu præuio Vim Legis primum sortita fuerit?

Vt autem *Exercitio Juris Reformandi* suus constet Vigor, atque efficacia, discrimen *inter triplicis Classis subditos* probe notandum est; *Alii* quippe *nec Religioni Catholicæ, nec Augustanæ Confessioni vtrumque Cultum toleratum complectenti*, sed *speciei quartæ* addicti sunt; *Alii* quidem *Catholicorum, vel Protestantium vtriusque Cultus Sacra* suo assensu venerantur, non tamen *quoad suæ Religionis Exercitium Anni Normalis Præsidio* muniti sunt, & rursus *aliis hujusce Temporis Decretorii Palladium Securitatem, Protectionemque publicam* elargitur.

§. IV.

Exercitium actuale Juris Reformandi, præcipue *quoad primam subditorum Classem, exactam facti Cognitionem* supponit; & hanc quidem habita ratione eorum, qui nec Religionis Catholicæ, nec A. C. *inuolucro externo* vtuntur, sed *Sectæ alicui ab vtraque Religione adæquate diuersa* adhærent, haud difficulter assequi licet. Contra, si animum ad illos aduertere lubet, qui *Mixturam Fidei opere ipso pro diuersitate Casuum, quos hujus Cap. IV. Sect. 1. §. 2.* repræsentat, profitentur, atque A. C. *externi duntaxat Pallii loco*, vt nimirum eo tutius latitare queant, vsurpant, quæstio prima fronte ambigua videbitur: *Cui in hujusmodi circumstantiis Cognitio competat? An Domino Territoriali, an vero Comitiis*

Imperii Vniuersalibus? Et *Comitiis* quidem hanc Cognitionem a *P. R. in Proemio, in Editione Schmauſ. §. 13.* in ſolcher fürgezogenen Berathſchlagung ꝛc., & *aliis locis*, præcipue vero ab *I. P. O. Art. V. §. 50. Vtriusque Religionis Magiſtratus &c.* vindicari dixeris; Verum ſicut *Conſtitutiones allegatæ de vniuerſali Compoſitione Diſſidii Religionis intuitu totius Imperii, aut de dubio quodam reali, & non mere apparente, eoque ex ipſis Pacificationibus Religioſis reſultante* diſerte loquuntur, ita Hypotheſin præſentem minime tangunt, vtpote quæ *Principia Fidei alicujus Priuati* rimatur, adeo, vt non æque *quæſtio aliqua Juris: Num ſcilicet hic, vel ille Judicium de Religione vera CHRISTI Eccleſiæ conforme foveat?* ſed *præciſa quæſtio facti* in diſceptationem veniat: *vtrum hujus, illiusue fundamenta credendi vel Fidei Catholicæ reſpondeant, vel cum alterutro Proteſtantium Cultu omni ex parte concordent?* Confer. FABRI Staats-Canzley *Tom. LX. C. 2.* vbi *de Emigrationis Salisburgenſis materia* plura reperiuntur.

§. V.

Quod ſi igitur in Territorio Principis Catholici *ejusmodi Confeſſioniſta mixtæ ſortis* ſeſe oſtentet, ejusdem *principiorum ratio* tutius explorari, atque in lucem proferri certius non poteſt, quam ſi *noua credendi formula THEOLOGIS in re præcipue Polemica exercitatis* communicetur, *liberumque partium ſtudio Elogium in forma ſolemni* ab illis expetatur: *An hominem Auguſtanæ Confeſſioni* (comprehendendo rurſus ſub hac *& Cultum Caluinianum*) *reipſa addictum eſſe cenſeant, nec ne?* Atque inde *vel actualis adplicatio, vel intermiſſio Juris Reformandi* Normam accipiet.

Nec excipiant Proteſtantes, *Sui eſſe arbitrii, non Catholicorum, ſtatuere, quem de Cœtu ſuo eſſe arbitrentur;* quaſi vero ea, qua vtriusque Religionis toleratæ Conſortes vtuntur, *credendorum formula*, etſi oppido varians, tum *ex actuali in omnium oculos incurrente exercitio*, tum *ex Libris Symbolicis paſſim obuiis* non æque innoteſceret, ac *Corpus Fidei Catholicæ!* Nullibi ſane in Articulis ſuis *antiquiſſimam illam* ARCANI DISCIPLINAM reſuſcitarunt Proteſtantes! Adeoque ſicut illorum *Verbi Miniſtros* reſcire oportet, quis *ipſo facto Religionem Catholicam* profiteatur, vtpote *Luci Omnium Gentium expoſitam;* ita pariter *Theologis noſtratibus* Myſterium non eſt: *Num hic, vel ille Auguſtanæ Confeſſioni reapſe adhæreat?*

§. VI.

Sed *quid ſi ejusmodi Confeſſioniſta, bonam fidem prætexendo, adſerat, ſe judicaſſe, Dogmata ſua cum alterutro Cultu tolerato homogeneam rationem habere?* Videtur hic potiſſimum reſpiciendum *ad Perſonam ipſius Confeſſioniſtæ*, vtpote cujus effugiis non facile credendum, ſi *Eruditorum numero* accenſeatur, ſiquidem talis

talis *prauiam, eamque sufficientem notitiam, quaenam Principia A. C. respondeant, vel aduersentur*, sibi comparare & potuit, & debuit; consequenter *prouocanti ad bonam fidem doli mali Exceptio* efficaciter obstaret; vbi vero *prouocans quasi ex illitteratorum tribu* progreditur, rursus obseruandum: *vtrum Protestantem in effectu egerit, efflagitando a Superiore beneficium priuati exercitii A. C., vel emigrationis, ad praescriptum §. 34. & 36. Art. V. I. P. O., aut saltem Religionem suam alterutri Protestantium Cultui, licet clanculum fortassis, attemperauerit?* & in hac quidem Hypothesi eidem *Fauores Legales* haud inuidendos censeo, dummodo *ex aliis euidentibus, aut certitudini proximis indiciis peruersa intentio, externo hoc schemate alium Religionis habitum inuoluendi, palliandiue*, non elucescat.

§. VII.

Jus vero Reformandi Catholici Principes in Sectarios, *qui nec Religioni Catholicae, nec A. C., sed quartae Cultus speciei dolo malo* adstipulantur, *alio modo* exercent, quam A. C. addicti Status, vtpote qui secundum JCtorum suorum, saltem recentiorum Doctrinam *Haeresin merum errorem intellectualem*, non vero *Crimen publicum pro foro externo animaduersioni obnoxium esse*, vt plurimum statuunt, nisi *circumstantiae aliam delicti speciem superinducentes*, v. g. *seductio aliorum, excitatio seditionis, tumultusue publici, & similes* concurrant; ac proinde Haereticos *citra poenam vlteriorem* e ditionibus suis praecise exterminant; quanquam & *haec electio Celeberr.* BOEHMERO *Jur. Ecclesiast. Protestant. Tom. IV. ad libr. V. Decretalium Tit. de Haereticis §. 166.* minime probetur.

> „Non negat *JCtus hic absolute*, posse *Doctrinam publicam* hujusmodi er„rantibus prohiberi, quam si disseminare non intermittunt, *id vnice, quod* „*ipsi extremum est, tantum Imperanti permissum esse arbitratur*, vt HONESTA „EMIGRATIO eis injungatur, ad quam tamen . . . . *non sine grauissima Cau*„*sa* . . . . deueniendum esse, contendit.

Catholici contra *Crimen Haereseos inter Delicta summe Capitalia* referunt, *vltimo* proin, *eoque exasperato supplicio* in illud animaduertentes. Praeterea, quum Protestantes *inhaerendo rationi Systematis sui, quod sibi de Religione* efformant, se se *Jure Superioritatis Politicae de facto, & qualitate Haereseos* cognoscere perhibeant, Catholici vero Prouinciam hanc *solis Dicasteriis Ecclesiasticis* propriam adstruant, *vlterius discrimen* inter vtriusque Religionis Proceres luculenter patet.

§. VIII.

Longe alia est conditio eorum, qui *se Veros A. C. Sectatores* profitentur, siquidem *contra hos, vtpote Protectione, ac Securitate Imperiali a Sanctionibus Publicis praemunitos*, a Catholicis *poenae loco* nihil omnino decerni potest; licet illis

sua

sua sponte e solo patrio alio emigrare, *cessatque* eo in Casu *Jus prohibendi*, quod interdum Imperanti in subditos competit, prout diserte innuit, *I. P. O. Art. V. §. 36. Quodsi vero &c. §. 37. Conuentum autem est &c.*, quibus ex locis *materies Emigrationis integra Legalem Cynosuram* petit. Illud hic peculiariter inculcandum, quod *intuitu subditorum a Religione Dominante dissentientium, qui Anno 1624. publicum, vel etiam priuatum Religionis suæ Exercitium nulla Anni parte habuerunt, nec non, qui post tempora Pacis Westphalicæ demum vel ab Antiqua, vel a gemina Religione tolerata discedent, libertas emigrandi neutiquam pura fit;* neque enim conjuncta est *cum libertate in Patria remanendi absoluta*, quasi Dominus Territorii eosdem *patienter tolerare abscisse vel inuitus* teneretur; quum ille potius *pro suo arbitrio* hujusmodi subditis *Emigrationem imperare*, atque hac ratione *Jus Reformandi in eos exercere, vi cit. §. 36. vers.*

„Aut a Domino Territorii jussus fuerit &c.,

omnimode valeat, quin obstaculo sit *§. 34. Placuit porro &c.*, vtpote qui *nudi consilii*, non autem *obligationis proprie sic dictæ legalis terminos* ingreditur. Præclare ad h. L. HENNIGES. existimat his verbis:

> „*Patienter tolerentur &c. omnimodam necessitatem Territorii Dominis minime*
> „*impositam tolerandi subditos*, nam §. 36. seq. illis *facultas etiam datur impe-*
> „*randi subditis migrationem.* Itaque hi duo §§. aliter sibi conciliari non
> „possunt, quam vt dicamus, hoc nostro præscribi Dominis, *quid eis fa-*
> „*ciendum, dum subditi in loco manent, neque sponte, aut jussu Domini mi-*
> „*grant;* illo vero §. 36. indicari, *quid subditis concessum, seu voluntate, seu*
> „*necessitate abituris &c.*

Vbi rursus addendum, illis, qui *jam ante Pacem Westphalicam* diversam Religionem professi fuere, QVINQVENNIVM ejus vero, qui *post Pacem publicatam deinceps futuro tempore* mutauerint, TRIENNIVM *ad emigrandum regulariter* præfixum esse.

§. IX.

Sorte multo magis propitia vtuntur subditi illi, quibus *qualibet Anni Normalis Pars* adminiculo est; his siquidem Territorii Dominus emigrationem injungere nequit, neque *soli deuotioni priuatæ* adquiescere tenentur, sed Jure peragunt *Cultum Religionis suæ seu publicum, seu priuatum*, prout hunc, vel illum *præfato tempore Decretorio actualiter* exercuere §. 31. *Hoc tamen non obstante &c.* Inde tamen inferre haud licet, Principi Catholico in hos ipsos subditos *nullum plane Jus reformandi* superesse; saluum quippe illud eatenus manet, vt vi ejusdem reprobari, atque aboleri queant *Preces, & Cantus nonnisi in contumeliam, inju-*

injuriamque Religionis Catholicæ redundantes, quo spectant *Cantilenæ satis debuccinatæ*:

„Das alte Jahr ist nun vergahn, heut fangen wir ein neues an ꝛc.

cujus *Stropha quarta* ita canit:

Es hat sich Krieg und theure Zeit,
Der Teuffel, Pabst, Türk, andre Leut,
Wohl sehen lan, und viel bedrängt,
Doch hat uns deine Güt unschrenkt,
Daß unser Land, und dies Gemein
Mit unsern Weib= und Kindern klein,
Dennoch zu frieden blieben seyn.

Vid. *sub Rubrica* vom Neuen Jahr Johann Crügers neu zugerichtete Praxis Pietatis Melica, das ist: Uebung der Gottseeligkeit in Christlichen und Trostreichen Gesängen ꝛc. ꝛc. vermehret, und verbessert von Peter Sohren ꝛc., Frankfurt am Mayn Drucks und=Verlags Balthasar Christoph Wusts 1693.

Addatur vollständiges Schneeberger Gesang=Buch *pag.* 68. Das alte Jahr vergangen ist ꝛc. *vers.* 3. ibi:

Entzeuch uns nicht dein Heilsam Wort,
Welchs ist der Seelen Trost, und Hort,
Fürs Pabsts Lehr, und Abgötterey
Behüt uns, HERR, und steh uns bey.

Item vom Worte GOttes, und der Christlichen Kirchen:

Erhalt uns, HERR, bey deinem Wort,
Und steur des Pabsts, und Türken Mord,
Die JEsum Christum, deinen Sohn,
Stürzen wollen von seinem Thron ꝛc.

O HERR GOTT, dein Göttlich Wort ist lang verdunkelt blieben ꝛc.

cujus *Stropha pariter quarta* hæc habet:

Allein, HERR! du
Mußt solches thun,
Doch gar aus lauter Gnaden:
Wer sich deß Tröst,
Der ist erlöst,
Und kan ihm niemand schaden.
Ob wollten gleich
Pabst, Kaiser, Reich,

Sie und dein Wort vertreiben,
Ist doch ihr Macht,
Geg'n dir nichts g'acht,
Sie werdens wol lan bleiben.

Confer. *Acta inter* EMINENTISSIMVM ELECTOREM MOGVNTINVM, & CIVITATEM ERFORDIENSEM, quæ exhibet FABRI Staats-Canzley *Tom. XLII. C. 2. N. 1. seqq.*

Nihil euincunt Subditi, si opponant, *hujusmodi Cantilenas sibi jam ante, & ipso quoque Anno Normali familiares extitisse, suisue Libris Symbolicis* insertas esse; Mens quippe Paciscentium *in Tabulis Osnabrugensibus* eo præcipue collimauit, vt subditis REALE EXERCITIVM *plenarie, absque vlla Turbatione, relatiue ad Statum Decretorium*, relinqueretur; atqui hoc tale nihilominus remanet, licet *id genus Dicteria Religioni Dominanti vt quam maxime contumeliosa* expungantur, *vtpote quibus reali Exercitio Religionis nec additur, nec detrahitur quicquam.*

§. X.

Deinde ponamus, *dictos Libros Symbolicos, & singula eorum Capita partem A. C. integralem constituere*, vel sic tamen *sanæ Politices Regula* dictabit, *expressiones contumeliosas in factum* (vt alias phrasis Juridica ait) *attemperandas esse, quo idem in effectu comparatur;* Si enim *Legibus priuatis* optime cautum est, *ne Parentibus, Patronis similibusque Personis, quibus speciali obsequii vinculo adstringimur, actionem doli, aliasue eorum famam sugillantes* intentemus, *submississima* profecto *deuotio, pietasque PATRI PATRIÆ, siue DOMINO TERRITORII debita eminenter* exposcit, vt ne *Carissimum ejus Pignus, Religio scilicet Dominans, atrocibus adeo conuiciis proscindatur, ejusdemque publicæ Existimationi, apud Plebejos saltem, tam inique* derogetur. Adeoque & huic Argumento *parum, vel nihil ponderis* inest.

Quod si porro *ad* CAPITVL. CAROL. NOVISS. *Art. II.* §. 8., *siue sin. Formalia:*

„Am wenigsten aber sich anmasse, den Heilsamen Reichs-Satzungen „zuwider, über neue *Editiones* der Augspurgischen Confeßions-Verwandten *Librorum Symbolicorum*, so sie vor- oder nach dem Religions-Frieden dafür angenommen, oder noch annehmen möchten, den *Fiscal* zu hören, oder Processe ausgehen zu lassen 2c.

prouocare Aduersarii sustineant, illi fateantur, necesse est, *aliam habitudinem Religionis in ordine ad Vniuersum Imperium*, quo *Dispositio Capitularis* potissimum collineat, *aliam intuitu cujuslibet Territorii particularis Conditionem* occurrere, ita quidem, vt *posteriorem a priori* necessario haud inuolui, vel ex eo in aprico sit, quia cæteroquin *Jus Reformandi, vi cujus Dominis Territorialibus Religionem a Dominante heterogeneam exterminandi Facultas competit*, a Nomothesia Imperiali tam sollicite stabiliri eo minus potuisset, quo *exstantior* est *PROTECTIO PV-*

BLI-

BLICA, quam P. O. *Art. VII.* §. *1.* & *2.*, Capitvl. Cæsareæ, ac Noviss. quidem *Art. 1.* §. *10.* So viel aber 2c. Vers.

„Sondern den obgedachten Chur-Fürsten, und samtlichen ihren „Religions-Verwandten im Reich gleicher Schutz geleistet wer-„den solle 2c.

& *Religioni Antiquissimæ Possessionatæ*, & *Vtrique Toleratæ in Imperio ÆQVALITER* impertiuntur, adeo, vt harum Religionum nulla, *ratione ejusdem Protectionis*, *ac Publicæ Securitatis*, in moderna Germaniæ compage *Religionis Dominantis proëdriam* sibi vindicare, nulla *Jus Reformandi* in aliam *exercere* valeat. Diuersissima *Systematis Territorialis* indoles est, siquidem *Dominus Territorii* commendatum toties Jus Reformandi *intentione generali* fundatum habet, illudque in praxin rite deducit, dummodo *reali Subditorum Exercitio Tempore Normali quacunque Anni parte habito* non præjudicet; cujusmodi præjudicium *in nostra Hypothesi* minime subesse, ea, quæ præmisi, argumenta plane euincunt.

Atque hæc *de Jure Reformandi stricte dicto*, siue, quod vocant, *minus Pleno*; *Plenum* quippe, prout *Superiori A. C. Sacrorum Cura suo modo* respondet, vlteriori Diatribæ reseruaui.

§. XI.

Ita autem *circa Jus Reformandi plenum* præsens Diatriba occupatur, vt primo loco Quæstio *de Legali Anni Normalis Conditione* enucleanda sit: *Quousque nimirum subditis, contemplando Exercitium Religionis, & annexa, patrocinetur? Vtrum Decretoria hæc Dispositio affirmatiue, positiue, & pro ratione nudi duntaxat actualis Exercitii, atque per modum præcisæ Exceptionis, relative ad Jus Reformandi; an vero secundum omnes omnino circumstantias, per modum Regulæ, ac negatiue etiam accipi debeat, ita, vt tum illud, quod dicto Tempore intuitu Religionis in rerum natura fuit, tum, quod sub eodem respectu non fuit, complectatur?*

Posterius adstruunt *A. C. DD. plerique*, & *illi omnes*, *qui Domino Territorii Catholico Facultatem Simultanei*, *siue potestatem*, *præter Sacra A. C. in loco quodam generatim accepto* (quidquid *de quouis loco indiuiduali* sit) *vi Temporis Decretorii recepta*, *publicum suæ Religionis Exercitium introducendi*, *aut Templa eo Tempore ab omni Religionis Exercitio vacua restaurandi*, *eaque Cultui Catholico destinandi libertatem competere*, *diffitentur.*

Prius defendunt *Catholici*, suisque Principibus *prædictum JVS SIMVLTANEI* acerrime vindicant. *Succinctam Controuersiæ Historiam* sistit. *Celeberr.* Joannes Jac. Mascovius *Princip. Juris Publici Lib. VI. Cap. II.* §. *X.*; *Fusiorem* repræsentat Christ. Gottfr. Hoffmann. in seiner Gründlichen Vorstellung derer in dem Heiligen Röm. Reiche obschwebenden Religions-Beschwerden *pag. 162. seqq.* von dem *Simultaneo Exercitio Religionis*, und dem damit verbundenen *Jure Reformandi.* Addatur *Illustris* Boehmeri

 Jus

Jus Ecclesiast. Protestant. Tom. 1. Lib. I. Tit. I. §. *LXVI. seqq.*, vti & HENNIGES, *ad I. P. Art. V.* §. *31.*

§. XII.

Quod vero Jus Reformandi in Hypothesi proposita *Regulam* constituat, Statusque Subditorum Decretorius *vim meræ Exceptionis* sortiatur, ac proinde *vltra positiuam, realem, & actualem Anni Normalis Possessionem* se se haud extendat, id colligitur ex *I. P. O. Art. VIII.* §. *1.*, vbi *Dispositio superior circa Sacra inter Jura Territorialia* refertur; idem *quoad effectum* indigitat *ejusdem I. P. Art. V. §. 30. Quantum deinde &c.* Vers. *cum ejusmodi &c.* Jam vero *Jurium Territorialium*, prout *a Priuatorum Juribus* discriminantur, *Notam perpetuo Characteristicam* apposite dixeris, quod *ex parte Superioris Regulam intentionis fundatæ*, *intuitu Subditorum* autem *meram Exceptionem* innuant; hoc quippe conferenti *§§. 30.*, *& subseq. 31.*, *habita particularum vtrinque connexiuarum ratione*, haud obscure patebit.

§. XIII.

Nihil euincunt, qui *loca hac I. P. O.* vel ideo *dubia* arbitrantur, quia *Punctus Simultanei, in Comitiis Imperii Vniuersalibus hucusque controuersus oppido, legali necdum decisione dilucidatus fuit;* demus siquidem, *omnimodam P. W.* & hoc super puncto *Certitudinem* desiderari etiamnum; at certe supplet *vices probationis liquidissimas P. R. in specie talis* §. *2.* und damit ꝛc. §. 3. dargegen sollen ꝛc. *in Edit. Schmaus. §. 15. & 16.*, cui vtique standum, vsque dum inter vtriusque Religionis Proceres aliter conuentum fuerit; Vid. *ejusd. Art. V.* §. *50. Vtriusque Religionis Magistratus &c.* Vers. *sed si dubii quid &c.*

Atque *hoc Jus Simultanei* suo neutiquam vigore destituitur, etiamsi subditi A. C. addicti docere liquido valeant, *se se Anno Normali Domino Territorii Catholico suæ Religionis Exercitium superinducere allaboranti restitisse, illumque prohibitioni adquieuisse;* id quod vel ex eo colligere licet, quia *cit.* §. *31. hoc tamen non obstante &c.* præcise patrocinatur subditis, *quatenus Religionem suam dicto Anno actualiter exercuere;* atqui hanc, *Cultus Catholici introductionem impediendo*, si prohibitio *locum saltem generatim sumtum* afficiat, minime exereuere; *hujusmodi* quippe *pohibendi Conditio* JVS REFORMAMDI ALTVM respiciens neque *auget*, neque *minuit exercitium Priuatorum*, adeoque nec *hujus pars* dicenda est. Accedit, quod *d. §. 31. Jura duntaxat positiua* Religionis vna cum annexis recenseat, eademque *relatiue ad Statum Decretorium* subditis adserat, quin vel minimam *de mere negatiuis* mentionem injiciat; vt adeo *interpretatio extensiua intuitu hujus Objecti disparati* nullum plane præsidium reperiat. Quod porro *ad negotia mere politica, & adiaphora*, nec *immediate*, nec *mediate* Religionis Exercitium concernentia attinet, illis *Anni Normalis dispositionem* adplicari haud posse, res ipsa docet.

§. XIV.

Coronidis loco dispiciendum: *Vtrum Domino Territorii Catholico in Ciues suos*

suos A. C. addictos siue patienter, siue vi Anni Decretorii ex necessitate legali toleratos Jurisdictio Ecclesiastica competat? Vbi præmittendum, Crisin *duntaxat Jurisdictionem Ecclesiasticam, vel quasi talem secundum ipsissima A. C., ejusque sequacium principia spectatam*, non vero *Ecclesiastico-Catholicam* respicere. Et hic quidem *affirmatiue* subscribere eo minus dubito, quo luculentius *§. præcedens* euincit, *Curam superiorem*, siue *Vim suomodo Nomotheticam circa Sacra A. C., tanquam partem Corpori Jurium Territorialium, in effectu* accensendam esse. Atqui his Juribus Ordines Catholici, & Protestantes *ÆQVALITER* gaudent, quum præsertim *nec aliqua intrinseca qualitas, & affectio* Jurisdictionis Ecclesiasticæ *quasi.* in subditos Protestantes exercendæ, nec *vlla Sanctio Imperii Pragmatica* inter vtriusque Religionis Proceres *diaphoram quandam* adstruat, stabiliatque; id quod subsequens Diatriba vlterius dilucidabit.

§. XV.

Excipiunt equidem Aduersarii, graviterque contendunt

I.) Principes Catholicos Sæculares, & Status *pro ratione Systematis sui, ac Principiorum Jurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces existere;*

II.) In *Tabulis Osnabrugensibus Art. V. §. 48. Ecclesiasticam Statuum Catholicorum Jurisdictionem suspensam esse.*

Verum sicut *vtraque Antithesis pro Objecto Jurisdictionem Ecclesiastico-Catholicam* non habere non potest, ita Ordines Catholici Sæculares altiori Oraculo edocti *eatenus incapacitatem suam* probe agnoscunt. Solam autem Jurisdictionem Ecclesiastico-Catholicam *in A. C. Consortes cit. §. 48. Jus Diœcesanum &c.* suspensam esse, vel ipse Textus luculentissimo argumento est, vtpote qui, *adhibito JVRIS DIOECESANI Termino, de principum Ecclesiasticorum Jurisdictione A. C. Statuum Territoria haud dubie alias pertranseunte* disertissime loquitur. Quæ eadem Resolutio in promtu est, vbi ab Antagónistis

III.) Ex *eodem* §. 48. instantia petitur, Protestantes scilicet Jurisdictioni Ecclesiasticæ, *si, & quatenus eandem Anno 1624. realiter agnouere, tantummodo* subesse.

Antithesin aliam exsculpunt

IV.) Ex *I. P. O. Art. XIII. §. 8. Sexto: Ne etiam* &c. Vers. *Quoties vero &c.* ibi:

„*Quoties vero Catholicus Episcopus in Episcopatu Osnabrugensi* „*rerum potitur*, nihil omnino in A. C. Sacra arroget sibi Ju„ris, aut obtineat.

Ex qua Dispositione prono satis alueo fluere videtur, Episcopum quæst. & *qua Principem Territorialem* nihil plane Juris in A. C. Sacra sibi sumere posse.

Sed quis vel obiter *cit. §. 8. contextum* euoluens non obseruat, *mere specialem ibidem Constitutionem* occurrere? quæ quidem *Exceptionem a Regula* adstruit, *ipsam vero Regulam, Episcopatum Osnabrugensem prætergrediendo*, nequaquam destruit.

destruit. Vnde *Paralogismus Juridicus* in propatulo est. Majori forte Protestantibus adminiculo esse dixeris

V.) *§. 31. Hoc tamen non obstante &c.*, qui *Curam Sacrorum inter A. C. annexa* referre videtur; ut adeo, qui A. C. non adstipulatur, *hujusmodi Curam* sibi vindicare nequeat.

Esto enim, referatur *dicta Cura inter annexa A. C.*, *ejusque Exercitii objective spectati*, eo quod *ad Cultum illius externum rite instituendum* præcipue collimet; inde tamen erui non potest, quod *Cura quasi*. Confessionis sæpe fatæ annexis *respectu cujuslibet subjecti indiuidualis* ita agglutinata sit, vt, quicunque huic formulæ non subscribit, neque *Directioni circa eandem* se se immiscere valeat. Non ignoro, quanta contentione Adversarii *pro eodem subjecto indiuiduali A. C. addicto* hic depugnent, dum scilicet

VI.) *Tenori §. cit. expresso* operosius insistunt, atque *Constitutionem eatenus satis luculentam* esse, replicant.

At neque ignorant Protestantes *ingens discrimen*, quod *admisso* etiam *legis sensu indubio*, *Dominum Territorialem* inter, *ejusque subditos* (quibus publica, eaque exacta *d. l.* Nomothèsia prospexit) intercedit. *Subditis vel sola Possessio quacunque Anni Normalis parte habita* patrocinatur, ejusque factum, quum *Personale*, *& mere indiuiduale* existat, *subjecta A. C. addicta* non exigere non potest. Contra ex præcedentibus palam est, *Domino Territoriali vi Superioritatis in effectu* competere *Curam Sacrorum A. C. directiuam*, ad quam rite obeundam *neque intrinseca rei indoles*, *ob mutuæ Connexionis defectum*, neque §. *31. toties cit.*, vtpote qui *Casum plane Heterogeneum* repræsentat, *Exercitium A. C. personale* necessario requirit.

§. XVI.

Inde tamen inferendum minime, *eodem Jure*, *quo* Status Catholici *in heterogeneæ Religionis Subditos Jurisdictionem ex A. C. systemate profluam* exercere sustinent, Ordines A. C. addictos & *Jurisdictionem Ecclesiastico-Catholicam in Subditos Catholicos* sibi adserere posse; licet *hæc illatio* primo intuitu *non adeo improbabilis* videatur, eo quod

I.) Eosdem Status *nullum* arceat *impedimentum*, quo minus *Jure Diœcesano Catholico administratorias manus* admouere queant. Id probare contendunt *ex I. P. O. Art. V. §. 26.*, vbi, *reflectendo ad possessionem*, *vel quasi Anno Normali die prima Januarii habitam*, præfatis A. C. Ordinibus *Juris Diœcesani effectus varii* adstruuntur.

Vlteriores suppetias quærunt

II.) In *Lege mutua*, *exactaque Æqualitatis vi ejud. Art. V. §. 1. circa fin.* inter vtriusque Religionis Electores, Principes, Status omnes, & singulos *perpetuo obseruandæ*; vti &

III.) In *sæpissime cit. Art. §. 48. Jus Diœcesanum &c.*, vbi sequens Constitutio occurrit: „Eo-

„*Eodem etiam Jure A. C. Magistratuum* Catholici Subditi *cen-*
„*seantur*, inque hos, *qui Anno 1624.* publicum Religionis
„Catholicæ Exercitium *habuerunt*, Jus Diœcesanum, quatenus
„Episcopi illud dicto Anno quiete in eos exercuerunt, sal-
„uum esto.

Ex quo loco Protestantibus videtur consequi, vt, si *Normale Juris Diœcesani Exercitium plenum haud fuerit*, illud eatenus *quoad effectus in actum secundum non deductos ad Domini Territorialis A. C. addicti Curam Superiorem* respiciat; siquidem *aliqualis saltem Anarchia* intuitu Subditorum Catholicorum *quæst. in Hypothesi contraria* non exsurgere non posset;

§. XVII.

His quippe argumentis formata ab Aduersariis illatio eo minus stabilitur, quo constantius tenent, tuenturque Catholici

Ad I.) Status A.C. addictos *ad Jurisdictionem, aut Imperium Ecclesiastico-Catholicum qua tale exercendum*, vtpote quod EX VNICO SVPREMI in Terris SACERDOTII FONTE promanat, atque *pro- & in ejusdem sortis subjecta* se se diffundit, *vel habita solius Radicis, ac Originis ratione* prorsus inhabiles existere. Cui *fundamentali Catholicorum Dogmati cit.* §. *26.* neutiquam officit; is enim, quum *circa solos Status immediatos, relatiue ad alios Status immediatos*, occupetur, *Casui præsenti*, qui *Dominum Territorii, ejusque subditos* abscisse respicit, *interpretatione extensiua* vel ideo adplicari nequit, quia *in Casu priori certi Jurisdictionis Ecclesiastico-Catholicæ effectus* in Ordinum Catholicorum subditos Protestantibus *Titulo solius Possessionis*, & *quasi ad modum seruitutum Juris Publici*, nequaquam *in vim Imperii Ecclesiastici proprie talis*, de quo hic quæritur, relinquuntur. Vnde

Ad II.) Et *Lex mutuæ Æqualitatis* suo prorsus vigore destituitur. Confer. *subjunct. Cap. II. Mantiss.* §. *2. seqq. Cap. III.* §. *17. Cap. IV. Sect. I. §. 7. 8. &c.*

Ad III.) Me equidem suffragantem habet *Illustris* HENNIGES., dum *in Meditat. ad locum quæst. Litt. U) X) contra Illustr.* BVCKISCHII *Obseruat. CXLI.* statuit, *sensum Constitutionis, prout allegata est, genuinum, perfectamque illius Constructionem aliter concipi non posse, adeoque Jus Diœcesanum Episcoporum Catholicorum*, QVATENVS ACTVALE ANNI NORMALIS EXERCITIVM EXCEDIT, *in A. C. Statuum subditos Catholicos suspensum esse.* Veruntamen ex eo haud quaquam colligere licet, hujuscemodi subditos *exlegibus re ipsa* accensendos esse; quum dicta Suspensio *proximam, eamque actu secundo instructam adplicationem*, siue *vim coactiuam externam duntaxat* respiciat, ac proinde *ipsam Virtutem directiuam, siue Jus Jurisdictionis, quoad actum, quem vocant, primum*, Episcopis Catholicis, *pro ratione Antiquissimi Systematis, sartam tectam* indubie conseruet, adeo quidme, vt Diœcesani *quæst.* ab eadem Virtute Directrice, *ad actiones suas Legibus Diœcesanis conformandas, obligatione interna, h. e. in Conscientia*

tia perpetuo obstringantur; id quod *argumento ex* §. 48. (qui *de solo actuali Jurisdictionis Ecclesiasticæ proprie dicta Vsu, atque Exercitio* loquitur) *a sensu contrario desumto* luculentissime euincitur; quanquam *in foro humano Conditio* eorundem subditorum *irregularis quodammodo, & extraordinaria* videatur. Sed quum justo longius procedere Dissertationem, animaduertam, hic eam abrumpo, illudque cum PROPHETA OSEA *Cap.* 1. & 2. vnice in votis habeo:

Det is, qui Corda in manu habet, & metas Sectis ponit, vt Israël infeliciter diuisus Judæ denuo jungatur!
AMEN!



Animadversiones Editoris.

Ad *Cap.* 1. *Sect.* 1. §. 10. Nimium hîc dicit Auctor pro sui nimirum adhuc temporis genio scribens, dum sententiam, quæ Pontificem Concilio generali subjectum eoque inferiorem esse defendit, temeritatis damnat. Utriusque partis rationes inter FEBRONIVM & ejus Antagonistas hodie præsertim ad amussim examinatas esse passim constat. In Germania Pontificem vi Concordatorum nostrorum Conciliorum generalium supra sese auctoritatem agnoscere debere, quod Germanis sufficere potest demonstratum est a Cl. NELLERO *Diss. de Decretis Basileensibus &c. Tom.* 1. *hujus Thesauri p.* 279. quod idem jam animaduersum fuit *Tom.* 1. *Concord. Nat. German. integror p.* 140. *item in Institut. meis Jur. Eccles. Part.* 2. §. 33. *Ad ejusd. Cap. Sect.* 2. §. 2. Omnia quæ Imperatoribus olim circa electionem Pontificis propria fuerunt non rite ab Auctore nonnisi ad jus extraordinarium protectionis aut temporum perturbatorum referuntur. Exploratum quippe est non solum sub Imperatoribus jam Orientalibus, sed & deinde *Carolingicis*, item OTTONE I. & successoribus usque ad HENRICVM IV. consensum Imperatoris ante consecrationem Pontificis expeti debuisse, de quo Conf. *Diss.* 2. *de Muniis & prærogat. S.R.E. Cardin. Tom.* 2. *hujus Thesauri p.* 474. In hac autem re nil esse, quod vel ipsis Juris Canonici principiis officiat, ostendi ibidem in *Animaduersione a me subjecta p.* 503.

Ad ejusdem Sect. §. 7. Ad ea, quæ hic Auctor de excommunicatione etiam ad dominium temporale defendendum rite usurpanda inquit, conferri mereantur ea, quæ habet RIGGER in *Diss. de Pœnitentiis & pœnis ecclesiasticis Vienn.* 1772. §. 56. & grauiter decernit Augustissimus JOSEPHVS I. in *Constit.* citatæ Dissertationi subnexa contra *Bullam* CLEMENTIS XI. Referre hic ea omittimus, cum suo loco Dissertatio memorata huic Thesauro inserenda sit. Ex Concordato de anno 1111. inter *Henricum V.* & *Paschalem* eruere

vult

vult *Auctor Observat. Historico-jurid. Obs. 9.* Imperatorem nunquam excommunicari posse; sed id satis firmum non est, cum pactum illud postea denuo sublatum fuisse constet.

Ad ejusdem Cap. & Sect. §. 18. Investituram Cæsaream olim Consecrationem, atque Confirmationem praecessisse contra ac sentit hic Auctor non solum ex verbis pacti *Calixtini* recte eruitur, ubi dicitur: *NB. electus a te Regalia recipiat*, sed & perpetua eorundem temporum observantia testatur, adeo ut WICHMANNUS *Archi-Episc. Magdeburgens.* anno 1186. apud DE LUDEWIG *Relig. Mss. Tom. 2. p. 447.* testetur: nulla *reportat memoria, quod Episcoporum quispiam in Regno Teutonico Consecrationem prius, quam Regalia per Sceptrum receperit. Conf.* HAEBERLIN *Histor. Tom. 2. p. 483. sub Ruperto* contrarium jam obtinuisse elucet ex literis instructionis ejusdem pro Legatis suis ad Archi-Episc. Salisburg. anno 1404. apud MARTENE ET DURAND. *Collect. ampliss. T. 4. p. 127. seqq.* ubi ita legitur: item *si ... peterent* (consiliarii Salisburgenses) quod *Dominus noster Rex Salisburgensi investituram sui feudi daret: ad hoc ipsi respondendum Dominum meum libentissime velle, ut in eo Statu esset, in quo hoc absque reprehensione facere posset; .... verum noster Dominus, cum NB. Cathedra Romana ipsum nondum confirmaverit, sed alium Episcopatui praeposuerit .... si concederet ipsi investituram, vereretur a Sede Pontificia hoc ipsi exprobrandum, quodque tunc dicatur Dominum meum plus potestatis sibi arrogare, quam ipsi debeatur.* Vid. HAEBERLIN *l. cit. Tom. 9. p. 34. Obs. Historico-jurid. in Concord. Obs. 9.*

Ad ejusdem Sect. §. 21. Jus exclusivae, quemadmodum *in Institutionibus meis Part. 2. §. 265.* jam insinuavi, huic potissimum fundamento tribuendum est, quod, si Imperator justis ex causis, nam ex aliis id nemo defendit, Candidatum aliquem excludat, tum quidem pro digniori aut etiam digno haberi certe nequeat, atque ita haec electio nequidem satis canonica sit: facile nunc est ad argumentum ab Auctore allatum respondere, nimirum id tribui ab electione, quod intuitu Principum secularium a jure sanguinis; nam prius verum est solum de electione canonica, qualis in his circumstantiis ejusmodi Candidati non est, non vero alia nequidem principiis Canonicis satis conformi.

Ad ejusdem Sect. §. 28. Materiam, quam hic pertractat Auctor uberius nunc illustratam vide in *Tractat. Juris publici de Appellationibus et Evocationibus* ad *Curiam Romanam ad illustrationem Art. XIV. §. 3. 4. 5. Capit. Cæsar*, in *Tomo 2. Concordat. Nation. German. integror. a p. 105. item* Pragmatische Erläuterung des §. 164. jüngern Reichs-Abschieds und des dahin einschlagenden Visitations-Gutachtens vom Jahr 1713. *Tom. 3. Concord. cit. a p. 116.*

Ad ejusdem Sect. §. 31. 32. seqq. Nonnisi subtimide hic loquitur Auctor de bonis Ecclesiasticis communibus oneribus obnoxiis vel non, de Lege item *Amortizationis*, his nimirum materiis necdum tum in ea, qua hodie luce positis. Plura hic addere omitto, quoniam lucubrationes praecipue huc spectantes huic ipsi operi intexam.

Ad Cap. 2. §. 10. Facta Imperatorum et Regum praecipue *Carolingicorum* in materiis disciplinae ecclesiasticae vel ex jure Advocatiae tum ordinariae tum extraordinariae explicare vult Auctor, vel ad usurpationes refert, sed minus recte. Nam cum exploratum sit ejusmodi negotia disciplinae exterioris arctissimam habere cum Statu & Regimine politico connexionem, a jure Regiæ inspectionis immo & potestate condirectiva eximi non possunt, atque ex hoc etiam capite dimetiendæ sunt Leges illæ ecclesiasticæ, quibus Codex tum *Theodosianus* tum *Justinianeus*, *Capitularia* quoque *Regum Francorum* plena sunt: vel enim nonnisi complectuntur dogmata Fidei, atque quoad hæc nonnisi Advocatorum & Protectorum munus impleverunt Principes, has decisiones non conficiendo auctoritate propria, sed Canones ab Ecclesia sancitos Legibus suis inserendo Auctoritate Regia venerationem ipsis majorem conciliare, ab obstinatorum vero & rebellium temerariis ausibus immunes servare contenderunt: vel illæ Leges versantur mere circa Disciplinam politiamque Ecclesiæ exteriorem, atque in his Principes non jure solum Advocatiæ & protectionis aut etiam executionis Canonum, sed & supremae inspectionis Regiæ immo & potestatis condirectivae versati sunt, accedente tamen plerumque Episcoporum præcipue sub Carolingis consilio & assensu. Quis enim aut negabit ejusmodi quid Principibus in materiis intrino suo nexu etiam Status politici salutem concernentibus? aut quo ex capite tale quid auctoritati Ecclesiæ sit adversum, si Principes quoque disciplinæ ecclesiasticæ bonum Legibus suis promovere velint? de illis enim, quæ non tam disciplinae commodum, quam aemulationem quandam, aut plane etiam ejusdem relaxationem pro scopo habent, sermo nobis non est, vel ex eo solo, quod Lex quaelibet bonum illius communitatis, cui fertur, debeat intendere.

Ad Cap. 3. Sect. 1. §. 10. seqq. Toties jam controversam inter Catholicos et Protestantes materiam, an jus eundi in partes in causis quibusvis etiam politicis locum habeat, data opera praeter citatos ab Auctore recentius attigerunt inter Protestantes *Anonymus in Tract.* Beweiß, daß das *jus eundi in partes* auch in *causis politicis* Plaz habe, quem confutavit e Catholicis RIEFFEL in den kritischen Betrachtungen über verschiedene Staatsfragen. 2. Theil. 3. Stück. Von dem Reichstagsrechte in Theile zu gehen. Anonymus quatuor potissimum urget: 1) ipsa textus verba *Art. 5. §. 52. in causis Religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi Status ut unum corpus considerari nequeunt, ut etiam Catholicis et A. C. Statibus in duas partes euntibus*, sola *amicabilis compositio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate:* atenim hoc quidem argumentum e situ et vi verborum repetitum satis jam examinavit ipse Auctor noster. 2) ex Protestantium postulatis, qui quoties in causis quibuscunque Catholicis oppositi forent, majora agnoscere renuerunt, sensum textus eruendum contendit: ita apud de MEIERN *Tom. 1. p. 801. seqq. inquiebant:* „Daß nicht allein in Religions, „Contributions, und denen Sachen, da die Stände ut singuli zu consideriren, „son-

„sondern auch in allen und jeden andern, sie treffen an, was sie immer wol-
„len, darinn die Römisch Catholischen eine, und die Evangelischen die andere
„Parthey constituiren das Ueberstimmen hinfüro nicht mehr gelten solle.„ Neque postea a Protestantibus cessum aliquid hac in re fuisse ait Anonymus. Atenim etsi anno 1645. Nov. hac ratione mentem suam declararint, cur silet Anonymus id, quod anno 1646. Aug. in haec verba jam mitigarunt? „Hat man „vor besser geachtet, wenn die Religions-Sachen von den profanis und poli„ticis separiret würden, alsdenn könnte man in mere politicis, da das Pun„ctum Religionis in keine Wege sive directe sive per indirectum betroffen, den „Majoribus Catholicorum wohl beyfallen. In ecclesiasticis aber trage mann „Gewissens halber billig Bedencken.„ MOSER Reichs-*Fama T. 4. p. 102.* 3) Observantiam Corporis Evangelicorum, immo et Catholicorum præcipue in celebri Controversia 1671. & 1672. circa Duces Imperii bellicos ex utraque Religione constituendos pro se adducit Anonymus. Atenim quoad primum observantia ista jam breviter ab ipso Auctore rejecta est, quippe quæ partis adversæ consensu saltem tacito innitens, quotiescunque haec contradicit, & ipsa corruit. Catholicos vero contradixisse vel ex ipsis, quae Anonymus sub finem adjungit, documentis elucet: casus peculiares, quos adducit, examinantur in den kritischen Betrachtungen l. cit. Quod autem Catholicos concernit, & casum præcipue allatum, ea res lucem accipiet ex Diss. Cl. SÜNDERMAHLER *de modo agendi in causis, in quibus Status in duas partes eunt &c.* 1768, quam suo loco in hoc Thesauro repræsentabimus.

Ad Cap. 3. Sect. 2. §. 14. seqq. Ex Capit. Cæsar. Nov. Art. 1. §. 11. ubi promittit Imperator, *in causis Religionis* keineswegs *Processe* zu verstatten, Auctor omnem nunc in ejusmodi causis viam judicii cessare putat, sed qua id ratione admitti queat, examinavi in peculiari Dissertatione ad ea Capitulationis verba de *Processibus in causis Religionis non permittendis* Heidelb. 1771. quam pluribus in locis auctam collectioni huic inseram, quare plura hic addere necessum non est.

Ad Cap. 4. Sect. 1. §. 15. Ad assertum Auctoris de jure Imperatoris circa electiones Protestantium illustrando non desunt exempla ex Actis publicis recentioribus, quæ citata vide in Instit. meis Part. 2. §. 266.

Ad Cap. 4. Subsect. 2. §. 4. Quod hic ait Auctor, in eo casu, ubi in Territorio quodam lis existat, an quis subditorum vel etiam integrae communitates ad A. C. quam exterius profitentur revera pertineant, cognitionem et decisionem spectare ad Dominum Territorii, admittit quoque MOSER in seinen Abhandlungen aus dem teutschen Kirchenrecht N. IV Von der Beurtheilung, welcher *Religion* jemand zugethan seye. Quodsi ab una alterave Ecclesia Protestantica certa hominum classis pro genuinis A. C. sociis non admittitur, propterea tamen ait p. 144. Protestantes non teneri, ut idem a Catholicis judicari permittant? quis autem in hoc eventu Catholicis imponet, ut, qui saltem ex plurium Protestantium sententia ad ipsos non spectant, a Catholicis

tales habeantur? Caeterum in ipsis Tractatibus pacis de jure cognitionis hujusmodi inter utramque partem acriter disceptatum fuit. Anno 1646. m. Jan. Protestantes inter alia inquiebant, daß solche Cognition ihnen (den Catholischen) „so wenig eingeraumt werden könne, als wenig die Evangelische begehren „zu judiciren, wen sie für Römisch-Catholisch erkennen sollen, oder als un„catholisch halten. Catholici reponebant: wer zu beyderseits beliebter Ausschlie„sung anderer fremden und im Reich verbotenen Lehren für einen Augspur„gischen Confessions-Verwandten zu halten? ist in dem Anno 1530. zu Aug„spurg übergebenen autographo ihre Confession ohnzweifelhaft, sowohl als „Reichs- und Weltkündig, wer Catholisch oder Uncatholisch, und davor zu er„kennen seye: dahero es einiger sonderbaren Judicatur nicht vonnöthen. Cum Protestantes nihilominus hanc cognitionem Catholicis porro concedere renuerent, denuo replicabant Catholici: „die declarationem: quis sit Augustanae Con„fessionis: wollen die A. C. verwandte Stände ihnen allein zueignen: da sie doch „unter sich selbsten deswegen different., und solchergestalt den Catholischen „solche Stände könnten obtrudirt werden, die sich zur Augspurgischen Con„fession nicht bekennen: et anno cit., m. Sept. die Cognition: wer der Augspur„gischen Confession Verwandter seye oder nicht: gehöret nicht für selbiger Con„fession Verwandte, sondern vor die Kayserl. Maj. und gesammte Reichs„stände, consequenter die Catholischen mit, sonsten würde ein Receptaculum „fremder und verbotener Secten daraus erfolgen. Sueci equidem eod. mens. denuo intulerunt ideae suae Instrumenti pacis: *sicut autem Catholicorum notioni subest, quis sit Catholicus, nec ne; ita quis Augustanae Confessionis sit consors, nec ne, soli dijudicent Evangelici*: quod idem 1647. mens. Februar. reliqui Protestantes repetierunt, Caesarei autem mens. Mart. ita sese declararunt: *Cognitio vero, quis sit Augustanae Confessionis; si quaestio de immediato aliquo Imperii Statu in Pacem Religionis recipiendo, aut ejusdem priuilegiis donando, vel etiam privando, agatur, utique ad Imperatorem et Status utrinque paciscentes pertinebit, cum utrorumque ex aequo intersit. Sin vero de iis quaeratur, qui in immediatorum Imperii Statuum terris degunt, & aliam, quam revera colunt, Religionem jactant, res utique ad Magistratus ordinarii cognitionem pertinebit, ad evitandas lites & jurgia, quae inde inter vicinos unius vel alterius Religionis Status sese talibus cognitionibus in alieno territorio immiscere volentes suboriri possent.* Partibus vero pertinaciter dissidentibus instrumento pacis nil insertum fuit. Controversias speciales tum inter Catholicos & Protestantes, tum ipsos Protestantes solos de hac re enatas habet MOSER l. cit.



NOV 3 - 1942



